EMUNDI RICHERII ... LIBELLUS DE ECCLESIASTICA ET POLITICA POTESTATE:...

Edmond Richer

Digitized by Google

Eſt Monaſterij S. MARIÆ de Florentia
ad uſum
D. Petri Aloyſij della Torre.

5.5.116

Digitized by Google

Badia
N.o 11233:

Digitized by Google

EMUNDI
RICHERII
Doctoris Theologi Pariſienſis
LIBELLUS
DE
ECCLESIASTICA
ET POLITICA POTESTATE.

Nec non ejuſdem Libelli per eundem Richerium Demonſtratio.

NOVA EDITIO

AUCTA EJUSDEM LIBELLI
DEFENSIONE NUNC-PRIMÙM TYPIS EDITÂ
EX MANU-SCRIPTO EJUSDEM AUTHORIS.
IN DUOS TOMOS DIVISA.
CUM ALIIS QUIBUSDAM OPUSCULIS.

ECCLESIA *eſt Politia Monarchica, ad finem ſupernaturalem inſtituta; regimine Ariſtocratico, quod omnium optimum, & naturæ convenientiſſimum eſt, temperata à ſummo animarum Paſtore Domino Jeſu Chriſto.*

COLONIÆ,
Apud BALTHASARUM AB EGMOND & Socios.
M. DCCI.

Digitized by Google

Ex Epa 9. Centuriæ ſecundæ. Epiſtolarum moriſoti, ad curetum.

JAM Vita RICHERII noſtri terminata eſt, immò nunquam moritur ſapiens, ſed vivit Cælo, vivit cum virtutibus ſuis in animis ſuperſtitum, quibus manus porrigit, & pro quibus intercedit coram Deo, ad quem aſcendit. Omnibus verè Chriſtianis Gallici ſceptri amantibus, grande deſiderium ſui reliquit, per memoriam doctrinæ & probitatis. Vir proceræ ſtaturæ, rectum vividumque corpus, & par menti in eo habitanti, ſervavit. Nulla venus, nullæ illecebræ corruperant: nulla ſeveritas liberalem rugaverat frontem. In ſtatione ſui poſitus, & Sorboniſtico, hoc eſt, tenui victu ſuſtentatus, ad extremam ſenectutem nempe ad annum ætatis ſuæ 84. pervenit. Humanis ſuavitatibus intactus, vultu habituque moris antiqui, qui dignus etiam ab inimicis ſuis exiſtimatus ad quem divinarum humanarumque rerum diſceptatio & judicium deferretur. Memorabilem cum fecerunt renovata toties diſcrimina, notumque periculis nomen. Libellulum an. ſal. 1611. ſcripſerat de *Eccleſiaſtica & politica poteſtate* ſuadente Henrico Borbonio primo Principe, maximis omnium Doctorum ſcriptis æquiparandum, quem verè dicere poſſum, libertatis Gallicæ, totiuſque Eccleſiæ Gallicanæ, Regumque, & Principûm, quotquot ubique regnant, firmiſſimum utiliſſimumque Volumen & Munimen, &c. Divione S. Cal. Maias 1633.

Digitized by Google

Declaratio EMUNDI RICHERII, ſuper editione libelli ſui de Eccleſiaſtica & Politica poteſtate.

EGO EMUNDUS RICHERIUS, *Presbyter diœceſis Lingonenſis, Doctor ſacræ Facultatis Theologiæ Pariſienſis, & magnus Magiſter Collegii Cardinalitii Univerſitatis Pariſienſis ſubſignatus; ſemper præ me tuli, atque etiam nunc præ me fero, nullo alio unquam animo, propoſito, conſilio aut cujuſquam hortatu, vel ſuaſione, me libellum* de Eccleſiaſtica & Politica poteſtate *anno* 1611. *ſcripſiſſe; quàm ut breviter demonſtrarem quænam eſſent principia doctrinæ majorum ſcholæ Pariſienſis. Sed quia dum brevis eſſe volo obſcurus fio; atque perſpexi quaſdam propoſitiones memorati libelli, in malam partem acceptas: hîc proteſtor & declaro, me ſemper voluiſſe, atque etiam nunc velle, & memetipſum, & libellum præfatum, omnemque meam doctrinam, ſanctæ ſedis Apoſtolicæ, & Eccleſiæ Catholicæ Apoſtolicæ, & Romanæ judicio ſubjicere: ac permagnum concepiſſe dolorem, aliquas propoſitiones memorati libelli, ſic à nonnullis contra mentem, ſenſum, & intentionem meam captas, quaſi juſtæ & legitimæ poteſtati ſummi Pontificis & dominorum Prælatorum Eccleſiæ, aliquid imminutum aut detractum vellem: Quem quidem ſenſum, ſicut & omnem aliam interpretationem Eccleſiæ Catholicæ, Apoſtolicæ & Romanæ judicio contrariam, vehementer improbo & condemno: utque aliàs ſæpe obteſtatus ſum, ita etiam in præſentiarum iterum obteſtor, & declaro, me paratiſſimum eſſe ad explicandas omnes propoſitiones dicti libelli, in bonum, verum, & catholicum ſenſum. In cujus rei fidem & teſtimonium præſentem Declarationem & proteſtationem concepi, meâque manu ſubſcripſi, anno milleſimo ſexcenteſimo vegeſimo ſecundo: Die Jovis trigeſimâ Junii.*

Signatum, E. RICHER.

Aujourd'hui datte des preſentes, eſt comparu pardevant les Notaires & Gardenotes du Roi nôtre Sire au Chaſtelet de Paris ſous-ſignez, Venerable & ſcientifique perſonne Maître EMON RICHER, Docteur en la Faculté de Theologie de Paris, & Grand Maître du College dit du Cardinal le Moine, fondé en l'Univerſité de Paris, ruë S. Victor, lequel volontairement a reconnu & confeſſé avoir écrit & ſigné le contenu ci-deſſus, qui eſt veritable: Dont il a requis aux Notaires ſous-ſignez le preſent Acte à lui octroié, le Jeudi avant midi trentiéme & dernier jour de Juin mil ſix cent vingt-deux, & a ſigné en la minute, demeurée pardevers de Saint Leu, l'un des Notaires ſous-ſignez.

CARON DE SAINT LEU.

Digitized by Google

EMVNDVS RICHERIVS *Doctor Theologus Pariſienſis, Lectori veritatis ſtudioſo. S. P. D.*

LECTOR BENEVOLE, cùm juſtus dolor ex funeſta cæde Henrici Magni conceptus, permultos bonos viros, & Religionis Catholicæ Apoſtolicæ Romanæ, & ſalutis patriæ amantiſſimos tantò graviùs percelleret, quòd tum temporis cernerent libros, & placita de ſummi Pontificis auctoritate in abdicandis Regibus; continuòque etiam periculum ex hac doctrina Regum noſtrorum capitibus impendens, increbreſcere: Ego quidem poſt Capitulum generale Dominicanorum, mandato viri ampliſſimi, & maximè Catholici, cui hoc abſque injuria denegare nullo modo poteram, libellum de Eccleſiaſtica & Politica poteſtate anno 1611. compoſui: ut demonſtrarem, *quænam eſſent principia doctrinæ Majorum ſcholæ Pariſienſis, de Eccleſiæ & Romani Pontificis auctoritate.* Sed vixdum ille libellus primo lucis crepuſculo illuſtratus fuerat; ecce acerbiſſimâ Cenſurâ DD. Epiſcoporum Senonenſis provinciæ ſtatim flagellatur, *propterea quòd multas propoſitiones, allegationes, & expoſitiones falſas, erroneas, ſcandaloſas, ſchiſmaticas, & hæreticas, ut ſonant, contineret.* Propria ſunt verba DD. Cenſorum, quæ indicant libellum meum in ſpeciem, & quaſi ad externum aurium ſonum damnari. At bone Deus, qui neminem indictâ cauſâ damnari vis! quàm pronum & expeditum erat, iſtam externam ſoni imaginem, ad bonum, verum, & Catholicum concentum revocare, ſi me DD. Cenſores non gravati eſſent audire: quando me illius libelli auctorem palam & ingenuè profiterer? His autem de cauſis, cùm publicè expoſtulationem habuiſſem, quòd adverſus omnem divini atque humani juris rationem inauditus damnarer: inſuper contenderem DD. Cenſores, ſaltem aliquam ejuſmodi propoſitionum, allegationum & expoſitionum, quas deberem emendare, nominatim debuiſſe deſignare: propterea quòd hâc aliâ ſuæ Cenſuræ clauſulâ, *Juribus tamen tam Regis quàm Eccleſiæ Gallicanæ libertatibus per nos non tactis:* illa ipſa exciperent quæ damnabant; & contra damnarent quæ excipiebant: *quoniam toto meo libello, ne ullus quidem apex occurreret, qui aut ad Regis jura, & ſupremam majeſtatem tuendam, aut ad Eccleſiæ Gallicanæ libertates non intimè pertineret.* Tandem pro omni reſponſo, mihi pœnâ capitis interdictum, ne quid pro mea defenſio-

Digitized by Google

ne lucubrarem : atque ampliùs objectum eſt , falsò & ſupervacuè iſtas querelas fundi à me : quando Magiſter Andræas Vallius collega & ſodalis meus Sorbonicus, cunctas libelli mei propoſitiones, minio & animadverſione dignas, ſuo Elencho ſigillatim recenſeret , & confutaret. Ex quo intellexi , quàmprimum aliquam mei libelli Defenſionem texere mihi liberum foret , me quidem iracundos Vallii Elenchos, ad amuſſim ſequi , & oſtendere debere, nullam eorum *propoſitionum* , *allegationum* , & *expoſitionum* , *quas ut falſas* , *erroneas* , *ſcandaloſas* , *ſchiſmaticas aut hæreticas* , *magno cum animi felle inſectatur*, talem eſſe, qualem quæſitis, & meditatis convitiis , & cavillationibus vociferatur. Quocirca brevitatis ſtudio, ab illis propoſitionibus illuſtrandis, & explicandis, quas Vallius intactas reliquit, prudens ſciens hîc abſtinebo ; ut eas omnes quas magno , vano tamen conatu labefacere molitur, orthodoxas , ac juri divino , naturali & canonico planè congruentes eſſe, rebus convincam neceſſariis; ſperoque, hanc vetuſtiſſimi & illuſtriſſimi auctoris ſententiam : *Veritas à tempore laborat , opprimitur nunquam :* tum demum de meo libello confirmatum iri. Ne autem in iis perquirendis, de quibus agitur in hac Demonſtratione , cuiquam aqua diutiùs hæreat : primò textum *libelli de Eccleſiaſtica & Politica poteſtate* , qualem anno 1611. typis æneis efformandum curavi , in octodecim capita diſtinctum ; deinde ſingulorum capitum demonſtrationem , totiuſque mei propoſiti ſummam in fronte hujus lucubrationis intuendam exhibeo. Vale.

Digitized by Google

CAPUT I.

Juriſdictio Eccleſiaſtica, primariò ac eſſentialiter Eccleſiæ; Romano autem Pontifici, atque aliis Epiſcopis miniſterialiter tantùm, ſicut facultas videndi oculo convenit. *pag.* 1.

DEMONSTRATIO CAPITIS I.

1. Demonſtratio duorum axiomatum, quibus probatur Chriſtum claves toti Eccleſiæ architectonicè contuliſſe, ut per unum miniſterialiter exercerentur. pag. 1.

2. De ſimilitudine oculorum, quibus Prælati Eccleſiæ & ſedes Apoſtolica ab antiquis Patribus comparantur. pag. 2.

3. Richerium, quando aſſerit claves datas in commune toti Eccleſiæ, nomine Eccleſiæ ordinem Hierarchicum collectim ſumptum intelligere. pag. 2.

CAPUT II.

Chriſtus, immediatè & per ſe claves ſivè juriſdictionem ordini Hierarchico contulit, per immediatam & realem miſſionem omnium Apoſtolorum atque diſcipulorum. *pag.* 3.

DEMONSTRATIO CAPITIS II.

Chriſtum ſex loquendi formulis juriſdictionem Eccleſiaſticam ſignificare, & conferre: eamque pridem ante ordini Hierarchico in commune, quàm B. Petro ſeorſim contuliſſe. pag. 5.

2. Communicationem ſacerdotii Chriſti factam toti Eccleſiæ in commune, eſſe velut cauſam efficientem totius juriſdictionis Eccleſiaſticæ: adeò ut facultas clavium, ligandi & ſolvendi, remittendi, atque retinendi peccata, paſcendique oves Chriſti, & omnes aliæ dotes poteſtatis Eccleſiaſticæ ad ſacerdotium Chriſti, tanquàm ad cauſam Phyſicam, referantur. pag. 5.

Digitized by Google

3. Sacerdotium Chriſti eſſe velut animam Eccleſiæ militantis, totam in toto ordine Hierarchico, & totam in quolibet Epiſcopo & Presbytero habitare, atque pro diverſitate organizationis Hierarchici ordinis, juxta Papalem, Epiſcopalem, & Presbyteralem dignitatem, diverſa miniſteria, & functiones Hierarchicas ſortiri. pag 5.

4. Juriſdictionem Eccleſiaſticam, habitu, & in actu ſignato, unà cum ordine Epiſcopali & Presbyterali conferri. pag. 6.

5. Patrum antiquorum & Doctorum Catholicorum teſtimoniis demonſtratur; Chriſtum priùs atque immediatiùs claves toti Eccleſiæ in commune, quàm ſigillatim uni Petro dediſſe: nimirùm auctoritate Hieronymi, Baſilii, Ambroſii, Auguſtini, Gregorii, Cuſani, & Bellarmini. pag. 6.

6. De ſupremo Eccleſiæ tribunali, cujus erectione Dominus Eccleſiam architectonicem & ſibi-ipſi ſufficientem conſtituit, Mathæi 18. pag. 6.

7. Locus Cypriani & Auguſtini Can. Quodcumque. Can. Loquitur, & Can. Alienus 24. quæſt. 1. ab Elenchis adverſariorum vindicatur. pag. 6.

8. Quonam ſenſu ſumma totius externæ juriſdictionis Eccleſiaſticæ, in facultate excommunicandi conquieſcere dicatur. pag. 6.

9. Atque Collationes beneficiorum quadringentis & mille annis communi jure, & ſacris electionibus continuaſſe perhibeantur. pag. 6.

10. Sacras electiones quoad eſſentiam juris eſſe divini & naturalis. pag. 6.

11. Quâ notione dictum ſit à Richerio, nullam adversùs ſacras electiones decurrere præſcriptionem: & de duplici via propagandorum Paſtorum Eccleſiæ. pag. 6.

12. Hoc commune proloquium, Omnis principatus quoad vim coactivam ab hominum conſenſu pendet, ab adverſariorum calumniis defenditur. pag. 6.

C A P U T III.

Eccleſiæ definitio, per cauſas eſſentiales. *pag.* 21.

D E M O N S T R A T I O

C A P I T I S III.

1. Quam ob cauſam Eccleſia dicatur politica Monarchica. pag. 21.

2. De Ariſtocratico Eccleſiæ regimine. pag. 21.

3. Et cur omnium optimum atque naturæ convenientiſſimum appelletur. p. 21.

4. Theologorum & Canoniſtarum ſententiâ probatur, hunc fidei articulum, Credo *unam ſanctam Eccleſiam Catholicam* eſſe veritatis ſempiternæ, Papâ vivo aut mortuo. pag. 21.

5. Item Papam eſſe duntaxat caput miniſteriale Eccleſiæ. pag. 21.

Digitized by Google

6. Præceptum de habendo Pontifice eſſe affirmativum non negativum. p. 21.
7. Et ſedem Apoſtolicam ſeptem annis poſt Marcellini Papæ martyrium vacaſſe. pag. 21.

CAPUT IV.

D. Petrus eſt ſolummodò Diſpenſator & caput miniſteriale : Chriſtus autem, Dominus abſolutus, fundator, caput, & fundamentum eſſentiale Eccleſiæ: unde argumenta, quæ ducuntur à capite miniſteriali ad eſſentiale caput, fallunt à dicto ſecundùm quid, ad dictum ſimpliciter. pag. 24.

DEMONSTRATIO CAPITIS IV.

1. Quibuſnam fundamentis, & ſcripturæ teſtimoniis monarchicus Eccleſiæ principatus nitatur : de dogmatica explicatione horum locorum, *Tu es Petrus* & ſuper hanc petram : *Paſce oves meas*, &c. pag. 25.
2. Dominium & ſpirituale miniſterium inter ſeſe velut duo contraria opponi. pag. 25.

CAPUT V.

In Eccleſia, ſtatus à regimine diſtinguitur : nam ſtatus monarchicus eſt, ad unitatem atque ordinem vindicandum, necnon ad efficacem exequutionem canonum : regimen verò ariſtocraticum, propter ſalutare conſilium, infallibilem providentiam, & conſtitutiones canonum : Eccleſia enim canone non abſolutâ poteſtate regitur. pag. 27.

DEMONSTRATIO CAPITIS V.

1. De ſtatus atque regiminis Eccleſiæ differentia. pag. 27.
2. Collegium Cardinalium ex vi ſuæ inſtitutionis ad Concilium ariſtocraticum Eccleſiæ pertinere. pag. 27.
3. Quodnam ſit nativum Eccleſiæ Concilium à Chriſto inſtitutum, & quid ſit definire ex Cathedra. pag. 28.

Digitized by Google

4. Epiſcopos jure divino Apoſtolis, atque Presbyteros LXXII. diſcipulis ſuccedere, & in commune debere Eccleſiam regere. pag. 28.

CAPUT VI.

Infallibilis poteſtas decernendi aut conſtituendi Canones, toti Eccleſiæ, quæ eſt columna & firmamentum veritatis, non uni & ſoli Petro competit: idque praxi Eccleſiæ comprobatur. pag. 31.

DEMONSTRATIO CAPITIS VI.

1. Quænam ſit ratio Canonis *Majores* 24. quæſt. 1. quem fruſtra adverſarii, quaſi perperam uſurpatum à Richerio, oppugnant. pag. 33.

CAPUT VII.

Explicatio hujus textûs Evangelii, Simon, ecce Sathanas expetivit vos ut cribraret ſicut triticum, Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, &c. pag. 33.

DEMONSTRATIO CAPITIS VII.

1. Facultatem confirmandorum fratrum Petro competere, non tam ratione horum verborum Chriſti, *Ego rogavi* pro te Petre, confirma fratres tuos, &c. quàm in vim & conſequentiam Primatûs: & quid fratrum nomine intelligatur Lucæ 22. pag. 35.

CAPUT VIII.

Frequens celebratio Conciliorum eſt ſimpliciter & abſolutè neceſſaria ad Eccleſiam meliùs ſanctiùſque regendam: & quo in caſu bullæ, ac decretales ſummorum Pontificum obligent. pag. 36.

Digitized by Google

DEMONSTRATIO CAPITIS VIII.

1. Teſte Bellarmino celebratio Synodorum eſt medium ordinarium & neceſſarium à Chriſto inſtitutum, ad omnes Eccleſiæ controverſias definiendas: & quidnam ſit definire ex Cathedra. pag. 37.
2. Quâ ratione Richerius dixerit, præſtare legibus quàm abſoluto unius imperio gubernari, & de Bellarmini ſententia in eam rem. pag. 37.
3. Genuinus ſenſus Canonis Si Romanorum, diſt. xix. & quo in caſu Bullæ atque Decretales Pontificum vim obligatoriam habeant. pag. 37.
4. Auctore Bellarmino, Epiſtolas Pontificum Romanorum, quæ ante Synodum Nicænam ſcriptæ perhibentur, non indubitatas nec erroribus vacuas eſſe. pag. 37.

CAPUT IX.

Quouſque plenitudo poteſtatis Papæ ſe extendat, & quo in caſu Papa de Canonibus Conciliorum diſpenſare valeat. pag. 40.

DEMONSTRATIO CAPITIS IX.

1. De objecto & plenitudine poteſtatis Papæ. pag. 41.
2. De legum natura, à quibuſnam ferri poſſint: & quatenus vim habeant actionalem obligandi. pag. 41.
3. De hac formula definiendi in Conciliis ſæculo Gregorii VII. inventa: *Nos Sacro* approbante Concilio decernimus, &c. pag. 41.

CAPUT X.

Quamquam Eccleſia unicum habeat caput eſſentiale, nihilominùs in ratione exercitii, atque exequutionis regiminis, à Papa & à Principe politico differenter gubernatur. pag. 43.

DEMONSTRATIO CAPITIS X.

1. De duplici Eccleſiæ regimine: & Papam eſſe Dei Vicarium in ſpiritualibus, Principem verò politicum in temporalibus, ad juris divini naturalis & Canonici conſervationem, & exequutionem. pag. 44.

Digitized by Google

CAPUT XI.

Cùm Eccleſia neque territorium, neque jus gladii habeat à Chriſto, & ad finem ſupernaturalem ſpiritualem tantùm inſtituta ſit, de mediis neceſſariis ad beatitudinem, ſuaſivè tantùm & directivè, non coactivè, pœnas temporales irrogando, judicat. pag. 45.

DEMONSTRATIO CAPITIS XI.

1. Cenſuras Eccleſiaſticas, ſicut & leges, poſſe conſiderari in actu primo, & ſecundo: neque antiquitus in rem judicatam, ſecluſo Ariſtocratico Concilio presbyterii, mitti conſueviſſe. pag. 48.

2. Territorium jure divino naturali addictum eſſe civili ſocietati: Eccleſiæ autem ſolo jure humano competere. pag. 48.

CAPUT XII.

Princeps politicus, ut dominus reipublicæ ac territorii, vindex eſt atque protector legis divinæ, naturalis, & canonicæ: Quare eum in finem leges figere, & gladium diſtringere poteſt. pag. 50.

DEMONSTRATIO CAPITIS XII.

1. Quâ notione Conſtantinus Magnus ſe Epiſcopum exteriorum negotiorum vocarit: & quantam curam de Eccleſiaſtica diſciplina meliùs conſtituenda geſſerit. pag. 51.

2. Pontificàle Romanum clarè docere, Reges eſſe participes miniſterii Epiſcoporum in exterioribus negotiis curandis. pag. 51.

3. Quòd Papa & Imperatores proportionatim & reſpectivè jus habeant Synodorum indicendarum tanquam juris divini, naturalis & Canonici vindices. pag. 51.

CAPUT XIII.

Princeps politicus, ut Eccleſiæ protector, & vindex canonum, judex

Digitized by Google

eſt legitimus appellationum quas ab abuſu vocant : & hinc Eccleſiæ Gallicanæ libertates originem ſumpſerunt. *pag.* 53

DEMONSTRATIO CAPITIS XIII.

1. De hoc capite nihil dicetur, quia Magiſter Andræas Vallius illud quietum reliquit. pag. 54.

CAPUT XIV.

Confutatio argumentorum, quibus abſoluta poteſtas Romano Pontifici tribuitur *pag.* 54.

DEMONSTRATIO CAPITIS XIV.

1. Quonam ſenſu B. Petrus dicatur eſſe *per & propter* Eccleſiam : & de duplici via ac ratione propagandæ poteſtatis Eccleſiaſticæ. pag. 55.
2. De libertate & beatitudine ſtatus Epiſcopalis, atque Epiſcoporum auctoritate in definiendis Eccleſiæ Controverſiis. pag. 55.
3. Impia Cajetani adulatio, perhibentis Eccleſiam ſponſam Chriſti, atque omnium fidelium matrem ac dominam, ſervam natam eſſe reſpectu Papæ. pag. 55.

CAP. XV. XVI. XVII. & XVIII.

15. IN CONCILIO *generali congregato, Papa habetur caput, quoad verbi divini prædicationem, adminiſtrationem ſacramentorum, & executionem canonum : minimè verò quoad directionem, & poteſtatem coërcitivam in totum Concilium.* *pag.* 1.
16. EXPLICATIO *hujus canonis, nemo judicabit primam ſedem.* *pag.* 2.
17. CAUSA *finalis Eccleſiæ, quæ eſt vita æterna per bonum regimen, demonſtrat Petrum eſſe per & propter Eccleſiam, ſicut oculus per & propter hominem.* *pag.* 3.
18. QUID SIT *Eccleſiam habere poteſtatem indirectam in temporalia : & ſolutio argumentorum contrariorum.* *pag.* 4.

Digitized by Google

DEMONSTRATIO
CAPITIS XV. XVI. XVII. & XVIII.

Hæc quatuor capita, aut leviter deliberantur, aut omninò intacta relinquuntur à Magiſtro Andræa Vallio : quare in illis defendendis non immorandum eſt.

Concluſio hujus demonſtrationis, partim in decreta Facultatis Pariſienſis ; partim in D. Cardinalis Perronii ſententiam. pag. 9.

Scholæ Pariſienſis Cenſura pro juris communis, atque Hierarchici ordinis vindiciis contra fratrem Joannem de Gorello. pag. 10.

Altera ejuſdem ſcholæ Cenſura adverſùs fratrem Joannem Sarrazin, pro immediata Eccleſiæ auctoritate, & Canonum Synodi Conſtantienſis vindiciis. p. 13.

Articuli Pariſienſes contra Lutherum pro immediata Eccleſiæ auctoritate. p. 17.

Cenſura ſcholæ Pariſienſis pro jure communi adverſùs propoſitiones quas frater Joannes Angeli prædicaverat Tornaci. pag. 18.

Reſponſum Facultatis Theologiæ Pariſienſis Carolo VIII. regi Franciæ factum, quo Canones Synodi Conſtantienſis & Baſileenſis de Conciliis generalibus frequenter celebrandis confirmantur. pag. 24.

Cenſura ſcholæ Sorbonicæ adverſùs librum Pleſſei Mornæi inſcriptum ; Iniquitatis myſterium. pag. 27.

FINIS.

Digitized by Google

SUMMA EORUM QUÆ ACTA ſunt Pariſiis, in diſputationibus Capituli generalis Dominicanorum, die XXVII. *Maii* M. DC. XI.

ANno Domini milleſimo ſexcenteſimo undecimo, die vigeſimâ ſeptimâ Maii, Magiſter Emundus Richer Doctor & Syndicus ſacratiſſimæ Facultatis Pariſienſis, unà cum honorandis Magiſtris, Vincentio Marchant, Antonio de Heu, Nicolao de Leſcleves, & Nicolao de Paris, Doctoribus ejuſdem Facultatis, circa horam tertiam ſeſe contulit in pergulas Scholæ Theologicæ Conventus Fratrum Dominicanorum Pariſienſium, quas frequentiſſimo numero clarorum ac doctorum virorum occupatas reperit: Inter alios permulti erant Doctores Theologi prædictæ Facultatis, necnon etiam plures ex familia Dominicanorum, Galli, Itali, Hiſpani, qui eòdem convenerant ad ſpectandas & audiendas ſolennes diſputationes Capituli generalis. In his diſputationibus Frater Wibertus Roſenbach Lector Conventus Colonienſis prædictorum Dominicanorum, partes reſpondendi agebat, præſide Magiſtro ac Fratre Coſmâ Morelles Regente & publico Profeſſore ejuſdem Conventus Colonienſis: Theſes autem ſic inſcriptæ erant: Sereniſſimo ac Reverendiſſimo D. Domino Erneſto Dei gratiâ electo & confirmato Archiepiſcopo Colonienſi, ſacri Romani Imperii per Italiam Archicancellario & Principi Electori, Epiſcopo Leodienſi, Adminiſtratori Monaſterienſi, Hildesheimenſi, & Friſingenſi, Principi Srabulenſi, primariæ Eccleſiæ Archiepiſcopalis Magdeburgenſis Præpoſito, Comiti Palatino Rheni, utriuſque Bavariæ, Weſtphaliæ, Angariæ, & Bullonis *Duci, Marquioni Franchimon, &c.* Porrò idem Magiſter Emundus Richer Syndicus, omnibus qui in prædictis pergulis erant, videntibus atque audientibus, honorandum Fratrem ac Magiſtrum Nicolaum Coeffeteau Doctorem prædictæ Facultatis & Priorem Conventus Pariſienſis, nonnulloſque alios Dominicanos etiam Doctores ejuſdem Facultatis ſic alloquutus eſt, rem eſſe indigniſſimam ac minimè ferendam, quòd theſibus, quæ eo die agitabantur, paſſi fuiſſent hos tres articulos inſeri: 1. *Romanum Pontificem in fide & moribus errare non poſſe*: 2. *In nullo caſu Concilium eſſe ſupra Papam*: 3. *Ad Papam pertinere dubia decidenda, Concilio proponere, deciſa confirmare vel infirmare, partibus ſilentium perpetuum imponere, &c.* Enimverò, ſi hujuſmodi articuli veri ſint, oportere omnes Gallos, qui decreta Synodi Conſtantienſis tanquàm de fide ſemper propugnaſſent, eſſe hæreticos, vel ſaltem Schiſmaticos: Gallorum patientiam iſtis theſibus ten-

Digitized by Google

tari : quas ſi Henricus Magnus viveret, nunquàm auſi fuiſſent edere in lucem : multos perſuaſum habere, id ab illis fieri non tam veritatis, quàm privati commodi ſtudio : præſertim quòd aliâ ratione ſuas extraordinarias miſſiones atque privilegia tueri ac propagare nequeant : memoratas theſes dicatas eſſe D. Archiepiſcopo Colonienſi, ac propterea, non modò omnium Gallorum, ſed etiam exterarum nationum manibus teri : quare ſi prædicti articuli intacti maneant ſine ulla publica interceſſione, ſtatim Gallos atque exteros ſibi perſuaſuros Sorbonam iſto ſilentio tacitè à majorum ſuorum placitis deſciſcere : publicum errorem publicâ ſatisfactione eluendum : ſe decreviſſe inpræſentiarum mittere Magiſtrum Ludovicum de la Court magnum apparitorem ut nomine facultatis hâc formulâ intercederet. De mandato D. Syndici ſacratiſſimæ Facultatis Theologiæ Pariſienſis & Dominorum dictæ Facultatis ſubſignatorum, conferat ſe Magiſter Ludovicus de la Court, major apparitor ipſius Facultatis in aulam Conventus Fratrum Dominicanorum Pariſienſium, in qua habentur ſolennes diſputationes pro Capitulo generali dictorum Fratrum : Ibique quâ poterit modeſtiâ, & ſine ſcandalo, ſignificet Magiſtro Fratri Coſmæ Morelles Præſidi, atque Fratri Wiberto Roſenbach reſpondenti, omnibuſque Baccalaureis dictæ Facultatis diſputantibus aut diſputaturis, ſeſe nomine dictæ Facultatis intercedere ac opponere quibuſdam Concluſionibus contentis in ſeptimo, octavo, & nono articulis aſſertionum Controverſialium, prout ſcribuntur in Theſi prædicti Fratris Wiberti Roſenbach, tanquàm novis in Gallia, contrariis ac repugnantibus ſacris Conciliis generalibus, nativis Eccleſiæ Catholicæ libertatibus, politiæ regni Gallicani, necnon antiquiſſimis decretis prædictæ Facultatis Pariſienſis. Ad vitandum autem ſcandalum, cunctis Baccalaureis ejuſdem Facultatis prohibeat, ne in ejuſmodi Concluſiones diſputent, ſed tantùm in alias partes, quarum magna eſt copia: Actum die veneris vigeſimâ ſeptimâ menſis Maii, milleſimo ſexcenteſimo undecimo. Quàm intercedendi formulam, ubi prædictus Magiſter ac Frater Nicolaus Coeffeteau audivit ac perlegit, per ſuos ſacros ordines affirmavit, prædictas Theſes ſe inſcio atque inconſulto factas : ſtante Capitulo generali ſe nihil prorsùs habere auctoritatis in Conventu : eòdem die quo illarum theſeum notitiam habuit, ſe DD. triumviros regios adiiſſe, ſibique ab eis nominatim injunctum, Caveret diligenter ne quis in prædictos articulos diſputaret : eamque ob cauſam, omnes Baccalaureos ſigillatim monuiſſe, ut illas Concluſiones tacitas ſinerent : hoc inſuper D. Reverendiſſimo Patri Generali plurimum dolere, adeò ut præſidi ac reſpondenti ſtrictiſſimè præceperit, ne de iſtiuſmodi partibus reſponderent, ſed ſi eas fortè à quibuſdam agitari contingeret, palam & publicè declararent, ſibi minimè licitum eſſe de illis agere. Quibus auditis & perpenſis, Magiſter Emundus Richer Syndicus, mutato intercedendi propoſito, reſpondit Controverſiam iſtam hâc moderatione ſedari poſſe ; nempè ſi quiſpiam baccalaureorum in aliquem prædictorum articulorum diſputaret, atque magiſter Coſmas Morelles, qui diſputationibus præerat, è veſtigio proteſtaretur ſibi à ſuo Reverendiſſimo Generali vetitum eſſe de illa parte in Francia reſpondere : hoc ſi ille præſtaret, ſacratiſſimæ Facultati abundè ſatisfactum iri : Quare idem Magiſter

Digitized by Google

ſter Emundus Richer imperavit majori apparitori prædictæ Facultatis, ut ſignificaret Baccalaureis, licitum eſſe in prædictos articulos velitari : eamque ob cauſam Magiſter Claudius Bertin Baccalaureus Sorbonicus primi ordinis ita diſputare cœpit, Quicquid adverſatur œcumenico & legitimo Concilio, eſt hæreticum : hæc tua Concluſio, *In nullo caſu Concilium eſt ſupra Papam*, adverſatur Concilio Conſtantienſi œcumenico & legitimo : Ergo eſt hæretica. Quam ad vocem illuſtriſſimus Sanctæ Sedis Apoſtolicæ Nuncius Epiſcopus Politianus commotior viſus eſt : Magiſter autem Coſmas Morelles qui præerat diſputationibus (In hac enim tota concertatione nullum verbum à prædicto Fratre Wiberto Roſenbach emiſſum eſt) ſic reſpondit : Domine Baccalauree arguens, noli dicere hanc aſſertionem eſſe hæreticam, ſatis enim eſt ſi dicas eſſe falſam atque erroneam : Ego verò profiteor, me iſtas Concluſiones non poſuiſſe animo offendendæ Academiæ aut Facultatis Pariſienſis, quam velut omnium aliarum Academiarum matrem agnoſco, ſed tantùm veritatis diſquirendæ cauſâ : etenim ſi veritas hujuſce quæſtionis in hac celeberrima Academia diſquiri non poſſit, ubinam gentium enucleabitur ? neque hanc partem tanquàm de fide, ſed velut problematicam cum Franciſco à Victoria, Melchior Cano &

propoſui : ſiquidem conſtat multas alias Univerſitates eamdem Concluſionem tueri contra ſententiam Academiæ Pariſienſis : Quare ſi mihi detur venia reſpondendi, eam ut problematicam defendam. Tum illuſtriſſimus Sanctæ Sedis Apoſtolicæ Nuncius juſſit de illa parte diſputari, quod D. ejus auditori, qui præſens erat, gratiſſimum videbatur. Cæterùm, quidam doctores Theologi, ac permulti viri illuſtres qui de prædictis pergulis eventum diſputationis attentè expectabant, perſtrepere atque conqueri cœperunt, nequaquàm ferendum, ut ejuſmodi Concluſiones agitarentur in Galliis : cùm Eccleſia Gallicana, à temporibus Conſtantienſis Synodi contrariam Sententiam velut de fide ſemper propugnarit : magnus quoque clamor excitatus eſt ab omnibus auditoribus qui in aula erant Theologica, circiter ad duo millia : Inter alios D. Sanguin Conſiliarius Parlamenti, & Præfectus Mercatorum urbis Pariſienſis, theſim publicè lacerandam : Dominus autem de Hacqueville Præſes Parlamenti, illam propoſitionem eſſe hæreticam contendebat. Tum Illuſtriſſimus D. Cardinalis Perronius Archiepiſcopus Senonenſis & magnus Regis Chriſtianiſſimi Eleēmoſynarius, Imperavit magno apparitori Facultatis Theologiæ, ut magiſtrum Emundum Richer Syndicum ex pergulis in aulam accerſeret, quæ frequentiſſimo numero clariſſimorum ac doctiſſimornm virorum, tam Eccleſiaſticorum quàm Laicorum fervebat : quos inter Illuſtriſſimus D. Cardinalis Perronius, D. Illuſtriſſimus Sanctæ Sedis Apoſtolicæ Nuncius, D. Rector Academiæ. D. Epiſcopus Montiſpuſſulani, D. Hacqueville Præſes in ſupremo Senatu, D. Sanguin Conſiliarius Parlamenti, ac Præfectus Mercatorum urbis Pariſienſis, item, D. Ribier etiam Conſiliarius in ſupremo Senatu, eminentiores Cathedras occupabant : cunctiſque audientibus ac videntibus, Illuſtriſſimus D. Cardinalis Perronius multoties iteravit, quæſtionem de Concilii & Papæ eminentia problematicam eſſe, propter exceptiones quas Tranſmontani adverſùs Conſtantienſe Concilium obtendebant ; deinde petiit à Magiſtro Emundo Richer

Digitized by Google

Syndico, qui ſe in aulam ex pergulis contulerat, primùm ecquid cauſæ habuiſſet præcipiendi Baccalaureis ut in memoratos articulos diſputarent, quos D. D. Triumviri regii ſilentio obrui præceperant ? ſecundò cenſeretve de illa parte diſputandum ? Ad hæc præfatus Magiſter Emundus Richer reſpondit, ſe ideò copiam diſputandi feciſſe Baccalaureis in prædictos articulos, ut ſi quâ ratione fieri poſſet, aliquod publicum teſtimonium eliceretur à Magiſtro Coſma Morelles Præſide diſputationum, quo fieret ſatis Academiæ & Facultati Pariſienſi, quæ publicâ aſſertione prædictorum articulorum nominatim peti atque offendi videbatur : Sorbonam ſemper habuiſſe Concilium Conſtantienſe pro legitimo atque œcumenico, eamque ob rem, ab eo tempore tanquàm de fide tenuiſſe Concilium eſſe ſupra Papam : Theſes, quibus prædicti articuli contra decreta Synodi Conſtantienſis, & doctrinam Facultatis Pariſienſis ſcribuntur, in omnium gentium oculis verſari, ac propterea opus eſſe, ut aliquo actu publico contrario confutentur : Juſſionem D. D. Triumvirorum regiorum de hac parte ſilentio involvendâ, omnibus ignotam atque occultam eſſe, quippe quæ uni tantùm Magiſtro ac Fratri Nicolao Coeſſeteau, qui eam privatim acceperat, innotuerit, & verbo tantùm, non ſcripto concepta ſit : ſe optimè ſcire D. D. Triumviros regios, nunquàm moleſtè laturos ſi Schola Pariſienſis aliquâ publicâ interceſſione aut obnunciatione, ſuam antiquam doctrinam vindicare niteretur : demùm, ſe limatiſſimo & caſtigatiſſimo judicio Illuſtriſſimi D. Cardinalis Perronii relinquere, quanti momenti hæc ſit controverſia, & utrùm eam hoc tempore tractari an ſilentio prætermitti expediat. Quibus auditis, Magiſter Coſmas Morelles, iteratò ea quæ exordio Argumenti Magiſtri Claudii Bertin præmiſerat, proteſtatus eſt : videlicet, non ſe iſtas Concluſiones poſuiſſe animo offendendæ Academiæ aut Facultatis Pariſienſis, quam velut matrem omnium aliarum Academiarum agnoſcebat : ſed tantummodò veritatis diſquirendæ cauſâ : hancque partem non tanquàm de fide, ſed velut problematicam aſſerere, & cæt. Si verò ſibi concedatur, de illa reſponſurum. Quamobrem, annuente Illuſtriſſimo D. Nuncio Apoſtolico, idem Magiſter Claudius Bertin ſic argumentum ſuum perſequutus eſt : hæc pars damnata fuit in Concilio Conſtantienſi, quod Martinus V. approbavit : Ergo falſa eſt atque erronea. Cui argumento ut Præſes ſatisfaceret, multas attulit ſolutiones, ex Cajetano potiſſimùm deſumptas, alium enim auctorem hac in parte non laudavit, Primò, quòd decretum quartæ & quintæ ſeſſionis Conſtantienſis Synodi tantummodò intelligeretur de Papa dubio, puta quando eſt aliquod ſchiſma, & plures ſunt Antipapæ : Secundò, quòd eadem decreta non fuerint facta Conciliariter, hoc eſt allatis atque penſatis utrinque rationum momentis : Tertiò, quòd ſola obedientia Joannis XXIII. conſenſum præbuerit hujuſmodi decretis, ipſo Joanne abſente, adeò ut Concilium acephalum videretur : Quartò, addidit de ſuo Martinum V. quaſi ex abrupto & non maturè attendendo peculiariter ad prædicta decreta, Synodum Conſtantienſem concluſiſſe : Scilicet poſtquam Legati Regis Poloniæ & Magni-Ducis Lituaniæ ſupplicaſſent, ut liber Fratris Joannis Faltzemberg, quem Nationes & Collegium Cardinalium privatim damnaverant, etiam publicè & conciliariter damnaretur. Quibus in ſolutionibus deducendis,

Digitized by Google

prædictus Frater Coſmas Morelles, tam multa involvebat atque implicabat, ut vix ex ejus reſponſione liqueret, cuinam ſolutioni plus tribueret. Quocircà Illuſtriſſimus Dominus Cardinalis Perronius juſſit finem imponi diſputationi : At Magiſter Emundus Richer, Syndicus, illum obnixè rogavit, ut pateretur Magiſtrum Claudium Bertin ſuam perſequi argumentationem, quam ita continuavit argumento ad hominem, ut vocant. Quicquid ſummus Pontifex reſpondet aut confirmat de Cathedra per ſe eſt indubitatæ fidei : Sed Martinus V. ſedens pro tribunali in Conſtantienſi Concilio (cui etiam antequàm crearetur Pontifex velut Cardinalis interfuerat) omnia & ſingula acta confirmavit quæ facta fuerant conciliariter : igitur decreta quartæ & quintæ ſeſſionis, cùm facta fuerint conciliariter, indubitatæ ſunt fidei : ac proindè falſum atque erroneum eſt aſſerere, in nullo caſu Papam ſubeſſe Concilio. Præſes reſpondit Martinum V. diſſoluto Concilio, Bullâ quâdam peculiari damnaſſe errores Joannis Wiclef & Joannis Hus, idque argumento eſſe, quòd decreta quartæ & quintæ ſeſſionis minimè roboraſſet. Contra idem Magiſter Claudius Bertin inſurrexit, nunquàm ante, neque poſteà auditum, ut qui Concilio interfuiſſet cùm deliberaretur, atque eidem quoque præfuiſſet ut Papa dum concluderetur, deinceps Bullâ particulari, quædam acta Concilii pro animi ſui ſententia comprobaret, alia verò reſpueret : & quamvis in Synodo Tridentina Romani Pontifices minimè præſentes fuiſſent, nequaquàm tamen Bullâ peculiari ſingulos Canones Concilii approbaſſe : Cùmque idem Magiſter Claudius Bertin inſtaret, ac ulteriùs argumentum ſuum promovere cuperet, Illuſtriſſimus Dominus Cardinalis Perronius edixit, ne de hac re ampliùs, ſed de Sacramento Euchariſtiæ ageretur, ſicque huic diſputationi finis impoſitus.

PRæterea, cùm iidem Dominicani die Sabbathi vigeſimâ octavâ Maii, indixiſſent diſputationes in diem Dominicam ſequentem, ac Theſes jam pro foribus ſcholæ eſſent affixæ, & articulus 63. prædictarum theſium ita conciperetur, *Veritates fidei definire ſolius Pontificis eſt, qui in hoc errare non poteſt* : de mandato Domini de Verdun primo Præſidis Parlamenti, illis eſt injunctum, ut die dominico ceſſarent, ac prædictum articulum ex theſibus abraderent, ſi de his reſponderi vellent : ex quo accidit, ut ante diem Martis ultimam Maii non fuerit diſputatum : quo die, D. de Sillery Franciæ Cancellario permittente, memoratæ theſes eâ lege agitatæ fuerunt, ut Dominicani non paterentur quemquam diſputare in prædictum articulum de Romani Pontificis infallibilitate.

L. H O Y A U Rector Academiæ.
E. R I C H E R Syndicus.
V. M A R C H A N T.
H. D E H E U.
L E S C L E V E S.
D E P A R I S.
B E R T H I N.
D E L A C O U R.

Digitized by Google

ARREST DE LA COUR de Parlement, contre le nommé Jacob, Bachelier, & Blanzy, Docteur, pour avoir propoſé des Theſes ſur la puiſſance du Pape, contraires à la Doctrine de la Sorbonne, & de l'Egliſe Gallicane.

Extraict des Regiſtres de Parlement.

VEU par la Cour, les grandes Chambre & Tournelles aſſemblées, les poſitions imprimées, dreſſées par Frere Florent Jacob, Prêtre Religieux de l'Ordre S. Auguſtin, Bachelier en Theologie, pour icelles ſoûtenir & deffendre publiquement, le dixiéme jour de Mai dernier, en la diſpute de grande Ordinaire, en Sorbonne, ſous Maître Thomas Blanzy, Docteur en Theologie Principal du College de Calvy, dont le cinquiéme Article contenoit ce qui enſuit. „ Huic porrò ſedi ſucceſſor in qua ſedet etiam nunc Clemens hujus nominis octavus omnium Pontificum maximus & ſupremus. Qui cùm in terris vices Dei gerat, ab eodem eſſe ſpiritualia & temporalia non eſt ambigendum, ſpiritualem enim „ & temporalem in omnibus habet poteſtatem, eique univerſi Cardinales Epiſcopi & omnes omnis generis homines parere & obedire, & veluti membra capiti adhærere perpetuò tenentur. *Et le neuviéme.* Domus Eccleſiaſtica cùm duplicis gladii habeat poteſtatem, Temporalis uſum ad bonorum defenſionem „ & malorum exterminium regibus & magiſtratibus concedit. Les Interrogatoires faits par l'un des Conſeillers en ladite Cour à ce commis, auſdits Jacob & Blanzy priſonniers és priſons de la Conciergerie du Palais. Concluſions du Procureur general du Roi : Oüis & interrogez en ladite Cour leſdits Jacob & Blanzy ſur leſdites propoſitions : Oüi auſſi le Syndic de la Faculté de Theologie, pour ce mandé en icelle. Et tout conſideré : DIT A ESTE', Que ladite Cour a declaré & declare leſdits cinq & neuviéme Articles deſdites propoſitions, faux, ſchiſmatiques, contraires à la Parole de Dieu, Saints Decrets, Conſtitutions canoniques & loix du Royaume, tendantes à Rebellion & perturbation du repos public : Condamne ledit Jacob pour les avoir compoſées,

Digitized by Google

fait imprimer, & preſentées pour les ſoûtenir en ſon acte de grande Ordinaire, être conduit des priſons de la Conciergerie en la grande Salle de Sorbonne, en laquelle les Doyen & Syndic, Docteurs, Licentiez & Bacheliers ſeront aſſemblez au ſon de la cloche, & illec étant tête nuë, & à genoux, aſſiſtant ledit Blanzy, tête nuë & debout, dire & declarer, Que temerairement & indiſcretement, il a compoſé & publié leſdites poſitions, pour être diſputées & par lui ſoûtenuës en ſon Acte de grande Ordinaire, dont il ſe repent & en demande pardon à Dieu, au Roi & à Juſtice. Ce fait ſeront leſdites poſitions rompuës & lacerées. Fait ladite Cour inhibitions & deffences à tous Bacheliers d'en compoſer & preſenter de ſemblables, ne autres, contre la puiſſance du Roi, & obeïſſance à lui deuë par tous ſes ſujets : établiſſement de l'Etat Roial & droits de l'Egliſe Gallicane : & au Doyen, Syndic & Docteurs de la Faculté de les recevoir, ne permettre qu'elles ſoient imprimées ou diſputées, ſur peine d'être declarez criminels de leze-Majeſté, & indignes de joüir des privileges octroiez à la Faculté de Theologie, par les Rois predeceſſeurs du Roi regnant, & confirmez par lui. Ordonne que ce preſent Arrêt ſera écrit és Regiſtres d'icelle Faculté, & leu par chacun an à la premiere Aſſemblée de la Sorbonne, par le bedeau de ladite Faculté : & enjoint au Syndic de certifier ladite Cour de la lecture dans trois jours aprés qu'elle aura été faite, ſur peine de deſobeïſſance aux Arrêts : Et ſera le preſent Arrêt executé par l'un des Preſidens & quatre Conſeillers en ladite Cour, en la preſence du Procureur General du Roi. PRONONCE' & executé en la Salle de Sorbonne, le Mercredi dixneuviéme Juillet, mil cinq cent quatre-vingt quinze : Collationé.

Signé, VOISIN.

Digitized by Google

Digitized by Google

DE SUMMI PONTIFICIS
AUCTORITATE,
Ex libro Concluſionum ſacræ Facultatis Theologiæ Pariſienſis.

ANno Domini milleſimo ſexcenteſimo decimo, die ſecundâ Octobris, primâ die præpedita propter actum Sorbonicum ſacra Facultas Theologiæ Pariſienſis poſt ſolemnem Miſſam de Spiritu ſancto, ſua ordinaria celebravit Comitia in aula Collegii Sorbonæ ſuper ſequentibus Articulis.

Primò, recognita & obſignata eſt concluſio facta decimâ quintâ Septembris. Secundò, Honorandus Magiſter Emundus Richer Syndicus iſtam habuit expoſtulationem, jure naturali unumquemque noſtrûm ad honoris tanquàm ad propriæ vitæ defenſionem adſtringi, imò etiam homini egregiè cordato honorem multò cariorem eſſe propriâ vitâ: ſe certò accepiſſe quemdam Patrem Jeſuitam, præſentibus Magiſtris De Palude & Ourri, aſſeveraſſe Doctorem Richerium Syndicum Facultatis Pariſienſis ex cujuſdam Baccalaurei Theſibus hanc abraſiſſe propoſitionem: Summus Pontifex immediatè habet auctoritatem à Chriſto. Idque ſi abraſum ſit, non tam ad ſuam privatam quàm ad totius Facultatis infamiam pertinere; quippe cùm Facultas connivendo huic abraſioni ſeorſim probare, & conſequenter in juſtiſſimam ſanctæ Sedis Apoſtolicæ reprehenſionem incurrere cenſeretur. Equidem Facultatem univerſam teſtem appellare, ſe publicè & privatim quoties aut Actibus Theologicis præfuit, aut Theſes Baccalaureorum recognovit, toties docuiſſe & inculcaſſe Chriſtum Math. 16. verbo futuri temporis, Dabo tibi claves regni Cælorum, juriſdictionem tantummodò polliceri, actu verò & realiter eam contuliſſe, dum totam Eccleſiam Epiſcopali & Presbiterali Ordine conſtantem per ſe immediatè ac proportionatè miſit, Joannis 17. Sicut tu me miſiſti in mundum, ita & ego eos miſi in mundum, & pro eis ſanctifico meipſum. Et cap. 20. Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos. Accipite Spiritum ſanctum: Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis. Item Math. 28. Ite docete omnes gentes. Et Luc. 10. Poſt hæc autem deſignavit Dominus & alios ſeptuaginta duos, & miſit illos binos ante faciem ſuam in omnem civitatem & locum quò erat ipſe venturus. Cùm itaque immediatam, individuam & proportionatam miſſionem toti Eccleſiæ tribuerit, ut omnes ſciunt, & auctore Apoſtolo 10. ad Roman. miſſio vera & realis ſit collatio juriſdictionis, quomodò prædicabunt niſi mittantur? prorſus eſſe impoſſibile juriſdictionem immediatam ſummo Pontifici denegaſſe. Nam qui totum dicit nihil excipit: etſi quod minus videtur ineſſe ineſt inerit & quod magis. Porrò fateri ingenuè ſe has propoſitiones tanquàm juri divino, naturali & Canonico penitùs contrarias ex quorumdam Baccalaureorum Theſibus expunxiſſe. Unus ſolus

Digitized by Google

Pontifex maximus immediatè habet auctoritatem à Chriſto, omnes autem alii Epiſcopi ab illo, imò etiam ipſi Apoſtoli eandem à Divo Petro accepturi erant, niſi Chriſtus in clavium collatione Apoſtolos prævenìſſet. Quandoquidem ſicut jus naturale perhibet Deum & prius, & immediatiùs, & magis eſſentialiter ad totum, quàm ad partem intendere, quia totum reſpectu partium habet rationem perfecti, & regulæ architectonicæ ex D. Thoma 2. 2. quæſt. 64. art. 2. Ita lex divina & canonica, planè demonſtrant Chriſtum immediatè & per ſe totam Eccleſiam inſtituiſſe, eique ligandi & ſolvendi poteſtatem immediatè contuliſſe, ac proinde etiam immediatè & proportionatè regi & gubernari voluiſſe, tum ab Epiſcopis, tum à Presbyteris. De Epiſcopis ſatis patere Actor. 20. Attendite vobis, & univerſo gregi in quo vos poſuit Spiritus ſanctus Epiſcopos regere Eccleſiam Dei. De Presbyteris 1. Petri 5. ſeniores qui in vobis ſunt rogo, paſcite qui in vobis eſt gregem Dei, providentes non coactè, ſed ſpontaneè ſecundùm Deum. Qua de re Damaſus Papa diſtinct. 68. Can. Chorepiſcopi & Divus Hieronymus diſtinct. 93. Can. legimus. Hanc porrò doctrinam ab Apoſtolis ad nos tranſmiſſam, & à ſchola Pariſienſi jugiter propugnatam fuiſſe, idem Dominus Syndicus confirmavit recitatione celeberrimi decreti Facultatis, quod omnium Doctorum tam ſecularium quàm Religioſorum conſenſione & ſuffragiis factum eſt die 8. Martii 1429. contra octo propoſitiones, quas frater Joannes Sarrazin in ſuis Veſperiis propugnaverat.

Prima. Omnes poteſtates juriſdictionis Eccleſiæ, aliæ à Papali poteſtate, ſunt ab ipſo Papa quantùm ad inſtitutionem & collationem.

Secunda. Hujuſmodi poteſtates non ſunt de jure divino, nec immediatè inſtitutæ à Deo.

Tertia. Non invenitur Chriſtum tales poteſtates, ſcilicet alias à Papali expreſſiſſe, ſed tantùm ſupremam, cui commiſit Eccleſiæ fundationem.

Quarta. Quandocumque in aliquo Concilio aliqua inſtituuntur, tota auctoritas dans vigorem ſtatutis in ſolo ſummo reſidet Pontifice.

Quinta. Ex textu Evangelii, non habetur expreſſè alicui Apoſtolorum niſi Petro auctoritatem juriſdictionis fuiſſe collatam.

Sexta. Dicere inferiorum Prælatorum poteſtatem juriſdictionis, ſive ſint Epiſcopi, ſive Curati, eſſe immediatè à Deo, ſicut poteſtatem Papæ, veritati quodammodò repugnat.

Septima. Sicut nullus flos & nulla pullulatio, nec etiam omnes flores & pullulationes ſimul poſſunt aliquid in arborem, quia hæc omnia ſunt propter arborem inſtituta, & ab arbore derivata: ſic omnes aliæ poteſtates nihil de jure poſſunt contra ſummum Sacerdotium; infra dicitur quòd ſpiritualis poteſtas eſt ſummus Pontifex, ut recitatur Hugonem de ſancto Victore dixiſſe. 2. de Sacramentis, ex quo poteſt videri quod hîc per ſummum Sacerdotium ſummus Pontifex intelligatur.

Octava. Summus Pontifex Canonicam ſimoniam à jure poſitivo prohibitam non poteſt committere.

Quas propoſitiones idem frater Joannes Sarrazin ex decreto facultatis, palam & publicè ejurare, haſque octo alias ſuperioribus contrarias aſſerere & profiteri coactus eſt.

Digitized by Google

Prima. Omnes poteſtates juriſdictionis Eccleſiaſticæ, aliæ à Papali poteſtate, ſunt ab ipſo Chriſto quantùm ad inſtitutionem & collationem primariam : à Papa autem & ab Eccleſia quantùm ad limitationem & diſpenſationem miniſterialem.

Secunda. Hujuſmodi poteſtates ſunt de jure divino, & immediatè inſtitutæ à Deo.

Tertia. Invenitur in ſacra Scriptura Chriſtum Eccleſiam fundaſſe, & poteſtates alias à Papali expreſſè ordinaſſe.

Quarta. Quandocumque in aliquo Concilio aliqua inſtituuntur, tota auctoritas dans vigorem ſtatutis reſidet non in ſolo ſummo Pontifice, ſed principaliter in Spiritu ſancto & Eccleſia Catholica.

Quinta. Ex textu Evangelii & Doctrina Apoſtolorum habetur expreſſè, Apoſtolis & Diſcipulis à Chriſto miſſis auctoritatem juriſdictionis fuiſſe collatam.

Sexta. Dicere inferiorum Prælatorum poteſtatem juriſdictionis, ſive ſint Epiſcopi, ſive ſint Curati, eſſe immediatè à Deo, Evangelicæ & Apoſtolicæ conſonat veritati.

Septima. Aliqua poteſtas, ſcilicet poteſtas Eccleſiæ de jure poteſt aliquid in certis caſibus contra ſummum Pontificem.

Octava veritas. Quicumque purus viator habens uſum rationis cujuſcumque dignitatis, auctoritatis aut præeminentiæ, etiamſi Papalis exiſtat, ſimoniam poteſt committere.

Quibus auditis & accuratè perpenſis, facultas reſpondit ac teſtata eſt honorem Domini Syndici ad totum ordinem Theologicum pertinere, & quæ delata ſunt ad Patres ſocietatis de hujus propoſitionis abraſione, ſummus Pontifex non immediatè habet auctoritatem à Chriſto, falſa & contumelioſa eſſe in eundem Dominum Syndicum, atque etiam in totam facultatem, quæ numquam paſſa fuiſſet talem abradi propoſitionem.

Extractum ex libro concluſionum ſacræ facultatis Theologicæ Pariſienſis per me ſubſignatum Ludovicum De la Court Presbyterum, magnum Apparitorem & Scribam dictæ Facultatis. Die vigeſimâ Januarii anno 1611.

Sic ſignatum, DE LA COVRT.

E MUSEO S. C. IN. R. R. C. C.

Digitized by Google

Digitized by Google

DE ECCLESIASTICA & Politica poteſtate.

CAPUT I.

Juriſdictio Eccleſiaſtica, primariò ac eſſentialiter Eccleſiæ; Romano autem Pontifici, atque aliis Epiſcopis miniſterialiter tantùm, ſicut facultas videndi oculo convenit.

VULGARE EST atque indubitatæ fidei axioma, Deum & naturam priùs atque immediatiùs ad totum ſuppoſitum, quàm ad aliquam partem ſuppoſiti quamvis nobiliſſimam, intendere: eamque ob cauſam, facultatem videndi, exempli gratia, toti datam eſſe homini, ut per oculum, tanquàm per organum & miniſtrum hominis exerceretur: nam oculus per & propter hominem exiſtit. Schola Pariſienſis hoc infallibili munita firmamento, congruenter ad mentem omnium antiquorum doctorum Eccleſiæ, perpetuò conſtanterque docuit, Chriſtum fundando Eccleſiam, priùs, immediatiùs, atque eſſentialiùs, claves, ſivè juriſdictionem, toti dediſſe Eccleſiæ quàm Petro: ſeu quod eodem redit, *Claves toti contuliſſe Eccleſiæ, ut per unum miniſterialiter exercerentur.* Quandoquidem, tota juriſdictio Eccleſiaſtica, primariò, propriè, ac eſſentialiter Eccleſiæ convenit: Romano autem Pontifici, atque aliis Epiſcopis, inſtrumentaliter, miniſterialiter, & quoad exequutionem tantùm, ſicut facultas videndi oculo. *Nemo itaque glorietur in hominibus, omnia enim veſtra ſunt*, id eſt Eccleſiæ, *ſivè Paulus, ſivè Apollo, ſivè Cephas, ſivè mundus, ſivè vita, ſivè mors, ſivè præſentia, ſivè futura: omnia enim veſtra ſunt (Eccleſiæ) vos autem (Eccleſia) Chriſti, Chriſtus autem Dei.* Corinth. 3. 22.

DEMONSTRATIO CAPITIS I.

1. *Demonſtratio duorum axiomatum, quibus probatur Chriſtum toti Eccleſiæ claves Architectonicè contuliſſe, ut per unum miniſterialiter exercerentur.*

2. *De ſimilitudine oculorum, quibus Prælati & ſedes Apoſtolica ab antiquis Patribus comparantur.*

3. *Richerium, quando aſſerit claves datas toti Eccleſiæ, nomine Eccleſiæ ordinem Hierarchicum collectim ſumptum intelligere.*

I. Libellus de Eccleſiaſtica & Politica poteſtate dividitur in octodecim ſectiones ſivè numeros, quos deinceps hâc demonſtratione capita vocabimus: quæ in modum catenæ ſunt inter ſeſe connexa, ſi aut à primo capite ſecundum, à ſecundo tertium, & ſic deinceps pendeant. Verùm, quia Concilium generale habet rationem totius perfectiſſimè univerſalem Eccleſiam repræſentantis; ideò in hoc opere Papa & alii Prælati diſtributim ſumpti, tanquàm partes ad totum, cum Eccleſia collectim ſumpta, vel cum generali Concilio comparantur. Caput primum duo complectitur axiomata, & ſimilitudinem oculi, quæ omnia ſigillatim explicabimus. Primum axioma ducitur à naturæ propoſito, ſicque concipitur. *Deus & natura, quæ ſunt cauſæ univerſaliſſimæ, priùs atque immediatiùs toti ſuppoſito, quàm alicui parti ſuppoſiti licet nobiliſſimæ, ſuam perfectionem & complementum eſſentialiter conferunt:* Nam generatio priùs in totum quàm in partem intendit. Ab hoc autem primo axiomate ſecundum, tanquàm ſpecies à genere fluit, eſtque ejuſmodi: *Chriſtus Dominus fundando Eccleſiam, priùs, immediatiùs, atque eſſentialiùs, claves aut poteſtatem Eccleſiaſticam toti ordini hierarchico indiviſim & in commune, quàm uni & ſoli Petro ſeorſim contulit:* Idque ſacræ ſcripturæ, & Patrum antiquorum teſtimoniis, capite ſecundo clariſſimè demonſtrabitur: tantiſper Lector judicium ſuum cohibeat, atque obſervet duo hæc axiomata communi Philoſophorum proloquio inniti, *propter quod unumquodque tale, & illud magis.*

II. Jam tranſeo ad oculi ſimilitudinem, quâ pervigil Papæ, omniumque Paſtorum Eccleſiæ officium adumbrare volui poſt Patres antiquos, S. Hilarium Commentar. in Pſal. 138. *Apoſtoli itaque, ait, qui Eccleſiæ, id eſt Chriſti corporis oculi ſunt, lucidi & ſimplices jubentur eſſe corpore toto lucido, his ſimplicibus manſuro.* Item *Can. Oves, 6. quæſt. 1. Epiſcopi oculi Eccleſiæ nominantur,* Anaſtaſius Bibliothecarius in præfatione octavi Concilii generalis in Romana editione Conciliorum: *Deinde ait, quia cùm Chriſtus in corpore ſuo, quod eſt Eccleſia, tot Patriarchales ſedes, quot in cujuſque mortali corpore ſenſus locaverit; Profectò nihil generalitati deeſt Eccleſiæ, ſi omnes illæ ſedes, unius fuerint voluntatis: ſicut nihil deeſt motui corporis, ſi omnes quinque ſenſus integræ communiſque fuerint ſanitatis: intrà quas videlicet ſedes, quia Romana præcellit, non immeritò viſui comparatur: qui profectò cunctis ſenſibus præeminet, acutior illis exiſtens, & communionem ſicut nullus eorum, cum omnibus habens.* Sanè Cardinalis Bellarminus mihi auctor extitit, non modò ut hâc ſimilitudine oculi, verumetiam ut duobus memoratis axiomatibus uterer: quoniam lib. ſecundo de Conciliorum auctoritate cap. decimonono, argumenta Gerſonii & Scholæ Pariſienſis explicans hæc proponit: *At contra inſtant, ait, ſemper potentia agendi principaliùs eſt in toto quàm in partibus, quæ ſunt inſtrumenta totius: principaliùs enim dicitur homo videre quàm oculus: quare cùm Eccleſia, incluſo etiam Papâ, ſit quoddam totum; & Papa ſit pars quædam, & inſtrumentum totius: ſequitur principaliùs ipſi convenire Eccleſiæ ſummam poteſtatem Eccleſiaſticam quàm Papæ.* Hæc ille, cui argumento reſpondet *ſe concedere Papam eſſe inſtrumentum corporis Eccleſiæ, & quoddam minus ipſo toto, ut nimirum in toto Chriſtum ipſum, ut ſuppoſitum includimus: quia Chriſtus eſt ſuppoſitum corporis Eccleſiæ, inquit.* Quæ reſponſio planè confirmat argumentum: quoniam Doctores Pariſienſes, cùm de Eccleſia diſputant, ſemper in ea Chriſtum, ut ſuppoſitum, & caput eſſentiale, & adeo quidem includunt, ut, lege Evangelicâ ſtante, omninò impoſſibile ſit Dominum cum Eccleſia ſponſa facere divortium: Quare Mathæi 18. *pollicetur ſe duobus etiam vel tribus Eccleſiam repræſentantibus, inque ſuo nomine congregatis, certiſſimè adfuturum.* Equidem, ſicut jure divino & naturali omnibus perfectis communitatibus, & civili ſocietati priùs, immediatiùs, atque eſſentialiùs competit ut ſeipſam gubernet, quàm alicui homini ſingulari ut totam ſocietatem & communitatem regat: ſimiliter etiam, priùs, immediatiùs ac eſſentialiùs toti Eccleſiæ, aut regno Chriſti, ſumpto pro Hierarchico ordine convenit, ut ſeipſum regat, quàm ut ab uno & ſolo Papa regatur. Quapropter Dominus voluit in eum finem Pa-

Digitized by Google

pam deligi ab Eccleſia: ſicut videmus ordines regni Poloniæ ſibi Regem cooptare, ut ab eo gubernentur ſecundùm leges quas ei præſcripſerint: Hic enim præſertim quæſtio eſt de ſtatu, atque principatu electivo, qualis eſt Eccleſia, & regnum Poloniæ. Quod autem urget Bellarminus, *Papæ auctoritatem ab extrinſeco, id eſt à Deo, non ab Eccleſia manare:* verum quidem eſt quoad primam inſtitutionem: quia nemo alius à Chriſto eam potuit inſtituere: negatur verò quoad conſervationem, propagationem, & collationem: ex quo fit, ut ſede vacante Eccleſia novum Pontificem ejuſdem omnino auctoritatis cum Petro deligat: eique ſacerdotium Chriſti, à quo omnis poteſtas Eccleſiaſtica profluit, conferat.

III. Porrò, ex his duobus axiomatibus & ſimilitudine oculi, Magiſter Andræas Vallius occaſionem arripuit mihi grandem conflandi invidiam: quia in Elencho ſuo comminiſcitur, me cum Luthero ſentire, *nimirum claves datas etiam laicis, bajulis, & cerdonibus.* Quam calumniam ſola lectio capitis ſecundi libelli de Eccleſiaſtica & Politica poteſtate propulſat: primùm enim in argumento numeri ſecundi, hæc verbum de verbo leguntur: *Chriſtus immediate & per ſe claves ſive juriſdictionem ordini Hierarchico contulit, per immediatam & realem miſſionem omnium Apoſtolorum & diſcipulorum.* Deinde in contextu capitis ſecundi hæc concepta ſunt: *Enimverò cùm Dominus noſter cap. 16. Mathæi, verbo futuri temporis claves nomine totius Eccleſiæ B. Petro ſic deſpondiſſet: & ego tibi dabo claves, &c. tum demum eas actu ordini Hierarchico confert, primùm Mathæi 18. ubi Eccleſiam ſibi ſufficientem & architectonicen ita conſtituit, Dic Eccleſiæ, &c. Secundo per realem miſſionem, &c. Quandò igitur miſſio vera & realis eſt collatio juriſdictionis, auctore Apoſtolo 10. ad Rom. Quomodò prædicabunt niſi mittantur? Chriſtus autem omnes Apoſtolos, atque diſcipulos, qui Epiſcopalem & Preſbyteralem ordinem referebant, immediatè, individuè, & collectivè miſit, ſicut à Patre ſuo, id eſt cum juſta & ſpirituali auctoritate ad Eccleſiam gubernandam neceſſaria miſſus fuerat: Conſurgit, totum ordinem Hierarchicum Epiſcopali & Sacerdotali ordine conſtantem, immediatè, proportionatè tamen, & ſubordinatè ſuam poteſtatem & juriſdictionem, hoc eſt facultatem regendi Eccleſiam à Chriſto derivare: quemadmodum in Galliis inferiores Judices ac Magiſtratus, quamquam ſubditi Parlamentis, æquè tamen immediatè auctoritatem ſuam à rege Chriſtianiſſimo mutuantur, quàm ipſa Parlamenta.* Hæc ibi: quæ liquidò indicant Richerium, quando dicit claves datas Eccleſiæ, nominatim de Sacerdotali Eccleſia aut ordine Hierarchico loqui, cui ſoli Dominus ſacerdotium ſuum cum facultate regendi Eccleſiam credidit: ut infra ampliùs patebit, & hactenus de capitis primi explicatione.

CAPUT II.

Chriſtus, immediatè & per ſe claves ſivè juriſdictionem ordini Hierarchico contulit, per immediatam & realem miſſionem omnium Apoſtolorum atque diſcipulorum.

ENIMVERÒ, cùm Dominus noſter cap. 16. Mathæi, verbo futuri temporis claves nominè totius Eccleſiæ B. Petro ſic deſpondiſſet: *& ego tibi dabo claves Regni cælorum, &c.* tùm demùm eas actu ordini Herarchico confert, primùm Mathæi 18. ubi Eccleſiam ſibi ſufficientem & architectonicen ita conſtituit, *dic Eccleſiæ, &c.* ſecundò, per realem miſſionem: *Deſignavit Dominus & alios* LXXII. *& miſit illos binos ante faciem ſuam, in omnem civitatem & locum quò erat ipſe venturus,* Lucæ 10. Similiter Joannis 17. verſ. 18. ubi paulò antè, vel ſtatim poſt Sacræ Cœnæ celebrationem, Patrem ſuum pro Eccleſia ſponſa hoc modo

Digitized by Google

exorat. *Sicut me miſiſti in mundum, ita & ego eos miſi in mundum, & pro eis ſanctifico meipſum, ut ſint & ipſi ſanctificati in veritate, ut omnes unum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipſi in nobis unum ſint, ut credat mundus quia tu me miſiſti, ut ſint conſummati in unum, &c.* Quibus verbis liquidò demonſtratur, Chriſtum non tam uni & ſoli Petro, quàm unitati, infallibilem clavium poteſtatem detuliſſe: ut D. Cyprianus, & Auguſtinus confirmant, 24. *quæſt.* 1. *can. quodcumque, can. loquitur, can. Alienus*; Addendum cap. 20. Joannis verſ. 21. *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos: Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, &c.* Quando igitur miſſio vera & realis eſt collatio juriſdictionis, auctore Apoſtolo 10. ad Romanos, *quomodo prædicabunt niſi mittantur?* Chriſtus autem, omnes Apoſtolos atque diſcipulos, qui Epiſcopalem & presbyteralem ordinem referebant, immediatè, individuè, & collectivè miſit, ſicut à Patre ſuo, id eſt, cum juſta, & ſpirituali auctoritate ad Eccleſiam regendam neceſſaria, miſſus fuerat: Conſurgit, totum ordinem Hierarchicum, Epiſcopali & Sacerdotali ordine conſtantem, immediatè, proportionatè tamen atque ſubordinatè, ſuam poteſtatem & jurisdictionem, hoc eſt, *facultatem regendi Eccleſiam*, à Chriſto derivare: quemadmodùm in Galliis, inferiores Judices ac Magiſtratus, quanquàm ſubditi Parlamentis, æquè tamen immediatè auctoritatem ſuam à Rege Chriſtianiſſimo mutuantur, quàm ipſa Parlamenta. *Nam, quæ ſunt à Deo ordinata ſunt.* Romanorum 13. nequaquàm verò ordinata forent, niſi aliqua, & inter ipſos Magiſtratus, & inter Eccleſiaſticos, ſubordinatio decurreret. Adjunge D. Pauli teſtimonium Act. 20. *Attendite vobis & univerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos, regere Eccleſiam Dei.* Quam doctrinam D. Bernardus lib. 3. de Conſideratione ad Eugenium cap. 10. mirum in modum illuſtrat: *Erras*, inquit, *ſi ut ſummam, ità & ſolam inſtitutam à Deo veſtram Apoſtolicam poteſtatem exiſtimas: ſi hoc ſentis, diſſentis ab eo qui ait, non eſt poteſtas niſi à Deo: proindè quod ſequitur, qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit, etſi principaliter pro te facit, non tamen ſingulariter. Denique idem ait, Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: non ait ſublimiori tanquam in uno, ſed ſublimioribus tanquam in multis. Non ergo tua ſola poteſtas à Domino, ſunt mediocres, ſunt & inferiores: Et quomodò quos Deus conjunxit non ſunt ſeparandi, ſic nec quos ſubjunxit comparandi. Monſtrum facis, ſi manui ſubmovens digitum, facis pendere de capite, ſuperiorem manu, brachio collateralem. Tale eſt, ſi in Chriſti corpore, membra aliter locas quàm diſpoſuit ipſe, qui poſuit in Eccleſia, quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam*

Digitized by Google

Prophetas, alios verò Evangeliſtas, *Paſtores*, & *alios Doctores, ad conſummationem ſanctorum*, *in opus miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti* : Lector diligens videat integrum caput. Quòd ſi fortè reclament, hanc poteſtatem, quam Chriſtus immediatâ miſſione conceſſit diſcipulis, non tam ſpectare ad juriſdictionem exterioris quàm interioris fori : Oppones, cunctos Patres antiquos Eccleſiæ, id abſolutè interpretari de quacumque poteſtate ad Eccleſiam regendam neceſſaria, tam in interiore, quàm in exteriore foro : atque illis multo magis habendam eſſe fidem, quam iſtiuſmodi argutis recentiorum diſtinctionibus, quas de induſtria meditantur, ut ſua privilegia, & extraordinarias miſſiones, in juris communis perniciem faciliùs tueantur, ac dilatent. Adde quòd ſumma totius externæ juriſdictionis in facultate excommunicandi conquieſcit : quam quidem immediatè creditam fuiſſe Eccléſiæ à Chriſto, demonſtrabitur cap. 6. Forſan cauſabuntur, poteſtatem juriſdictionis, primitus quidem inſtitutam & collatam Eccleſiæ à Chriſto, ſed eâ lege, ut poſtmodum per Romanos Pontifices, Petri ſucceſſores, propagaretur, atque aliis Epiſcopis communicaretur: eamque ob cauſam, omnem auctoritatem iſtinc hodie repeti ac derivari. Reſpondebis, praxi Eccleſiæ primitivæ, & ſacris canonibus exploratiſſimum eſſe, collationes beneficiorum, ſicut nunc eas vocitant, quadringentis & mille annis, communi jure, hoc eſt ſacroſanctis electionibus, factas : ratio eſt, quoniam *Omnis principatus*, *quoad vim coactivam, ab hominum conſenſu pendet*, ut lex divina & naturalis confirmant : quas adversùm, neque ſpatia temporum, neque privilegia locorum, neque dignitates perſonarum, unquam præſcribere poterunt. Hoc jacto & præmiſſo fundamento, ſequentia principia directè & neceſſariò colligimus.

DEMONSTRATIO
CAPITIS II.

1. *Chriſtum ſex loquendi formulis Juriſdictionem Eccleſiaſticam ſignificare & conferre : eamque pridem ante ordini Hierarchico in commune quàm B. Petro ſeorſim contuliſſe.*

2. *Communicationem Sacerdotii Chriſti factam toti Eccleſiæ in commune, eſſe velut cauſam efficientem Juriſdictionis Eccleſiaſticæ : adeo ut facultas clavium, ligandi & ſolvendi, remittendi atque retinendi peccata, paſcendique oves Chriſti, & omnes aliæ dotes poteſtatis Eccleſiaſticæ ad ſacerdotium Chriſti tanquam ad cauſam phyſicam referantur.*

3. *Sacerdotium Chriſti, eſſe velut animam Eccleſiæ Militantis, totamque in toto ordine Hierarchico, & totam in quolibet Epiſcopo & presbytero habitare; atque pro diverſitate organizationis Hierarchici ordinis, juxta Papalem, Epiſcopalem, & presbyteralem dignitatem, diverſa ſortiri miniſteria, & functiones Hierarchicas.*

Digitized by Google

4. *Juriſdictionem Eccleſiaſticam habitu, & in actu ſignato, unà cum ordine Epiſcopali & Presbyterali conferri.*

5. *Patrum antiquorum & Doctorum Catholicorum teſtimoniis demonſtratur, Chriſtum priùs atque immediatiùs claves toti Eccleſiæ in commune, quàm ſigillatim uni Petro dediſſe: nimirum auctoritate Hieronymi, Baſilij, Ambroſij, Auguſtini, Gregorij Magni, Facultatis Pariſienſis, Toſtati, Cardinalis Alliaceni, Gerſonij, Cuſani & Bellarmini.*

6. *De ſupremo Eccleſiæ tribunali: cujus erectione Dominus Eccleſiam Arthitectonicen & ſibi ipſi ſufficientem conſtituit Mathæi 18.*

7. *Locus Cypriani & Auguſtini Can. Quodcumque. Can. loquitur, & Can. Alienus 24. quæſt. 1. ab adverſariorum Elenchis vindicatur.*

8. *Quonam ſenſu ſumma totius externæ Juriſdictionis Eccleſiaſticæ in facultate excommunicandi conquieſcere dicatur.*

9. *Atque collationes beneficiorum quadringentis & mille annis communi jure & ſacris electionibus continuaſſe perhibeantur.*

10. *Sacras electiones, quoad eſſentiam, juris eſſe divini & naturalis.*

11. *Quâ notione dictum ſit à Richerio, nullam adversùs ſacras electiones decurrere præſcriptionem: & de duplici via propagandorum Paſtorum Eccleſiæ.*

12. *Hoc proloquium, Omnis principatus quoad vim coactivam ab hominum conſenſu pendet ab adverſariorum calumniis defenditur.*

I. HOc capite evidentiſſimis ſcripturæ & Patrum teſtimoniis veritas duorum axiomatum capite præcedenti poſitorum roboratur, & illuſtratur: utque à lege Evangelica probandi initium faciamus, Chriſtus ſex loquendi formulis Juriſdictionem aut poteſtatem Eccleſiaſticam deſignavit, ſuiſque diſcipulis contulit: *nimirum facultate claudendi & aperiendi cælum: 2. Poteſtate ſolvendi & ligandi peccatores: 3. Immediatâ miſſione Apoſtolorum atque diſcipulorum: 4. Sacerdotii ſui communicatione: 5. Auctoritate remittendi ac retinendi peccata: 6. Jure paſcendi oves Chriſti.* Quibus ex ſcripturæ locis, ultimo dempto, explendeſcit, Dominum ante & poſt reſurrectionem ſuam, ſemper toti Eccleſiæ ſacerdotali, quam Apoſtoli & Diſcipuli referebant, indiviſim & collectim, poteſtatem aut juriſdictionem multò prius detuliſſe quàm aliquid ſeparatim ab illis Petro impartiretur. Quandoquidem Mathæi 16. Dominus nihil confert, ſed ut in textu libri de Eccleſiaſtica & Politica poteſtate obſervatum eſt, verbo futuri temporis claves S. Petro nomine totius ordinis Hierarchici, quem ob primatum ſuum Petrus referebat, ita pollicetur: *Tibi dabo claves regni cælorum: quodcumque ligaveris, &c.* Hìc autem maximè dignum notatione, cunctos Patres docere eâdem planè vi, & ſenſu, dictum aliis Apoſtolis quàm Petro, *quodcumque ligaveris, & ſolveris*, teſte ipſo Maldonato, cap. 16. in Mathæum ubi illa verba explicat: *Nec enim eodem ſenſu, quo Petro, atque aliis Apoſtolis dictum interpretor*, quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cælo, *etſi video omnes auctores præter Origenem in eadem fuiſſe ſententia*, inquit Maldonatus: cui uni obnoxio, an æquum ſit potiùs quàm omnibus antiquis Patribus credere, Lector judicabit. Verùm Mathæi 18. ſupremum Eccleſiæ tribunal, ad ſacerdotii ſui exercitium Dominus ita erigit, ut cùm aliud corrigendi remedium Eccleſia non haberet, eo quidem deferrentur, & vocarentur peccatores: & ſi forſan obdureſcerent, neque ſacerdotio Chriſti obtemperarent, ſpirituali exilio multarentur. *Si peccaverit in te frater tuus, dic Eccleſiæ, &c. Amen dico vobis, quæcumque ligaveritis ſuper terram erunt ligata & in cælo, &c.* Omnes autem Apoſtolos atque diſcipulos, qui tum ſacerdotalem Eccleſiam efficiebant, & repræſentabant, alloquitur: ſed de hoc textu infra ampliùs. At immediatam miſſionem ex Regum & Principum ſolemni more atque inſtituto Dominus effecit: quia Apoſtolos & Diſcipulos cum juſta & neceſſaria auctoritate in mundum univerſum ablegat: ſicut Principes ſæculi oratores, legatos, & proreges ſuos in exteras provincias mittere conſueverunt. Itaque hæc miſſio veram & realem habet collationem poteſtatis, aut juriſdictionis, Roman. 10. *Quomodò prædicabunt niſi mittantur?* idque ſchola Pariſienſis, *quam hic velut regulam ſequor*, ſic decernit in Cenſura propoſitionum Magiſtri Joannis Sarrazin, quintâ propoſitione: *Ex textu Evangelii, & doctrina Apoſtolorum habetur expreſsè Apoſtolis, & diſcipulis à Chriſto miſſis, aucto-*

Digitized by Google

ritatem juriſdictionis fuiſſe collatam. Quam miſſionem Chriſtus antè ſuam paſſionem inchoavit, Mathæi & Lucæ 10. & Joannis 17. verſ. 18. *Sicut tu me miſiſti in mundum, ita & ego eos miſi in mundum, & pro eis ſanctifico meipſum, &c.* Deinde poſt reſurrectionem omnibus eam numeris abſolvit, Joannis 20. *Sicut miſit me Pater & ego mitto vos: Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, &c.* Item Mathæi & Marci ultimo, *Euntes in mundum univerſum, prædicate Evangelium omni creaturæ, &c.* Cunctos autem Apoſtolos & diſcipulos affatur: notabit autem Lector, omnes Patres & Doctores hunc textum Joannis, *Sicut miſit me Pater & ego mitto vos*, interpretari de ordinaria Eccleſiæ auctoritate ad Epiſcopos, & Presbyteros ſucceſſores Apoſtolorum tranſmiſſa: non autem de extraordinaria poteſtate Apoſtolatus, ut Turrecremata, Cajetanus, Bellarminus, & alii obnoxii fruſtra perſuadere volunt: quorum conatus eo ipſo ruit, quòd tota hæc miſſio, & poteſtas, quanta quanta eſt, ſacerdotio Chriſti, velut cauſæ efficienti univocæ incumbit: & continuò ejuſdem eſt planè virtutis, & auctoritatis in Eccleſia, uſque ad conſummationem ſæculi: quia tandiu ſacerdotium Chriſti perennabit. Et niſi ita foret, hodie poteſtas Eccleſiaſtica non eſſet ejuſdem ſpeciei, & naturæ, quæ fuit in Apoſtolis. Sequitur deinceps collatio ſacerdotii Chriſti, Lucæ 22. *Hoc facite in meam commemorationem:* quod in commune & indiviſim omnibus creditum Apoſtolis nemo ambigit: eoque unà neceſſariam juriſdictionem collatam infra docebimus. Succedit & facultas remittendi atque retinendi peccata, Joannis 20. *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, &c.* Et ita clarum atque indubitatum evadit, poteſtatem Eccleſiaſticam indiviſim & in commune, priùs toti hierarchico ordini collatam à Chriſto, quàm aliquid B. Petro ſigillatim, aut privatim conferret: illum enim omnium ultimò ſic affatur: *Petre amas me, paſce oves meas, paſce agnos meos, Joannis* 21. quo de loco ſtatim cap. 4.

II. Cæterum ut hæc à priori pateant, *quando poſito, vel tranſlato ſacerdotio, una quoque legis auctoritas neceſſariò ponitur vel transfertur, cap. 7. ad Hebræos: Chriſtus verò tanquàm ſacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech.* Pſal. 109. Hebræorum 5. & Mathæi 28. *omnem habet in cælo & in terra poteſtatem:* eſtque fons, origo, & cauſa efficiens totius juriſdictionis Eccleſiaſticæ, atque omnium chariſmatum, & ſacramentorum: certè relinquitur, Chriſti ſacerdotium ordini hierarchico indiviſim communicatum, eſſe cauſam efficientem ſecundariam totius poteſtatis & juriſdictionis Eccleſiaſticæ, omniumque ſacramentorum, & chariſmatum: adeò ut Papalis, Epiſcopalis, & Presbyteralis auctoritas, facultas claudendi & aperiendi, ligandi & ſolvendi, retinendi ac remittendi peccata, immediata quoque miſſio, cum jure paſcendi oves Chriſti, ad ſacerdotium Domini, tanquàm effectus ad cauſam, proprietates ad ſubjectam, potentiæ intelligendi, volendi, & reminiſcendi ad animam rationalem neceſſariò referantur, eoque includantur: *quia in unoquoque genere unum eſt primum; quod eſt cauſa atque exemplar cæterorum.* Ex quo fit, ut ejuſmodi dotes, & proprietates clavium, aut juriſdictionis Eccleſiaſticæ, nullo modo ſeparabiles ſint à Chriſti ſacerdotio, ſaltem quoad habitum, & in actu ſignato. Quare ſicut anima rationalis tota eſt in toto & tota in qualibet parte corporis organici, ac pro diverſitate organorum, actiones naturâ quidem diſtinctas obit in humano corpore: ſimiliter in toto ordine hierarchico, unum eſt naturâ, ſpecie, ac univoce Chriſti ſacerdotium, totum in ordine hierarchico, & totum in quolibet Epiſcopo, atque Presbytero ſingulari: proque varietate organizationis & materiæ ſubjectæ diſtinguitur, variaſque operationes in Papa, Epiſcopis, & Presbyteris perficit. Quæ organizationis differentia in Eccleſia ſacerdotali à Chriſto inſtituta eſt, partim erectione Primatus in B. Petro, partim ordinis hierarchici diſtinctione in Apoſtolos, atque LXXII. diſcipulos: quibus Epiſcopi & Presbyteri jure divino ſucceſſerunt, ut mox probabitur. Quam demonſtrationem Cardinalis Cuſanus omnium optimè illuſtrat lib. priore de concordantia cap. 10. Sacerdotium, inquit, *eſt una anima in uno corpore fidelium, quæ membris communicat vivificationem, vegetationem, & ſenſationem: & juxtà graduationem membrorum quibus præſidet, gradum in præſidentia cathedrali ſortitur.* Item lib. 2. cap. decimonono, viam & rationem deſignat, quâ juriſdictio habitualis (quæ unà cum ordine ſacerdotali confertur, ut omnes docent Theologi) tranſit in actum ſeu exercitium: *Sicut præhabitum eſt ſuperiùs*, inquit, *Sacerdotium eſt ut anima in Eccle*

Digitized by Google

ſia militante: anima autem ſecundùm ejus motivam & ſenſitivam partem conſiderata, educitur de potentia materiæ: ſecundùm autem rationalem ejus partem conſiderata, à Deo eſt: ſic ſacerdotium capit ab inferiori populo fidelium illam præſidentialem, motivam, vegetativam, & ſenſitivam poteſtatem: quæ poteſtas exit de potentia materiæ ſubditorum per voluntariam ſubjectionem: à Deo autem per ſacramenta capit poteſtatem rationalis animæ, quæ de ſurſum venit: ut ſic poſſit in duplici concordia ſuprema poteſtas per medium elicitæ ac traditæ poteſtatis influere in corpus ſubjectorum, quæ ad ſalutarem unionem cum Chriſto capite perficiuntur. Item lib. tertio cap. 41. *Conſideret Romanus Pontifex, ſi ſacerdotium eſt ut anima una, quæ eſt tota in toto, & tota in qualibet ejus parte, quòd tunc exequutiones poteſtatum, quoad decretam provinciam ſecundùm plus & minùs, quum ab extrinſeco dependeant, non diminuunt ſpiritualem poteſtatem in ſe: unde ſicut anima ipſa in pede hominis non eſt major nec minor, propter vitam quam pedi præſtat, ipſamet anima quæ in capite vel in corde reſidet: ſic ipſe Papatus ſe habet ut anima in capite: & Patriarchatus ut anima in auribus vel oculis: & Archiepiſcopalis dignitas, ut anima in brachiis: & Epiſcopalis ut in digitis, & ſic de ſingulis uſque ad pedes, qui in republica plures deſignant: unde anima eis vitam præſtans, Curatos rectè ſignificat. Una eſt ergo à Deo omnium ligandi, ſolvendi, ac vivificandi poteſtas, licèt illa ex parte membrorum, alia atque alia, major & minor videatur.* Hucuſque Cuſanus, cujus collectio ducta videtur à cap. 12. ad Romanos, & prioris ad Corinthios, ubi Apoſtolus perhibet *Eccleſiæ corpus non unum membrum ſed multa efficere: atque unum & eundem ſpiritum per Chriſti ſacerdotium, & diſpenſationem Spiritus ſancti, ſingulis dividere prout vult.* Quibus cogitatè perpenſis claret, *cur Theologi aſſerant, quemcumque ſimplicem ſacerdotem obvium in caſu neceſſitatis, tantundem habere auctoritatis quàm ipſummet Papam.* Hinc pariter magna lux affulget teſtimonio Apoſtoli Actorum 20. *Attendite vobis & univerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit ſanguine ſuo.* Quandoquidem Epiſcopi unà cum Epiſcopali ordine, immediatè, ex æquo, & in ſolidum, ſuam à Deo poteſtatem derivant: quia habitualem Juriſdictionem cum ordine Epiſcopali conſequuntur; neque ut ad actum aut exercitium illam deducant, quicquam aliud illis præter materiam & populum regendum, deeſt. Claret etiam cur S. Cyprianus *Can. loquitur* 24. *quæſt.* 1. dixerit, *unum eſſe Epiſcopatum, ejuſque à ſingulis Epiſcopis in ſolidum partem teneri*: & B. Hieronymus *diſt.* 93. *Can. legimus*, univerſos Epiſcopos ejuſdem eſſe meriti, ac ſacerdotii, §. *ubicumque fuerit Epiſcopus, ſive Romæ, ſive Eugubii: ſive Conſtantinopoli, ſive Rhegii: ſive Alexandriæ, ſive Tanis, ejuſdem meriti, ejuſdem eſt & ſacerdotii Potentia divitiarum, & paupertatis humilitas, vel ſublimiorem, vel inferiorem Epiſcopum non facit: Cæterùm omnes Apoſtolorum ſucceſſores ſunt.* Iſtinc quoque liquet, *omnes Epiſcopos ex æquo & in ſolidum eſſe gratiâ Dei Epiſcopos, ſicut & Papam:* Item cur Theologi doceant unum atque eundem eſſe ſpecie ordinem, & characterem in Epiſcopis, ac Presbyteris: & ſolummodò ampliatione aut extenſione differre: ſicut vir à ſeipſo differt cùm eſſet puer. Similiter proclive eſt dignoſcere, cur communi Theologorum ſententiâ percrebuerit, Claves aut Juriſdictionem Eccleſiaſticam formaliter, virtualiter, radicaliter, habitu, & in actu ſignato, per ordinem Epiſcopalem, aut Presbyteralem conferri: & reduci ad actum aut exercitium per tituli aut materiæ collationem; dum Epiſcopo Diœceſis, aut Presbytero parœcia gubernanda traditur. Gerſonius de Poteſtate Eccleſiaſtica conſideratione quintâ: *Advertendum ait, quòd poteſtas Juriſdictionis, quæ radicaliter fundatur in poteſtate ordinis Sacerdotalis & Epiſcopalis, dum in ſua generalitate conſideratur, reſpicit multipliciter corpus Chriſti myſticum, quod eſt fidelium Eccleſia: quos fideles oportet ſecundùm tres actus Hierarchicos regere: qui ſecundùm Dionyſium ſunt purgare, illuminare, & perficere.* Idem conſideratione 10. *Supponitur primò, quòd licèt aliquis poſſit eligi in Papam non Sacerdos, ſicut eligitur aliquis in Epiſcopum, ipſe nihilominùs appellari non poteſt aut debet ſummus Pontifex, niſi fuerit in Sacerdotem & Epiſcopum conſecratus: & quamvis ex electione poſſet aliquid Juriſdictionis habere, non tamen antè conſecrationem in Epiſcopum plenitudinem*

Digitized by Google

dinem Eccleſiaſticæ poteſtatis , tam ordinis , quàm Juriſdictionis utriuſque , quod perſpicuum eſt ex terminis.

Toſtatus Abulenſis Epiſcopus , quæſtione ſeptuageſimâ quartâ in caput decimum ſextum Mathæi, *Clavis, ait, quæ eſt poteſtas ſpiritualis, in ordine datur: Juriſdictio autem non datur in ordine, ſed tunc quando datur materia, id eſt plebs ſubdita, &c. Antequàm autem habeat ſacerdos materiam ſubditam, claves quidem habet, ſed non poteſt illas exercere, quia non habet materiam: & ita eſt ſacerdos ſimplex, & talis non vocatur judex Eccleſiaſticus.* Porrò, dum hîc perhibet Juriſdictionem non dari in ordine ſed quando datur materia, loquitur de actuali non de habituali Juriſdictione, quæ cum ipſo ordine confertur. Navarrus *de Pœnitentia diſtinct. ſextâ cap. placuit*, à numero quadrageſimo ad quadrageſimum octavum: *Sed contra hoc facit, quod omnis Sacerdos claves ambas cum ipſo ſuſcipit ordine: clavem ſcilicet poteſtatis, & clavem ſcientiæ: quæ non eſt ſcientia, ſed poteſtas cognoſcendi: & ita Juriſdictio quædam, ut declaratur in extravagante Joannis XXII. Quia quorumdam, &c. Et ideo ex ipſa ordinis natura, ſacerdos eſt judex omnium qui voluerint illi confiteri: quemadmodum ex ordinis natura habet conſecrandi poteſtatem. Ergò non poteſt Papa aut alius Prælatus, alteram harum poteſtatum magis quam alteram reſtringere. Facit quod Paludanus ait, nullum Confeſſarium, quicumque ſit ille, cùm abſolvit, dicere debere auctoritate Epiſcopi vel Curati te abſolvo, &c. Eo modo quo eſt auctoritas in homine, apud omnem peræque eſt Sacerdotem: Sed ſuperior dat materiam, non tamen aliquam poteſtatem, niſi quando primò ordinat eum: ſicut enim Princeps dat alieni artifici licentiam utendi arte ſuâ, puta medicinâ, quod non eſt ei dare artis poteſtatem, ſed laxare materiam: ſic conferuntur ordines, & audiuntur confeſſiones in parœciis aliorum de licentia eorum:* Hæc Navarrus. Deinde aliquantò poſt, ad quartam difficultatem quam excivit, ita reſpondet: Puta *Romanum Pontificem non poſſe quidem Juriſdictionem vel poteſtatem abſolvendi ipſis Presbyteris tollere, ſed poſſe illis materiam in qua illam exerceant ſubſtrahere: Et ſicut vino & pane ſubſtractis, Presbyter non conſecrat, neque ſine aqua baptizat, ita ſubſtracto populo à ſubjectione alicujus Presbyteri, ſubſtrahitur quoque illi materia in quam ſolvendi poteſtatem exerceat; & ità non abſolvit quod commune eſt omnibus aliis ſacramentis.*

Alphonſus à Caſtro lib. ſecundo de juſta Hæreticorum punitione cap. vigeſimo quarto, paulò antè medium: *At quòd Epiſcopus poteſtatem Juriſdictionis habeat, ex ſolo divino pendet jure, non humano: Ex jure divino hanc habet poteſtatem factus Epiſcopus: ſed jure humano fit illi hæc poteſtas determinata circà has aut illas oves ſibi commiſſas: quæ aliquandò eſt latior, aliquandò brevior, penes hoc ſolum quòd plures aut pauciores ſubditi illi tribuuntur. Et ſi contingat ob aliquod crimen Epiſcopum à Papa privari Epiſcopatu ſuo , quod illi ob multa crimina rectè facere poſſet, tunc Epiſcopus erit privatus ſubditis, in quos Juriſdictionis poteſtatem exercere poſſit : ſed non erit privatus eâ Juriſdictionis poteſtate quam in ſua conſecratione accepit. Quemadmodùm diceremus de ſacerdote habente beneficium, qui ſi privetur beneficio, abſolvere non poteſt , non propter defectum poteſtatis, ſed quia non habet ſubditum ſuper quem illam exerceat.*

Gabriel Vaſquezius Presbyter Sodalitii Jeſu tomo ſecundo in primam ſecundæ, quæſtione nonageſimâ quintâ , diſputatione centeſimâ quinquageſimâ ſecundâ, capite tertio: *Dico inquit, Epiſcopos accepiſſe proximè à Chriſto omnem Juriſdictionem quam vocant activam, & veluti radicalem, tam in foro conſcientiæ ut abſolverent à peccatis, quam in exteriori foro, ut jubeant, excommunicent, ac leges ferant in hac vita: eſt autem activa Juriſdictio poteſtas & facultas jus dicendi : hanc verò exiſtimo promiſſam fuiſſe Apoſtolis & eorum ſucceſſoribus Mathæi 18. illis verbis , Quæcumque alligaveritis: id quod unicâ ratione mihi nunc ſuadeo: Nam ſicut non poteſt Epiſcopus , imò nec Sacerdos in foro conſcientiæ rectè dicere, Ego te abſolvo à peccatis, poteſtate ad id mihi conceſſâ à ſummo Pontifice (& ideò cogimur concedere facultatem jus dicendi & ſententiam ferendi conceſſam fuiſſe proximè à Chriſto Epiſcopis, & Sacerdotibus in foro conſcientiæ, quæ eſt activa juriſdictio) eadem ratione cùm non poſſit Epiſcopus verè dicere, Ego te excommunico poteſtate mihi conceſſâ à ſummo Pontifice (hoc enim ſolùm poteſt dicere in caſibus quibus poteſtate delegatâ fungeretur) efficitur hanc activam poteſtatem proximè à Chriſto non à ſummo Pontifice accepiſſe.* Igitur ſumma ſententiæ Vaſqueſii eò redit, ut unà cum Epiſ-

copali & Presbyterali ordine, Epiſcopus & Presbyter activam Juriſdictionem, hoc eſt facultatem Juridicè agendi; paſſivam autem, hoc eſt materiam & titulum ſacris electionibus aut aliâ viâ conſequantur.

Quòd ſi forſan aliquis contendat, poteſtatem ordinis & Juriſdictionis eſſe mutuò ſeparabiles & de facto ſeparatas inveniri: cùm experiamur Papam, aut Epiſcopum electum, qui non ſint Sacerdotes, poſſe tamen Juriſdictionem exercere. Primò reſpondebis, quamquàm poteſtas ordinis & Juriſdictionis formaliter, objectivè, & realiter diſtinguantur, & de facto ſeparatim aliquandò exerceantur, ut omnes docent Theologi; nihilominus inde inferri non poſſe Juriſdictionem formaliter, quoad habitum, & in actu ſignato, non dari unà cum Epiſcopali & Presbyterali ordine: ſed dumtaxat colligi, Epiſcopum aut Presbyterum, vagè abſque certo titulo & populo ſibi ſubdito ordinatum, nullo modo poſſe Juriſdictionem activam unà cum ordine ſacro adeptam in actum, atque exercitium redigere: ſicuti videmus Aurifabrum defectu materiæ, vaſa aurea vel argentea conflare, cudere, aut cælare non poſſe. Secundò, dices Epiſcopum & papam non Sacerdotes, in vim ſuæ electionis habere quidem materiam, & populum ſibi ſubditum: & propter Chriſti ſacerdotium ſibi proximè communicandum, aliquam exercere Juriſdictionem, ex Eccleſiæ ratihabitione. Quæ dicta ſufficiant, ut pateat Juriſdictionem collatam Apoſtolis unà cum ſacerdotio Chriſti: atque etiam hodie Epiſcopis & Presbyteris per ſacros ordines formaliter in actu ſignato, & quoad habitum deferri.

V. Jam ſupereſt exploremus, quibuſnam & Patrum & Doctorum Catholicorum teſtimoniis comprobare queamus, *Claves aut Juriſdictionem Eccleſiaſticam priùs atque immediatiùs toti Eccleſiæ ſacerdotali, quàm uni ſoli Petro ſeorſim collatam à Domino.* Exordiar autem à S. Hieronymo lib. primo adversùs Jovinianum circa medium: *At dicis ſuper Petrum fundatur Eccleſia, licèt idipſum in alio loco* SUPER OMNES APOSTOLOS FIAT: *& cuncti Claves regni cælorum accipiant*, ET EX ÆQUO SUPER EOS ECCLESIÆ FORTITUDO SOLIDETUR: *tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut capite conſtituto, ſchiſmatis tollatur occaſio. Sed cur non Joannes delectus eſt virgo? ætati delatum eſt, quia Petrus ſenior erat.*

S. Baſilius in Conſtitutionibus Monaſticis cap. 23. *Petre, inquit, amas me plus his? paſce oves meas: &* OMNIBUS DEINCEPS PASTORIBUS AC MAGISTRIS EANDEM TRIBUIT POTESTATEM, *cujus quidem rei ſignum eſt quòd omnes ſimiliter atque ille ligent & ſolvant.*

· B. Ambroſius cap. 2. de dignitate ſacerdotali: *Cùm Petrus tertiò fuiſſet interrogatus, & trinâ reſponſione fuiſſet ſequutus, repetitum eſt à Domino tertiò, Paſce oves meas: quas oves, & quem gregem, non ſolùm tunc B. ſuſcepit Petrus,* SED ETIAM NOBISCUM EAS SUSCEPIT, ET CUM ILLO EAS NOS SUSCEPIMUS OMNES: *undè regendæ ſacerdotibus cùm traduntur, meritò Rectoribus ſuis ſubdi dicuntur.*

S. Auguſtinus inter omnes alios Patres tanquàm coryphæus Theologorum, dogmaticè ac uberrimè hanc elucubrat diſputationem: cujus hîc aliquot teſtimonia exhibebo: & primum ex Commentariis in Pſal. centeſimum octavum: *Sicut enim, ait, quædam dicuntur quæ ad Apoſtolum Petrum propriè pertinere videntur, nec tamen illuſtrem habent intellectum, niſi cùm referuntur ad Eccleſiam; cujus ille agnoſcitur in figura geſtaſſe perſonam propter primatum quem in diſcipulis habuit: ſicut eſt, tibi dabo claves regni cælorum, & ſi quæ ſunt ejuſmodi.* Quæ Auguſtini ſententia huic Philoſophorum effato innititur, *propter quod unumquodque tale & illud magis.* Quocirca cuncti favores, quos Dominus Petro defert, *ut tu es Petrus, tibi dabo claves, quodcumque ligaveris & ſolveris, Paſce oves meas: Ego rogavi pro te ut non deficiat fides tua, &c.* priùs atque immediatiùs de tota Eccleſia quàm de uno & ſingulari Petro capiendi ſunt juxtà Auguſtini proloquium. Qui ampliùs lib. de Agone Chriſtiano cap. 30. hoc ipſum ita comprobat. *Non enim ſine cauſa inter omnes Apoſtolos hujus Eccleſiæ Catholicæ perſonam ſuſtinet Petrus.* HUIC ENIM CLAVES REGNI CÆLORUM DATÆ SUNT, CUM PETRO DATÆ SUNT, ET CUM EI DICITUR AD OMNES DICITUR, *Amas me, paſce oves meas.* Idem tractatu 50. in Joannem de capite 12. quem locum Gratianus conjecit in ſuam collectionem 24. *quæſt.* 1. *can. Quodcumque. Si* IN PETRO NON ESSET ECCLESIÆ SACRAMENTUM, *non ei diceret Dominus, tibi dabo claves regni cælorum,*

Digitized by Google

quæcumque ſolveris in terra ſoluta erunt & in cælo. Si hoc Petro tantùm dictum eſt, non facit hoc Eccleſia: ſin autem in Eccleſia fit, ut quæ in terra ligantur in cælo ligentur, & quæ ſolvuntur in terra ſolvantur in cælo: quia cùm excommunicat Eccleſia, in cælo ligatur excommunicatus: cùm reconciliatur ab Eccleſia, in cælo ſolvitur reconciliatus: Si hoc ergo in Eccleſia fit, PETRUS QUANDO CLAVES ACCEPIT ECCLESIAM SANCTAM SIGNIFICAVIT. Quod hîc audis *in Petro eſſe Eccleſiæ ſacramentum*, duobus modis poteſt intelligi: primùm, quia Petrus Eccleſiam repræſentat, idque myſterium eſt aut ſacramentum: ſecundò, quia facultas remittendi atque retinendi peccata, maximum eſt Eccleſiæ ſacramentum, propter quod lex gratiæ inſtituta eſt. Cæterùm ampliùs infert Auguſtinus, ideò datam Petro ejuſmodi poteſtatem, quia Chriſtus eam contulit Eccleſiæ, quam Petrus repræſentabat; cùm Dominus Petro dixit, *tibi dabo claves:* quaſi diceret, *propter quod unum quodque tale & illud magis.*

Idem tractatu 118. de capite 19. Joannis Hieroglyphico veſtis inconſutilis Domini, unitatem & pacem Eccleſiæ mirum in modum ita commendat. *Inconſutilis autem, ne aliquando diſſuatur, & ad unum pervenit, quia in unum omnes colligit: ſicut in Apoſtolis, cùm eſſet etiam ipſe numerus duodenarius, id eſt, quadripartitus in ternos, & omnes eſſent interrogati, ſolus Petrus reſpondit; Tu es Chriſtus Filius Dei vivi, & ei dicit, Tibi dabo claves regni cælorum, tanquàm ligandi & ſolvendi ſolus acceperit poteſtatem*, CUM ET ILLUD UNUS PRO OMNIBUS DIXERIT; ET HOC CUM OMNIBUS TANQUAM PERSONAM GERENS IPSIUS UNITATIS ACCEPERIT: IDEO UNUS PRO OMNIBUS, QUIA UNITAS EST IN OMNIBUS.

Idem ſermone decimo tertio de verbis Domini, juxtà editionem ſocietatis Pariſienſis anni 1586. *Interrogante & dicente Domino, vos autem quem me eſſe dicitis? Reſpondit Petrus, Tu es Chriſtus Filius Dei vivi*: UNUS PRO MULTIS DEDIT RESPONSUM, UNITAS IN MULTIS, &c. At ſermone 188. de diverſis in feſto SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, quæcumque ſparſim de hac re in diverſis operibus docuit quaſi in faſciculum ita colligit: *Dominus Jeſus diſcipulos ſuos antè paſſionem ſuam, ſicut noſtis, elegit, quos Apoſtolos appellavit: inter hos penè ubique ſolus Petrus* TOTIUS ECCLESIÆ MERUIT GESTARE PERSONAM: *propter ipſam perſonam quam totius Eccleſiæ ſolus geſtabat audire meruit, Tibi dabo claves regni cælorum: has enim claves* NON HOMO UNUS, SED UNITAS ACCEPIT ECCLESIÆ: *Hinc ergo Petri excellentia prædicatur: quia ipſius unitatis & univerſitatis Eccleſiæ figuram geſſit, quando ei dictum eſt Tibi dabo claves*, QUOD OMNIBUS TRADITUM EST. *Nam ut noveritis Eccleſiam accepiſſe claves regni cælorum, audite in alio loco quid Dominus dicat omnibus Apoſtolis ſuis: Accipite Spiritum ſanctum, & continuò, ſi cui dimiſeritis peccata dimittentur, & ſi cui tenueritis tenebuntur: hoc ad claves pertinet, de quibus dictum eſt, quæ ſolveritis in terra ſoluta erunt & in cælo, &c. ſed hoc Petro dixit, ut ſciatis* QUIA PETRUS UNIVERSALIS ECCLESIÆ PERSONAM TUNC GEREBAT: *Audi quid ipſi dicatur, quid omnibus fidelibus Sanctis: Si peccaverit in te frater tuus, corripe illum inter te & ipſum ſolum: ſi te non audierit, adhibe unum vel duos, &c.* Hîc obſervas ex mente Auguſtini, clauſulam hanc, *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, Joannis* 20. ad facultatem ordinariam claudendi atque aperiendi cælum pertinere: & continuò claves omnibus Apoſtolis indiviſim & in commune creditas, antequàm Petrus hæc audiret à Domino, *Paſce oves meas*, Joannis ultimo.

Idem Auguſtinus ſermone CVI. de diverſis *Eia fratres aliquid pro tempore volo dicere: quod Petro commendatum eſt, quod Petro mandatum eſt*, NON PETRUS SOLUS, SED ETIAM ALII APOSTOLI AUDIERUNT, TENUERUNT, SERVAVERUNT: *maximèque ipſe conſors ſanguinis Dei Apoſtolus Paulus audierunt iſta*, ET AD NOS AUDIENDA TRANSMISERUNT: PASCIMUS VOS, PASCIMUR VOBISCUM, &c. Deinde versùs finem: ERGO COMMENDAVIT NOBIS DOMINUS OVES SUAS, QUIA PETRO COMMENDAVIT: *ſi tamen ex aliqua parte vel extrema, digni ſumus pulverem veſtigiorum Petri calcare. Commendavit nobis oves Dominus, oves ipſius eſtis*, VOBISCUM OVES SUMUS, JAM DIXIMUS, PASCIMUS ET PASCIMUR.

Digitized by Google

Quæ ſententia clarè docet, quonam ſenſu accipi debeat quòd Auguſtinus cùm omnibus aliis Patribus tam ſæpè frequentat, ſcilicet *Petrum nomine totius Eccleſiæ claves accepiſſe, totamque Eccleſiam, etiam pro omnibus fidelibus ſumptam repræſentaſſe*: quoniam ſi Petrum materialiter, ut Chriſtianum & membrum corporis Eccleſiæ capiamus, profectò cunctos fideles repræſentat, qui ſunt materia & ſubjectum in quo poteſtas clavium, & actus Hierarchici exercentur: ſi verò formaliter tanquam Paſtorem & principem Apoſtolorum conſideremus, totum quidem ordinem Hierarchicum refert, cui Dominus facultatem paſcendi oves Chriſti, & regendi Eccleſiam credidit: Quarè S. Auguſtinus, *Oves ipſius eſtis, vobiſcum oves ſumus, jam diximus, paſcimus & paſcimur.*

S. Gregorius Magnus lib. ſexto cap. tertio expoſitionis in librum primum Regum, explicans caput 15. *Nam quod antiquis nuſquàm dicitur:* MODO UNIVERSALI ECCLESIÆ DICITUR. *Quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis.*

Venio ad Facultatem Pariſienſem in propoſitionibus editis contrà aſſertiones fratris Joannis Sarrazin, Anno 1429. *Prima propoſitio, Omnes poteſtates Juriſdictionis Eccleſiaſticæ aliæ à Papali poteſtate, ſunt ab ipſo Chriſto, quantùm ad inſtitutionem & collationem primariam: à Papa autem & Eccleſia quantùm ad limitationem & diſpenſationem materialem.*

Secunda, hujuſmodi poteſtates ſunt de jure divino, & immediatè inſtitutæ à Deo.

Tertia, invenitur in ſacra ſcriptura Chriſtum Eccleſiam fundaſſe, & poteſtates alias à Papali expreſsè ordinaſſe.

Quarta veritas, Quandocumque in aliquo Concilio aliqua inſtituuntur, tota auctoritas dans vigorem ſtatutis, reſidet non in ſolo ſummo Pontifice, ſed principaliter in Spiritu ſancto, & Catholica Eccleſia.

Quinta, ex textu Evangelij, & doctrina Apoſtolorum, habetur expreſsè Apoſtolis & diſcipulis à Chriſto miſſis, auctoritatem Juriſdictionis fuiſſe collatam.

Sexta, dicere inferiorum Prælatorum poteſtatem Juriſdictionis, ſivè ſint Epiſcopi, ſivè Curati, eſſe immediatè à Deo, Evangelicæ & Apoſtolicæ conſonat veritati.

Septima, aliqua poteſtas, ſcilicet poteſtas Eccleſiæ, de jure poteſt aliquid, & in certis caſibus, contrà ſummum Pontificem.

Cui decreto ſcholæ nobiliſſimæ, Toſtati doctiſſimi teſtimonium adjungam: qui quidem in propriis terminis, primum & ſecundum caput libelli de Eccleſiaſtica & Politica poteſtate explanat, & roborat, Commentariis in caput 15. numerorum, quæſtione quadrageſimâ octavâ: ubi diſputat: " An communitas ſeu Eccleſia poſſit habere exercitium Juriſdictionis: & an Chri-
„ ſtus dederit claves ſoli Petro ſpecialiter, vel toti Eccleſiæ: & quo modo transfertur auctori-
„ tas clavium de uno Prælato in alium. *Statuitque dùm ſcriptura dicit* hominem qui Sabbatho
„ ligna colligebat, conjectum fuiſſe in carcerem à multitudine, hoc in eam partem capi non de-
„ bere, quòd populus aut tota multitudo illum incluſerit: Quia, inquit, ipſa multitudo non ha-
„ bet Juriſdictionem, cùm Juriſdictio ſecundum actum non poſſit cadere in communitatem, ſed
„ in perſonam determinatam: quia Juriſdictio requirit actus, ut judicare, & imperare: Commu-
„ nitas autem cùm non ſit aliquid unum propriè ſed per accidens, ut acervus lapidum, non po-
„ teſt exercere actus aliquos: imò impoſſibile eſt in communitate eſſe Juriſdictionem ſecundùm
„ actum: *Eſt tamen Juriſdictio ſecundùm originem in communitate, & ſecundùm virtutem:* quia
„ omnes perſonæ accipientes Juriſdictionem, ex virtute communitatis accipiunt: quia ipſæ poſ-
„ ſunt per ſe judicare: communitas autem non. Ità autem videtur de clavibus Eccleſiæ, *Quia illæ*
„ *datæ ſunt à Chriſto toti Eccleſiæ*: quia tamen non poterat tota Eccleſia diſpenſare illas, cùm non
„ eſſet aliqua perſona, *tradidit eas Petro nomine Eccleſiæ.* Si tamen intelligeretur claves traditas
„ eſſe Petro ſpecialiter, non ſolùm ſequeretur inconveniens commune quod inducitur: ſcilicet
„ quòd alii Apoſtoli non habuiſſent aliquam auctoritatem clavium, quod falſum eſt: quia illis data
„ eſt poteſtas remittendi peccata, ut patet Joannis 20. cap. ſcilicet: Accipite Spiritum ſanctum: &
„ quorum remiſeritis peccata remiſſa erunt. *Iſta tamen eſt ſola Poteſtas clavis*: Ergò alii Apoſtoli
„ ſuſceperunt claves. Sed adhuc aliud inconveniens majus erat, ſcilicet quòd defuncto Petro non
„ manſiſſent claves, quod neceſſe erat, ſi ſoli Petro datæ fuiſſent: & non ſolùm ipſi ſoli, ſed etiam

Digitized by Google

ſi omnibus Apoſtolis datæ fuiſſent claves ſpecialiter, tanquàm determinatis perſonis: defunctis illis non manſiſſent claves in Eccleſia, quia illi non habent poteſtatem dandi aliis claves, faciendo eos ſucceſſores ſuos: cùm nemo poſſet Prælatum ſucceſſorem ſibi facere, & tamen omnes ſucceſſores B. Petri & aliorum Epiſcoporum habent claves, ſicut habuit Petrus, & alii Apoſtoli: Ergò non fuerunt datæ claves illis tanquàm determinatis perſonis: *ſed tanquàm miniſtris Eccleſiæ: & tunc magis dabantur claves Eccleſiæ: cùm Eccleſia, quæ habet ipſas radicaliter, nunquam moriatur.* Tunc leviter apparet, quo modo mortuo Petro ſuccederent alii ſummi Pontifices in æquali poteſtate: quia illa poteſtas clavium erat in Eccleſia: & quia non poterat Eccleſia eam diſpenſare, cùm non eſſet una perſona, tradita eſt Juriſdictio clavium Petro, tanquàm perſonæ electæ ad uſum illius Juriſdictionis. Et quia mortuo B. Petro adhuc Eccleſia ſemper habet claves, poteſt enim eligere ſucceſſorem, & eligendo confert eandem poteſtatem quam habuit Petrus: nec oportet quòd in morte Petri Chriſtus iterùm conferret claves ſucceſſori ejus: quod tamen neceſſe erat ſi Petro datæ fuiſſent claves ſingulariter, & non Eccleſiæ. Hoc idem patet in communitatibus: ſi enim aliqua communitas vel Collegium eſt, ibi erit Juriſdictio: & quia non poteſt adminiſtrari per totam communitatem, adminiſtratur per unum de communitate: non eſt tamen Juriſdictio in illo, ita quòd non ſit in communitate: *ſed eſt magis in communitate:* quia antequam ille conſtituatur in Judicem vel Rectorem, nullam habet Juriſdictionem. Cum verò communitas eum elegerit vel præfecerit, habet Juriſdictionem: illo autem mortuo vel cedente Juriſdictionem, non penitùs exſpirat Juriſdictio: poteſt alius præfici in Rectorem, vel in Judicem: non tamen poſſet hoc fieri ſi non maneret juriſdictio in communitate, *ergò ipſa communitas habet magis Juriſdictionem.* Adhuc patet hoc, quia ſede vacante Capitulum habet omnia quæ pertinent ad Juriſdictionem Prælati: licèt non ea quæ ſunt ordinis: ſi tamen poteſtas illa eſſet in perſona determinata, mortuo Prælato exſpiraret. Ergò videtur: *Quòd Juriſdictio illa radicaliùs erat in Eccleſia quàm in Prælato.* Non tamen haberet eam Eccleſia, niſi in Principio ei tradita fuiſſet: quia Juriſdictio clavium non eſt talis quales ſunt juriſdictiones quas conſtituunt ſibi communitates per leges: quia cùm iſta juriſdictio ſit in remittendo peccata & ligando, non poſſunt eam homines ſibi fingere, ſed à Deo ſolùm eſt: cùm ipſe ſolus remittat peccata, in Eccleſia autem eſt iſta juriſdictio. Ergò oportet quòd eam aliquandò acceperit: & hoc non fuit niſi cùm primò traditæ ſunt claves à Chriſto. Et hoc modo *cùm aliquis eligitur in prælatum, confertur ſibi per electionem Juriſdictio:* quia Eccleſia habebat juriſdictionem illam, & non poterat exercere eam quia non erat una perſona: Ideò tradidit uni viro, & tunc cùm ſummus Pontifex eligitur à Cardinalibus, à tota Eccleſia eligitur, cùm illi nomine totius Eccleſiæ eligant: quia non poteſt tota Eccleſia convenire ad quamlibet electionem: & ſicut electio totius Eccleſiæ tribueret juriſdictionem, ita electio Cardinalium ſi fiat ſecundùm voluntatem Eccleſiæ expreſſam per decreta ſua, & conſtitutiones: ſi autem aliter, nihil confert juriſdictionis, nec erit Pontifex qui eſt aſſumptus."

Idem Toſtatus quæſtione quadrageſimâ nonâ ſic continuat diſſerens, "An Eccleſia aliquando habeat poteſtatem ligandi & ſolvendi. Sed tunc dicet aliquis, ait, quòd ſi poteſtas clavium, quæ eſt in ſummo Pontifice, eſt in Eccleſia, aliquando habebit Eccleſia poteſtatem ligandi & ſolvendi, quod non eſt conveniens. Reſpondendum eſt, quòd Eccleſia ſuſcepit claves à Chriſto, & Apoſtoli tanquàm miniſtri Eccleſiæ: & nunc Eccleſia illas habet, & Prælati etiam, ſed aliter Eccleſia quàm Prælati: *Nam Eccleſia habet ſecundùm originem, & virtutem: Prælati autem habent ſecundùm uſum earum*; dicitur Eccleſia habere ſecundùm virtutem claves, quia poteſt illas conferre Prælato per electionem: Eccleſia enim quæ ipſum eligit, tribuit ei juriſdictionem illam: Eccleſia autem à nullo ſuſcipit poſtquàm ſemel à Chriſto ſuſcepit. *Ideò illas per originem & virtutem habet*: & quando confert eas Prælato, non confert eas eo modo quo habet, ſcilicet quantùm ad originem, & virtutem: ſed quantum ad uſum: in utroque tamen integræ ſunt claves. *Exemplum hujus patet in Domino rei, & uſufructuario, atque uſuario*: Nam Dominus rei habet uſum rei, & confert illum uſum alteri, ſed non eo modo quo habet: quia ſibi reſervat uſum ut proprietario: Alteri concedit ut uſuario, vel uſufructuario: & in hoc confert Dominus quod non habet: quia Dominus rei non eſt uſufructuarius, vel uſuarius. Conformiter in Eccleſia: ipſa enim non habet claves quantùm ad uſum. Omnia autem

„ iſta deſcendunt ex hoc , quòd Eccleſia non eſt aliquid unum per ſe potens habere adminiſ-„ trationem clavium ; ideò illas alteri commendat : ſi autem poſſet per ſe adminiſtrare non „ committeret alicui Prælato. “

Hucuſque Abulenſis Epiſcopus, cujus illuſtriſſimo teſtimonio edocemur Chriſtum „ per „ dominium & proprietatem Claves in totam Eccleſiam collectim ſumptam inſeruiſſe, Præ-„ latis autem ſigillatim ſumptis, eas tantùm dediſſe quoad uſum, miniſterium, exercitium, „ & exequutionem. „ Quam doctrinam Cardinalis Alliacenus doctor Pariſienſis, tractatu de Eccleſiæ auctoritate, parte primâ capite primo egregiè illuſtrat. Nam ſtatim atque hanc defixit Concluſionem : nimirum „ Quòd ſicut Apoſtoli & Diſcipuli, ſic Epiſcopi & Preſ-„ byteri miniſtri à Chriſto immediatè poteſtatem Eccleſiaſticam ſuſceperunt ; tanquàm ab eo „ qui ſolus eſt propriè, & maximè propriè caput Eccleſiæ : tamen Petrus & quilibet ejus Vi-„ carius Pontifex ſummus, potuit dici caput Eccleſiæ in quantùm principalis eſt inter mi-„ niſtros : „ Hæc alia initio partis ſecundæ ejuſdem libri, ad ſuperioris concluſionis explana-tionem ſubnectit : „ Ad confirmandum ea quæ de origine & ordine Eccleſiaſticæ poteſtatis „ prædicta ſunt, inquit, aliqua convenit ſubjungere de origine juris, quod habent Cleri-„ ci qui Eccleſiaſtici dicuntur, in bonis quæ Eccleſiaſtica nominantur : ubi primò ſuppo-„ nendum eſt, quòd bona Eccleſiaſtica ut Eccleſiaſtica ſunt, *fuerunt collata communitatibus*, „ *& non perſonæ ſingulari.* Undè fundatores Eccleſiarum *intenderunt dominium & proprie-„ tatem bonorum quæ dabant transferre primò, & directè in communitatem collegii*, ſcili-„ cet talis Eccleſiæ, ad uſum Deo ſervientium, & non in aliquam perſonam ſingularem, ut „ 12. quæſt. 2. Can. Nulli. Ex quo ſequitur manifeſtè, quòd Communitas ipſa, ſola „ habet immediatum & verum dominium in ejuſmodi bonis, & non prælatus aliquis, aut „ quævis perſona ſingularis : „ & ita eſt de Clavibus & Juriſdictione Eccleſiaſtica.

Cancellarius Pariſienſis, Cardinalis Alliaceni diſcipulus, lib. de poteſtate Eccleſiaſtica, conſideratione 4. circà medium. „ Fundatur prædicta poteſtas Eccleſiaſticæ Juriſdictionis in unitate vel unione tali ; quemadmodùm notaſſe videtur elevatus Auguſtinus, *quòd claves „ Eccleſiæ datæ ſunt unitati.* „ Idem conſideratione XI. ſtatim initio, „ præthereà loquitur „ Auguſtinus cum aliis quibuſdam, *quòd claves Eccleſiæ datæ ſunt non uni ſed unitati*, „ & quòd datæ ſunt Eccleſiæ. „ Item conſiderat. 12. versùs finem „ Matt. 16. Chriſtus Pe-„ tro dixit pro omnibus, quodcumque ligaveris, &c. Et iterùm ſuper hanc petram ædifica-„ bo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam : Concordant Auguſ-„ tinus, Hieronymus, Iſidorus, Beda, &c.

Cardinalis Cuſanus lib. primo de Concordantia Catholica cap. XI. „ Conſiderandum eſt, „ quòd verba Chriſti ad Apoſtolos trahi debent ad Eccleſiam, & in hoc adverti debet quòd „ aliquando Chriſtus voluit Eccleſiæ aperire myſteria tanquàm Eccleſiæ unitæ, aliquando „ tanquàm diſperſæ : Et quoniam Petus ſenior erat inter Apoſtolos, quem ideò ad vitan-„ dum ſchiſma, & pacem conſervandam Apoſtolis prætulit, ut dicit Hieronymus libro con-„ tra Jovinianum, tunc Chriſtus Petrum præpoſitum Apoſtolorum ſæpè alloquitur ut *prin-„ cipem, in unitate totam Eccleſiam ſibi commiſſam figurantem, & repræſentantem.* Nam non du-„ bium Eccleſia univerſalis claves habet ligandi & ſolvendi dum unita eſt : & non reperitur „ quòd alibi Chriſtus ipſi tradiderit, niſi ibi ad Petrum loquendo : Tibi dabo claves, & quod-„ cumque ligaveris : Hoc Auguſtinus in capite 30. de agone chriſtiano proſequitur. „ Item ali-quantò infrà, „ ideò Eccleſiæ privilegia ſolida ex iis quæ Chriſtus tradidit, & promiſit, & „ loquutus eſt Petro, haurire debemus.

Profectò Cardinalis Bellarmini ſententia nobis inſtar omnium eſſe debet, lib. quarto de Romano Pontifice cap. 23. ubi explicat locum Cypriani relatum in Decreta 24. „ quæſtione „ I. Can. loquitur : Vides, ait, idem dari Apoſtolis per illa verba, Ego mitto vos Joannis „ 20. quod Petro fuerat promiſſum per illud, Tibi dabo claves, & poſteà exhibitum per illud, „ paſce oves meas : Conſtat autem per illa, Tibi dabo claves, & per illud, paſce oves, intel-„ ligi juriſdictionem pleniſſimam, etiam exteriorem. Quomodò autem hæc non impediant pri-„ matum Petri, alibi ſatis oſtendimus, „ inquit. Rectè quidem, quoniam æqualitas ſacerdotii Chriſti, & juriſdictionis pleniſſimæ, quæ in omnibus Apoſtolis habitat, nihilo magis Primatui

Digitized by Google

B. Petri, quàm æqualitas doctoratûs Theologiæ in omnibus Doctoribus, prærogativæ Decani
Theologiæ detrahit.

VI. His firmamentis de immediata auctoritate Eccleſiæ altiſſimè conſtitutis atque roboratis,
ad ea quæ tanquàm malè ſonantia reprehenduntur in capite ſecundo libri de Eccleſiaſtica & Po-
litica poteſtate, tranſeo: quæ quidem ſeptenario præſertim numero comprehenduntur: & primo
quidem ambigitur quare Richerius dixerit, Chriſtum Mathæi 18. *Eccleſiam ſibi architectonicem
& ſufficientem conſtituiſſe:* cujus ſuæ aſſertionis, innumeros habet auctores: atque imprimis ſan-
ctum Auguſtinum, ſermone centeſimo octavo de diverſis: quem paulò antè hoc ipſo capite his
conceptis verbis exhibuimus: „ Nam ut noveritis Eccleſiam accepiſſe claves regni cœlorum, *in-*
quit, audite alio in loco quid Dominus dicat omnibus Apoſtolis ſuis: Accipite Spiritum ſan- „
ctum, &c. Sed hoc Petro dixit ut ſciatis, quia Petrus univerſæ Eccleſiæ perſonam tunc gerebat, „
audi, quid ipſi dicatur, quid omnibus fidelibus ſanctis: Si peccaverit in te frater tuus, corripe il- „
lum inter te & ipſum ſolum: Si non audierit, adhibe tecum unum vel duos, &c." Quo ex textu
Auguſtini liquet, Dominum Mathæi 18. „Legem Catholicam, æternam, atquè invariabilem
omnibus Chriſtianis edixiſſe," nequidem B. Petro excepto, quem tanquàm univerſalis Eccleſiæ
perſonam ſuſtinentem, ob primatum ſuum, affatur: „Illum autem *Sacerdotio Chriſti* more
aliorum hominum ſubjici, quis abſque nota hæreſeos negare poteſt?" Porrò Gerſonius S. Augu-
ſtinum æmulatur de poteſtate Eccleſiaſtica conſideratione quartâ: „Hanc poteſtatem Eccleſiaſti-
cam contulit Chriſtus Math. 18. cùm dicit Petro vice omnium, Si peccaverit in te frater tuus „
vade & corripe illum, &c. Sequitur quòd ſi te non audierit, *dic Eccleſiæ*, quòd ſi Eccleſiam „
non audierit ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus. Quo in loco fundatur juridica poteſtas excom- „
municandi, vel interdicendi ab Eccleſiaſticis Sacramentis, & communione fidelium rebelles, „
& inobedientes; ſicut uſus eſt Apoſtolus, & idem hortatus eſt ad Titum 3. ſcribens, hæreticum „
hominem poſt primam & ſecundam correptionem devita, &c. Fundatur rurſus abſque omni ca- „
lumnia in hoc textu plenitudo poteſtatis gladii ſpiritualis, & exequutionis ejus in Eccleſia ſuper „
quemlibet Chriſtianum, qui eſt frater noſter, etiamſi Papa fuerit. Nec accipiendum eſt hîc, dic „
Eccleſiæ id eſt Papæ: quoniam Chriſtus Petro loquebatur, qui non dixiſſet ſibi-ipſi: Item quia „
ſubjunctum eſt pluraliter: Quæcumque ligaveritis ſuper terram, &c. Denique ſi non haberet „
Eccleſia talem poteſtatem & exequutionem, fruſtrà dixiſſet Chriſtus, dic Eccleſiæ, quia po- „
tuiſſet Eccleſia impunè non audiri, contrà illud quod ſequitur, ſi Eccleſiam non audierit ſit „
tibi, &c. Fundatur etiam in hoc textu nedùm poteſtas definiendi, ſtatuendi, decernendi, con- „
ſtituendi præcepta, leges, & canones, procedendi deniquè contrà non obedientes uſque ad ſen- „
tentiam excommunicationis incluſivè: imò ſecundùm Canones nunc inſtitutos, uſque ad in- „
vocationem brachii ſecularis, quia dicitur in textu, quòd ſi Eccleſiam non audierit, &c. Au- „
dire igitur debet Eccleſiam quilibet frater noſter, qui dicit ad Deum, Pater noſter qui in cœlis „
eſt, ſicut explicat alibi Chriſtus, qui vos audit me audit. Confirmant hanc ſententiam ſtatuta „
& practicata in hoc ſacro Conſtantienſi Concilio, &c." Hîc Gerſonius decreta quartæ &
quintæ ſeſſionis Conſtantienſis ſynodi integra ſubjungit, quæ prætermitto lubens.

Toſtatus commentariis in caput 18. Mathæi queſtione decimâ octavâ: „Quædam perſonæ
ſunt quarum delicta non ſufficit denunciari alicui Eccleſiæ particulari: ideò nulla particularis „
Eccleſia poteſt judicare de eo, etiam quantùm ad hæreſim, ſed neceſſe eſt recurri ad Eccleſiam „
univerſalem, cujus Papa eſt filius, licèt ſit præcipuus filiorum: Nam in ea regnat, & in Sacra- „
mentis, quæ intra ipſam ſunt, juſtificatur & proficit." *Idem cap. ſexageſimo nono Defenſorij*,
„ Chriſtus conſtituit ſupremum tribunal *in Eccleſia in Sacro Concilio etiam ſupra Papam*, & non
ſolùm in pertinentibus ad fidem, ſed etiam quantùm ad actiones: quæ omnia patent manife- „
ſtiſſimè ex illo verbo Domini Mathæi 18. Si peccaverit in te frater tuus, corripe illum inter te & „
ipſum ſolum: quòd ſi non audierit, dic Eccleſiæ; & ſi non audierit Eccleſiam, ſit tibi quaſi Ethni- „
cus & Publicanus."

Almainus de Eccleſiæ auctoritate cap. 6. „ Secunda propoſitio, Chriſtus hanc poteſtatem im-
mediatè contulit, capiendo Eccleſiam pro collectione omnium Prælatorum, majorum & mino- „
rum qui ſuccedunt Apoſtolis & Diſcipulis: ſive pro Concilio generali Eccleſiam repræſentante. „
Probatur per illud Chriſti Mathæi 18. Si peccaverit in te frater tuus, &c. ubi præcipit Chriſtus, „

"nolentem corrigi ad fraternam correctionem, denunciari Eccleſiæ: & ſi Eccleſiæ monitioni non "obtemperat, excommunicandum: & dat Eccleſiæ authoritatem excommunicandi, dicens, "quæcumque alligaveritis ſuper terram, &c. Et quod Eccleſia prout eſt plurium collectio intel-" ligitur, patet ex eo, quòd poſtquàm dixit, ***Dic Eccleſiæ***, & ſi non audierit Eccleſiam ſit tibi ſicut "Ethnicus & Publicanus, ſtatim ſubjungit pluraliter, quæcumque alligaveritis ſuper terram, &c. "Ergò non capit ibi Eccleſiam pro unico ſuppoſito, ſed pro pluribus."

Joannes Major etiam Doctor Pariſienſis commentariis in cap. 18. Math. "Papa eſt deterio-"ris conditionis quàm alii Chriſtiani, ſi non poteſt per Eccleſiam corrigi: inſuper per illa verba, "dic Eccleſiæ, datur poteſtas toti Eccleſiæ, capiendo Eccleſiam pro Prælatis majoribus & mino-ribus, ſivè pro Concilio generali totam Eccleſiam repræſentante, quia pluraliter ſubjungitur, "quæcumque alligaveritis ſuper terram, ligata erunt & in cælis. Non eſt illic ſermo de ligatione "& abſolutione in foro interiore & pœnitentiali, quia nunquàm aliquis defert Eccleſiæ peccatum alterius in illo foro.

Maldonatus in caput 18. Mathæi, " Chriſtus voluit, ***Eccleſiæ tribunal ultimum eſſe***, "ad quod eſſent peccatores, cùm aliud non eſſet emendationis remedium, deferendi: ideò-"que ſummam illi tribuit poteſtatem, ſummam autem non tribuiſſet, ſi majorem illi non "dediſſet, quàm omnis reſpublica jure ſuo habet ut homines pernicioſos mittat in exilium, "quod eſt in Eccleſia excommunicatio."

VII. Secunda redargutio Magiſtri Andreæ Vallii paginâ 35. Elenchi, eſt, quòd Riche-rius ſenſum canonum corruperit, " Can. quodcumque, Canone loquitur, Canone alienus "24. quæſt. 1." Nam ille perhibet, eam tantùm eſſe mentem Cypriani & Auguſtini, in ejuſmodi canonibus, claves unitati datas, id eſt in finem unitatis: itaut Eccleſia non ſit id quod claves habet, ſed ad quod poteſtas atque uſus clavium, tanquàm in proprium finem refertur: cujus aſſertionis falſitas patebit clariſſimè, ſi canones illos ut in fonte ſunt concepti exhibuerimus. Et primò quidem " Canon Quodcumque," excerptus eſt ex tractatu quinquageſimo Auguſtini de cap. 12. Joannis, eſtque ſuprà hoc ipſo capite integer prolatus, quare nihil opus eſt illum hìc iteratò exhibere. Profectò Cardinalis Cajetanus libro de auctoritate Papæ & Concilii cap. 9. cùm objiceret eam eſſe Auguſtini mentem hoc in loco, ut vellet claves non eſſe formaliter in Eccleſia, ſed tantùm datas propter Eccleſiam finaliter: ſic ab Almaino lib. de authoritate Eccleſiæ cap. 7. confutatur. " Probo, inquit Almainus, "quòd non ad illum ſenſum dicit Auguſtinus datas eſſe claves Eccleſiæ: quia hoc modo "claves eſſe datas Eccleſiæ, eſſet eas eſſe datas propter Eccleſiam finaliter, & non ei datas eſſe "formaliter, quod manifeſtè eſt contra Auguſtinum dicentem in eodem capite: Si hoc tan-"tùm Petro dictum eſt, puta quodcumque ligaveris, &c. non hoc facit Eccleſia: ubi pro incon-"venienti infert iſtud conſequens, quòd Eccleſia non ligat & quòd non ſolvit." Hucuſque Almainus, verùm mens Auguſtini tam plana atque evidens eſt, ut ſtupendum ſit aliquos extare Theologos, " qui æquivocatione vocis Eccleſiæ, " eam controverſiam facere audeant. Si enim Cajetanus & M. Andræas Vallius, nomine Eccleſiæ ſolos laicos hìc intelligant, certum eſt Eccleſiam non habere claves formaliter, ſed tantùm finaliter; ſi verò ſacerdotalem Eccleſiam deſignent, de qua hìc agit Auguſtinus, certè hæreticum eſt dicere, illam non habere claves formaliter: cùm ſacerdotio Chriſti donata ſit: à quo quidem tanquàm ab efficiente cauſa, facultas clavium, ligandi & ſolvendi, paſcendique oves Chriſti, atque omnes aliæ dotes ad Eccleſiæ regimen ſpectantes proficiſcuntur, ut ſuperiùs demonſtratum eſt. Hercle, quotidiana nos docet experientia, hierarchicum ordinem Epiſcopis atque Presbyteris conſtantem, jus habere clavium: ceſſent igitur homonymia vocis Eccleſiæ, ignaris & ſimplicibus illudere, quod indignum eſt Theologorum.

Tranſeo " ad canonem loquitur, & canonem alienus 24. qu. 1." qui ex lib. B. Cypriani de unitate Eccleſiæ collecti ſunt, quos ſolidos ut ſunt in fonte juxtà Pamelii recenſionem hìc adſeribam. " Loquitur Dominus ad Petrum, Ego dico tibi quia tu es Petrus & ſuper "iſtam petram ædificabo Eccleſiam meam, &c. Super illum unum ædificat Eccleſiam, & "illi paſcendas mandat oves ſuas: & quamvis Apoſtolis omnibus poſt reſurrectionem ſuam "parem poteſtatem tribuat & dicat, Sicut miſit me Pater & ego mitto vos: accipite Spiri-

tum

Digitized by Google

tum ſanctum, &c. Tamen ut uniema, manifeſtaret unam Cathedram conſtituit, & unitatis ejuſdem originem ab uno incipientem ſuâ authoritate diſpoſuit : *Hoc erant utique cæteri Apoſtoli quod fuit Petrus pari conſortio præditi & honoris & poteſtatis* : Sed exordium ab unitate proficiſcitur, Primatus Petro datur, ut una Chriſti Eccleſia & Cathedra monſtretur : & Paſtores ſunt omnes, ſed Grex unus oſtenditur, qui ab Apoſtolis unanimi conſenſione paſcatur. Quam unam Eccleſiam etiam in Cantico Canticorum Spiritus ſanctus ex perſona Domini deſignat & dicit : una eſt columba mea, perfecta mea, una eſt matri ſuæ, electa genitrici ſuæ. Hanc Eccleſiæ unitatem qui non tenet, tenere ſe fidem credit? Qui Eccleſiæ renititur & reſiſtit, qui Cathedram Petri ſuper quam fundata eſt deſerit, in Eccleſia ſe eſſe confidit? Quando & B. Apoſtolus Paulus hoc idem doceat, & ſacramentum unitatis oſtendat dicens, unum corpus & unus ſpiritus, una ſpes vocationis veſtræ : unus Dominus, una fides, unum baptiſma, unus Deus. Quam unitatem firmiter tenere & vindicare debemus, maximè Epiſcopi, qui in Eccleſia præſidemus, ut Epiſcopatum quoque unum atque indiviſum probemus. Nemo fraternitatem mendacio fallat, nemo fidei veritatem perfidâ prævaricatione corrumpat, *Epiſcopatus unus eſt, cujus à ſingulis in ſolidum pars tenetur* : Eccleſia quoque una eſt, quæ in multitudinem latiùs incremento fœcunditatis extenditur : quomodò ſolis multi radii ſed lumen unum : & rami arboris multi ſed robur unum tenaci radice fundatum : & cùm de fonte uno rivi plurimi defluunt, numeroſitas licèt diffuſa videatur exundantis copiæ largitate, unitas tamen ſervatur in origine. Avelle radium ſolis à corpore diviſionem lucis unitas non capit : ab arbore frange ramum, fractus germinare non poterit : à fonte præcide rivum, præciſus areſcet : ſic & Eccleſia Domini luce perfuſâ, per orbem totum radios ſuos porrigit, unum tamen eſt lumen quod ubique diffunditur, nec unitas corporis ſeparatur ramos ſuos in univerſam terram copiâ ubertatis extendit, profluentes largiter rivos latiùs expandit : unum tamen caput eſt, una origo, & una mater fœcunditatis ſucceſſibus copioſa : illius fœtu naſcimur, illius lacte nutrimur, ſpiritu ejus animamur. Quiſquis ab Eccleſia ſegregatus adulteræ jungitur, à promiſſis Eccleſiæ ſeparatur. Nec pervenit ad Chriſti præmia qui relinquit Eccleſiam Chriſti. *Alienus eſt*, prophanus eſt, hoſtis eſt, habere jam non poteſt Deum patrem, qui Eccleſiam non habet matrem, &c. Dominus enim cùm Diſcipulis ſuis unanimitatem ſuaderet & pacem, Dico, inquit, vobis, quoniam ſi duobus ex vobis convenerit in terra de omni re quamcumque petieritis, continget vobis à Patre meo qui in cælis eſt : ubicumque enim fuerint duo vel tres collecti in nomine meo, Ego cum eis ſum : oſtendens non multitudini, ſed unanimitati deprecantium plurimùm tribui. Si duobus, inquit, ex vobis convenerit in terra, unanimitatem priùs poſuit, concordiam pacis antè præmiſit, ut conveniat nobis firmiter, & fideliter docuit. Quo autem modo poteſt cum aliquo convenire, cui cum corpore ipſius Eccleſiæ, & cum univerſa fraternitate non convenit. Quomodò poſſunt duo aut tres in nomine Chriſti colligi, quos conſtat à Chriſto & ab ejus Evangelio ſeparari?" Huc uſque Cyprianus, in cujus textu quatuor præſertim notanda occurrunt. Primò Chriſtum poſt ſuam reſurrectionem Joannis xx. parem & æqualem poteſtatem omnibus tribuiſſe Apoſtolis hâc voce. Sicut miſit me Pater & ego mitto vos, &c. Nam, inquit, hoc erant utique & cæteri Apoſtoli quod erat Petrus, pari conſortio præditi & honoris & poteſtatis. „ Quem ad locum ſuprà ex Bellarmini ſententia oſtendimus, Apoſtolos omnes æqualem habuiſſe poteſtatem cum Petro neque tamen id Primatui derogare. Et ita confirmatum manet ex mente Cypriani omnes Apoſtolos, qui ordinem Hierarchicum referebant, non modò finaliter, ſed etiam reverà, ac formaliter, habuiſſe claves, ut claudant atque aperiant cælum, ligent atque abſolvant peccatores, &c. ſicut ſuprà abundè probatum eſt. Secundò Cyrianus explicatè docet, unum eſſe in tota Eccleſia ſacerdotium aut Epiſcopatum Chriſti indiviſum : atque omnes Epiſcopos ſingulares partem ejuſmodi ſacerdotii & Epiſcopatus in ſolidum atque ex æquo tenere : & continuò unicuique Epiſcopo regimen Eccleſiæ ſuæ in ſolidum competere : „ Nemo fraternitatem mendacio fallat, nemo fidei veritatem perfidâ prævaricatione corrumpat : Epiſcopatus unus eſt cujus à ſingulis in ſolidum pars tenetur. „ Tertiò maximè dignum eſt obſervatione, quod ſanctiſſimus martyr Eccleſiam, quæ unicum Epiſcopatum & ſacerdotium,

Digitized by Google

Chriſti poſſidet, " ſoli, fonti, & radici arboris comparat: " quia ſimilitudine oſtendit Eccleſiam, poſt Chriſtum eſſe cauſam efficientem totius juriſdictionis, atque omnium charitinatum: Ex quo fit, " ut illius fœtu naſcamur, illius lacte nutriamur, & ſpiritu ejus "animemur: Avelle igitur radium ſolis à corpore, id eſt ſejunge hominem ab Eccleſiæ "unitate, & communione, lucem veritatis ampliùs non capiet, & ſimilis erit ramo arbo-"ris à radice, aut rivo à fontis ubertate præciſo. " Hæc verò tam nota ſunt ex lectione textus Cypriani, ut mirabile ſit aliquos recentiores Theologos, has Cypriani ſimilitudines contra veritatem & propriam mentem authoris, uni ſummo Pontifici, & non Eccleſiæ collectim ſumptæ, tribuiſſe: " quaſi verò Pontificis non Eccleſiæ ſpiritu animaremur. " Quartò " canon, Alienus, " huic clauſulæ Evangelii reſpondet, " ubi ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ubi ſum in medio eorum. Mathæi 18. " Quo loco agi de juriſdictione Eccleſiaſtica probatum eſt ſuperiùs.

VIII. Tertiò, me acriter reprehendunt, „ quod dixerim ſummam totiùs externæ juriſdi-"ctionis Eccleſiaſticæ in facultate excommunicandi conquieſcere: " Sed rependo, me nihil aliud deſignare voluiſſe, quàm præcipuam, maximam, & ſummam omnium pœnarum quas Eccleſia jure divino poteſt infligere, eſſe excommunicationem. Quòd ipſum Bellarminus tertio de Eccleſia militante cap. ſexto docet poſt Auguſtinum libro contrà adverſarium legis & Prophetarum cap. 17. libri primi. „ Claves quippè regni cælorum ſic dedit Chriſtus Eccleſiæ, ut non "ſolum diceret, quæ ſolveritis ſuper terram erunt ſoluta & in cœlis: verùm & adjungeret, quæ "ligaveritis in terra erunt ligata & in cœlo: illud enim quod ait, ſi nec Eccleſiam audierit, ſit "tibi tanquàm Ethnicus & Publicanus, graviùs eſt quam ſi gladio ferietur, ſi flammis abſumere-"tur, ſi feris ſubjiceretur. Nam tibi quoque ſubjunxit, Amen dico vobis, quæ ligaveritis ſuper "terram erunt ligata & in cœlis: ut intelligeretur quantò graviùs ſit punitus, qui velut relictus eſt "impunitus. " Hæc Auguſtinus.

IX. Quartò, collationes beneficiorum quadringentis & mille annis jure communi, & ſacris electionibus factas: abrogatio ſanctionis Pragmaticæ, & conſtitutio Concordatorum Bononienſium anno 1516. declarat. Vide undecimam ſeſſionem ſynodi Lateranenſis ſub Leone X. PP.

X. Quintò mihi datur crimini quod dixerim ſacras electiones juris eſſe divini: hoc autem dixi poſt S. Cyprianum Epiſt. 68. „ Quandò plebs ipſa maximè habeat poteſtatem vel eligendi di-"gnos ſacerdotes, vel indignos recuſandi: quod & ipſum videmus de divina authoritate deſcen-"dere ut ſacerdos plebe præſente ſub omnium oculis deligatur, & dignus atquè idoneùs publico "judicio ac teſtimonio comprobetur, ſicut in numeris Dominus Moyſi præcipit dicens: appre-"hende Aaron fratrem tuum, & Eleazarum filium ejus, &c. quod poſteà ſecundùm divina Ma-"giſteria obſervatur in actis Apoſtolorum, quandò de ordinandi in locum Judæ Epiſcopo Pe-"trus ad plebem loquitur: ſurrexit, inquit, Petrus, in medio diſcentium: fuit autem turba in uno." „ Deinde aliquanto inferiùs: „ Propter quod diligenter de traditione divina & apoſtolica obſer-"vatione obſervandum eſt, & tenendum quod apud nos quoque ferè per provincias univer-"ſas tenetur, ut ad ordinationes ritè celebrandas, & ad eam plebem cui præpoſitus ordinatur, "Epiſcopi ejuſdem provinciæ proximi quique conveniant, & Epiſcopus diligatur plebe præſente, "quæ ſingulorum vitam pleniſſimè novit & unuſquiſque actum de ejus converſatione proſpexit. "Quod & apud nos factum videmus in Sabini collegæ noſtri ordinatione, & ut de univerſæ fra-"ternitatis ſuffragio, & de Epiſcoporum qui in præſentia convenerant, quidque de eo ad vos lit-"teras fecerant, judicio, Epiſcopatus ei deferretur, & manus ei in locum Baſilidis imponeren-"tur. *Quo in textu Cypriani, hæ clauſulæ ſunt valdæ notandæ:* de divina authoritate, ſecundùm "divina magiſteria, de traditione divina, & de apoſtolica traditione: " quarum clauſularum, tres priores, oſtendunt ſacras electiones eſſe juris divini Cypriano: cui quidem hanc vox *divina magiſteria*, paſſim legem, & divina præcepta ſignificat: Epiſtola 55. ad Cornelium: „ Cui ſi "ſecundùm magiſteria divina obtemperaret fraternitas univerſa: *item*, tantùmque apud illos "prævalere magiſteria & præcepta divina, quantùs illis in Deum timor eſt: *Item tractatu de bono "patientiæ:* Patientiam quàm magiſteriis cœleſtibus diſcimus, obſequiis ſpiritualibus præbea-"mus. " Certè ſcripta & inſtituta Apoſtolorum, quibus ſacras electionum leges deſigunt, quædam ſunt voluntatis atque legis divinæ declarationes: Itaque electiones quò ad inſtitutionem &

Digitized by Google

ſubſtantiam juris ſunt divini Cypriano. Equidem cum primatus B. Petri electivus, non hæreditarius ſit: juxtà communem regulam philoſophorum oportet, *quod dat eſſe*, *dat etiàm conſequentia ad eſſe*: atque ſacras electiones juris eſſe divini, ſicut & ipſe Primatus: Unde Gerſonius de vita ſpirituali animæ, lectione tertia corollario ſeptimo, ſub finem aſſerit, *banc propoſitionem eſſe de lege pure divina: Electio ſummi Pontificis ſede vacante debet celebrari.* Nam cujus rei inſtitutio eſt juris divini, ut Primatus, & Principatus Eccleſiæ, ſic & ejuſdem conſervatio, atque propagatio: Quarè per magnam faciunt injuriam Primatui, qui ſacras electiones non eſſe juris divini & naturalis perhibent.

XI. Sextò, mihi gravis culpa adſcribitur, eo quod contenderim, adverſùm ſacras electiones nullam poſſe decurrere præſcriptionem: hinc enim magiſter Andræas Vallius colligit, ab eo tempore, quo electiones ceſſarunt in Galliis; ſequi, juxtà meam opinionem, Eccleſias nullos planè habuiſſe legitimos paſtores, & continuò periiſſe. Verùm reſpondeo: Sicut homo duplici via propagatur; extraordinaria ſcilicet per creationem, & via ordinaria per generationem: ſic Eccleſiam duplici ratione gubernari, & utramque eſſe divinæ inſtitutionis: Extraordinaria ratio locum habuit in prima Eccleſiarum fundatione, aut aliqua neceſſitate emergente, quæ eſt impedimento, quominùs via ordinaria locum habere poſſit: ut cùm propter bellorum vaſtitates, & feritatem Longobardorum videmus S. Gregorium Magnum, uni atque eidem Epiſcopo curam duorum Epiſcopatuum deferre, atque nonnullos *in aliquam Eccleſiam incardinare, aut Sacerdotes Cardinales facere*: Sic enim paſſim, & maximè libro ſecundo Epiſtolarum loquitur; propterea quod maxima pars Italiæ paſtoribus careret, ob Longobardorum prædas & populationes: tùm enim Eccleſiis via ordinaria per ſacras electiones de paſtoribus provideri non poterat: quæ ratio ordinaria ſacris præſertim canonibus conciliorum conſignatur, & commendatur: ſicut extraordinaria, ſæpè Epiſtolis atque reſcriptis Pontificum continetur, ut de S. Gregorio docui. Cardinalis Cuſanus lib. ſecundo, de Concordantia cap. 32. utramque viam ſic explicat: „Tota Eccleſia ſivè Apoſtoli, qui tùm Eccleſiam repræſentabant, propinquiùs quàm ſolus Petrus Primantes conſtituerunt 99. diſt. can. Nulli qui textus dicit Apo-„
ſtoli, eorumque ſucceſſores: Neque concludit aliquandò Eccleſiis fuiſſe proviſum ſine ele-„
ctione: quià tunc non fuerunt Eccleſiæ, ſed miſſi fuerunt ad ædificandas Eccleſias, & ideò„
electio locum habere non potuit: quia Eccleſia eligens, tunc deficit. Unde illi miſſi ha-„
bentes figuram Chriſti ſecundi Adæ, ex coſta ſua, ſcilicet divini verbi, ſibi Evam ædificave-„
runt, quàm deſponſaverunt: & ſic Evæ genitæ poſt hac non dabatur, niſi ſponſus deſidera-„
tus. Sic hodiè non dubium Papam ad partes infidelium prædicatores mittere poſſe, ad mo-„
dum Petri, vel Clementis, ut hæc probat textus Nulli ſuprà allegatus, & ita intelligit Ho-„
ſtienſis. *Gerſonius de poteſtate* Eccleſiaſtica *conſideratione octava:* Sed dicimus hoc aliter eſſe„
diſcernandum in politia Eccleſiaſtica dùm eſt ordinata complete, ſub quadam explicatione„
perfecta, & numeroſa membrorum ſuorum in miniſtris, per ſtatus gradus, & officia: & ali-„
ter dum ab initio firmata eſt Eccleſia, in magna tam eccleſiaſticorum quam fidelium„
paucitate, velut in quodam ſeminario, vel germine ſeu botro. Potuit enim tunc rationabi-„
liter ſupremus ille pontifex Petrus, habere faciliter præſentiam concilii generalis ſicut in ele-„
ctione Matthiæ, & ceſſatione legalium: potuit & inſtituere miniſtros per diverſas provincias„
& locos de mandato ſuo, ſicut & ad eum facilis patebat acceſſus, nec vigebat avaritia. quia„
primi primo petebantur ad mortem. Quæ omnia ceſſant in hac tam copioſa fidelium multi-„
tudine, poſt tot jura, tot leges, tot decreta, decretales ſummorum Pontificium, genera-„
lium conciliorum, editas ad regendam feliciter Eccleſiam.

Hæc igitur ſumma erit noſtræ diſputationis de ſacris electionibus: Primo neceſſitatem, quæ„
ut vulgo dicitur legem non habet, ſæpè jus ordinarium eligendi in extraordinarium com-„
mutare: & hodiè in Galliis jure extraordinario provideri Eccleſiis de paſtoribus per Regis no-„
minationem, & conſtitutiones Papæ; ita ut Rex & ſummus Pontifex, hodierna die *Titulum*„
atque materiam, id eſt dioeceſim conferant: Activa autem juriſdictio, per ordinis, Epiſcopalis collationem defertur, ut ſuprà demonſtratum eſt numero quarto. Secundò, *nullam adverſùm ſacras electiones præſcriptionem poſſe decurrere ideo dixi*, quia quotieſcumque videbitur Eccleſiæ, illas poterit in integrum reſtituere: cum tacito ejuſdem conſenſu abrogatas, &

Digitized by Google

juris divini ac naturalis eſſe conſtet: Idque quotidiana Pontificis Romani electio plus ſatis comprobat.

XII. Septimo me admodum contumelioſe accipiunt, quoniam aſſerui *Omnem principatum, quoad vim coactivam, ab hominum conſenſu pendere.* Nihilo minus hoc affatum veriſſimum eſt, præſertim in electivo principatu, qualis eſt Eccleſia: id autem Cardinalis Cuſanus „ſic demonſtrat, cap. decimo quarto libri ſecundi de Concordantia: Cum natura omnes ſint „liberi, inquit, tum omnis principatus ſive conſiſtat in lege ſcripta, ſive viva, apud Principem „per quem coercentur à malis ſubditi, & eorum regulatur libertas, ad bonum metu pœnarum, „eſt à SOLA CONCORDANTIA, ET CONSENSU SUBIECTIVO: Nam ſi natura æquè „potentes, & æque liberi homines ſunt: vera & ordinata poteſtas unius communis æque po„tentis naturaliter, NON NISI ELECTIONE ET CONSENSU CONSTITUITUR: 2. diſt. „can. Lex. & 8. diſt. can. quæ contra. Ubi dicit pactum inter ſe civitatis aut gentis conſue„tudine vel lege firmatum, Idem libro eodem cap. 34. ad calcem. Ex SUBIECTORUM „ELECTIONE ET CONSENSU RADICATUR SUPERIORIS POTESTAS SUO MO„DO COACTIVA IN EOS: qui enim primo erant liberi eligendo ſuper ſe Præſidem, ſe ei „ſubjiciunt: Unde ex hoc fundamento ſuperius ſæpè dicitur, POTESTATEM COACTIVAM „aut Principis aut legis, EX APPROBATIONE PER SE AD HOC COMMUNI CON„SENSU, TACITO VEL EXPRESSO; CONSTITUTUM ROBUR HABERE: ſicut enim „dicitur, quamquam poteſtas de ſurſum ſit, ſive coactiva, ſive œconomica, regulativa, & „ordinativa; Tamen ut ipſa extrinſecè in actum prorumpere poſſit homines Chriſtianos li„beros regulando vel cogendo, tunc recta regula prærequirit ſubjectionem liberam eorum: „cum ipſi ex lege fidei Chriſtianæ, & naturali jure, non arctentur extra terminos libertatis. „Quæ Cuſani ſententia, huic Ariſtotelis proloquio innititur, *quod naturæ repugnet aliquam „eſſe rempublicam ſervorum:* ampliuſque tractabitur cap. 9. ubi omnium Theologorum conſen„tione probabimus, *formalem atque* actualem *obligationem legum, præſertim eccleſiaſticarum, „ab receptione & conſenſu populi pendere:* quo conſenſu in hominum mores & rem judicatam leges tranſeunt. Accedit inſuper quanquam jurisdictio eccleſiaſtica formaliter & in actu ſignato una cum ordine epiſcopali conferatur, ut probatum eſt ſupra, verum tamen conſenſum ſubditorum, ut in actum atque exercitium mittatur deſiderari. Quo circa Gerſonius de poteſtate Eccleſiaſtica conſideratione quinta, docet poteſtatem eccleſiaſticam verè atque interpretativè liberam eſſe circa, perſonam in quam exercetur, itaut non feratur in invitum, quod tam clarum, quam quod clariſſimum eſt.

Summa hujus diſputationis eſt, ordinem Hierarchicum, collectivè ſumptum, claves cum ſacerdotio Chriſti, immediate, architectonicè, per dominium: & proprietatem habere à Domino; ut idem Hierarchicus ordo, facilius claves propaget, conſervet; ac Prælatis ſingularibus, quo ad uſum, exercitium, miniſterium, & exequutionem conferat, atque diſpenſet. Quo quidem principio, ſcripturæ & Patrum auctoritate ſufficienter ſuperius probato, certe omnia capita & fundamenta libelli de Eccleſiaſtica & Politica poteſtate ſufficienter etiam demonſtrata manent: cujuſmodi eſt, 1. *Eccleſiæ regimen eſſe ariſtocraticum, & exequutionem regiminis monarchicam* 2. *ſolam Eccleſiam collectim ſumptam eſſe infallibilem* 3. *Concilium generale eſſe ſupra Papam*, atque alia ejuſmodi, quæ infra ſigillatim, conformiter ad decreta quartæ & quintæ ſeſſionis Conſtantienſis ſynodi explicabuntur.

CAPUT III.

Digitized by Google

CAPUT III.

Eccleſiæ definitio, per cauſas eſſentiales.

PRimum, Eccleſiæ definitionem reſerabit: *Eccleſia, eſt politia monarchica, ad finem ſuper naturalem ſpiritualem inſtituta, regimine ariſtocratico, quod omnium optimum, & naturæ convenientiſſimum eſt, temperata à ſummo animarum paſtore Domino noſtro*: qui Rex eſt, Monarcha, Dominus abſolutus, fundator, petra, & caput eſſentiale Eccleſiæ; ac abſolutum, ſivè purè monarchicum in eam habet imperium: cumque ſuâ omnipotentiâ, & virtute infinitâ, abſque crucis ſcandalo homines ſalvare potuiſſet, nihilominus, ut potentiam, faſtum, ſuperbiam, & ſapientiam mundi confunderet, ac deſtrueret; ſuoſque miniſtros humillimè de ſe ſentire doceret, *per ſtultitiam prædicationis*, de qua capite XI. diſputabitur, *ſalvare voluit credentes, ne in ejus conſpectu, gloriaretur omnis caro*, primæ Corinthiorum 1. Iſtinc verò inducimus, hunc fidei articulum, *Credo unam ſanctam Eccleſiam Catholicam*, eſſe veritatis ſempiternæ: propterea quod, lege evangelicâ ſtante, Chriſtus divortium cum Eccleſia ſponſa facere non poteſt; quod de ſymbolico & miniſteriali capite Romano Pontifice aſſeri non debet; quem, ſaltem ad tempus, adeſſe & abeſſe videmus ſine Eccleſiæ interitu: nam compertum eſt ſedem Apoſtolicam aliquando tres, aliquando ſeptem annos vacaſſe: ſiquidem, præceptum de habendo Pontifice, affirmativum non negativum eſt.

DEMONSTRATIO CAPITIS III.

1. *Quam ob cauſam Eccleſia dicatur politia Monarchica.*
2. *De Ariſtocratico Eccleſiæ regimine.*
3. *Et cur omnium optimum & naturæ convenientiſſimum appelletur.*
4. *Theologorum & Canoniſtarum ſententiâ probatur, hunc fidei articulum*, Credo unam ſanctam Eccleſiam Catholicam, *eſſe veritatis ſempiternæ, Papâ vivo aut mortuo.*
5. *Item* Papam *eſſe dumtaxat caput miniſteriale Eccleſiæ.*
6. *Præceptum de habendo* Pontifice *eſſe affirmativum non negativum:*
7. *Et ſedem Apoſtolicam ſeptem annis poſt Marcellini* Papæ *martyrium vacaſſe.*

1. SEPTEM potiſſimùm ſunt in hoc capite quæ lucem ampliorem deſiderant, & ad enucleationem definitionis Eccleſiæ ſpectant. Primùm autem dixi Eccleſiam eſſe politiam monarchicam, ratione Chriſti abſoluti Monarchæ & Capitis eſſentialis Eccleſiæ: ſecundò, reſ-

Digitized by Google

pectu Papæ quatenùs poteſtatem habet ſuper particulares Eccleſias, ut eſt à Patribus Conſtantienſis Synodi definitum, ſeſſione octavâ, articulo 41. contra errores Joannis Wiclef, & infra uberiùs dicetur: Tertiò, intuitu etiam cujuſlibet Epiſcopi in ſua Diœceſi, quoniam eſt à Patribus Nicænis definitum, *ne plures unico Epiſcopo in unaquaque Eccleſia crearentur* can. 8. Quam ob cauſam B. Auguſtino vehementer dolebat, quòd contra hunc Canonem cooptatus fuiſſet Epiſcopus unà cum Valerio: Itaque Pontifex Romanus & ſinguli Epiſcopi, ſuo quique modo proportionatim, & reſpectivè, ſunt Eccleſiæ Monarchæ.

II. Secundò, ſi ego culpor quòd dixerim Eccleſiam ariſtocratico regimine gubernari aut temperari, ante Cardinalis Bellarminus reprehendendus libro priore de Romano Pontifice cap. quinto: *Doctores Catholici in eo conveniunt omnes, ut regimen Eccleſiaſticum hominibus à Deo commiſſum, ſit illud quidem monarchicum*, SED TEMPERATUM, UT SUPRA DIXIMUS, EX ARISTOCRATIA ET DEMOCRATIA: *id quod præcipuè tractant D. Thomas in 4. contra Gentes, cap. 76. Joannes de Turrecremata libro 2. de Eccleſia cap. 2. Nicolaus Sanderus libro de viſibili Monarchia Eccleſiæ.* Bellarminum quoque Vallius ſequitur lib. de ſuprema poteſtate Papæ, parte primâ quæſt. ſecundâ ſtatim initio: "Monarchicum ergo regimen omnium optimum eſt & excellentiſſimum, inquit, ita tamen ut *ne in tyrannidem degeneret, illud Ariſtocratiâ conveniat temperari. Et aliquantò poſt.* " Quintò, certum eſt Monarchicum illud regimen eſſe *Ariſtocratiâ aliquâ temperatum:* itaut non ſolùm ab uno moderatore: ſed etiam ab optimatibus nempè Epiſcopis, res Eccleſiæ debeant in ſolidum adminiſtrari, idque jure divino, & inſtitutione Chriſti, qui unamquamque poteſtatem ad Eccleſiæ regimen neceſſariam inſtituit, Pontificiam quæ ſuprema eſt, Epiſcopalem, quæ media, Preſbyteralem, quæ infima: ſicut enim Chriſtus dixit Petro Mathæi 16. Tibi dabo claves, & Joannis 21. Paſce oves meas; ita dixit Joannis 20. Apoſtolis, qui Epiſcopos præfigurabant, Sicut miſit me Pater, ita & ego mitto vos: & Lucæ 10. deſignavit & alios LXXII. & miſit eos binos ante faciem ſuam: his autem LXXII. diſcipulis ſuccedunt parœci, qui in partem ſolicitudinis & regiminis Eccleſiæ pro modulo ſuo vocantur: Hæc Vallius. Proculdubio ex immediata clavium auctoritate conceſſa Eccleſiæ, necnon ex jure eligendi Pontificem: quæ à priori duobus primis capitibus demonſtravimus; *primum neceſſario colligimus regimen aut temperamentum Ariſtocraticum Eccleſiæ: deinde etiam inferimus, Papam decretis Conciliorum generalium eſſe ſubditum, ſicut quartâ & quintâ ſeſſione Conſtantienſis Synodi definitum eſt.* At, fruſtra eſt velitari de nomine, ſive majoris facilitatis gratiâ, ſtatum aut Principatum ab Eccleſiæ regimine cum Synodo Conſtantienſi ſecernamus, ut infra cap. 5. explicabitur; ſive cum Bellarmino & Vallio regimen monarchicum Eccleſiæ ariſtocratiâ eſſentialiter temperari conſtituamus: quoniam utrinque evidenter ac neceſſariò inſurgit, *neque Papam, neque Epiſcopos ſeorſim, poſſe aliquid magni momenti, abſque ariſtocratica moderatione, & libero Eccleſiæ conſenſu decernere.* Ex quo fit ut omnes Theologi doceant, *vim actualem obligandi legum ab Eccleſia conſenſu, & receptione pendere*, quod eſt ſæpiùs dicendum. Equidem, ſicut nemo laudi alicujus Principis impenſiùs ſuffragari poteſt, quàm ſi illum optimo, prudentiſſimo, atque ſapientiſſimo conſilio uti probet: ita ſi verum amamus, nullâ aliâ re magis honori Papæ & Epiſcoporum velificabimur, quàm ſi illos Ariſtocraticâ uti moderatione doceamus: *Quid enim tam indecens Eccleſiaſtico, quàm voluntate pro lege uti?* inquit S. Bernardus, tertio de Conſideratione cap. 8.

III. Tertiò, Ariſtocraticum regimen Eccleſiæ, de quo preciſè hîc agitur, omnium optimum & naturæ convenientiſſimum eſſe perhibui, *ut demonſtrarem eſſentiale diſcrimen Eccleſiaſticæ & Politicæ poteſtatis.* Cùm enim omnium Theologorum conſenſione poteſtas civilis, *poſt & propter peccatum Adami à Deo immediatè inſtituta ſit*, Geneſeos cap. IX. verſ. 6. ut corporibus & temporalibus imperaret; idcirco ad vim externam cohibendam, ac rebelles, ſi opus eſſet, conterendos, gladio materiali neceſſario armari debuit: contra autem poteſtas Eccleſiaſtica, quoniam erecta eſt ut animas hominum Chriſto lucrifaceret; certumque eſt mentes humanas ſolo interno principio efficaciter moveri; Ideò animis præeſſe debet per actus Hierarchicos: *illuminando per doctrinam, purgando per pænitentiam &*

Digitized by Google

cenſuras ; *deinde perficiendo reliquorum Sacramentorum adminiſtratione* : quæ quidem omnia in invitum efficaciter non exercentur, ſi cenſuras excipias. Itaque, quando nihil eſt tam congruum & conſentiens humanæ naturæ, quàm ratione conſilioque optimo, & à principio interno gubernari : Lex autem gratiæ hâc tantùm viâ, nequaquàm verò per vim & coactionem externam, aut abſolutum imperium, ſicut poteſtates ſeculi, procedit : neceſſariò relinquitur, genus regiminis Eccleſiæ, quod miniſteriale & ſpirituale eſt, omnium quidem optimum, naturæ convenientiſſimum, ſuaviſſimum, & mitiſſimum eſſe. Quocirca Apoſtolus cap. primo poſterioris ad Corinthios. *Non dominamur veſtræ fidei, ſed adjutores ſumus gaudii veſtri*, *inquit* : ubi gloſſa ex Ambroſio, *fides non patitur dominium, cùm ſit voluntatis non neceſſitatis.* Hercle DOMINUM ET DOMINARI, *abſoluto gaudent imperio, & conjunctam habent coactionem externam cum pœnis temporalibus in pervicaces* : quod poteſtati miniſteriali ſpirituali Eccleſiæ formaliter ut talis eſt minimè convenit. De natura autem poteſtatis Eccleſiaſticæ ; conſule demonſtrationem capitis 4. & 9.

IV. Quartò, M. Andræas Vallius me graviter admodum proſcindit, quòd ſcripſerim hunc fidei articulum, *Credo unam ſanctam Eccleſiam Catholicam, &c. Papâ vivo aut mortuo eſſe veritatis ſempiternæ : propterea quod lege Evangelicâ ſtante Chriſtus divortium cum Eccleſia ſponſa facere non poteſt : quod de ſymbolico & miniſteriali capite Romano Pontifice aſſeri non debet : quem ſaltem ad tempus adeſſe & abeſſe videmus.* Ille enim exclamat, *id portentoſum, atque hæreticum eſſe :* Veruntamen hoc certo certius eſt, & à permultis Doctoribus ſcholæ Pariſienſis, imò etiam à Bellarmino ipſo comprobatur. Cardinalis Alliaçenus de auctoritate Eccleſiæ, tertiâ parte cap. quarto, circa medium : *Ex his ſexto infertur, ait, quòd quamvis Papa concedatur eſſe caput Eccleſiæ, tamen hoc eſt ſub principali & eſſentiali capite Chriſto : & ideo ſubordinatio corporis Eccleſiæ ad Papam eſt ſolùm accidentalis ſed eſſentialis ad Chriſtum, à quo immediatè habet auctoritatem.* Joannes Major quarto ſententiarum diſtinct. 24. quæſt. tertiâ circa medium : *Eccleſia non dicitur una ab unitate capitis miniſterialis, ſed à Chriſto & unitate fidei, ut videre eſt poſt mortem Papæ, ante creationem alterius.* Item commentariis in caput XVIII. Mathæi, ſolutione, ad ſeptimum argumentum Cajetani. *Quando nullus eſt Papa, Eccleſia non eſt minùs una quàm vivente Papâ. Quia Eccleſia dicitur una ab unitate capitis eſſentialis : ſtat virum aliquem Papæ contradicere & eſſe de unitate Eccleſiæ, dummodo ſtet ſub capite Chriſto.* Bellarminus libro ſecundo de Conciliorum auctoritate cap. 19. circa medium. *Amputato capite naturali, totum corpus moritur : at corpus Eccleſiæ non moritur mortuo Papâ.* Gloſſatores juris Canonici *in Clementinis, cap. ne Romani §. non conſonam : Ad id quod dicitur non eſſe veriſimile : filium Dei voluiſſe, mortuo Papâ gregem Fidelium eſſe ſine Paſtore, vel Eccleſiam ſine ſponſo : Reſpondeo, quòd ſponſus, Rector, & Paſtor eſt Chriſtus, & caput Eccleſiæ, quæ eſt ipſius corpus, &c: licèt ergo deficiat Vicarius, non deficit principalis, quia Vicariatus ſolùm Petro & ſucceſſoribus Apoſtolis datus fuit.* Panormitanus *cap. Significaſti de electione*, ſub finem. *Omnes Fideles orbis conſtituunt Eccleſiam univerſalem, cujus caput & ſponſus eſt ipſe Chriſtus : Papa autem eſt Vicarius Chriſti, & non verè caput Eccleſiæ, ut notat gloſſa in cap. ne Romani, quæ notabiliter dicit, quòd mortuo Papâ Eccleſia non eſt ſine capite.*

V. Quintò, Idem magiſter Andræas Vallius me criminatur, quòd dixerim *Papam eſſe caput miniſteriale Eccleſiæ, & ſymbolicum* : utque de poſteriori prius dicamus, *cùm Romanus Pontifex ſit ſymbolum, figura & ſimilitudo Chriſti Monarchæ eſſentialis, atque unitatis Eccleſiæ*, ſicut inter omnes convenit Theologos, ideo illum caput ſymbolicum, & ſimilitudinarium capitis eſſentialis nuncupavi. Almainus de auctoritate Eccleſiæ cap. 8. reſponſione ad ſecundum argumentum Cajetani : *Quamvis concedatur Petrum aut ſummum Pontificem quemcumque, eſſe caput totius Eccleſiæ univerſalis miniſteriale : non oportere tamen omnem proprietatem capitis propriè dicti reperiri in iſto capite ſimilitudinario : & hoc precipuè cùm Eccleſia tota non dicatur corpus Petri, ſed ſolùm Chriſti corpus, ut patet ad Romanos 12. multi unum corpus ſumus in Chriſto.* Equidem Bellarminus lib. quarto de Romano Pontifice capite vigeſimo quinto, vocat *Papam caput miniſteriale externum :* & in Apendice ad libros de ſummo Pontifice cap. vigeſimo quarto. *Chriſtum igitur eſſe caput Eccleſiæ univerſæ libentiſſimè con-*

Digitized by Google

fiteamur : neque ullum hominem, ac ne Angelum quidem illi æquamus : quod eſſet propriè duo capita in Eccleſiæ corpore conſtituere : at quin ſub Chriſto ſummo capite, Vicarius ejus in terris caput, ut ſic dicam miniſteriale, non principale rectè nominetur, negari nullo modo poteſt. Huculque Bellarminus.

VI. Sextò, moleſtè fert Vallius, me dixiſſe *præceptum de habendo Pontifice, eſſe affirmativum, non negativum : & ad ſemper non pro ſemper obligare*, attamen hoc veriſſimum & certiſſimum eſt, idque præcedens articulus quartus & quintus redargutionis, atque experientia quotidiana comprobat : videndus quoque Gerſonius de poteſtate Eccleſiaſtica conſideratione decimâ, à quo hanc mutuatus ſum propoſitionem : Cùm enim Papa ſit tantùm caput miniſteriale, externum, mutabile, ortui atque interitui obnoxium : certè inſurgit præceptum de habendo Pontifice obligare quidem ut ſemper habeatur, quotieſcumque haberi poteſt, quod ſequenti articulo probatur.

VII. Septimò, negat Vallius Apoſtolicam ſedem poſt Marcellini Martyrium ſeptem annos vacaſſe : Idque quia perhibui, *hoc impudens appellat mendacium.* Quòd ſi mendacium eſt, præter Damaſum, qui in ſuo Pontificali aſſeruit, Anaſtaſius Bibliothecarius, Luitprandus, & Abbo Floriacenſis, in vitis Romanorum Pontificum, Cardinalis Cuſanus libro tertio de Concordantia cap. 41. & Genebrardus noſter in ſua Chronologia, quos auctores ſequor, impudentis mendacii ſunt priùs convincendi. Hercle cùm apud omnes ſit in confeſſò, ſedem apoſtolicam aliquando tres aut circiter annos, poſt Clementis IV. obitum vacâſſe, inde continuò probatum remanet, *præceptum de habendo Pontifice, non eſſe negativum, ſed affirmativum.*

C A P U T IV.

D. Petrus, eſt ſolummodò diſpenſator & caput miniſteriale : Chriſtus autem, Dominus abſolutus, fundator, caput, & fundamentum eſſentiale Eccleſiæ : unde argumenta, quæ ducuntur à capite miniſteriali ad eſſentiale caput, fallunt à dicto ſecundùm quid ad dictum ſimpliciter.

SECUNDUM principium, docet D. Petrum eſſe tantummodò diſpenſatorem & caput miniſteriale, non dominum aut fundatorem Eccleſiæ : hoc enim uni & ſoli Chriſto, capiti eſſentiali, per quem & propter quem ſubſtat Eccleſia, competit : qua de cauſa, Petrum ſic alloquitur : Mathæi 16. *Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam : & portæ inferi non prævalebunt adverſùs eam.* Audis ? Non dicit tuam Eccleſiam, aut portæ inferi non prævalebunt adverſùm te. Similiter Joannis 21. *Paſce oves meas, paſce agnos meos :* non dicit tuas oves, aut tuos agnos : ut oſtenderet, Eccleſiaſticos ad puram putam diſpenſationem, aut adminiſtrationem, non ad aliquem dominatum temporalem, aut principatum merè, & abſolutè monarchicum vocari. *Reges gentium dominantur eorum, vos autem non ſic*, Lucæ. 22. & 1. Petri 5. *Paſcite qui in vobis eſt gregem Dei, providentes non coactè ſed ſpontaneè ſecundùm Deum : neque dominantes in Cleris : ſed forma, aut exemplum facti ſunt gregis ex animo.* Quos

Digitized by Google

ſcripturæ locos, D. Bernardus 2. ad Eugenium capite 5. ita explicat *I. ergo & tu, & tibi uſurpare aude, aut dominans apoſtolatum, aut apoſtolicus dominatum. Planè ab alterutro prohiberis, ſi utrumque ſimul habere voles, perdes utrumque: forma Apoſtolica hæc eſt, dominatio interceditur, indicitur miniſtratio, quæ commendatur exemplo legiſlatoris: Ego in medio veſtrûm ſum, ſicut qui miniſtrat, &c.* Quâ epanorthoſi, D. Petrus, & Bernardus, ſpecimen regiminis ariſtocratici, quod capite 5. 6. & 8. deſcribetur, nobis ponunt ante oculos. Non me latet, recentiores, ut ſua privilegia expeditiùs propugnent, obtendere Dominum hâc voce, *paſce oves meas*, uni & ſoli Petro totam detuliſſe juriſdictionem Eccleſiaſticam, quo eam deinceps, pro animi ſui arbitrio, quibuſcunque vellet diſpartiretur. At ſacræ ſcripturæ oraculis, omnium antiquorum Doctorum monimentis, necnon etiam ipſâ praxi veteris Eccleſiæ tam planè atque apertè confutantur, ut mirum ſit illos tam abſurda comminiſci audere. Siquidem, divinum hoc proloquium, *paſce oves meas, &c.* primam ac plenam facultatem exequendi aut diſpenſandi legem divinam, naturalem, & canonicam B. Petro capiti miniſteriali confert, juxta regulas temperamenti ariſtocratici: de quo conſule caput 9. Quibus ita poſitis, facilis remanet ſolutio iſtorum & ſimilium argumentorum: Petrus eſt petra, fundamentum, & caput Eccleſiæ. Ergo abſque illo ruit Eccleſia, velut corpus ſine capite, rivus ſine fonte, radius ſine ſole, palmes ſine ſtipite, ramus à trunco abſciſſus perit, & ardet: Igitur etiam Eccleſia nequit ſubſiſtere ſine Papa. Quaſiverò Romanus Pontifex eſſentiale & primarium, non ſecundarium, & miniſteriale caput Eccleſiæ eſſet: unde præceptum habendi Pontificis, ad ſemper, non pro ſemper obligat, ut loquuntur Scholaſtici.

DEMONSTRATIO
CAPITIS IV.

1. *Quibuſnam fundamentis & ſcripturæ teſtimoniis, monarchicus Eccleſiæ principatus innitatur: de dogmatica explicatione horum locorum,* Tu es petrus *&* ſuper hanc petram: Paſce oves meas, *&c.*

2. *Dominium & ſpirituale miniſterium inter ſeſe, velut duo contraria, opponi.*

1. HOc capite, quiſnam & qualis ſit Eccleſiæ principatus demonſtratur ſacræ ſcripturæ teſtimoniis: *Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, Matthæi 16. & Joannis 21. *Paſce agnos meos, paſce oves meas:* qui loci, cùm metaphorici atque allegorici ſint, ut ſolâ lectione claret, nullus eſt mortalium, qui poſt variam & multiplicem

Digitized by Google

animi collectionem, indè, præter B. Petri primatum, quidquam aliud inducere poſſit, ſivè legat, *Tu es Petrus*, *aut petra*, *& ſuper hanc petram &c.* Vellemque rogatum M. Andræam Vallium, ingenuè ac bonâ fide diceret, per quam Dialecticæ figuram, aut Theologiæ normam, hinc abſolutam Papæ monarchiam, quam mordicus tuetur, poſſit excuſpere, atque effingere : hîc ego abſolutam voco monarchiam, regimen planè monarchicum ab unius ſummi Pontificis arbitrio, & definitione abſolutè pendens : quod neceſſariò conjunctam habet poteſtatem dominandi aut cogendi, quam Chriſtus ſuis tanquam poteſtati miniſteriali ſpirituali Eccleſiæ omnino contrariam prohibet Lucæ 22. Etenim factâ contentione inter diſcipulos Domini, quis eorum videretur major, dixit eis : " Reges gentium dominantur eorum, vos autem non ſic : ſed qui major eſt in vobis fiat ſicut minor & qui præceſſor eſt ſicut miniſtrator. Ego autem in medio veſtrûm ſum ſicut qui miniſtrat. Quo in oraculo Domini, hæ tres voces DOMINANTUR, PRÆCESSOR, ET MINISTRATOR, controverſiam de poteſtate Eccleſiaſtica ſubortam planè atque apertè dirimunt : oſtenduntque DOMINIUM, ATQUE MINISTERIUM SPIRITUALE, *tanquam duo contraria inter ſeſe opponi* : ut etiam S. Bernardus laudatus à Richerio c. 4. libelli de Eccleſiaſtica & politica poteſtate nominatim docet. Nam ſicut *dominatus & dominatio*, abſolutum & planè monarchicum imperium cum poteſtate vitæ & necis, quæ ſolis poteſtatibus ſæculi propria eſt, ſignificant : ita *nomen Præceſſoris* ſolum primatum, & *Miniſtratoris* unicam & ſolam poteſtatem miniſterialem, nudam omni dominatu & facultate irrogandi corporales aut temporales pœnas cum externa coactione, ſignificat : *Siquidem excommunicatio non eſt coactio*, *ſed tantùm excluſio à rerum divinarum conſortio & participatione* : undè ſi preſſè & propriè loquamur, ut Theologos oportet, *potiùs eſt negativa*, *quàm poſitiva poena.* Quocirca omnes textus ſcripturæ ac Patrum ſpectantes ad juriſdictionem Eccleſiaſticam, cujuſmodi ſunt *facultas clavium*, *ligandi & ſolvendi*, *remittendi atque retinendi peccata*, *paſcendi oves Chriſti*, *cum ipſo ſacerdotio Chriſti Eccleſiæ credito* : nullo modo ad abſolutam aut purè monarchicam poteſtatem, ſed ad miniſterium ſpirituale gubernandi Eccleſiam per actus hierarchicos, neceſſario redigi debent : & conſequenter, omnes Apoſtoli atque ipſemet Petrus, ex vi ſuæ inſtitutionis atque officii ſunt Chriſti, atque ipſius Eccleſiæ miniſtri : qualem ſe eſſe S. Paulus non erubeſcit profiteri, ſecundæ Corinth. 4. *Non enim noſmetipſos prædicamus*, *ſed Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum : nos autem ſervos veſtros per Jeſum.* Quem ad locum Ambroſius, *ſervos pro miniſtris poſuit*. *ſicut & Dominus dicit*, *Ego ſum in medio veſtrûm non ut miniſtrer*, *ſed ut miniſtrem.* Et cap. primo ad Coloſſenſes, *adimpleo ea quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea pro corpore ejus quod eſt Eccleſia*, *cujus factus ſum miniſter*, Eccleſiæ ſcilicet : ubi gloſſa : *Prælati non ſunt Eccleſiæ Domini*, *ſed miniſtri.* Hercle poteſtas miniſterialis Eccleſiæ à poteſtate dominandi & cogendi eſſentialiter abhorret : certumque eſt Primatum S. Petro conceſſum in ordine ad regimen ariſtocraticum, ut cap. III. demonſtratum eſt. Utrùm autem Papa ſit abſolutus Monarcha Eccleſiæ accuratiùs dignoſci nequit quàm definitione regalis Monarchiæ, *quæ ſuprema eſt poteſtas unius*, *ad abſolutè regendos homines ſubditos ſecundùm jus divinum naturale*, *illoſque cogendos ut imperata faciant.* Quam abſolutam poteſtatem Pontifici convenire impoſſibile eſt : tum quia canonibus conciliorum generalium ſubjicitur, quartâ & quintâ ſeſſione Conſtantienſis ſynodi ; tum quia non poteſt alio modo Chriſtianos cogere quàm per excommunicationem : *quamquidem in ullam communitatem collectim ſumptam*, *multoque minùs in aliquam diœceſim vel univerſalem Eccleſiam*, *ferre non poteſt* : neque excommunicatio poteſt dici coactio, ut jam probavimus : & conſequenter Eccleſia propriè nullum jus habet cogendi extrinſecè : quod monarchæ abſoluto planè repugnat : conſule infra demonſtrationem capitis noni.

Digitized by Google

CAPUT V.

In Eccleſia, ſtatus à regimine diſtinguitur : nam ſtatus monarchicus eſt, ad unitatem atque ordinem vindicandum, necnon ad efficacem exequutionem canonum : regimen verò ariſtocraticum, propter ſalutare conſilium, infallibilem providentiam, & conſtitutiones canonum : Eccleſia enim canone, non abſolutâ poteſtate regitur.

TERTIUM principium, ſtatum Eccleſiæ ab ejuſdem regimine diſtinguit : ſtatus enim monarchicus eſt, tum ad unitatem atque ordinem vindicandum, cùm ad exequutionem canonum, quæ Romano Pontifici, velut capiti miniſteriali congruit : regimen verò ariſtocraticum, propter ſolidam providentiam, efficax conſilium, & conſtitutiones eorumdem canonum : quam ob cauſam capite I. diximus, *Claves toti datas fuiſſe Eccleſiæ, ut per unum exercerentur.* Enimverò, canone aut concilio Eccleſiam ſponſam gubernari voluit Dominus, quo Romani Pontifices, atque alii Epiſcopi, nihil quicquam magni momenti de proprio motu, aut oligarchici concilii ſuaſione decernerent ; ſed ariſtocraticum Eccleſiæ concilium frequenter cogerent, ac conſulerent : Ideoque ab antiquis Patribus ſancitum legimus, ut ſingulis annis provincialia concilia bis convocarentur. Quæ autem eſt ratio œcumenici concilii ad Romanum Pontificem, eadem quoque & ſynodorum particularium ad ſuos Epiſcopos : quoniam particulares Eccleſias itidem canone, non abſolutâ poteſtate à propriis Epiſcopis gubernari oportet. Porrò ſenatum aut conſilium nativum Eccleſiæ à Domino inſtitutum, vocamus, non modò Epiſcopos, verumetiam omnes preſbyteros curam animarum habentes : quorum illi Apoſtolis, hi verò LXXI. diſcipulis ſucceſſerunt, diſt. 68. *can. Chorepiſcopi :* 16. *quæſt.* I. *can. Eccleſia* ; & *diſt.* 13. *can. presbyter.* Etenim, quondam preſbyteri Eccleſiam in commune regebant, ut D. Hieronymus auctor eſt, *can. legimus*, *diſt.* 93.

DEMONSTRATIO
CAPITIS V.

1. *De ſtatus atque regiminis Eccleſiæ differentia.*
2. *Collegium Cardinalium, ex vi ſua inſtitutionis, ad Concilium ariſtocraticum Eccleſiæ pertinere.*

Digitized by Google

3. *Quodnam ſit nativum Eccleſiæ Concilium à Chriſto inſtitutum, & quid ſit definire ex Cathedra.*

4. *Epiſcopos jure divino Apoſtolis, atque Presbyteros* LXXII. *diſcipulis ſuccedere, & debere Eccleſiam in commune regere.*

I. IN hoc capite quatuor præſertim lucem noſtræ explicationis deſiderant: primùm quonam modo ſtatus aut principatus Eccleſiæ, ab ejuſdem regimine diſtinguatur: quod ut innoteſcat, ſcire opus eſt, in electivo principatu ariſtocraticâ moderatione temperato, qualis eſt Eccleſia, Imperium Germaniæ, & Regnum Poloniæ, nequaquam ad voluntatem Principis, ſed vel à Deo, vel à Republica Conſilium inſtitui: ex quo fit, ut principes Eccleſiæ, Imperator Germaniæ, atque Rex Poloniæ, neceſſariò ac eſſentialiter ad audiendum & ſequendum ejuſmodi Conſilium, tanquam legem & regulam omnium agendorum, obligentur: quare in ejuſmodi principatibus electivis, Conſilium regimen conſtituit: atque exequutio regiminis principibus relinquitur: contra quam fit in purè regio aut monarchico principatu: ubi Princeps quoſcumque vult conſiliarios ſibi deligit, quorum ſententiam & conſilium non pro norma aut lege invariabili, ſed tantùm pro opinione & ratione, ſponte ac liberè ſequitur, aut amplectitur. Itaque in regio & purè Monarchico principatu, qualis eſt regnum Franciæ, idem planè eſt ſtatus cum regimine; ſecus quam fit in electivo principatu, ubi ſtatus regimine diſtinguitur. Quam differentiam regiminis & ſtatus Eccleſiæ, Patres Conſtantienſes nobis diſtinctè conſecrarunt; & primò quidem regimen ariſtocraticum 4. & 5. ſeſſione: " ubi decernunt Eccleſiam immediatè habere auctoritatem à Chriſto, & Concilium " univerſale legitimè congregatum Eccleſiam Catholicam repræſentare; eamque ob cauſam " quemlibet cujuſcumque ſtatus vel dignitatis, etiamſi Papalis exiſtat, teneri obedire gene" rali Concilio, in iis quæ pertinent ad fidem, extirpationem ſchiſmatis, & reformationem " Eccleſiæ in capite & in membris. Quâ conſtitutione liquet Eccleſiæ regimen eſſe ariſtocraticum, *& Papam canonibus Conciliorum generalium, quoad directionem, & coactionem obligari:* quod ipſum à priori cap. 1. & 2. hujus demonſtrationis, ex immediata Eccleſiæ auctoritate probavimus. Sed venio ad ſtatum aut principatum monarchicum Eccleſiæ, de quo iidem Patres Conſtantienſes ſeſſ. 8. articulo 41. errorum Joannis Wicleff; hic enim cùm Eccleſiæ Romanæ Primatum pernegaret, ſynodus ita decernit in contrarium; " Error eſt, ſi " per Romanam Wicleff intelligat univerſalem Eccleſiam, aut Concilium generale; aut pro " quanto negaret primatum ſummi Pontificis ſuper alias particulares Eccleſias. Quâ declaratione edocemur, " particulares Eccleſias diſgregatas, genuinum eſſe objectum Primatus, " vel poteſtatis Papalis: nimirum ut Pontifex eas ſecundùm jus divinum, naturale, & canonicum moderetur; atque etiam in eundem finem canones aut leges condat in actu primo, ſi res poſtulet; quoniam actus ſecundus, id eſt formalis & actualis cauſa obligandi, ab receptione, & Eccleſiæ conſenſu manat; idque argumento certiſſimo eſt, Eccleſiam canone, non abſolutâ, & purè monarchicâ poteſtate gubernari. Certè *Papæ auctoritas quanta quanta, tota eſt in ordine ad ariſtocraticum regimen:* itaut etiam in canonibus exequendis, ſi ariſtocratitico regimini ad pacem & concordiam Eccleſiæ ſervandam videatur, ut Papa ſuperſedeat, hic ceſſare debeat; quod exemplo Victoris P.P. confirmatur, quem Eccleſiæ ſingulares noluerunt canonem à ſe factum de Paſchate die Dominicâ celebrando in rem judicatam mittere erga Aſiæ Eccleſias, ne pax & unitas illarum Eccleſiarum turbaretur; lege Euſebium lib. quinto hiſtoriæ cap. vigeſimo ſecundo, 23. & 24.

II. Secundò me criminis accerſunt, quaſi nomine Oligarchici Concilii, Collegium Cardinalium deſignare voluerim; quam calumniam ſi confirmatam cupiunt, ante efficiant oportet, Epiſcopos, ſicut & Papam, habere pariter collegium Cardinalium; ſi quidem hoc ipſo capite, ego æquè de Epiſcoporum quàm de Papæ gubernatione diſputo, quoniam ſacris canonibus compertum habeo, *omnia negotia Eccleſiaſtica cujuſcumque provinciæ, ſynodo provinciali eſſe definienda, canone quinto Nicæno, & ſecundo Conſtantinopolitano.* Hæc mea ſunt genuina verba, quæ meis convitiatoribus ruborem debent ſuffundere; " Quo Romani Pontifices

" ces atque alii Epiſcopi nihil quicquam magni momenti, de proprio motu, aut oligarchici " Concilii ſuaſione decernerent, ſed ariſtocraticum Eccleſiæ Concilium frequenter cogerent, " ac conſulerent.„ Porrò quotuſquiſque poteſt ambigere quin ex norma regiminis ariſtocrati, æqualiter Epiſcopis, quam Pontifici incumbat, nihil quicquam de privato motu aut oligarchici Concilii ſuaſione in rebus arduis peragere? cùm ut toties, necdum ſatis inculcatum eſt, leges non obligent niſi recipiantur? At verò tantùm abeſt ut Cardinales ad oligarchicum, id eſt paucorum & privatorum Concilium pertineant, cùm ex vi & natura ſuæ inſtitutionis primariæ, ariſtocraticum efficiant Concilium. Nam auctore Cypriano Epiſtolâ 55. ad Cornelium Papam ſub finem: *Florentiſſimus Clerus Romanus cum Cornelio præſidebat*, propria ſunt verba: Clerus autem Presbyteris atque Diaconibus præſertim conſtabat: qui quidem tum demum Collegium Cardinalium conflaverunt: eſtque progreſſu temporis ita conſtitutum, ut quandam Epitomen generalis Concilii referret: quoniam teſte S. Bernardo quarto de conſideratione capite quinto, ex Gerardi Voſſii recenſione, quam ſequor, Cardinali Cuſano ſecundo de Concordantia catholica cap. decimo tertio, & vigeſimo primo, Synodo Baſileenſi ſeſſione 23. *Cardinales totum orbem judicaturi, de toto orbe proportionatim aſſumi debent*: ſunt enim tanquàm legati & procuratores univerſalis Eccleſiæ, tum ut ſede vacante ſummum Pontificem deligant: *tum ut ei pro ariſtocratico conſilio adſideant*, inquit Gerſonius de poteſtate Eccleſiaſtica conſideratione decimâ tertiâ: videndus etiam illuſtriſſimus collegii Cardinalitii fundator *Joannes Monachus, capite ſi per eo, de hæreticis in ſexto.* Item Cuſanus libro ſecundo de Concordantia, capite vigeſimo, ubi aſſerit, *ultimam eſſe reſolutionem, quòd in tangentibus univerſalem Eccleſiam, Papa ſine Cardinalium collegio nihil poſſit ſtatuere.*

III. Tertiò, ambigitur, *quid per nativum Eccleſiæ Concilium* Richerius deſignet; Reſpondeo illos ipſos nativum Eccleſiæ Concilium efficere, quos Dominus alloquitur Mathæi XVIII. *Dic Eccleſiæ, qui Eccleſiam non audierit, &c. Amen dico vobis quæcumque alligaveritis ſuper terram, &c.* Conſtat verò Chriſtum ibidem Apoſtolos atque diſcipulos, qui Epiſcopalem & Presbyteralem ordinem referebant, affari: & continuò Epiſcopos atque Presbyteros *tanquàm Cathedræ & regiminis Eccleſiæ participes, nativum Eccleſiæ Concilium conflare*: undè ibidem Dominus Eccleſiæ ſacerdotali, ſivè ordini Hierarchico, facultatem ſeſe congregandi in Synodum tribuit: " Iterum dico vobis, quia ſi duo ex vobis conſenſerint ſuper terram, &c. Vbi enim ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum." Et hinc liquet, quidnam ſit propriè definire ex Cathedra: Siquidem Patres Nicæni in vim & robur hujus facultatis à Chriſto conceſſæ, decernunt ut Synodi Provinciales annuatim, ad naſcentes controverſias definiendas, bis congregentur: Quibus in Synodis præſertim Epiſcopi atque Presbyteri controverſias omnes decidebant: hic quintum canonem Nicænum integrum exſcribam, ex editione & verſione Romana. " De iis qui communione privantur " ſeu ex clero, ſeu ex laico ordine ab Epiſcopis, per unamquamque Provinciam, ſententia " regularis obtineat, ut hi qui abjiciuntur, ab aliis non recipiantur. Requiratur autem nè " puſillanimitate aut alio quolibet Epiſcopi vitio, videatur à congregatione ſecluſus. Vt hoc " ergo decentiùs inquiratur, bene placuit annis ſingulis per unamquamque Provinciam, bis " in anno Concilia celebrari, ut communiter omnibus ſimul Epiſcopis congregatis provinciæ, " diſcutiantur hujuſmodi quæſtiones: & ſic qui peccaverint evidenter Epiſcopo, excommunicati rationabiliter ab omnibus æſtimentur: uſquequò vel in communi, vel Epiſcopo placeat humaniorem pro talibus ferre ſententiam. Concilia verò celebrentur, unum quidem " antè quadrageſimam Paſchæ, ut omni diſſenſione ſublatâ, munus offeratur Deo puriſſimum: ſecundum verò circa tempus Autumni:" Hactenus Patres Nicæni: quibus & Conſtantinopolitani ita ſuffragantur Can. 11. " Manifeſtum eſt quòd ea quæ ad unamquamque " provinciam pertinent, Synodus provinciæ adminiſtret, ſecundùm ea quæ Niceæ definita ſunt:" adnectendus pariter & ſextus canon ejuſdem Synodi Conſtantinopolitanæ, atque Antiochenæ, quibus clariſſimè patet *Eccleſias jure communi & ariſtocratico regimine tum gubernari ſolitas*: eamque ob rem Epiſcopos ſingularum provinciarum bis in annos ſingulos ad Synodum provincialem confluxiſſe, ut cuncta negotia ſynodicè, & canonicè definirentur. Id quidem adeò, ut ſi Epiſcopus aliquis, etiam Romanus, quempiam laicum aut clericum

Digitized by Google

excommunicaſſet, & hi de ſententia Epiſcopi gravarentur, ac coram Synodo quererentur: cauſa de integro in Synodo Provinciali tractaretur, atque confirmaretur, aut antiquaretur. Vndè Patres ſexti Concilii Carthaginenſis, quos inter S. Auguſt. ſedebat, Cæleſtino 1. Pontifici reſcribunt, " unicuique conceſſum eſſe, ſi judicio offenſus fuerit Epiſcoporum, ad Concilium ſuæ provinciæ " vel etiam ad univerſale provocare,, ex quo clarè dignoſcitur, tum nemini Epiſcoporũ quicquam proprio & privato motu, aut abſoluto imperio licitum decernere: atque ſingulos Epiſcopos ſuas privatas Eccleſias in ſolidum gubernaſſe, conformiter ad quintum canonem Nicænum: idque eſt demonſtratio praxis Ariſtocraticæ gubernationis Eccleſiarum, quam ex canonibus octo primorum Conciliorum generalium certiſſimè repetes.

IV. Quartò, quoniam ego hoc capite docui Presbyteros habentes curam animarum ad nativum Eccleſiæ Concilium pertinere: Indè malevoli quidam perſuadere voluerunt, me Presbyteros omnino æquare Epiſcopis: quaſi jure divino Epiſcopi à Presbyteris non diſtinguerentur: quod eſt falſiſſimũ, neque ex libello meo colligi poteſt. Verùm quando omnes Doctores catholici conſentiunt, primũ atque eminentiorem gradum ſacerdotii Chriſti, qui unus eſt ſpecie in tota Eccleſia, eodem jure Epiſcopis ſuper Presbyteros competere, quo olim Apoſtolis ſuper LXXII. diſcipulos conveniebat: & nemo in dubium revocat quin Apoſtoli jure divino LXXII. diſcipulis anteirent: hinc neceſſariò conſurgit, Epiſcopos jure divino Presbyteris antecellere: quoniam ex divina inſtitutione certiſſimum eſt, Epiſcopos jure ordinario Apoſtolis, & Presbyteros LXXII. diſcipulis ſucceſſiſſe, *can. in novo diſtinct.* 21. *can. Chorepiſcopi diſtinct.* 68. & *can.* 14. *Synodi Neocæſarienſis.* Quibus canonibus edocemur, diſcipulos Domini, in duos gradus fuiſſe diſtinctos: Apoſtolorum, & LXXII. diſcipulorum: atque Epiſcopos Apoſtolis, & Presbyteros LXXII. diſcipulis, jure inquam divino ſucceſſiſſe: quoniam Eccleſia ad poſteros jure divino tranſmittenda, & propaganda neceſſariò fuit: non autem in ſolis Apoſtolis atque diſcipulis finienda. Cæterum Preſbyteros, in vim ſuæ ordinationis propter Chriſti ſacerdotium, cujus in ſolidum participes fiunt, proportionatim in conſortium Cathedræ atque regiminis Eccleſiæ venire, partim ex actis Apoſtolorum, partim ex Conciliis, hiſtoria Eccleſiaſtica, & ſcriptis Patrum colligimus. Equidem olim Presbyteri in commune cum Epiſcopis vivebant, hoſque ſemper circumſtabant, *erantque ſenatus Eccleſiæ*, ut eos Hieronymus commentariis in caput tertium Eſaiæ vocat: *Nam habemus in Eccleſia ſenatum noſtrum cœtum Preſbyterorum*, inquit: quem locum Gratianus, 16. *quæſt.* 1. *Canone Eccleſia*, perperam laudavit ex Hieronymi Epiſtola ad Ruſticum, & contra ejuſdem ſenſum ad Monachos detorſit, quare locus ille in decreto Gregorii XIII. ſuo priſtino & genuino nitori aſſeritur. Ad hæc quoque facit, *diſtinct.* 23. *Canon. Preſbyter cùm ordinatur, Epiſcopo eum benedicente, & manum ſuper caput ejus tenente, etiam omnes Presbyteri qui præſentes ſunt, manus juxta manum Epiſcopi ſuper caput illius teneant.* Item *can. Epiſcopus* 15. *quæſt.* 7. *Epiſcopus nullius cauſam audiat abſque præſentiâ ſuorum clericorum: alioquin irrita erit ſententia Epiſcopi, niſi Clericorum ſententia confirmetur.* Equidem nullus, modo S. Cypriani Epiſtolas, & duos priores tomos Conciliorum legerit, poteſt ignorare, Preſbyteros cum Epiſcopis negotia Eccleſiæ, in ſynodis definiviſſe: Inſuper extant in tabulario Facultatis Pariſienſis aliquot decreta, ad calcem hujus Demonſtrationis edita, quibus declaratur *Curatos eſſe Hierarchas Eccleſiæ*: quorum meminit Gerſonius de poteſtate Eccleſiaſtica conſideratione 12. ſub finem, diſputans utrum Curati vocem habeant definitivam in Conciliis: *Facit ad hoc*, inquit, *determinatio ſacræ Facultatis Theologiæ Pariſienſis, nuper edita contra temeritatem extollentium privilegiatos ſuper Curatos in prædicationibus & confeſſionibus: ubi ſic dicitur, Domini Curati ſunt in Eccleſia minores Prælati, & Hierarchicæ, ex primaria inſtitutione Chriſti, &c.* Huc & accurrit canon ſextus ſeſſ. 23. Concilii Tridentini: *Si quis dixerit in Eccleſia Catholica, non eſſe Hierarchiam divina ordinatione inſtitutam, quæ conſtat Epiſcopis, Preſbyteris, & miniſtris, anathema ſit.* Jam dixi Cyprianum Epiſtolâ 55. ad Cornelium nominatim docere: *Clerum florentiſſimum Romanæ Eccleſiæ cum Cornelio præſidere.* Hoc autem ariſtocraticum regimen indicat.

Digitized by Google

CAPUT VI.

Infallibilis poteſtas decernendi aut conſtituendi Canones, toti Eccleſiæ; quæ eſt columna & firmamentum veritatis, non uni & ſoli Petro competit: idque praxi Eccleſiæ comprobatur.

QUARTUM, infallibilem poteſtatem decernendi, aut contendi canones eſſe penes totam Eccleſiam, aut generale Concilium illam repræſentans: quâ in re, natura regiminis ariſtocratici potiſſimùm conſiſtit: ac partim divino, partim naturali lumine demonſtratur. Quandoquidem, oculi quam unicus oculus, longiùs atque acriùs proſpiciunt: ac nemini uni nè ſuperbiret, à Deo vel à natura datum eſt, ut ſapiat: Deindè, *corpus Eccleſiæ non eſt unum membrum ſed multa: ſi totum corpus oculus, ubi auditus?* primæ Corinthior. 12. & 14, verſ. 32. *Spiritus prophetarum, prophetis*, id eſt Eccleſiæ, *ſubjectus eſt*. Etenim, *Epiſcopatus unus eſt, cujus à ſingulis in ſolidum pars tenetur*, 24. *quæſt* 1. *can. loquitur.* Itaque, quod omnes tangit, neceſſum eſt ab omnibus quoque comprobari: cùm præſertim, *omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus, circundatus ſit infirmitate*: ac proindè fallere & falli poteſt, niſi *Eccleſiam columnam & firmamentum veritatis* 1. ad Timotheum 3. in conſilium adhibeat. Quapropter Eccleſiæ, non uni & ſoli Petro, Dominus in cœlum aſſenſurus ſpiritum veritatis pollicetur, Joannis 14. verſ. 16. *Ego rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum ſpiritum veritatis.* Item Mathæi 18. Eccleſiam ſibi ipſi ſufficientem & architectonicen, infallibilis tribunalis erectione conſtituit: dum B. Petrum reſcire geſtientem quoties fratri ſuo peccanti indulgeret, in hunc modum informat: *Si peccaverit in te frater tuus, vade corripe eum inter te & ipſum ſolum, &c. Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus: Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis ſuper terram erunt ligata & in cœlo, &c. Iterum dico vobis, quia ſi duo ex vobis conſenſerint ſuper terram de omni re quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo qui in cœlis eſt: ubi enim ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* Quo ex prologuio diſcimus, Chriſtum immediatè conceſſiſſe ordini hierarchico, quem hîc nomine Eccleſiæ deſignat, facultatem excommunicandi: nam ſicut denarius numerus eminenter & cauſaliter omnes capit numeros: ſic formula hæc, *dic Eccleſiæ*, eminenter inquam & cauſaliter plenitudinem poteſtatis eccleſiaſticæ, cum omni

Digitized by Google

ſuperiore Eccleſiaſtico, aliquâ juriſdictione prædito, complectitur; ſivè ſit Curio Epiſcopus, Papa, aut Concilium generale, in quod omnes controverſiæ, tanquàm in ultimum atque infallibile tribunal, omnem poteſtati plenitudinem continens, reſolvuntur. Patet, quoniam ſtatim atque Dominus hoc protulit oraculum, *dic Eccleſiæ*: continuò pluraliter ſubjungit, *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis ſuper terram, &c.* Vndè liquidò apparet ibi formaliter & propriè non agi de Eccleſia pro unico homine, ſed pro pluribus unà congregatis: quocirca eodem filo orationis, Dominus impartitur Eccleſiæ facultatem ſeſe congregandi in Concilium, atque infallibiliter decernendi: *Iterum dico vobis, quia ſi duo ex vobis conſenſerint ſuper terram, &c. ubi enim ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* Neque ſilentio præterire opus eſt, Chriſtum in hoc textu, concilium ariſtocraticum divinitùs, non oligarchicum humanitùs inſtitutum, deſignare: numerumque certum pro incerto, ac minimum numerorum ideò expreſſiſſe, quo omnem tergiverſandi occaſionem litigioſis hominibus eriperet: oſtenderetque, ad juſtam Eccleſiæ moderationem, non unius tantùm Romani Pontificis, ſed trium aut duorum ad minùs conſenſum & concordiam requiri. Profectò quamcunque in partem ſe converterint adverſarii fateantur oportet, hæc verba, *ubi enim ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, &c.* abſolutam, atque infallibilem unius Papæ auctoritatem neceſſariò excludere: ac demonſtrare, Eccleſiam invitam, diſſentientem, aut inconſultam obligari non poſſe: quod uſquequaque legi naturali congruit, & praxi veteris Eccleſiæ abundè confirmatur: Nam Hieroſolymitanum Concilium, omnium Apoſtolorum & Presbyterorum conſenſione ac ſuffragiis ita concluditur Actorum 15. *Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis.* Deinde, Patres Eccleſiæ Africanæ, quos inter D. erat Auguſtinus, Celeſtino 1. Romano Pontifici ſcribunt, *Non eſſe credibile, Deum uni cuilibet inſpirare examinis juſtitiam, & innumerabilibus congregatis in Concilium illam denegare.* Facit ad hujus doctrinæ commendationem, Zozimi Papæ ſententia, qui ſe apertè inferiorem Concilio fatetur dum Galliæ Epiſcopis reſpondet, Sedis Apoſtolicæ auctoritatem, ſacris Conciliorum ſanctionibus derogare non poſſe 25. *quæſt.* 1. *can.* *Contra ſtatuta Patrum, condere aliquid vel mutare, nec hujus quidem ſedis poteſt auctoritas: apud nos enim inconvulſis radicibus vivit antiquitas, cui decreta Patrum ſanxere reverentiam.* Iſthuc ſimiliter accurrit, magni Gregorii reſponſum, *qui ſe quatuor Concilia generalia venerari fatetur, ſicut quatuor libros ſancti Evangelii: quia dum univerſali ſunt conſenſu conſtituta, ſe & non*

Digitized by Google

illa deſtruit, quiſquis præſumit aut ſolvere quos religant, aut ligare quos ſolvunt, diſt. 15. *can. ſicut ſancti Evangelii.* Certè, qui acta Conciliorum generalium revolverit, facilè videbit, unum & ſolum Pontificem Romanum in ſynodis generalibus, decreta fidei catholicæ non facere, ſed inductione, & conſenſu Eccleſiarum particularium inito, illa univerſim inferre ac concludere. Quæ certiſſima atque evidentiſſima eſt regiminis ariſtocratici demonſtratio: & confirmatur, *can. majores* 24 *quæſt.* 1.

DEMONSTRATIO

CAPITIS VI.

1. *Quænam ſit ratio canonis* Majores 24. *quæſt.* 1. *quem fruſtra adverſarii, quaſi perperam uſurpatum à Richerio, oppugnant.*

1. DEMONSTRATIO hujus capitis de Eccleſiæ catholicæ infallibilitate à ſuperioribus principiis neceſſariò profluit: neque adverſarii quicquam validi opponunt, quo rationes, quibus hoc caput munitur, labefactent quod autem canonem *Majores* laudatum à me 24. *quæſt.* 1. quaſi illum perperam uſurparim, Vallius exagitat, hercle genuina ratio hujus regulæ illum fugit, quâ explicatè cognoſcimus, *in Synodis, Catholicam & Apoſtolicam veritatem fidei communione & conſenſu catholico inveſtigari, & promulgari*: hîcque eſt totius controverſiæ nodus: ſcilicet, *facultatem infallibilem decernendi, à catholico conſenſu & ſanctorum communione, ab unius Papæ abſoluto imperio petendam.* En integer Canon, lector judicet, *Majores noſtri divinâ inſpiratione cernentes neceſſariò præcaverunt, ut quod contra unamquamque hæreſim coacta ſimul Synodus pro fidei communione & veritate catholica atque Apoſtolica promulgaſſet, non ſinerent novis poſthac tractionibus mutilari.* Hîc ergo de Synodicis conſtitutionibus, non de privatis motibus aut decretalibus Papæ agi videmus: Decretales autem quatenus & quouſque obligent, infra cap. 8. diſputabitur. Procul dubio juris Pontificii Doctores *ex Canone* Majores, *inferunt Concilium generale Eccleſiam catholicam repræſentare*, ut decretum eſt Conſtantiæ ſeſſ. 4. & 5. vide notas Sebaſtiani Sapiæ *ad caput ſignificaſti, de electione & electi poteſtate apud Panormitanum.* Hercle in Concilio generali quæ ſemel conſtituta ſunt canonicè, ideò novis retractationibus minimè agitanda veniunt, quia Synodus generalis Eccleſiam catholicam perfectiſſimè repræſentat.

CAPUT VII.

Explicatio hujus textûs Evangelii, Simon ecce Sathanas expetivit vos ut cribraret ſicut triticum, Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.

Digitized by Google

Sed fortè quiſpiam arguet Chriſtum Lucæ 22. rogaſſe pro Petro nè ejus fides deficeret eique inſuper præcepiſſe, ut fratres ſuos confirmaret. Reſpondetur ad primum, hanc Chriſti pollicitationem, juxta ſenſum litteralem ſcripturæ, ad ſolum tempus dominicæ paſſionis extendi, quo ſcandalum crucis in univerſos Domini diſcipulos, maximè verò in beatum Petrum qui ter magiſtrum ſuum negavit, erat debacchaturum: Vndè Mathæi 26. Dominus diſcipulos in hunc modum affatur: *Omnes vos ſcandalum patiemini in me in iſta nocte: ſcriptum eſt enim, percutiam paſtorem & diſpergentur oves gregis: Reſpondens autem Petrus ait illi: etſi omnes ſcandalizati fuerint in te, Ego nunquam ſcandalizabor: Ait illi Jeſus, Amen dico tibi quia in hâc nocte, antequàm gallus cantet, ter me negabis.* Præterea Lucæ. 22. *Simon ecce Satanas expetivit vos ut cribraret ſicut triticum: Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando converſus confirma fratres tuos.* Vbi attendere oportet, Chriſtum non dixiſſe Petro, Ego rogavi pro te nè unquam erres, aut ut ſis infallibilis: ſed tantùm, *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua:* & Petrum erraſſe quidem, ejus verò fidem nequaquam defeciſſe quo ad habitum, ſed quo ad actum: nam ore non corde Dominum negavit. Ad ſecundum, qui antecedentia & conſequentia hujus textûs conſideratè examinarit, primâ fronte videbit, D. Petrum, poſtquàm ex titubatione trinæ negationis quaſi ex graviſſimo ſopore emerſit, multò magis idoneum fuiſſe, tum ad ſuos collegas fluctuantes confirmandos, tum ad fratres diſperſos in Eccleſiam revocandos, ut ibidem reſurrectionem Domini præſtolarentur Quamobrem, hoc argumentum, fallit à dicto ſecundùm quid, ad dictum ſimpliciter: quia iſtud privilegium, ſoli Petro, ob imminens ſcandalum crucis factum eſt, Hercle, ſi ſolus Papa, non Eccleſia collectivè ſumpta eſt infallibilis: inſurgit Paulum graviſſimè peccaſſe, Galatarum 2. cùm demonſtrat Petrum ideò fuiſſe repræhenſibilem, quod ad veritatem Evangelii minùs rectè ambularet: quæ verba valdè notanda ſunt. Porrò, iſthæc repræhenſio, appellationi ad conſilium æquipollet, ut Cancellarius Pariſienſis obſervat: ratio eſt, quia ſi D. Petrus tum temporis B. Paulo rectè monenti obſtitiſſet, non dubium eſt, quin Eccleſia in concilium congregata diſſidium inter illos ſubortum diremiſſet: ut paulò antè, controverſiam ſuper obſervatione legalium deciderat, Act. 15, Hîc pro appendicula & ampliatione favorum adnectere lubet, D. Petrum ſingulares perſonas aut Eccleſias diſgregatas, poſſe in fide, per ſacræ ſcripturæ aut canonum interpetationem, roborare: hocque ſenſu, B. Hyeronimum Epiſtolâ ad Damaſum PP. fa-

Digitized by Google

cultatem dicendarum hypoſtaſeon, id eſt ſymboli Nicæni interpretationem, ab eodem Damaſo flagitare: *A paſtore*, inquit, *præſidium ovis flagito: diſcerne ſi placet, non timebo tres hypoſtaſes dicere, ſi jubebis*: eadem quoque eſt ratio Theodoreti, & aliorum, qui ſanctam Sedem Apoſtolicam perfugio habuerunt.

DEMONSTRATIO

CAPITIS VII.

1. *Facultatem confirmandorum fratrum Petro competere, non tam ratione horum verborum Chriſti,* Ego rogavi pro te, *confirma fratres tuos, &c. quàm in vim & conſequentiam Primatûs, & quid fratrum nomine intelligatur. Luc. 22.*

I. HOc caput tanquàm capitis præcedentis appendicula eſt, atque hiſtoricam interpretationem textûs B. Lucæ 22. *Ego rogavi pro te Petre ut non deficiat fides tua, & tu aliquando converſus confirma fratres tuos*, continet: quem locum quia ad litteram accipi oportere dixi de confirmatione, qua Apoſtoli atque diſcipuli Domini triduo paſſionis indigebant, acriter ab adverſariis vapulo: inſtitantibus, erroneum eſſe dicere B. Petrum nondonatum facultate confirmandorum fratrum ultra tempus paſſionis: quaſi verò hæc mihi unquam veniſſent in mentem, aut ex mea lucubratione inferri poſſent. Certè nemo poteſt ambigere, quin Chriſtus, hoc in textu agat de fratribus confirmandis in ea fide quam Petrus nomine omnium diſcipulorum Math. XVI. ediderat: *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi*: quia ejuſmodi fides, propter ſcandalum crucis, in dubium aut apud omnes: aut apud per multos diſcipulorum Domini veniebat. Quocirca, ſi hâc voce Chriſti *confirma fratres tuos*, fratrum appellatione Apoſtolos atque diſcipulos intelligamus (ſicut juxtà hiſtoriæ & litteræ circonſtantias intelligendos perhibeo) unà contendo hæreticum eſſe, dicere Apoſtolos, atque diſcipulos, poſtquàm Chriſti reſurrectione, præſentiâ, convictu, donis, permultiſque miraculis, atque effuſione Spiritûs ſancti abundè illuſtrari & corroborati ſunt, opus habuiſſe ut in hâc fide, *Quòd Chriſtus verus eſſet Filius Dei*, à ſancto Petro confirmarentur. Neque enim Petri favores & privilegia in ullum detrimentum fidei aliorum Apoſtolorum extolli, aut ampliare debent: quando primatu excepto, *honore atque poteſtate æquales ſunt* ut cap. 2. probavimus. Cùm igitur Chriſtus tanquàm bonus Magiſter, ſtatim poſt reſurrectionem ſuam, omnes diſcipulos in unum collegerit, inviſerit, præſentiâ ſuâ, convictu inquam, atque donis Spiritûs ſancti locupletarit: Joannis 20. 21. & Lucæ 24. profectò nihil opus habuerunt, ut in fide à S. Petro confirmarentur. At verò ſi nomen fratrum amplietur, & ad quoſcumque fideles extendatur, nemini Catholico dubium eſſe poteſt, quin B. Petrus facultatem illos confirmandi habuerit, quia hoc illi cum Primatu delatum eſt, cap. 16. Mathæi, & Joannis ultimo. Quare inter nos & adverſarios, tantùm pugna eſt de nomine, non de reipſa, & natura facultatis conceſſæ Petro cum primatu. Hîc ergo ſolùm diſputatur, quoſnam Chriſtus Lucæ 22. intellexerit, quando dixit Petro *confirma fratres tuos*: Ego autem urgeo ad literam, Apoſtolos atque diſcipulos Domini propter ſcandalum crucis titubantes præcisè intelligi oportere: & facultatem omnium Fidelium confirmandorum, non tantùm B. Petro, ſed omnibus etiam Apoſtolis atque Epiſcopis proportionatim & reſpectivè competere: *quia confirmare fratres, nihil aliud eſt, quàm actus Hierarchicos exercere, illuminando per doctrinam, purgando per pœnitentiam, & perficiendo adminiſtratione reliquorum Sacramentorum, &c.* Hoc impugnent ſi poſſunt importuni convitiatores, abſque cavillis.

CAPUT VIII.

Frequens celebratio Conciliorum eſt ſimpliciter & abſolutè neceſſaria ad Eccleſiam meliùs ſanctiùſque regendam, & quo in caſu bullæ, ac decretales ſummorum Pontificum obligent.

QUINTUM principium, indicat frequentem celebrationem Synodorum, abſolutè & ſimpliciter neceſſariam eſſe ad Eccleſiam meliùs ſanctiùſque regendam, quia ut docet Ariſtoteles in politicis, lege, quam abſoluto unius imperio gubernari multò præſtat: quoniam lex, inſtar Dei, amore, irâ, odio, aliiſque affectibus humanis caret: Vndè in actis Conciliorum hujuſmodi formulæ crebrò occurrunt, *præter canonem, abſque canone, contra canones, vel ex canone aliquid agere*: quibus formulis declaratur, Eccleſiam canone regi debere: & antiquitùs nihil quicquam abſque concilio & moderatione ariſtocratica ſtatutum fuiſſe. Hinc factum legimus, ut Galliarum Epiſcopi, Nicolao Papæ ſcripſerint, decretales & bullas Romanorum Pontificum, nequaquam obligare, niſi canonum diſciplinis, & Conciliis antè receptis atque approbatis, eſſent conformes: *canone ſi Romanorum*, diſt. 19 quo ſimiliter referri debet *canon Omnia 25. quæſt.* 1. Conſulendus Flodoardus lib. 3, c. 21. pag. 231. quem auctorem Pater Sirmondus Societatis Jeſu nuper publici juris fecit. Quandoquidem, Romanus Pontifex, qui eſt caput miniſteriale, univerſalem Eccleſiam, inconſultam, diſſentientem, invitam, vel inauditam, obligare nequit: *quia tum leges inſtituuntur cùm promulgantur, firmantur, cùm moribus utentium approbantur, diſt. 4. can. in Iſtis*: & in hoc, Eccleſiæ catholicæ libertas, ſeu regimen ariſtocraticum maximè verſatur atque expeditiſſima & ſuaviſſima eſt ratio ſchiſmatum ſarciendorum. Quo fultus principio Hincmarus Archiepiſcopus Rhemenſis doctiſſimus, Hinc moro Ludunenſi Epiſcopo nepoti ſuo reſpondet, decretales epiſtolas Pontificum, quas antè Synodum Nicænam editas perhibent, exiguæ eſſe fidei, propterea quòd ſacris canonibus minimè concordarent: videndus idem Flodoardus lib. 3. cap. 22. fol. 243. verſo, & fol. 244. recto. Iſthinc autem planè dignoſcitur, quo jure majores noſtri galli uſi fuerint.

Digitized by Google

DEMONSTRATIO

CAPITIS VIII.

1. *Teſte Bellarmino, celebratio Synodorum eſt medium ordinarium & neceſſarium à Chriſto inſtitutum, ad omnes Eccleſiæ controverſias definiendas : & quidnam ſit definire ex Cathedra.*

2. *Quâ ratione Richerius dixerit, præſtare legibus quàm abſoluto unius imperio gubernari, & de Bellarmini ſententia in eam rem.*

3. *Genuinus ſenſus canonis Si Romanorum, diſtinct.* XIX. *& quo in caſu Bullæ atque decretales Romanorum Pontificum vim habeant obligatoriam.*

4. *Auctore Bellarmino, Epiſtolas Pontificum Romanorum, quæ ante Synodum Nicanam ſcriptæ perhibentur, non indubitatas, nec erroribus vacuas eſſe.*

I. QUATUOR ſunt præſertim in hoc capite quæ explicationem noſtram flagitant : primum, quare dictum ſit à Richerio, *frequentem celebrationem Synodorum abſolutè & ſimpliciter neceſſariam eſſe, ad Eccleſiam meliùs ſanctiùſque regendam* : quæ propoſitio ſatis demonſtratur probatione hujus principii : ſcilicet, *Claves architectonicè, & per dominium toti datas eſſe Eccleſiæ, ut ab uno miniſterialiter exequutioni mandentur* : ſive quod eòdem redit, *ſtatum Eccleſiæ eſſe Monarchicum Ariſtocratico regimine temperatum* : de qua re ſupra ampliùs : addo ipſummet Bellarminum libro primo de Conciliis & Eccleſia cap. undecimo, omnem dubitandi occaſionem de ariſtocratico Eccleſiæ regimine etiam ſcrupuloſiſſimis quibuſque, his decem propoſitionibus evellere : Prima, *quamvis inquit generalia Concilia non ſint abſolutè neceſſaria, tamen Concilia aliqua ſive generalia, ſive particularia, omnino ſunt neceſſaria ad bonam Eccleſiæ gubernationem.* Secunda, *Pontifex in rebus fidei dijudicandis, neque ſuo ſoli judicio fidere, neque expectare divinam revelationem, ſed adhibere diligentiam quantam res tanta poſtulat, & ordinaria media, & tum demum expectare debet aſſiſtentiam Spiritus ſancti, & directionem divinam.* Tertia, *medium ordinarium & neceſſarium eſſe Concilium magnum aut parvum, unum vel plura, prout ipſe judicaverit Pontifex.* Quarta, *hæc verba Mathæi* XVIII. *ubi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, illic ſum in medio eorum, intelligi de Synodo.* Quinta, *licèt Apoſtoli poſſent ſeorſim ſinguli definire controverſias, tamen ne viderentur negligere medium ordinarium à Chriſto demonſtratum, noluiſſe definire controverſiam de legalibus ſine Concilio, Actorum* 15. Sexta, *hanc ſemper fuiſſe conſuetudinem & praxim totius Eccleſiæ omnibus ſæculis ſervatam, ut ad res dubias explicandas, Concilia Epiſcoporum haberentur.* Septima, *ipſos Pontifices Romanos, nullam unquam hæreſim novam ſine novo Concilio damnaviſſe.* Octava, *quod ſemper eſt ab omnibus factum, quis negare audebit dici poſſe & eſſe revera ordinarium?* Nona, *Patres* XI. *Concilii Toletani docere, ſi concilia deſint, neceſſe eſſe omnia vitiis atque erroribus continuò repleri* Decima, *etſi poſſet Deus per abſolutam potentiam ſine Conciliis Eccleſiam conſervare, tamen ſecundùm ordinariam providentiam ejus eſſe neceſſaria ad bonam Eccleſiæ gubernationem.* Hucuſque Bellarminus, clarè demonſtrans quidnam ſit *definire ex Cathedra* : his enim propoſitionibus, privatos motus, atque oligarchicum Concilium planè exterminat.

II. Secundò flagellor à M. Andræa Vallio, quia poſt Ariſtotelem dixi, *multo magis lege, quam abſoluto unius imperio gubernari præſtare* : Verùm neque ego, neque ipſe Ariſtoteles, legis nomine legem mortuam intelligimus, ſed eam ipſam quam Princeps adhibito maturiſſimo ſapientum conſilio defixit. Vndè cùm ejus ſit de lege diſpenſare, cujus eſt le-

gem condere, relinquitur neceſſariò ad eundem ſpectare Principem, ut pro Reipublicæ bono, de legibus vel à ſe, vel à majoribus latis, prudenter diſpenſet : eaſque, ſi res poſtulet, aliquando immutet, cùm ipſe ſit animata lex. Neque hæc mea eſt, aut ſolius Ariſtotelis, ſed omnium Philoſophorum atque Theologorum conſtans ſententia, teſte B. Thomâ primâ ſecundæ, quæſt. 95. primò ad ſecundùm, & fusè à Bellarmino explicatur, lib. de laicis capite decimo, cujus propoſitiones hîc ſigillatim exſcribam. " Quòd melius ſit populum regi " legibus quàm ſolo Principis arbitrio, imò quòd ſit hoc aliquo modo neceſſarium, affirmat " Ariſtoteles 3. Politic. cap. 11. inquit Bellarminus : & probatur primò, quia facilius eſt " invenire unum vel duos bonos & ſapientes principes, quàm plurimos. Si Reſpublica re- " gi debet arbitrio boni Principis, indigebit infinitis bonis Principibus, quorum unus alteri " ſuccedat : at ſi gubernetur legibus, ſufficit ſemel fuiſſe aliquos vel unum ſapientem qui legem " fecerit. Secundò, qui leges condunt multi ſunt, & diligenter eas examinant : at Princeps " eſt unus : & ſæpe repentè judicare debet. Tertiò, qui leges fecerunt ſine amore vel odio " judicaverunt, Princeps de præſentibus judicat, ubi locum habent amici, propinqui, mune- " ra, terrores, &c. Undè judicium legum, eſt judicium ſolius rationis : judicium hominis " eſt judicium rationis, & libidinis, id eſt hominis & beſtiæ. Quartò judicium Principis, " etiamſi rectiſſimum ſit, vix unquam caret ſuſpicione invidiæ, maledictis, &c. At judi- " cium legis his omnibus caret, quippe quod ſcitur non poſſe corrumpi muneribus. Quin- " tò, gubernatio per leges poteſt longiſſimo tempore eadem perſeverare : atque judicia homi- " nis ſæpe mutantur. Sextò gubernatio per leges poteſt reduci ad artem & faciliùs effici, non " autem gubernatio ad arbitrium Principis. Septimò, melior eſt gubernatio Principis per ſe " quàm per Vicarios : at gubernatio ſine legibus neceſſariò requirit multos vicarios, qui om- " nes ad arbitrium ſuum judicent. Quando autem per leges gubernatur, ipſe Prin- " ceps omnia per ſe judicare cenſetur, cùm ejus legibus judicatur. Hucuſque Bellarminus, cujus rationes, ſi locum in politia ſæculari, ut reverà habent, (nam verbi gratiâ in Galliis totum Regnum regiis ſanctionibus, atque legibus municipalibus ſingularum provinciarum gubernatur) ſanè multò magis obtinere debent in Eccleſia, quando ejus regimen eſt ſpirituale, & Ariſtocratiâ temperatum, ut cap. 3. & 6. probavimus.

III. Tertiò, quoniam ego aſſerui, *Eccleſiam canone, non abſolutâ poteſtate gubernari : & in antiquis Conciliis, paſſim has & ſimiles formulas eam ob rem occurrere, præter Canonem, abſque Canone, contra Canones, vel ex Canone aliquid agere : eâque de cauſâ Galliæ Epiſcopos ſcripſiſſe Nicolao primo, Decretales, & Bullas Romanorum Pontificum, nequaquàm obligare, niſi canonum diſciplinis, & Conciliis ante receptis, atque approbatis conformes eſſent, can. Si Romanorum diſtinct.* 19. Adverſarii vociferantur, me falsò hunc canonem proferre : cùm Nicolaus Papa ibidem nominatim aſſerat, Decretales Romanorum Pontificum, quanquàm Codice canonum minimè contineantur, vim habere obligatoriam : ſed contra rependo, Nicolaum, dicto canone *Si Romanorum*, hoc quidem velle perſuadere Galliarum Epiſcopis, quorum exceptio atque reſponſio memorato canoni inſerta legitur, ſicque à Nicolao refertur : *Quamquàm quidam veſtrùm ſcripſerunt, haud illa decretalia priſcorum Pontificum in toto canonum Codicis corpore contineri deſcripta.* Et aliquantò poſt. *Si ideò non eſſe decretales Epiſtolas priſcorum Pontificum Romanorum admittendas dicunt, quia in Codice canonum non habentur adſcriptæ, &c.* Quibus ex verbis colligitur, Galliæ Epiſcopos cenſuiſſe Decretales Romanorum Pontificum non obligare, niſi Conciliis & canonibus receptis, atque ipſo Codice canonum contentis congruerent : hocque mihi incentivo fuit, ut *Canonem Si Romanorum* laudarem. Accedit præterea, Nicolaum eodem canone, ſtatim initio, docere decreta Romanorum Pontificum, *diſcretione magiſtrâ aſſumi debere*, idque poſtea illo ipſo canone §. *Quoniam*, ad hunc modum ex B. Leone interpretatur. *Quoniam inter ipſos canones, unum B. Leonis Capitulum conſtat eſſe permixtum, quo ita omnia decretalia conſtituta ſedis Apoſtolicæ cuſtodiri mandantur, ut ſi quis in illa commiſerit, noverit ſibi veniam denegari : ait enim capite decimo ſuorum Decretalium, ne quid verò ſit quòd prætermiſſum à nobis fortè credatur, omnia decretalia conſtituta, tam B. recordationis Innocentii, quàm omnium deceſſorum noſtrorum*, quæ de Eccleſiaſticis ordinibus, &

Digitized by Google

canonum promulgata ſunt diſciplinis, *ita à veſtra dilectione cuſtodiri mandamus, ut ſi quis in illa commiſerit veniam ſibi noverit denegari.* Quæ verba Sancti Leonis, Epiſt. 1. ad Epiſcopos per univerſas provincias conſtitutos leguntur, atque explicatè demonſtrant, *Omnia decretalia quæ de Eccleſiaſticis ordinibus & canonum promulgata ſunt diſciplinis, cuſtodiri debere :* quod ipſum pridem ante Damaſus PP. Epiſtolâ IV. docuerat 25. *quæſt.* 1. *Can. Omnia Decretalia, & cunctorum deceſſorum noſtrorum conſtituta, quæ de Eccleſiaſticis ordinibus & canonum promulgata ſunt diſciplinis, ita à vobis, & ab omnibus Epiſcopis, ac cunctis generaliter Sacerdotibus cuſtodiri debere mandamus, ut ſi quis in illa commiſerit, veniam ſibi deinceps noverit denegari.* Quocirca ſenſus integri canonis *Si Romanorum*, non ille eſt quem Gratianus pro lemmate, atque argumento Canonis adſcripſit : *puta non licere alicui Epiſcopo, contra Romanorum Pontificum decreta aliquid agere :* Hoc enim in quæſtione poſitum erat, inter Nicolaum PP. & Galliæ Epiſcopos : profectò nec ipſe quidem Nicolaus hoc abſolutè aſſerit quod Gratianus venditat : ſed tantummodò urget, *Decretales Romanorum Pontificum diſcretione magiſtrâ recipi debere.* Quam clauſulam ego contendo ad mentem Damaſi, & Leonis Magni PP. capi debere : *nimirum, ut decreta Pontificum de Eccleſiaſticis ordinibus, & Canonum promulgata ſint diſciplinis :* ratio eſt, quia tempore illo cùm regimen Ariſtocraticum floreret, Damaſus & Leo gubernabant Eccleſiam, congruenter ad quintum Nicænum, & ſecundum Canonem Conſtantinopolitanum; alioqui certè illorum Epiſtolæ decretales, neque obligaſſent, neque receptæ fuiſſent, ſi quid contra Canones præcepiſſent. Cardinalis Cuſanus lib. ſecundo cap. 9. de Concordantia : " Eccleſiaſtici Canones, ait, non poſſunt niſi per Eccleſiaſticam congregationem, quæ Synodus vel cœtus dicitur ſtatui : & ideò, niſi quicumque ille fuerit, aut Papa, aut Patriarcha, decreta ſecundùm Canones Eccleſiaſticos promulgaverit, non poſſunt illa ſtatuta Canones aut Eccleſiaſtica ſtatuta vocari : & nihil habent firmitatis, cujuſcumque particularis ſtatuta, niſi in quantum per acceptionem & uſum, ſeu conſenſum confirmantur, ſeu Canonibus conſentiunt : undè textus Leonis Papæ, de epiſtolis ſuorum prædeceſſorum 19. diſtinct. cap. Si Romanorum, & Damaſi PP. 25. quæſt. 1. Can. Omnia : loquuntur de Decretalibus, & epiſtolis de Canonum diſciplinis promulgatis. Non volo negare quin virtute & poteſtate divinâ, ac etiam præcepto quo obediendum eſt præpoſitis, & qui ſubjecti eſſe debemus Regibus, ſuperiores ſtatuendi & ordinandi ſecundùm commiſſam curam habeant poteſtatem : ſed dico quòd ſtatutorum obligatorialis virtus, cum hoc requirit conſenſum per uſum & acceptionem : ſtatuta enim Affricana non ligaſſent Gallos, niſi Carolus ab Adriano PP. in duobus breviariis recepta, ea ad Galliam detuliſſet, & ſic Gallia acceptaſſet. *Idem Cuſanus cap. XII. ejuſdem libri.* Illi textus Nicolai PP. Gelaſii, & aliorum, qui dicunt ſub obligatione obligare decreta per Romanum Pontificem promulgata, pro correctione morum, & diſciplina, intelligi debent ſecundùm Hincmarum ſubtiliſſimum Archiepiſcopum Rhemenſem, cujus laudes idem Nicolaus Papa 11. quæſt. 3. Can. Excellentiſſimus extollit, de promulgatis, id eſt, quæ Papa vulgò promit de diſciplinis ſacrorum Canonum, vel ipſius Synodi Apoſtolicæ, quæ ſedes Apoſtolica ſæpe dicitur, cujus Papa os eſt. Idem lib. eodem cap. 20. circa medium. Sic Leo PP. ad omnes Epiſcopos per univerſas provincias conſtitutos de omnium prædeceſſorum ſuorum Epiſtolis dicit, Omnia decretalia conſtituta, tam à beatæ recordationis Innocentio, quàm aliorum omnium prædeceſſorum, quæ de Eccleſiaſticis ordinibus, & canonum promulgata ſunt diſciplinis, ita veſtram dilectionem cuſtodire debere mandamus, ut ſi quis in illa commiſerit, veniam ſibi deinceps noverit denegari, XIX. diſtinct. cap. Si Romanorum : ſimiliter loquitur Damaſus PP. ut habetur 25. quæſt. 1. can. Omnia, & Hincmarus contra Laudunenſem hanc Epiſtolam pertractans, dicit, advertendum quòd promulgare, eſt vulgò promere : & non dicunt illi Pontifices de ſimplici legum vel canonum promulgatione, ſed de decretalibus de canonum diſciplinis promulgatis : *undè quando obviant canonibus, potiùs canonibus eſt obediendum*, diſtinct. 19. can. ita Dominus, verſu hoc autem, & can. ſecundum, verſu quia ergo : ubi probantur majoris eſſe auctoritatis veteres canones, quàm Romanorum Pontificum decretales obviantes canonibus : " hæc Cuſanus.

Digitized by Google

IV. Quartò, me virulenter ſuggillant quòd ego ſcripſerim, *Epiſtolas decretales quæ ante Synodum Nicænam ſcriptæ perhibentur, eſſe fidei exiguæ, & propterea quòd ſacris canonibus pro Ariſtocratico regimine ſanciendo latis minimè concordent* : cujuſmodi ſunt Epiſtolæ quæ B. Clementi, Anacleto, & aliis Pontificibus tribuuntur : has autem tantùm ponderis habere pugno, quantùm Nicænis canonibus conſentiunt : ratio eſt, *quoniam Patres Nicæni diſciplinam retrò actis temporibus ſervatam, & deinceps in tota Eccleſia ſervandam magna ex parte in canones retulerunt.* Conſtat autem primis quadragentis annis poſt partum virginis regimen Ariſtocraticum, & jus commune, ſtrictè accuratèque in tota Eccleſia, ſicut quatuor primis generalibus Conciliis conſignatur, ſervatum. Quî ergo fieri potuit, ut Epiſtolæ quæ Pontificibus Romanis, qui Synodum Nicænam præceſſerunt, adſcribuntur, uſum aliquem habuerint, quando nobis parum atque abſolutum regimen monarchicum exhibent, quale poſt nonum ſeculum Chriſti increbuit. Proculdubio tametſi Cardinalis Bellarminus ejuſmodi Epiſtolas omninò ſartas-tectas cupiat, nihilominus eas ab erroribus liberas, atque indubitatas aſſerere non audet lib. ſecundo de Romano Pontifice capite decimo quarto. *Quamvis aliquos errores in eas irrepſiſſe non negaverim, nec indubitatas eſſe affirmare audeam, certè tamen antiquiſſimas eſſe non dubito, inquit.*

CAPUT IX.

Quouſque plenitudo poteſtatis Papæ ſe extendat, & quo in caſu Papa de canonibus Conciliorum diſpenſare valeat,

SExtum, plenitudinem auctoritatis Pontificiæ definit primò ad Eccleſias particulares per mundum diſperſas, ſed nequaquam ad Eccleſiam univerſalem in Concilium congregatam : ſecundò, ad executionem, interpretationem & diſpenſationem, minimè verò ad inſtitutionem canonum, niſi per ſe aut per legatos ſuos concilio præſideat, atque omnium Patrum ſuffragia & conſenſum ſubducat, ut capite 6. docuimus. At eo ſolùm in caſu Papa de Synodorum decretis diſpenſare poteſt, quo ipſummet concilium, ſi eſſet congregatum, diſpenſaret : idque Zozimi Papæ ſententia capite 6. laudata confirmat, & Leo primus 25. *quæſt.* 2. *can.* 2. *privilegia* : *Diſpenſatio*, inquit, *nobis credita eſt, & ad noſtrum tendit reatum, ſi paternarum regulæ ſanctionum, nobis conſentientibus, vel negligentibus, violentur* : Divus Bernardus 3. ad Eugenium cap. 10. *Quid inquis, prohibes diſpenſare? non, ſed diſſipare : non ſum tam rudis ut ignorem poſitos vos diſpenſatores, ſed in ædificationem, non in deſtructionem. Denique quæritur inter diſpenſatores ut fidelis quis inveniatur : ubi neceſſitas urget, excuſabilis diſpenſatio eſt : Vbi neceſſitas provocat diſpenſatio laudabilis eſt, utilitas dico communis, non propria.* Cæterum in his duobus articulis, quos hoc proloquio complexi ſumus, ſtatus monar-

Digitized by Google

chicus Eccleſiæ, ſivè plenitudo juriſdictionis papalis potiſſimum conſiſtit : non autem in abſoluta poteſtate, quam contra jus divinum & naturale, plerique recentiores in Eccleſiam invehere nituntur. Profectò octingentis atque ampliùs annis, hoc eſt ante imperii tranſlationem ad Francos, Romani Pontifices ſeſe tantummodò ultores, ſivè exequutores canonum prædicabant : lapſu demum temporis, cùm omnes Chriſtianæ nationes ſummis ignorantiæ tenebris conſopitæ detinerentur, abſolutam auctoritatem omnia decernendi collegerunt ; præcipuè à Gregorii VII. temporibus : cujus vitam ab Onuphrio ſcriptam, hiſtoriæ ſtudioſi evolvent : prætereaque obſervabunt, Papam regulariter & ordinariè jus habere convocandarum Synodorum generalium, quatenùs poteſtatem habet ſuper Eccleſias particulares diſgregatas per orbem terrarum.

Summa hujus diſputationis eſt, à ſtatu monarchico Eccleſiæ, unitatem, ordinem, cum efficaci exequutione canonum procedere : à regimine autem ariſtocratico, ſanctiſſimum conſilium, atque infallibilem providentiam & deciſionem, quâquidem reſpublica Chriſtiana in perpetuam ædificationem, & non in deſtructionem gubernatur.

DEMONSTRATIO

CAPITIS IX.

1. *De objecto & plenitudine poteſtatis Papæ.*

2. *De legum natura, à quibuſnam ferri poſſint, & quatenus vim habeant actualem obligandi.*

3. *De hac formula definiendi in Conciliis ſæculo Gregorii VII. inventa :* Nos ſacro *approbante Concilio decernimus, &c.*

I. HOc capite diſputatur quare ſtatus aut Principatus Eccleſiæ dicatur monarchicus : ſeu qua in re plenitudo poteſtatis Papæ verſetur : idque à triplici cauſa ducitur : prima, quoniam Pontifex ratione primatus poteſtatem ſuper Eccleſias particulares per mundum diſperſas obtinet, ut eas ſecundùm jus divinum, naturale, & canonicum gubernet : (ſicut eſt à Patribus Conſtantienſis Synodi definitum ſeſſ. 8 & à nobis ſupra explicatum cap. 4. & 5.) Profectò ratione primatus, Papa ſingularibus Eccleſiis mandat, ut ſe ad Synodum generalem congregent : in qua etiam jus habet præſidendi, atque inito & ſubducto ſuffragiorum numero, juxta leges Ariſtocratici regiminis, omnia ſtatuta concludendi : & hæc prima eſt regula plenitudinis poteſtatis Papæ : Secunda verò ut juridicè atque auctoritativè legem divinam, naturalem, & canonicam interpretetur, necnon etiam ut de canonibus Conciliorum generalium, eo in caſu diſpenſet, quo ipſum Concilium, ſi eſſet congregatum, diſpenſaret, nempe pro communi Eccleſiæ non privatorum bono.

II. Tertia, ut neceſſitate poſtulante, quia non ſemper haberi poteſt Concilium, leges aut

Digitized by Google

canones condat in actu primo : actus autem ſecundus, id eſt formalis & actualis cauſa obligandi, Eccleſiæ conſenſu dependet : ratio eſt, quoniam canones aut leges Eccleſiaſticæ non ab uno Epiſcopo privatim, ſed ab Eccleſia verè aut interpretativè, explicitè aut implicitè conduntur. Ex quo ſit, ut Papa Chriſtianos ullâ lege aut conſtitutione obligare nequeat, ſeclusâ Eccleſiæ approbatione. Quamobrem, clerus Romanus epiſtolâ trigeſimâ primâ inter Cypriani epiſtolas ſcribit, *firmum decretum eſſe non poſſe, quod non plurimorum videbitur habuiſſe conſenſum.* Quæ ut magis liqueant, operæ pretium eſt notare omnem legem, ut à principe manat, poſſe duobus modis conſiderari, *nimirum quoad eſſe, & operari : ſeu in actu primo, & ſecundo.* Cæterum eſſentia & actus primus legis eſt, ſubditis imperare, quatenùs aliquid faciant aut non faciant : quare primò legem ab eo condi neceſſe eſt, qui jus & poteſtatem habeat imperandi : alioqui ſcita & imperata nomen aut naturam legis nullo modo merentur : unde etiam inter ſapientes percrebuit, tantumdem de alicujus Principis auctoritate vel poteſtate, quantùm & de jure licitum ambigere. Porrò ubi lex eſt à Principe legitimo condita, ejuſdem pariter auctoritate illam promulgari oportet : quæ duæ conditiones, *nimirum condere, & promulgare legem, ad eſſentiam aut primum actum legis pertinent.* At ſecundus actus, & exiſtentia legis eſt, ut præceptum vel imperium impleatur, atque in hominum mores tranſeat : itaut lex à Principe lata & promulgata, reverà populum gubernet : quod ut fiat, legem à populo approbari atque recipi neceſſe eſt : propterea quòd Princeps non deſpoticè ſubditis ut belluis aut mancipiis, ſed regiè tanquàm parens liberis, congruenter ad jus divinum & naturale, imperare debet : quando teſte Ariſtotele in Politicis, *naturæ repugnat aliquam eſſe rempublicam ſervorum.* Omnibus enim hominibus eſt inditum à natura, ut liberi & beati eſſe velint. " Quocirca omnes leges juri naturæ uſquequaque " congruere, hoc eſt, juſtæ, honeſtæ, poſſibiles, neceſſariæ, utiles, ſecundùm naturam, & " patriæ conſuetudinem, loco, temporique convenire debent : diſtinct. 4. can. erit, & can. " in iſtis §. tum leges inſtituuntur, cùm promulgantur, firmantur cùm moribus utentium " approbantur. Ex quo fit ut Theologi doceant, " pacem, charitatem, atque dilectionem, " finem eſſe, & propoſitum omnis præcepti, & legi cap. 13. ad Romanos verſu 10. atque tria eſſe neceſſaria ad eſſentiam & perfectionem legis : *videlicet auctoritatem in eo qui legem condit, promulgationem legis : & receptionem aut approbationem per uſum.* Hæc autem ſi in politicis legibus, ut reverà ſunt neceſſaria, quantò magis in Eccleſiaſticis : cùm Eccleſiæ regimen ſit Ariſtocraticum, & Eccleſia miniſteriali ſpirituali poteſtate tantùm polleat, atque animis duntaxat præſit, non autem corporibus per vim externam & gladium materialem, ut princeps politicus, imperet. Quamobrem Eccleſiaſtici, Chriſtianos ſibi ſubditos, inconſultos, invitos, diſſentientes, aut repugnantes obligare nequeunt, " diſtinct. 4. can. deni- " que §. hæc etſi legibus conſtituta ſunt, tamen quia communi uſu approbata non ſunt, ſe " non obſervantes tranſgreſſionis reos non arguunt, &c. Gerſonius de poteſtate Eccleſiaſtica conſider. 4. " Eccleſia poteſt condere leges obligantes & regulantes etiam ipſum Pa- " pam, tam quoad perſonam, quàm reſpectu uſus poteſtatis : non ſic è contra poteſt Papa " judicare totam Eccleſiam, vel uſum ſuæ poteſtatis limitare, imo ſi Papa condat leges & " canones, videtur obſervandum illud quod ſententialiter dicit Auguſtinus ; leges inſtituun- " tur cùm promulgantur, firmantur cùm moribus utentium approbantur : hoc enim dicitur " ad reprimendam præſumptionem quorumdam ſummorum Pontificum, vel eis adulantium, " qui videntur voluiſſe debere ſervari pro regula immutabili de Papa reſpectu totius provin- " ciæ vel totius Eccleſiæ, quod placuit Principi legis habet vigorem : quaſi nullum ſuper- " eſſet examen ſupremum. Jacobus Almainus cap. 7. de auctoritate Eccleſiæ. Si ſummus " Pontifex habeat juriſdictionem ſuper totam Eccleſiam categorematicè : ergo poterit in il- " lud totum etiam invitum, aliquam juriſdictionem exercere : conſequentia patet, quia " poteſtas juriſdictionis fori exterioris in invitum exerceri poteſt : & falſitas conſequentis " probatur : Non poteſt illud totum categorematicè excommunicare aut interdicere, ut no- " tum eſt nec ad aliquid ipſo renitente illud obligare, ut patet per illud Auguſtini, leges " inſtituuntur cùm promulgantur, firmantur cùm moribus utentium approbantur, can. in iſtis. Ne ſim longior hunc articulum unius Azorii Theologi ſocietatis ſententiâ tomo priore inſti-

Digitized by Google

rutionum Moralium libro quinto cap. quarto definiam. " Communis eſt canonici & civilis juris interpretum opinio, inquit, ut teſtantur Abbas, & Felinus capite primo de Treuga " & Pace, legem uſu non receptam vi carere, quamvis ſit auctoritate Principis conſtituta, & " legitimè promulgata : quæ ſententia eſt juri canonico & civili conſentanea. Hæc ille, qui " nobis inſtar omnium recentiorum eſſe debet. Quocirca relinquitur Papam non poſſe leges dare Eccleſiæ ſecluſo Eccleſiæ conſenſu : *atque hunc conſenſum canoni univerſali æquipollere* : conſequenter, rectè dictum à Richerio *Eccleſiam canone, non abſolutâ poteſtate gubernari.*

III. At verò me immaniter flagellant adverſarii, " quòd ſcripſerim Romanos Pontifices lapſu temporis, cùm omnes Chriſtianæ nationes ſummis ignorantiæ tenebris conſopitæ de- " tinerentur, abſolutam poteſtatem omnia decernendi collegiſſe, præcipuè à Gregorii VII. " temporibus. " Sed excipio me hâc clauſulâ nihil aliud voluiſſe, quàm tempus indicare, quo Ariſtocraticum in purè monarchicum regimen degeneravit. Enimverò, cum anteactis temporibus omnia Concilia explicitâ dictione ſententiæ Patrum ſingulorum celebrarentur, atque etiam omnium ſubſcriptionibus & ſyngraphis robur haberent : tandem rudibus ſæculis, poſt ruinam Eccleſiæ, atque Imperii Orientalis, Pontifices Romani omnia decreta condiderunt, eaque Conciliis approbanda ſub hac formula propoſuerunt. " Nos ſacro approbante, conſentiente, vel ſuadente Concilio decernimus, ſtatuimus, præcipimus, &c. " Quare Cardinalis Alliacenus de Eccleſiæ auctoritate parte tertiâ cap. ſecundo quærit," an uni & ſoli Romano Pontifici competat facultas definiendi ſub hac forma : Nos ſacro approbante Concilio " decernimus, &c. aut etiam ſub hac alia, ſacro ſanctum Concilium damnat, &c. dicit " autem non eſſe quæſtionem inutilem & utramque formam in decretis generalium Conci- " liorum reperiri : ſed priorem reperiri in multis conſtitutionibus Synodalibus, & maximè " in juribus novis : poſteriorem verò eſſe antiquiorem, & convenientiorem, & Theologiæ " magis conſonam : quia in actibus Apoſtolorum, auctoritas definiendi attribuitur Conci- " lio & non ſpecialiter Petro, ubi dicitur placuit nobis collectis in unum, &c. Et B. Grego- " rius 15. diſtinctione Can. ſicut : ubi dicit ſe quatuor Concilia ſicut ſancti Evangelii qua- " tuor libros venerari : ſubdit cauſam, quia univerſali conſenſu conſtituta ſunt : undè vi- " detur ſequi, quòd auctoritas definiendi maximè in materia fidei pertineat ad Concilium " generale, &c. " hæc Alliacenus. Quod autem inferunt adverſarii, ex hac mea ſententia ſequi *Eccleſiam ſupinâ laboraſſe ignorantiâ, continuòque defeciſſe* : eis abſolutè negatur : etſi enim Chriſtianæ nationes ſummis ignorantiæ tenebris conſopitæ detinerentur, tamen quidquid in mundo lucis & litterarum totum fermè penes Eccleſiaſticos erat : Deuſque nunquam Eccleſiæ Catholicæ defuit in neceſſariis.

C A P U T X.

Quanquam Eccleſia unicum habeat caput eſſentiale, nihilominus in ratione exercitii, atque exequutionis regiminis, à Papa & à Principe politico differenter gubernatur.

SEPTIMUM, docet Eccleſiam ſumptam pro cœtu fidelium, ſivè pro Chriſtiana republica, unico & ſolo capite ac fundamento eſſentiali Chriſto Domino eſſe contentam ; nihilominus, in ratione exercitii atque exequutionis regiminis ejuſdem Chriſtianæ reipublicæ, à duobus, Pontifice ſcilicet, & politico Principe, differenter gubernari, *can. duo*

Digitized by Google

ſunt, diſt. 96. & *can. Principes.* 23. *quæſt.* 5. Congruenter quidem ad præceptum Domini Mathæi 22. *Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari : & quæ Dei Deo.* Hoc enim quaſi mutuo obligationis & benevolentiæ vinculo, Eccleſiam cum politia ſeculari colligari voluit Dominus : ne Principes & Eccleſiaſtici inter ſeſe digladiarentur. Quam ſalutarem diſtinctionem qui ignorant, diſſimulant, aut confundunt, in maximos & periculoſiſſimos ſcopulos alliduntur, atque Eccleſiaſticos Principibus politicis ſuſpectos reddunt, quaſi novis rebus ſtuderent.

DEMONSTRATIO

CAPITIS X.

De duplici Eccleſiæ regimine, & Papam eſſe Dei Vicarium in ſpiritualibus : Principem verò politicum in temporalibus, ad juris divini, naturalis, & canonici conſervationem, & exequutionem.

NOVEM primis capitibus libelli de Eccleſiaſtica & politica poteſtate, ego ſigillatim & ſeorſim de Eccleſiaſtica auctoritate, *deque interno Eccleſiæ regimine diſſerui*. his quatuor proximè ſequentibus, à decimo ad decimum quartum, mixtim & conjunctim de utraque poteſtate in ordine ad gubernationem Chriſtianæ reipublicæ agitur : quatenus Eccleſia in ſtatu politico, tanquàm in ſubjecto & domicilio, habitat. Verum hoc capite demonſtravimus *duplex eſſe regimen Eccleſiæ : alterum internum & merè ſpirituale, ſolis Eccleſiaſticis proprium : alterum externum & mixtum, quod etiam poteſt Principi politico competere.* Enimverò, ſicut Papa in ſpiritualibus, ita princeps politicus eſt Dei vicarius in civilibus & temporalibus : & uterque ſuo modo, conformiter ad naturam ſuæ poteſtatis, vindex eſt juris divini, naturalis, & canonici. Cùm ergo utraque poteſtas cautis eſſentialibus diſtinguatur, neutra quidem in alterius fines ac terminos debet invadere : ſed quiſque Principum ſibi mutuò, amicè, & concorditer auxiliari tenentur, irrogando pœnas ſuæ auctoritati proportionatum reſpondentes : Papa quidem ſpirituales ſecundum actus hierarchicos : (quoniam Eccleſia nimis non corporibus & temporalibus præeſt jure divino : ideòque vim, ſanguinem, & coactionem externam neſcit) Rex autem temporales & corporales pœnas, quia ejus eſt corporibus imperare, manum & vim externam cohibere, ac territorium tueri : quem in finem, dominium atque uſum gladii materialis à Deo poſſidet, Rom. 13. & cap. 11. libelli hujus : Vndè Leo magnus Epiſtolâ 33. editionis Romanæ & 23. quæſt. 5. can. " Res humanæ aliter tutæ eſſe non poſſunt, niſi quæ ad divinam confeſſionem per-
" tinent, & Regis, & ſacerdotalis defendat auctoritas, *Anaſtaſius PP. ad Imperatorem Anaſtaſium :* " Pectus Clementiæ veſtræ ſacrarium eſt publicæ felicitatis, ut per inſtantiam ve-
" ſtram, quem *velut vicarium Deus* præſidere juſſit in terris, Evangelicis Apoſtoliciſque
" præceptis non durâ ſuperbiâ reſiſtatur, ſed per obedientiam, quæ ſunt ſalutifera complean-
" tur. *Gelaſius Papa* diſtinct. 10. can. Quoniam idem mediator Dei & hominum homo Chri-
" ſtus Jeſus, ſic actibus propriis & dignitatibus diſtinctis officia poteſtatis utriuſque diſcrevit
" propria, volens medicinali humilitate hominum corda ſurſum efferri ; non humanâ ſuper-
" biâ in inferna demergi : & ut Chriſtiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indige-
" rent, & Pontifices pro curſu temporalium tantummodò rerum imperialibus legibus uteren-
" tur : quatenùs ſpiritualis actio à carnalibus diſtaret incurſibus : & ideò militans Deo, minimè

Digitized by Google

nimè ſe negotiis ſæcularibus implicaret : ac viciſſim non ille rebus divinis præſidere vide- "
retur, qui eſſet negotiis ſæcularibus implicatus. *Item Gelaſius* diſtinct. 96. can. duo ſunt "
quippe Imperator, quibus principaliter mundus hic regitur, auctoritas ſacra Pontificum, "
& regalis poteſtas, in quibus tantò gravius pondus eſt ſacerdotum, quantò etiam pro ipſis "
regibus hominum in divino ſunt reddituri examine rationem, &c. " Iſidorus Hiſpalenſis
libro tertio de ſummo bono cap. 53. laudaturque in Synodo Pariſienſi ſub Ludovico & Lothario
Imperatoribus, lib. ſecundo cap. ſecundo. " Principes ſæculi nonnunquàm intra Eccle-
ſiam poteſtatis adeptæ culmina tenent, ut per eamdem poteſtatem diſciplinam Eccleſiaſti- "
cam muniant. Cæterum intra Eccleſiam poteſtates neceſſariæ non eſſent, niſi quod non præ- "
valet ſacerdos efficere per doctrinæ ſermonem, poteſtas hoc impleat per diſciplinæ terrorem. "
Sæpe per regnum terrenum cæleſte regnum proficit, ut qui intra Eccleſiam poſiti, contra "
fidem aut diſciplinam Eccleſiæ agunt, rigore Principum conterantur : ipſamque diſcipli- "
nam, quam *Eccleſiæ humilitas exercere non prævalet*, cervicibus ſuperborum " *poteſtas prin-
cipalis* imponat, & ut venerationem mereatur, virtutem poteſtas impertiat. Cognoſcant "
Principes ſæculi Deo ſe debere rationem reddere, propter Eccleſiam quam à Chriſto tuen- "
dam ſuſcipiunt : nam ſivè augeatur pax, & diſciplina Eccleſiæ per fideles principes, ſivè "
ſolvatur, ille ab eis rationem exiget, qui eorum poteſtati ſuam Eccleſiam credidit. " Quem
locum Iſidori Burchardus, Ivo Carnotenſis, & Gratianus in ſuas collectiones canonum con-
jecerunt 23. *quæſt. 5. can. Principes.* Porrò ſumma iſtorum teſtimoniorum ad quatuor redit
capita : primum Eccleſiaſticam & politicam poteſtatem immediatè à Deo manare, atque naturâ
& cauſis eſſentialibus à ſe invicem diſtingui : Alterum ſacerdotes, quoniam animis præſunt,
non corporibus per vim & coactionem externam imperant, nihil jure divino primario habe-
re præter doctrinæ adminiſtrationem, & cæteros actus hierarchicos, quibus pervicaces in gy-
rum rationis deducant : Tertium Principes politicos tanquàm Dei Vicarios, jurisque divini,
naturalis, & canonici exequutores, atque Eccleſiæ defenſores conſtitui : Quarum ubi ſacer-
dotes quæ ſui ſunt muneris obierunt, tum politicam poteſtatem illis ſubſidio eſſe debere : " ut
quod ſacerdos atque Eccleſiæ humilitas per doctrinæ ſermonem, & actus hierarchicos ef- "
ficere nequit, hoc cervicibus ſuperborum poteſtas principalis imponat : " ſervato nimirum
temperamento parabolæ zizaniorum Matth. 13. Verùm quod dixi politicam poteſtatem, id
eſt jus meri imperii, eſſe immediatè à Deo confirmatur Geneſis nono verſu 6. " Quicumque
effuderit humanum ſanguinem, effundetur ſanguis illius : ad imaginem quippe Dei fa- "
ctus eſt homo. " Certè nullus præter Deum jus vitæ & necis in homines inſtituere potuit :
qua in re ſupremus apex politicæ auctoritatis, *quem majeſtatem imperii nominant*, verſatur:
hæcque majeſtas, ſicut poteſtas Eccleſiaſtica, eſt poſitivè inſtituta à Deo : Quapropter Re-
ges atque politici Magiſtratus, *contemptibiles eſſe non poſſunt* : quicquid Novatores in politi-
cæ auctoritatis contemptum, contra mentem Apoſtoli prioris ad Corinthios cap. 6. blaterent :
Paulus enim per indignationem factâ comparatione, non dogmaticè & abſolutè loquitur.

CAPUT XI.

Cùm Eccleſia neque territorium, neque jus gladii habeat à Chriſto, & ad finem ſupernaturalem tantùm inſtituta ſit de mediis neceſſariis ad beatitudinem, ſuaſivè tantùm & directivè non coactivè pœnas temporales irrogando, judicat.

SED de hac re ampliùs ſi placet diſputemus : cùm enim lex evangelica vitam æternam pro fine, atque animam humanam pro ma-

Digitized by Google

teria & ſubjecto nativo habeat : tota occupari debet in internis conſcientiæ motibus dirigendis, minimè verò in manu aut vi externa cohibenda, ac proindè judicat de mediis neceſſariis ad beatitudinem, conformiter ad cauſas eſſentiales ſpirituales religionis Chriſtianæ : *hoc eſt ſuaſivè tantùm & directivè, per verbi divini prædicationem, Sacramentorum diſpenſationem, & ſi res poſtulet, per excluſionem ab Eccleſiaſtica communione ope cenſurarum, id eſt armorum ſpiritualium Eccleſiæ :* quæ olim abſque conſilio & moderatione ariſtocratica Presbyterii, de qua capite 5. diſſeruimus, nefas erat diſtringere : idque natura regiminis ariſtocratici exigit : & à quo tempore fieri deſiit, magna Eccleſiaſticæ diſciplinæ conturbatio ſubſequuta eſt, ſicut omnes periti norunt. Verùm, hæc doctrina, partim Eccleſiæ definitione capite 3. tradita, partim etiam multis evidentiſſimis ſcripturæ oraculis fulcitur. Annon Dominus Joannis 18. diſtinctè Pontio Pilato aſſeruerat, *regnum ſuum non eſſe de hoc mundo ?* & Lucæ 9. *vulpes foveas & aves cæli nidos habere, filium autem hominis non habere ubi caput ſuum reclinet ?* Quod idem eſt ac ſi perhiberet, Eccleſiam neque territorium, neque jus gladii, carceris, aut alterius pœnæ corporalis divinitùs habere : anima enim, quæ proprium eſt ſubjectum legis Evangelicæ, interno ſolùm, non externo movetur principio ; atque jus gladii materialis neceſſariò territorium, ſicut effectus cauſam, ſequitur. Hinc evenit, ut Dominus cuidam de turba, qui eum rogabat ut fratrem ſuum impelleret ad dividendam ſecum paternam hæreditatem, reſponderit, *homo quis me conſtituit judicem aut diviſorem ſuper vos ?* Lucæ 12. Quaſi dixiſſet, Eccleſiam, quæ animas hominum non terrena imperia habet pro ſubjecto, de terrenis hæreditatibus ac poſſeſſionibus minimè judicare. Siquidem, *in carne ambulantes, non ſecundùm carnem militamus: nam arma militiæ noſtræ non carnalia ſunt, ſed potentia Deo, ad deſtructionem munitionum, conſilia deſtruentes, & omnem altitudinem extollentem ſe adverſùs ſcientiam Dei, & in captivitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti* 2. Corinthior. 10. Ubi obſervandum venit, corpora materiali quidem gladio cogi atque occidi, intellectum verò nequaquam in obſequium Chriſti captivari : hoc enim ſolo doctrinæ & Sacramentorum pabulo conſequimur. Accedit & caput 3. ad Philippenſes verſ. 20. ubi Apoſtolus perhibet *noſtrum politeuma*, id eſt, Chriſtianam gubernationem, totam *eſſe in cælis, undè Salvatorem Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum expectamus :* idque ita eſſe voluit Dominus, ne Eccleſiaſtici, aut ſævis, aut negotiis ſecularibus ſeſe immiſcerent.

Digitized by Google

Quid præterea D. Bernardum lib. 1. de conſideratione cap. 5. commemorem ? *Non monſtrabunt puto, inquit, ubi aliquando quiſpiam Apoſtolorum judex ſederit hominum, aut diviſor terminorum, aut diſtributor terrarum. Stetiſſe denique ego Apoſtolos judicandos, ſediſſe judicantes non lego, &c. Ergo in criminibus, non in poſſeſſionibus poteſtas veſtra: quoniam propter illa, & non propter has, accepiſtis claves regni cælorum : prævaricatores utique excluſuri, non poſſeſſores. Quænam tibi major videtur dignitas, & poteſtas, dimittendi peccata an prandia dividendi ? ſed non eſt comparatio : Habent hæc infima & terrena judices ſuos, Reges & Principes terræ : quid fines alienos invaditis ?*

Contra hæc divina oracula, meridianâ quidem luce clariora, duo potiſſimum objici video : Primum, Ananiam cum Saphira uxore, morte punitos fuiſſe à B. Petro, ob mendacium factum Spiritui Sancto Actorum 5. Deindè, Apoſtolorum primæ Corinthiorum 6. indicare Chriſtianos, quandiu ſub ethnicis Principibus & magiſtratibus degerunt ſibiipſis judices in cauſis civilibus deligere potuiſſe, *Secularia igitur judicia ſi habueritis*, ait, *Contemptibiles qui ſunt in Eccleſia conſtituite ad judicandum.* Reſpondeo, illud eximium Petri facinus, miraculoſum, extraordinarium, & ſancti Spiritus afflatu factum, ac proindè, ad jus, ordinarium non ſpectare, nihiloque magis trahi poſſe in argumentum, quàm vel caput primum Jeremiæ, *Ecce conſtitui te ſuper gentes, & ſuper regna, ut evellas, & deſtruas, & diſperdas, &c.* vel locum de duobus gladiis lucæ 22. quandoquidem hæc allegoricè & ſpiritualiter intelligenda ſunt : ab allegorico autem & myſtico ſenſu, validum argumentum duci non poſſe, ipſi etiam pueri norunt. Neque eſt profectò, quod hæc D. Bernardi auctoritas cuiquam religionem faceſſat, cap. 4 libri 4. ad Eugenium, *Converte gladium tuum in vaginam : tuus ergo & ipſe : tuo forſitan nutu, etſi non tuâ manu, evaginandus, uterque ergo Eccleſiæ, & ſpiritualis ſcilicet, gladius & materialis. Sed is quidem pro Eccleſia, ille verò & ab Eccleſia exercendus eſt : ille ſacerdotis, is militis manu, ſed ſanè ad nutum ſacerdotis, & juſſum Imperatoris.* Hæc enim tantùm declarant, Eccleſiam jus habere innuendi, id eſt docendi & ſuadendi, quando Princeps politicus gladio uti debeat ad gloriam Dei : de quâ re capite ſequenti. Certè cùm Eccleſiaſtici vitæ ſanctimoniâ ſplenderent, Principes Chriſtiani, ut omnem injuſtitiæ ſuſpicionem à ſuis incœptis & conſiliis amolirentur, pace & bello Eccleſiaſticorum conſilio jure quidem utebantur : Sed ab eo tempore id meritò facere deſierunt : quo Eccleſiaſti-

Digitized by Google

ci in ſuſpicionem affectatæ monarchiæ temporalis venerunt : de quâ Eugubimus, Bozzius, Carerius, & ipſi Cardinales Bellarminus, atque Baronius libros operoſiſſimè ſcripſerunt. Quæ opinio ſi vera eſſet, tamen ratio & prudentia illos auctores docere debuerat, ut his infeliciſſimis temporibus ſibi ab hujuſmodi ſcriptione temperarent. Secundum argumentum, fallit ab ignoratione elenchi : etſi enim teſtimonia ſacræ ſcripturæ paulò ante laudata apertè convincant Eccleſiam jure divino territorium, jus gladii, & fori contentioſi minimè habere; attamen, non negant, quin jure humano & ex Principum conceſſione illud poſſidere queat : locus autem Apoſtoli, non de divino, *ſed de humano & arbitrario jure loquitur*, puta quando ex mutua litigatorum conſenſione arbitri cooptantur, qui diſſidia & lites ſine ſtrepitu forenſi amicè dirimant : hoc enim facilè animadvertent, qui caput 6. primæ Corinthiorum conſiderarint, & ſine alio quàm veritatis præjudicio legerint.

DEMONSTRATIO

CAPITIS XI.

1. *Cenſuras Eccleſiaſticas, ſicut & leges, poſſe conſiderari in actu primo & ſecundo : neque antiquitus in rem judicatam, ſecluſo Ariſtocratico Conſilio Presbyterii, mitti conſueviſſe.*

2. *Territorium jure divino naturali addictum eſſe civili ſocietati : Eccleſiæ autem ſolo jure humano competere*

1. HOc capite de poteſtate indirecta Eccleſiæ in res temporales diſputatur : verùm quia illi ipſi qui libellum meum cenſurâ inuſſerunt, *declarant ſe Regis atque Regni jura, cum Eccleſiæ Gallicanæ libertatibus, ſalva atque intacta eſſe velle* : & M. Andræas Vallius, ab hac odioſa quæſtione conſultò abſtinuit, nihil video cauſæ cur in præſentiarum de hac re pluribus diſſeram : duo tamen ſunt quæ præſertim explicationem deſiderant : primum, ut verum ſit olim nefas fuiſſe gladium excommunicationis abſque conſilio & moderatione Ariſtocratica Presbyterii in aliquem diſtringere : hoc enim adverſarii graviter in me culpant : quibus ut fiat ſatis eſt obſervandum, quamquàm excommunicatio ſit pœna, & medicina, ſicut ab omnibus Theologis & Canoniſtis appellatur, tamen legis naturam & conditiones ſtrictè æmulari, de quibus ſupra cap. 9. *quamobrem juſta eſſe debet, neceſſaria, poſſibilis, utilis, loco, temporique conveniens, atque pacem & charitatem habere pro fine.* Quæ conditiones & circumſtantiæ ejuſmodi ſunt, ut Ariſtocratici Concilii providentiam meritò deſiderent, quo accuratè & ſigillatim cognoſcantur. Itaque licèt Papa & ſinguli Epiſcopi, quiſque proportionatim & reſpectivè cenſuras in actu primo diſtringere valeant : tamen actus ſecundus aut exercitus, à receptione, quo cenſuræ in uſum & mores populi tranſeunt, formaliter dependet, ſicut obſervatum eſt de legibus cap. 9. Porrò actus primus cenſurarum eſt imperare ut aliquis Eccleſiaſticâ communione excludatur ; atque in eum finem decretum face-

Digitized by Google

re, & promulgare, hocque à ſolis Epiſcopis abſque temperamento Ariſtocratico fieri poſſe nemo ambigit : ſed cenſuras ſic latas aut promulgatas actu & reverà obligare, antequàm communis Eccleſiæ, & præſertim totius Presbyterii conſenſus acceſſerit, planè negatur. Almainus capite VII. de Eccleſiæ auctoritate : "Petrus & quilibet ejus ſucceſſor, ait, *utitur clavibus vice Eccleſiæ univerſalis*, quam ſignificat : Itaque ſummus Pontifex excommunicat, confert beneficia, ſimiliter & indulgentias, & ſic de aliis actibus Eccleſiaſticæ poteſtatis, *auctoritate totius Eccleſiæ* : & iſtud rationabiliter eſt, *eo quòd ſuffragia, quibus privatur excommunicatus, ſunt Eccleſiæ non ſummi Pontificis* : hinc Prælati dicuntur, nomine totius Eccleſiæ aliquem poſſe illorum participatione privare : hinc dicit quidam doctor, Paulum noluiſſe excommunicare publicum fornicarium, ut patet primæ Corinthiorum 5. niſi Corinthiis congregatis : undè ſic dicitur : Ego quidem abſens corpore, præſens autem ſpiritu, jam judicavi ut præſens, eum qui ſic operatus eſt, in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti congregatis vobis & meo ſpiritu, cum virtute Domini noſtri Jeſu Chriſti, tradere hujuſmodi hominem Sathanæ, in interitum carnis, &c. " Hîc ergo dignum animadverſione eſt, Apoſtolum quamquàm ſpiritu Dei plenum, ferre ſolummodò excommunicationem in actu primo : deindè actum ſecundum Corinthienſi Eccleſiæ peragendum relinquere. B. Cyprianus praxim Eccleſiæ primitivæ refert Epiſtolâ 28. ad Presbyteros & Diaconos fratres : Interea ſi quis immoderatus & præceps, ſivè de noſtris Presbyteris, & Diaconibus, ſivè de peregrinis, auſus fuerit ante ſententiam noſtram communicare lapſis, à communicatione noſtra arceatur : apud nos omnes cauſam dicturus temeritatis ſuæ, quando in unum permittente Domino convenerimus. Deſideratis quoque ut de Philumeno & Fortunato hypodiaconis, & Favorino Acolytho, qui medio tempore receſſerunt, & nunc venerunt, quid mihi videatur reſcribam : Cui rei *non potui me ſolum judicem dare, cùm multi adhuc à clero abſentes ſint*, nec locum ſuum vel ſerò repetendum putaverint. Et hæc " *ſingulorum tractanda ſit & limanda pleniùs ratio, non tantùm cum collegis meis*, ſed & cum plebe ipſa univerſa : Expenſâ enim moderatione libranda & pronuncianda res eſt, quæ in poſterum circa miniſtros Eccleſiæ conſtituat exemplum : " *hucuſque lumen Eccleſiæ Africanæ. Proculdubiò cùm ſuperiùs cap. quinto probaverim*, etiam Presbyteros debere in commune Eccleſiam regere cum Epiſcopis, eo ipſo quòd in ſolidum electi ſunt participes ſacerdotii Chriſti : conſtet autem Epiſcopos cenſuras diſtringere quatenùs Eccleſiam repræſentant, & ſub hac circumſtantia ſuffragiis Eccleſiæ excommunicatos privare : " indè neceſſariò colligimus, cenſuras, ſaltem abſque conſenſione Presbyterii, in rem judicatam mitti non debere : olim enim ut oſtenſum eſt, *Presbyteri erant ſenatus Eccleſiæ, & nativum Concilium Epiſcoporum* : quam ob cauſam ſententiæ dictionem habebant in Synodis, quas etiam ſuis ſyngraphis, unà cum Epiſcopis, roborabant, ut docuimus ſupra cap. 5.

II. Alterum quod enucleationem deſiderat eſt, quâ notione dixerim *territorium uni civili ſocietati & politicæ poteſtati proprium ac nativum eſſe* : hoc autem pro me docet Pſalmiſta: *Cælum cæli Domino, terram autem dedit filiis hominum.* Pſalm. 13. & B. Auguſtinus quonam modo intelligendum ſit clarè explicat diſtinct. 8. can. " Quo jure defendis villas Eccleſiæ, divino an humano ? divinum jus in ſcripturis habemus, humanum in legibus regum : undè quiſque poſſidet quod poſſidet, nonnè jure humano ? Nam jure divino Domini eſt terra, &c. jure tamen humano dicitur, hæc villa mea eſt, hæc domus mea eſt, hic ſervus meus eſt : jura autem humana jura Imperatorum ſunt. Quare ? quia ipſa jura humana per Imperatores & Reges ſæculi Deus diſtribuit generi humano. Tolle jura Imperatorum, & quis audet dicere, mea eſt illa villa, aut meus ille ſervus, &c. Nolite dicere quid mihi & Regi : quid tibi ergo & poſſeſſioni ? per jura Regum poſſidentur poſſeſſiones. *Porrò, ſententiæ Auguſtini hæc genuina eſt ratio*, quòd jure naturali omnia ſint communia : & jure gentium ac civili, *meum atque tuum* à Regibus & Principibus politicis conſtituta ſint : jus autem gentium eſt tanquàm concluſio juris naturalis poſt Adami peccatum. *Quare hoc ſenſu & ſecundùm juris gentium placita, contendo hæc verba Chriſti eſſe capienda*, Regnum meum non eſt de hoc mundo, *Joannis* 18. & *Lucæ* 9. Vul-

Digitized by Google

„ pes foveas, & aves cœli nidos habent, filius autem hominis non habet ubi caput reclinet: quaſi Dominus diceret, Eccleſiam divinitus territorium, aut jus gladii materialis non habere, ad poteſtatem aliquam temporalem ſibi vindicandam, *& meum ac tuum conſtituendum in Eccleſia*, more Principum ſæculi: undè Lucæ 12. de fratrum ſuper paterna hæreditate altercantium diſſidio cognoſcere detrectat. Quamquàm autem Eccleſia jure divino territorium non habeat, id tamen non impedit quominùs jure humano, & largitione Principum ſæcularium poſſideat: quod ego his conceptis verbis docui cap. XI. libelli mei: *Etſi teſtimonia ſacræ ſcripturæ paulò antè laudata convincant, Eccleſiam jure divino territorium, jus gladii, aut contentioſi minimè habere: attamen non negant quin jure humano & ex Principum conceſſione illud poſſidere queat.* Quæ clauſula meis conviciatoribus os, ſi quod habuiſſent, occludere debuerat: quandoquidem illos non puduit ſpargere, mihi propoſitum omni bonorum poſſeſſione Eccleſiaſticos ſpoliare.

CAPUT XII.

Princeps politicus, ut Dominus reipublicæ ac territorii, vindex eſt atque protector legis divinæ, naturalis, & canonicæ: Quare, in eum finem leges figere, & gladium diſtringere poteſt.

IAM ad civilem poteſtatem tranſeamus: ſanè, cùm Princeps politicus dominus ſit reipublicæ, atque territorii; vindex ac protector legis divinæ, naturalis, & canonicæ, eaque de cauſa gladium portet Roman. 13. ſolus habet facultatem cogendi, aut coërcendi, irrogando pœnas corporales. Quapropter ad Eccleſiæ incolumitatem, & canonum Eccleſiaſticorum executionem leges ſancire, atque inter ſua edicta, codices, aut capitularia inſerere poteſt: ſicut de Imperatoribus Conſtantino, Theodoſio, Juſtiniano, Carolo Magno, B. Ludovico, Carolo VII. Franciſco I. aliiſque Gallorum principibus exploratum habemus. Undè Auguſtinus epiſt. 48. ad Vincentium ait, *Reges terræ Chriſto ſervire debere, etiam leges ferendo pro Chriſto*; juxta Davidis oraculum, *& nunc Reges intelligite, erudimini qui judicatis terram: ſervite Domino in timore.* Euſebius pariter, cap. 24. lib. 4. de vita Conſtantini magni, narrat optimum Principem ſic Epiſcopos affari conſueviſſe, *Vos intra, ego autem extra Eccleſiam à Deo Epiſcopus conſtitutus ſum*; quaſi diceret, Principibus Chriſtianis ex proprio officio incumbere, ad divini, naturalis, & canonici juris executionem leges ſancire, & ſi res poſtulet (ſervato temperamento parabolæ zizaniorum, Mathæi 13. id eſt, publicâ pace ſalvâ) gladium diſtringere: hoc enim D. Auguſtinus Epiſtolâ ad Vincentium memoratâ, liquidò demonſtrat. Quibus bene perceptis, facile eſt videre, & quo ſenſu Optatus

Digitized by Google

Milevitanus aſſerat, *Eccleſiam eſſe in republica:* hoc eſt, tanquàm in alieno fundo, territorio, ac dominio: & jurenè an injuriâ olim Chriſtiani Principes Nicænam Synodum, Conſtantinopolitanam, Epheſinam, Chalcedonenſem, atque alia Concilia generalia coëgerint? hoc enim ad legis divinæ, naturalis, & canonicæ executionem ſpectat.

DEMONSTRATIO

CAPITIS XII.

1. *Quâ notione Conſtantinus ſe Epiſcopum exteriorum negotiorum vocitarit: & quantam curam de Eccleſiaſtica diſciplina meliùs conſtituenda geſſerit.*

2. *Pontificale Romanum clarè docere, Reges eſſe participes miniſterii Epiſcoporum in exterioribus negotiis curandis.*

3. *Quòd Papa & Imperatores proportionatim & reſpectivè jus habeant Synodorum indicendarum, velut juris divini, naturalis, & Canonici vindices.*

1. HOc caput eſt tanquàm appendix duorum ſuperiorum capitum, declaratque quâ ratione Princeps politicus ſit vindex atque exequutor juris divini, naturalis & canonici, erga omnes cives ambitu reipublicæ contentos, tum Eccleſiaſticos, cùm Laicos, nemine dempto. Nam *cùm unicuique Deus mandarit de proximo ſuo*, Eccleſiaſt. 17. quemadmodum Eccleſiaſtici jus habent regendi ſpiritualiter Principes, atque Magiſtratus politicos ſecundùm actus hierarchicos: ita & Principes politici viciſſim ſuo jure uti poſſunt erga Eccleſiaſticos, eoſque ad juris divini, naturalis & canonici obſervationem, charitate & publicâ tranquillitate ſervatâ cogere: quæ tranquillitas, ut jam docui, eſt finis omnis præcepti. Et hinc datur intelligi, quid cauſæ habuerit Conſtantinus Magnus, *ut ſe communem Epiſcopum exteriorum negotiorum Eccleſiæ vocitaret:* factâ alluſione ad officium & curam Epiſcopalem, quod eſt intendere, invigilare, magnamque curam & ſolicitudinem de provincia ſibi credita habere. Neque verò putandum optimum principem hâc notione ſibi poteſtatem condendi canones, aut leges purè ſpirituales, arrogare: ſed tantummodò deſignare voluiſſe, ſuarum eſſe partium canones jam latos exequutioni mandare, atque Eccleſiam & religionem catholicam erga omnes protegere, in eumque finem edicta & leges ſciſcere. " Nam ſicut ſacerdos debitor eſt ut legem quam audivit à Deo liberè prædicet: ſic Laicus debitor eſt ut veritatem quam audivit quidem à ſacerdotibus probatam in ſcripturis, fiducialiter defendat, " cauſa XI. quæſt. 3. can. 86. nolite §. nam ſicut ſacerdos. " Hercle quidem, cùm eſſe Epiſcopum nihil aliud ſit, quàm eorum ſaluti qui in noſtra manu ſunt ſedulò intendere, ac invigilare: non modò ſacerdotes, verumetiam omnes Reges, Patresfamilias, & ſcholæ magiſtri, appellationem Epiſcopi ſibi jure vendicare poſſunt. Undè Euſebius Pamphilus eam ob cauſam Conſtantinum magnum, *communem appellat Epiſcopum*, libro primo vitæ Conſtantini cap. trigeſimo ſeptimo. " Et quamquàm communiter erga omnes ſe talem præſtitit: tamen Eccleſiæ Dei eximiam & peculiarem curam adhibens, cùm quidam Eccleſiaſtici inter ſe in diverſis locis diſſenſione diſcordarent, *tanquam communis Epiſcopus à Deo conſtitutus*, miniſtrorum Dei coëgit Concilium: & in media iſtorum frequentia ac congreſſu " adeſſe & unà conſidere non dedignatus, rerum in deliberationem vocatarum ſe fecit participem: eaſque res quæ ad divinam pacem ſpectabant, omnibus procuravit: in medio " conſeſſu quaſi unus è multis aſſedit: & quoniam Dei timore undique ſeptus fuit, & ami- "

Digitized by Google

" cis fidelibus maximèque benevolis circummunitus, primùm ſatellites amovit à ſe & totam " ſtipatorum turbam, &c. " Qui locus non modo nobis eximiè officium Epiſcopatus Conſtantini in tuenda & optimè conſtituenda diſciplina, & pace Eccleſiæ, verumetiam demonſtrat, quâ mente & propoſito, idem Conſtantinus ſeſe communem Epiſcopum indigetant, apud eundem Euſebium lib. quarto vitæ Conſtantini cap. 23. & 24. illum ſi placet loquentem audiamus. " Etiam ad ipſos gentium præfectos Imperatoris nutu & voluntate edictum perlatum eſt, ut illi perindè Dominicum diem venerarentur: itidem conſecratos martyribus dies " honore proſequebantur, & feſtorum ſolemnitates in Eccleſiis celebrabant: quæ omnia ſe- " cundùm Imperatoris voluntatem gerebantur. Ex quo etiam factum eſt, ut cùm Epiſco- " pos nonnullos convivio excepiſſet, ipſe nobis audientibus ſe Epiſcopum appellaret, his fe- " rè verbis: *Vos, inquit, intra Eccleſiam, ego extra Eccleſiam à Deo Epiſcopus conſtitutus ſum.* " Itaque cùm quæ loquebatur eâdem mente ſecum cogitaret, ***animum in omnes qui ejus ſuberant imperio intentum habuit***: " hortatus pro virili ut piam omnes vitam excolerent. *Quæ poſtrema verba,* " animum in omnes qui ejus ſuberant Imperio intentum habuit " &c. *à nominis notatione, quodnam eſſet communis Epiſcopatus Conſtantini officium declarant:* " ſcilicet intendere, ut omnes qui ejus ſuberant Imperio, piam vitam excolerent, atque jus " divinum, naturale, & canonicum obſervarent. Etſi autem Edictum Conſtantini adversùs Gentiles, ut diem dominicum cum feſtis Martyrum ſervarent, anſam præbuerit Euſebio referendi illud Conſtantini Apopthegma, quo ſe communem Epiſcopum venditat: nihilominus ea quæ ibidem & aliàs paſſim, " de intendentia atque vigilantia optimi Principis, " in omnes qui ejus ſuberant Imperio, memorat, ut piam vitam excolerent, atque diſci- " plinam Eccleſiaſticam ad normam canonum jam latorum ſervarent, planè convincunt illos, vel omnem pudorem exuiſſe, vel nunquam legiſſe hiſtoriam Eccleſiaſticam, qui confidenter aſſerunt, Conſtantinum appellari communem Epiſcopum, non propter Chriſtianos ſed propter Gentiles qui extra Eccleſiam erant: utque alia innumera teſtimonia prætermittamus, idem Euſebius lib. priore vitæ Conſtantini, capite trigeſimo ſeptimo ſupra edito, nominatim & explicitè ait: " Conſtantinum tanquàm communem Epiſcopum Synodos indixiſſe & coë- " giſſe, ac in eis ſententiam dixiſſe, ut Epiſcopos diſſidentes reconciliaret, pacemque daret " Eccleſiis: certè hominum frontem ſatis mirari non poſſum!

II. Quid autem in antiquioribus exemplis perquirendis hæremus diutiùs? cùm Romanum Pontificale, juſſu Clementis VIII. recognitum & anno 1595. Romæ editum, conceptis verbis teſtetur, *Reges eſſe Dei Vicarios & participes miniſterii Epiſcoporum, propter externum regimen Eccleſiæ:* fave auribus Lector, ſic enim collecta oratio pro regis benedictione, conſecratione folio ducenteſimo trigeſimo ſexto, & ducenteſimo trigeſimo ſeptimo editionis Romanæ concipitur: " Accipe coronam Regni, quæ licèt ab indignis, Epiſcoporum tamen " manibus capiti tuo imponitur, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti: quam ſancti- " tatis gloriam & honorem, & opus fortitudinis ſignificare intelligas: & per hanc te partici- " pem miniſterii noſtri non ignores: itaut *ſicut nos in interioribus* Paſtores, Rectoreſque " animarum intelligimur, ***ita & tu in exterioribus verus Dei cultor***, ſtrenuuſque contra " omnes adverſitates Eccleſiæ Chriſti defenſor, aſſiſtas: Regnique tibi à Deo dati, & per " officium noſtræ benedictionis in vice Apoſtolorum omniumque Sanctorum regimini tuo " commiſſi utilis exequutor, proficuuſque regnator ſemper appareas: ut inter glorioſos Ath- " letas, virtutum gemmis ornatus, & præmio ſempiternæ felicitatis coronatus, cum redemp- " tore ac ſalvatore noſtro Jeſu Chriſto, cujus nomen ***vicemque geſtare crederis***, ſine fine " glorieris. Qui vivit & imperat Deus, &c.

III. At verò M. Andræas Vallius me hoſtili animo carpit, quia dixi ex principiis hoc capite evolutis, proclive eſſe cognoſcere, " jurenè an injuriâ olim Chriſtiani Principes, Syno- " dum Nicænam, Conſtantinopolitanam, Epheſinam, & Chalcedonenſem, atque alia Con- " cilia generalia coëgerint: hocque ad legis divinæ, naturalis, & canonicæ exequutionem " ſpectare. Quandoquidem ille exclamat pag. 128. Elenchi, ***hoc ad hæreſim manifeſtam ſpectare, & me cum Luthero, Calvino, & aliis hæreticis ſentire.*** Sed bona verba quæſo amice,

Digitized by Google

amice, ubique ſi potes à convitiis ſpargendis tempera! quando enim cap. IX. libelli de Eccleſiaſtica & politica poteſtate, de plenitudine auctoritatis Papæ diſputans, docui illum ratione primatus jus habere congregandi & convocandi Eccleſias particulares ad Synodum generalem, &c. non debes moleſtè ferre, quòd hic de jure Imperatorum & Principum politicorum ſeparatim tractem: maximè verò quia ut ſupra docui, Papæ atque regibus, ſuo cuique modo proportionatim & reſpectivè, jus divinum, naturale, & canonicum exequutioni mandare incumbit: nam Papa cenſuras & pœnas ſpirituales, Princeps autem politicus corporales & temporales infligit. Utrùm autem Imperatores aliquando Concilia generalia indixerint, Lector ſtudioſus ſolâ lectione actorum cognoſcet, initio cujuſque actionis Synodorum generalium, quarum geſta integra habemus, præſertim primi Concilii Epheſini, Chalcedonenſis, &c. Quòd ſi laborem hæc acta legendi gravatè ferat, ſaltem Gratiani decretum conſulat, diſtinct. 15. can. „ Sancta Romana Eccleſia, & XI. quæſt. 1. can. Continua, ubi Conſtantinus Nicæno Concilio præſediſſe dicitur: Item 12. quæſt. 1. Can. futuram §. idem verò præſidens. “

CAPUT XIII.

Princeps politicus, ut Eccleſiæ protector, & vindex canonum, judex eſt legitimus appellationum quas ab abuſu vocant: & hinc Eccleſiæ Gallicanæ libertates originem ſumpſerunt.

HIc pro coronide & appendicula attexemus, nativas Eccleſiæ Catholicæ libertates, ſive jus commune à Deo & natura inſtitutum, his octo proloquiis ac fundamentis tam perſpicuè roborari, ut nemo in illud impingere poſſit, quin eâdem operâ, legem diviam, naturalem, & canonicam labefactet. Hoc autem quoties accidit, toties Gallis juſtam præbuit occaſionem provacandi tanquàm ab abuſu: quarum appellationum, Princeps & magiſtratus politicus velut Eccleſiæ protector, & vindex canonum, ſummam habet moderationem: de ſolo enim abuſu judicat, idque ad executionem canonum pertinet. Verùm, hæc ratio procedendi Gallorum, originem præbuit Eccleſiæ Gallicanæ libertatibus, ut eas vulgò nominant. Audio Hiſpanos, atque alias nationes Chriſtianas, quando aliquid à Romana Curia emanat, quod eorum moribus ac inſtitutis adverſatur, intercedere conſueviſſe, quominùs id executioni mandetur: Ex quo apparet, illos cum Gallis reipsâ convenire, formâ tantùm, & modo agendi hæc in parte diſcrepare.

DEMONSTRATIO CAPITIS XIII.

QUONIAM M. Andræas Vallius ab hoc capite lacerando penitùs ungues abſtinuit, de illo quoque ſilebimus: in eo autem explicatur quibus fundamentis Catholicæ, & Gallicanæ Eccleſiæ libertates, ſive jus commune à Deo & natura inſtitutum, nitantur; de qua re in præſentiarum plura non dicam.

Digitized by Google

CAPUT XIV.

Confutatio argumentorum, quibus abſoluta poteſtas Romano Pontifici tribuitur.

Qui contrariam ſententiam, id eſt, abſolutam poteſtatem tuentur, primò ſtatum Eccleſiæ cum ipſius regimine confundunt: Enimverò, quia Chriſtus D. Petrum in Eccleſiæ paſtorem ac vicarium ſuum adoptavit, Joannis 21. idemque Dominus rex eſt, & monarcha abſolutus Eccleſiæ, capite 3. indè colligunt, abſolutum ſive purè monarchicum regimen, B. item Petro Chriſti vicario congruere, & continuò Romanum Pontificem, nonmodò totam juriſdictionem Eccleſiaſticam, verumetiam auctoritatem quoque in temporalia, ſaltem indirectè, & in ordine ad ſpiritualia, ut illuſtriſſimus Cardinalis Bellarminus docet, poſſidere.

Secundò inducunt, nullâ omninò opus eſſe celebratione Conciliorum ad Eccleſiam meliùs ſanctiùſque gubernandam, cùm Dominus uni & ſoli Petro infallibilem auctoritatem, cum poteſtate confirmandorum fratrum, detulerit, Lucæ 22.

Tertiò ſtatuunt, ſi fortè aliquando frequententur Concilia, Eccleſiam in Synodum congregatam, nullum planè jus habere aliquid decernendi, ſecluſo aut non conſentiente Romano Pontifice.

Quartò, ſummum Pontificem, omnes canones univerſalium Conciliorum ad Eccleſiaſticam politiam ſpectantes, poſſe ex animi ſui ſententia antiquare, juſque omninò relaxare, & novum condere.

Quintò, Papam, nonmodò habere auctoritatem ſupra particulares Eccleſias per mundum diſgregatas, verumetiam ſupra univerſale Concilium: eique nullo in caſu ſubjici.

Quæ fundamenta, proclive eſt unicuique, antecedentibus principiis benè perceptis, convellere: eò enim omnia tendunt, ut Petro Miniſteriali capiti eam adſcribam poteſtatem, quæ uni & ſoli Chriſto Domino ac fundatori Eccleſiæ convenit: quod ſophiſticum eſt, à dicto ſimpliciter ad dictum ſecundùm quid. Annon obſecro longè diverſa eſt Domini atque œconomi, id eſt, Chriſti & Petri cauſa? nam Eccleſia per & propter Chriſtum; Petrus autem per & propter Eccleſiam, ſicut oculus per & propter hominem, ſubſiſtit.

Solutio ſecundi principii ab iis peti debet, quæ capite 7. obſervavimus.

Tertium, quartum, & quintum, non ſunt unius aſſis: ſiquidem fal-

Digitized by Google

ſunt à dicto ſimpliciter ad dictum ſecundùm quid : quaſi Petrus eandem habeat poteſtatem in Eccleſiam cum Chriſto. Proculdubio, ſi verum amamus, omnibus hominibus eſt inditum à natura, ut liberi beati eſſe velint : quis autem naturaliter beatus eſſe poteſt à libertate? At ſi infallibilitas decernendi in uno & ſolo habitat Pontifice, nullus in Eccleſiæ conventibus libertatem ferendæ ſententiæ obtinet, contra quam Domino placuit, Matthæi 18. qua de re videndum caput 6. Certè, ſi hæc ſententia invaleſcat, ſequitur Chriſtum extrema quæque paſſum, ut Eccleſiam ſponſam, id eſt univerſos Chriſtianos, deſpotico Romani Pontificis imperio ſubderet : quod juri divino & naturali funditus repugnat.

DEMONSTRATIO CAPITIS XIV.

1. *Quonam ſenſu B. Petrus dicatur eſſe* per & propter *Eccleſiam : & de duplici via ac ratione propagandæ poteſtatis Eccleſiaſticæ.*

2. *De libertate & beatitudine ſtatus Epiſcopalis, atque Epiſcoporum auctoritate in definiendis Eccleſiæ controverſiis:*

3. *Impia Cajetani adulatio, perhibentis Eccleſiam ſponſam Chriſti, atque omnium fidelium matrem ac dominam, ſervam natam eſſe reſpectu Papæ.*

1. SUPERSUNT quinque capita libelli de Eccleſiaſtica & politica poteſtate, quibus fundamenta contrariæ opinionis, de abſoluta Papæ monarchia, ad Lydium lapidem examinantur : tria autem ſunt præſertim, quæ in hoc capite M. Andræam Vallium exercent : primùm diſputat quî fieri poſſit *ut S. Petrus per & propter Eccleſiam eſſe dicatur, ſicut oculus per & propter hominem :* cùm Chriſtus, non autem Eccleſia, Petrum cooptarit, eique facultatem paſcendi oves ſuas dederit. At primùm reſpondeo, hanc objectionem facilè ex principiis cap. 1. & 11. libri de Eccleſiaſtica & politica explicatis dilui : *videlicet claves architectonicè, per dominium & proprietatem toti Eccleſiæ datas, ut à ſingularibus prælatis, quoad miniſterium, & exequutionem exercerentur.* Secundò, ſicut duplex eſt via producendi hominem, nimirum extraordinaria per creationem, & ordinaria per generationem : ita duplicem eſſe viam propagandæ auctoritatis Eccleſiaſticæ contendit Cajetanus lib. de auctoritate Papæ & Concilii cap. 3. videlicet extraordinariam, quæ immediatè à Deo per primam Eccleſiæ fundationem proceſſit : & ordinariam quæ quotidie miniſterio Eccleſiæ peragitur : ſiquidem, ut jam dixi, Eccleſia claves architectonicè & per dominium poſſidet : itaque ſicut Philoſophi & Medici cùm de hominis productione diſſerunt, potiùs argumenta ſua à generatione quàm à creatione hominis promunt : ſimiliter etiam Theologi, quoties de via propagandæ poteſtatis Eccleſiaſticæ verba conſerunt, ſuas ducere debent probationes ab ordinaria non extraordinaria collatione poteſtatis Eccleſiaſticæ; ſicut ego feci toto hoc libello. Etſi enim Chriſtus fundando Eccleſiam B. Petrum inſtituerit Primatem, tamen cùm claves toti Eccleſiæ architectonicè contulerit, neceſſariò inſurgit Petrum more aliorum hominum ſacerdotio Chriſti & communioni ſanctorum eſſe ſubjectum ; ac poteſtatem Petro collatam, totam eſſe in ordine ad regimen ariſtocraticum. Certè ne Chriſtus contra naturæ legem & viam ordinariam Petrum primatem creaſſe videretur, eumdem *ab aliis Apoſtolis ex Principem recipi voluit, can. in novo diſtinct. 21. can. ſacroſancta diſtinct. 22. §. inter beatos, & can. dudum §. quoniam 3. quæſt. 6.* Quibus accuratè ponderatis, comprobatum relinquitur *S. Petrum etiam per & propter Eccleſiam exiſtere.*

Digitized by Google

II. Secundò ambigitur, quam ob rem ego dixerim *neminem naturaliter beatum eſſe abſque libertate : atque omnes Epiſcopos beatos non eſſe, dato quòd infallibilitas decernendi in uno & ſolo habitet Pontifice : propterea quod in Eccleſiæ conventibus, nullus illorum libertatem ferendæ ſententiæ obtineat, contra quam Domino placuit, Mathæi* 18. At reſpondeo, me hoc dixiſſe propter ſtatus & dignitatis Epiſcopalis, atque Ariſtocratici regiminis Eccleſiæ naturam: cùm enim omnes Epiſcopi in ſolidum participes ſacerdotii Chriſti cum Papa exiſtant, ac individuè & ex æquo ſint ſucceſſores Apoſtolorum, atque excepto primatu, Papa nihil habeat jure divino, quo Epiſcopis antecellat : ſequitur neceſſariò Epiſcopos eſſe ordinarios judices omnium controverſiarum Eccleſiæ : & in Synodis, Papam illorum ſuffragia ponderare & ſubducere, ſicque communionem ſanctorum ſuaviter, non abſoluto imperio teneri defigere: contra quam Bellarmino placet, lib. primo cap decimo octavo de Conciliorum auctoritate ſub finem, ubi contendit, *Papam velut ſummum Eccleſiæ principem & monarcham, omnium Epiſcoporum ſententiam & judicium poſſe retractare :* quod ut gratis ab eo dicitur, ſic abſolutè negatur : toto enim cælo Primatus & abſoluta monarchia diſtant. Verùm ſicut in facultate Theologica Pariſienſi, verbi causâ, omnes doctores, juxta ſtatum ſui doctoratus, liberi & beati non eſſent, niſi liberâ ſententiæ dictione fruerentur, eorumque ſententiæ in conventibus facultatis ponderarentur, atque ſubducerentur : pariter etiam Epiſcopi, conformiter ad ſtatum Epiſcopalem, beati & liberi non eſſent, ſi, ut Bellarminus perſuadere vult, Romanus Pontifex deſpoticè omnium Epiſcoporum ſententiam Synodicè latam antiquare poſſet : quandoquidem Papa non eſt Dominus Eccleſiæ, ut Rex Franciæ regni ſui.

III. Tertiò, velut malè ſonans reprehenditur; quod ego perhibeo, *ſi ineffallibilis monarchia invaleſcat, ſequi Chriſtum extrema quæque paſſum, ut Eccleſiam ſponſam deſpotico Romani Pontificis Imperio ſubderet :* At excipio, me hæc nominatim adverſùs Cajetanum ſcripſiſſe, qui obtendit Eccleſiam ſponſam Chriſti, & omnium fidelium, atque ipſiuſmet Papæ matrem ac dominam, *eſſe ſervam natam reſpectu Pontificis Romani* : genuina ſunt illius verba, tractatu *de comparata auctoritate Papæ Cap. primo.* Quod autem infert, *ſignum infallibilis ſervitutis Eccleſiæ eſſe quoad jus Principatus, quòd Eccleſia non poſſit ſibiipſi regimen retinere, nec duobus aut tribus committere*, planè ſophiſticum eſt : nam homo obnoxius imaginatur Papam divinitùs conſtitutum eſſe abſolutum Eccleſiæ monarcham : ſed jam multoties dixi, atque iterum inculco, aliud eſſe de primatu aliud de abſoluta Papæ monarchia diſſerere : & quamquàm primatus quoad inſtitutionem & eſſentiam, juris ſit divini immutabilis, nihilominus ſubjectivè, quoad exiſtentiam, uſum, exequutionem, & limationem, omninò ab Eccleſiæ ſtatutis, definitione, & ariſtocratico regimine pendêre, ut ex can. ſexto Concilii Nicæni claret; in quo totus orbis Chriſtianus in certas diœceſes, quos Patriarchatus nominant, diſtribuitur: Inſuper quoque quartâ & quintâ ſeſſione Conſtantienſi comprobatur, quibus Pontifex canonibus Conciliorum generalium in certis caſibus ſubjicitur : Verùm quando & primatus & ariſtocraticum regimen ſunt divinæ inſtitutionis, equidem certiſſimum eſt, neque Eccleſiam primatum; neque viciſſim primatum poſſe ariſtocraticum regimen abrogare. At ſi ſervituti deputandum foret, ut cavillatur Cajetanus, quòd Eccleſia primatum antiquare nequeat : à pari & fortiori inferre liceret, Papam eſſe ſervum natum Eccleſiæ : hîc enim Cajetanum ſuis ampullatis verbis munerari lubet : cauſa eſt, quia Pontifex ſacerdotium Chriſti, & unà cum ſacerdotio, juſtam auctoritatem accipit ab Eccleſia, quæ illum præterea deligit, & deligendo, eidem velut primati, non tanquàm abſoluto monarchæ Eccleſiam regendam permittit : quemadmodum Monachi Abbatem canonicè eligendo, totum cœnobium eidem ſubmittunt. Cæterùm quamquàm Eccleſia Papam cooptare teneatur, attamen hoc ad ſervitutem nihilò magis Eccleſiæ poteſt imputari, quàm humanæ voluntati, quòd in finem tanquàm in bonum ſibi connaturale & conveniens, quâdam neceſſitate, ſponte tamen feratur, aut quòd præcepta divina obſervet : quoniam ſervire Deo regnare eſt.

CAPUT XV.

Digitized by Google

CAPUT XV.

In concilio generali congregato, Papa habetur caput quoad verbi divini prædicationem, adminiſtrationem ſacramentorum, & executionem canonum: minimè verò quoad directionem, & poteſtatem coërcitivam in totum concilium.

CÆTERUM, quando ex omnibus argumentis adverſariorum, tria præcipuè aliquid videntur habere ponderis, illa enucleabimus: primum eſt, Petrum paſtorem univerſalis Eccleſiæ conſtitutum à Chriſto, Joannis 21. *Paſce oves meas*: hâcque divinâ voce, neque Apoſtolos, neque concilium generale excludi: omnes enim ſunt oves Chriſti, proptereàque à D. Petro Chriſti Vicario paſci debent. Reſpondetur; Chriſtum illis verbis, non aliam dediſſe Petro poteſtatem quàm miniſterialem, ut capite 4. 5. & 9. demonſtravimus: Officium verò miniſtri & diſpenſatoris eſſe mandare executioni præcepta legis divinæ, naturalis, & canonicæ: ſed juxta regulas temperamenti ariſtocratici à Deo conſtituti: ac proindè, Petrum cenſeri paſtorem, quoad exequutionem canonum, verbi divini prædicationem, & alia ejuſmodi, quæ ab uno, quàm ab Eccleſia congregata in concilium, meliùs perfici poſſunt.

Secundum argumentum eſt, Eccleſiam congregatam in concilium, unicam familiam, unicum ovile, unicum regnum, & corpus viſibile Chriſti conſtituere: acproptereà unicum etiam neceſſariò habere caput viſibile Romanum Pontificem: ac monſtrum immane videretur, ſi unum atque idem corpus duo ſuprema haberet capita, nempe Papam & concilium generale. Reſpondemus, Eccleſiam eſſe politiam monarchicam regimine ariſtocratico temperatam: inde autem ſequi neceſſariò, concilium, quoad directionem regiminis, coërcitionem, & poteſtatem ſanciendorum canonum, ſupremam habere auctoritatem: Petrum verò, quoad exequutionem, atque exercitium, aut uſum clavium erga Eccleſias particulares: vide caput 4. 5. 6. & 9.

DEMONSTRATIO CAPITIS XV.

MAGISTER Andræas Vallius nihil habuit quod huic capiti iraſceretur, idcircò pluribus de illo agere ſuperſedebo: quoniam ex principiis cap. primo & ſecundo evolutis, ſatis ſufficienterque probatum evadit. *Dominium & proprietatem*

Digitized by Google

clavium collatam à Chriſto toti Eccleſiæ collectim ſumptæ : miniſterium verò, atque exequutionem, prælatis diſtributim, & ſeorſim captis.

CAPUT XVI.

Explicatio hujus canonis, Nemo judicabit primam ſedem.

TERTIÒ contendunt cap. 20. concilij Romani, à ducentis octoginta Epiſcopis ſub Silveſtro Papa conſtitutum fuiſſe, ut *Nemo primam ſedem, juſtitiam temperare deſiderantem judicaret : neque ab Auguſto, neque ab omni clero, neque à regibus, neque à populo judex judicabitur :* Quam ſententiam Gratianus refert 9. *quæſt. can. Nemo.* Sed ut dicam quod ſentio : qui ad hunc canonem attenderit, primâ facie videbit, multo plus nocere quàm favere adverſariis : ratio eſt, quia ſententia ſcholæ Pariſienſis, quæ decretis ſynodi Conſtantienſis nititur, docet Papam eo tantùm in caſu judicari poſſe à concilio, quo Eccleſiam notoriè ſcandalizat, eſtque incorrigibilis : verùm ſi juſtitiam temperare deſideret, à nemine quidem judicandus eſt : cùm juſto lex non ſit poſita : ipſe enim ſibi perpetua lex eſt. Secundò, quanquam hic canon abſolutè ſtatueret, attamen nihil derogaret fidei decretorum concilij Conſtantienſis : quoniam factus eſt in ſynodo particulari, quæ de paſtore univerſalis Eccleſiæ judicare non debet, niſi fortè ſe illius judicio ſubmittat, ut olim Sixtus III. Papa, 2. *quæſt.* 4. *can. mandaſtis.* Quare, hæc verba, *neque ab omni clero*, diſtributivè de aliqua Eccleſia, aut clero particulari, non collectivè de generali concilio, cujuſmodi eſt Conſtantienſe, aut Baſileenſe, intelligenda ſunt. Tertiò, qui verſatus fuerit in lectione conciliorum, quamprimum animadvertet, multa in hoc canone inconcinna eſſe, quæ eum manifeſtæ irreptionis ſuſpectum reddunt: etenim, illis temporibus Patres Eccleſiæ non tam elatè loquebantur, neque perſecutiones eos de abſoluta poteſtate cogitare patiebantur : deinde, quid opus erat mentionem facere Regum, cùm nulli tum tempori Reges, ſed tantùm Romani Imperatores exiſterent ? Tu lector, adi Cardinalem Cuſanum, lib. 2. cap. 20. de Concordantia catholica.

De reliquis auctoritatibus quæ ex ſcriptis Romanorum Pontificum proferuntur, & 9. *quæſtion.* 3. leguntur, non eſt magnoperè laborandum, quia Joannes Gerſon, atque alii doctores Pariſienſes, uno verbo reſpondent, nemini in ſua cauſa credendum, niſi conformiter ad legem divinam, naturalem, & canonicam loquatur : juri autem divino & naturali repugnat, caput miniſteriale imperium habere abſolutum in Eccleſiam.

Digitized by Google

DEMONSTRATIO CAPITIS XVI.

IN hoc capite Vallius eam ſolùm ob cauſam me culpat, quòd, ut fingit, privatam Gerſonii, Almaini, & quorumdam aliorum ſingularium Doctorum ſcholæ Pariſienſis opinionem, toti Facultati adſcripſerim: nimirum P*apam quando notoriè & incorrigibiliter Eccleſiam ſcandalizat, poſſe ab Eccleſia concilio generali judicari & abdicari, &c.* Verùm ipſemet multo magis culpandus, quòd tam turpiter in luce meridiana caliget, & decreta ſui ordinis ignoret: ſaltem eum ſuæ allucinationis, ne quid gravius dicam, Cenſura Sorbonæ adversùs Joannem Sarrazin commonefacere debebat, ſeptimâ propoſitione: *aliqua poteſtas, ſcilicet poteſtas Eccleſiæ de jure poteſt aliquid in certis caſibus contra ſummum* Pontificem: quæ propoſitio opinionem Joannis Sarrazin, *qui contendebat* P*apam à nemine judicari poſſe*, debellat, atque decreto quartæ & quintæ ceſſionis concilii Conſtantienſis planè congruit.

CAPUT XVII.

Cauſa finalis Eccleſiæ, quæ eſt vita æterna per bonum regimen, demonſtrat Petrum eſſe per & propter Eccleſiam, ſicut oculus per & propter hominem.

EQUIDEM, finalis cauſa Eccleſiæ, quæ eſt *vita æterna per bonum regimen*, apertè demonſtrat, Papam per & propter Eccleſiam non contra Eccleſiam per aut propter Papam exiſtere, proptereàque in oratione eccleſiaſtici regiminis, Cepham, id eſt Petrum, Eccleſiæ ſubjici, tanquam oculum homini, primæ Corinthior. 3. *Nemo itaque glorietur in hominibus, omnia enim veſtra ſunt*, id eſt Eccleſiæ; *ſive Paulus, ſive Apollo, ſive Cephas, &c.* Item 2. Corinthior. 13. *Omnis poteſtas data eſt in ædificationem; non in deſtructionem.* Ex quo relinquitur, Eccleſiam jure divino & naturali, providere atque impedire poſſe, ne Papa in ſui deſtructionem gubernet, quemadmodum Conſtantienſi concilio ſeſſione 4. & 5. definitum fuit.

DEMONSTRATIO CAPITIS XVII.

PROBATIO hujus capitis peti debet à cap. 14. in quo oſtenſum eſt, quâ notione S. Petrus PER ET PROPTER *Eccleſiam, ſicut oculus per & propter hominem exiſtat.*

Digitized by Google

CAPUT XVIII.

Quid ſit Eccleſiam habere poteſtatem indirectam in temporalia: & ſolutio argumentorum contrariorum.

DEMUM, quòd Eccleſiam indirectâ pollere auctoritate in temporalia prædicant, verum eſt per modum doctrinæ, ſuaſionis, directionis, & excluſionis à communione eccleſiaſtica: falſum autem per coactionem, aut Regum atque Principum depoſitionem, ut 11. & 12. capite diſputavimus. Quandoquidem, Eccleſia neque territorium, neque uſum habet gladii materialis. Qui ergo Reges aut Principes Chriſtianos jure ab Eccleſia abdicari contendunt, faciunt certè, ac ſi quis urgeret, Pædagogum, quoniam diſciplinæ ſcholaſticæ moderatur, diſcipulos ſuos, ſi fortè adversùs diſciplinam obdureſcant, bonis paternis exhæredare poſſe: quod illudit à dicto ſecundùm quid ad dictum ſimpliciter, nam quæ unico, & peculiari ſenſu vera ſunt, ad abſolutum & univerſalem ſenſum nequaquàm torqueri debent, niſi fortè à ſophiſtis & circulatoribus. Quòd ſi urgeant Eccleſiam eſſe ſibi ſufficientem & architectonicen: dices: hoc metiendum eſſe ex finibus, & terminis, unicuique rei præſcriptis à natura: cauſas vero eſſentiales Eccleſiæ non pati, ut eccleſiaſtici ſe ſævis aut ſecularibus negotiis immiſceant: Quamobrem, omnis ſufficientia politiæ eccleſiaſticæ, ab obſervatione mandatorum Dei, non à jure gladii, aut monarchia temporali, petenda eſt, Mathæi 28. *Euntes ergo, docete omnes gentes ſervare omnia quæcunque mandavi vobis: & ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, uſque ad conſummationem ſeculi.*

Argumenta quæ huic ſententiæ patrocinantur, ad tria capita revocabimus, quorum primum exempla complectetur, quæ Sanderus, Bellarminus, Cocqueus, atque alii, ex veteri teſtamento, ſed ab ignoratione elenchi promunt. Quotuſquiſque neſcit, longè diverſam eſſe rationem Synagogæ & Eccleſiæ, legis Moſaïcæ atque Evangelii? illa enim territorium, & conſequenter jus meri imperii habuit à Deo: quod nemo ſanus de Eccleſia affirmaverit. Inſuper accedit, legem Evangelicam ad Moſaïcam, imoverò ad quamcumque aliam politiam comparatam, legem eſſe verè regiam, manſuetudinis, & perfectiſſimæ libertatis: contra Moſaïcam eſſe duriſſimæ ſervitutis, Actorum 15. verſu. 10. & Galat 4.

Alterum caput, auctoritates deſumptas ex jure canonico nobis exhi-

Digitized by Google

ber, quas D. Cardinalis Bellarminus laudat: præſertim caput 3. ſynodi Lateranenſis: quo ſtatuitur, Reges atque Principes, qui hæreticos ex ſuis dominiis minimè exterminarint, eſſe abdicandos. Sed reſpondetur, iſthæc & ſimilia, nihilo plus habere juris in Principes politicos, quàm extravagantem Bonifacii VIII. *Vnam ſanctam*, vel conſtitutionem Pauli IV. *Cùm ex Apoſtolatus officio*, quæ in directorio inquiſitorum legitur: ſiquidem, decreta hæc, privatim & proprio motu à Romanis Pontificibus, non ſynodicè, id eſt totius Eccleſiæ conſenſu, ſancita fuerint: itaque non obligant, quoniam Eccleſia canone, non abſolutâ poteſtate regitur, capite 5. & 8.

Tertiò, abſolutè negatur Childerici Francorum regis abdicationem, aut imperii tranſlationem ad Francos, ſolâ Romanorum Pontificum auctoritate, abſque populi conſenſu, auctoritate, aut poſtulatione factam: & quamquàm facta fuiſſet, id parvi eſſet momenti ad definitionem præſentis controverſiæ, cùm tam facti quàm juris quæſtionem potiùs reſerret: ſicut etiam exempla abdicationis Henrici IV. Friderici II. atque aliorum Regum vel Imperatorum. De jure igitur, non de facto, diſputent adverſarii: moribus enim & canonibus, non exemplis, Chriſtianam rempublicam gubernari voluit Dominus noſter Jeſus Chriſtus.

Solutio reliquorum argumentorum, ſive à ſacra ſcriptura, ſive aliunde doctorum, peti debet à doctiſſimo tractatu Magiſtri Joannis Pariſienſis, de poteſtate Regia & Papali.

Hæc Eccleſiæ Catholicæ judicio ſubjecta ſunto.

DEMONSTRATIO
CAPITIS XVIII.

Concluſio hujus demonſtrationis, partim in decreta Facultatis Pariſienſis, partim in D. Cardinalis Perronij ſententiam.

QVANDO hoc caput immune ac liberum à Vallii Elenchis decurrit, in eo explicando aut defendendo ampliorem operam minimè collocabimus: ſed Concluſionem hujus demonſtrationis faciemus, partim ſecundùm decreta Facultatis Pariſienſis, partim juxta ſententiam illuſtriſſimi Cardinalis Perronii, opere poſthumo adversùs Regem magnæ Britanniæ ſtatim initio libri quarti, ubi ad præfationem Caſauboni, folio octingenteſimo quinquageſimo octavo editionis Anthonii Stephani ita Gallicè reſpondet.

Le different de l'authorité du Pape, ſoit pour le regard ſpirituel au reſpect des Conciles œcumeniques; ſoit pour le regard temporel à l'endroit des Jurisdictions ſeculieres, quand elles combattent le ſalut des ames,

Digitized by Google

n'eſt point un different de choſes qui ſoient tenuës pour articles de foy: & ſous peine d'anatheme par l'une ny par l'autre partie des Catholiques, entre leſquels il s'agit : ny qui ſoit inſerée, ni exigée en la Confeſſion de foy, que l'on requiert de ceux qui reviennent à l'Egliſe, ny dont l'une ou l'autre partie puiſſe tenir pour heretique, celle qui embraſſe l'opinion contraire, & ſe ſepare de ſa communion : Au moien dequoi il ne peut ſervir d'obſtacle en la reünion de l'Egliſe, &c.

Quæ quidem ſic latinè ſonant.

Controverſia de authoritate ſpirituali Papæ, tum reſpectu conciliorum œcumenicorum, tum ratione authoritatis temporalis erga Juriſdictiones ſeculares, quando adversùs ſalutem animarum pugnant; non eſt ejuſmodi rerum, quæ teneantur pro fidei articulis, & ſub pœna anathematis, ab alterutra parte Catholicorum, inter quos hæc controverſia agitatur: neque etiam in confeſſione fidei illorum, qui ad catholicam Eccleſiam redeunt, id inſeritur, aut ab eiſdem exigitur : Itaut alterutra pars alterutram partem, quæ contrariam opinionem amplectitur, pro hæretica habeat, & ſeſe ab ejuſdem communione ſeparet. Quocircà in ſtudio unionis faciendæ in Eccleſia, hæc obſtaculo eſſe non poſſunt.

Item quantùm ad poteſtatem Papæ in rebus temporalibus, idem Cardinalis Perronius eadem docet, paginâ ſexcenteſimâ tertiâ ejuſdem libri.

Hæc autem cùm ita habeant, & certiſſimum ſit, quæcumque in libello Richerii de Eccleſiaſtica & politica poteſtate continentur, partim ad authoritatem Conciliorum generalium ſuprà Papam : partim ad ſupremam atque independentem Regum & poteſtatum ſeculi majeſtatem, ſpectare : profectò mirabile eſt, dominum Cardinalem Perronium *contra propriam ſententiam, & conſcientiam*, tot ac tantas adversùs Richerium excitaſſe tragœdias : atque M. Andræam Vallium haud aliter de ſodali ſuo *quàm de hæretico, ſchiſmatico, perduelli, atque monarchomacho, intemperanter ſcripſiſſe* : ſaltem *in dicta cauſa Richerium damnari non oportuerat*, cum palam & publicè ſe auctorem eſſe libelli de Eccleſiaſtica & politica poteſtate prædicaret.

Verùm ad ſcholæ nobiliſſimæ decreta, quibus permultæ propoſitiones, libelli de Eccleſiaſtica & politica poteſtate clariſſimè comprobantur, tranſeo : quæ decreta hauſi ex tabulario Facultatis, in antiquo Codice pergameneo, ducentis atque viginti tribus foliis conſtante : In primis autem folio ſeptuageſimo octavo verſo, & 79. recto Codicis memorati, cenſura *adverſus magiſtrum Joannem de Corello* in hæc verba concipitur.

IN NOMINE DOMINI, Amen. Univerſis præſens publicum inſtrumentum inſpecturis, pateat evidenter; Ex anno ejuſdem Domini milleſimo quadrageteſimo octavo more Gallicano, indictione ſecun-

Digitized by Google

dà, menſis Januarii die ſecundâ, ab electione Petri de Luna ultimo in Papam electi, qui dudùm Benedictus tertius decimus nuncupatur, anno decimo quinto, in Congregatione venerabilium, & circumſpectorum virorum, dominorum & magiſtrorum ſacræ Facultatis Theologiæ ſtudii Pariſienſis, in aula Collegii Theologorum de Navarra multùm ſolemniter congregatorum, & more ſolito dictæ Facultatis Theologicæ congregationem & ibidem celebrantium, de mandato Reverendi Patris domini Cancellarii Pariſienſis, tàm Regentium quàm non Regentium, & Religioſorum, ac ſecularium ad infraſcripta ibidem vocatorum; ſpecialiter propter hoc perſonaliter conſtitutus præfatus dominus Concellarius Pariſienſis, dicens & proponens quòd frater Joannes de Gorello ordinis Fratrum Minorum licentiatus in Theologia, poſt Veſperas ſuas fuerat delatus apud ipſum, & conſequenter, apud dictam Facultatem Theologiæ; tanquam dixiſſet ea quæ ſequuntur, ſicut etiam ſcripta ſua exhibita de propria manu ſonare videbantur, formam quæ ſequitur continentia.

Primo, quòd Sacramentum pœnitentiæ nihil agit in habente gratiam virtute Sacramenti fundatur, quia Sacramentum pœnitentiæ non reſpicit principaliter niſi expulſionem culpæ.

Secundo, quòd debitè confeſſus non poſſit obligari ut iterum confiteatur eadem peccata, & hoc ex radice præcedentis dicti.

Tertio, Curatis non competit (ut tales ſunt) prædicare, confeſſare, extremam unctionem dare, ſepulturas dare, decimas recipere: fundatur in hoc, quòd Curati non ſint de inſtitutione Chriſti & Eccleſiæ primaria, ſed per Dionyſium Papam fuerunt ordinati. Item quia ſtat Curatos eſſe qui non erunt ſacerdotes. Item quia locus parochialis non eſt ille quem elegit Dominus, & cæteri ſecundùm figuram antiquæ legis, alioquin deberet illic comedi, & cætera.

Quarto, fratribus competit principaliùs vel eſſentialiùs prædicare, & confeſſiones audire quàm Curatis: fundatur, quia fratribus competit ex regula, & hoc eſt principaliùs, vel eſſentialiùs quàm ex ſtatuto Dionyſii. Item quia ſtat quòd non ſint ſacerdotes. Item quia hæc auctoritas, *agnoſce vultum pecoris tui*, non intelligitur de Confeſſione.

Quinto, Curatis habentibus ſufficienter aliundè, non licet recipere decimas ad uſum proprium, immò ſacrilegium committerent.

Quæ propoſitiones ſeu dicta pluries per deputatos ejuſdem Facultatis diligenter examinata, judicabantur eſſe reparanda, præſertim cùm dominus Rector & multi de univerſitate talem reparationem requiſiſſent in Præſentia dictæ Facultatis.

Digitized by Google

Tandem præfatus Dominus Cancellarius ex matura, diligenti, ac concordi deliberatione magiſtrorum dictæ Facultatis, tàm Regentium quàm non Regentium, & tam Secularium quàm Religioſorum præhabita, Conclusit quòd prædictus frater Joannes de Gorello ordinis Fratrum Minorum, qui tunc & aliàs auditus fuit ad longum & cujus intentio ſcita fuerat, qui etiam ſubmiſerat ſe dictæ Facultati Theologiæ, diceret in die Aulæ ſuæ ante receptionem bireti, ſub hac forma. Ex Veſperiis meis, quidam fuerunt ſcandalizati, ſicut mihi ſignificatum eſt per matrem meam Facultatem Theologiæ, tanquàm intellexerint quòd voluerim inter alia detrahere ſtatui dominorum Curatorum, & quorumdam aliorum Eccleſiaſticorum, propterea volens, quantum in me eſt, tollere omne ſcandalum, & eſſe filius obedientiæ, & pacis, & aſſertor veritatis, Dico nunc ex ordinatione ejuſdem matris meæ, & ultroneâ voluntate, veritates quæ ſequuntur.

Prima, domini Curati ſunt in Eccleſia minores Prælati, et Hierarchæ, ex primaria inſtitutione Chriſti, quibus competit ex ſtatu jus prædicandi, jus confeſſiones audiendi, jus Sacramenta Eccleſiaſtica ſecundùm exigentiam ſui ſtatus, parrochianorum miniſtrandi, jus ſepulturas dandi, jus inſuper decimas, & alia jura parrochialia recipiendi.

Item, quòd jus prædicandi & confeſſandi competunt Prælatis & Curatis principaliter, & eſſentialiter; & Mendicantibus de per accidens, ex privilegio, quoniam ſunt introducti, vel admiſſi ex commiſſione & beneplacito dominorum Prælatorum.

Tertia, Item quòd eadem peccata poſſunt licitè & meritoriè pluries confiteri in multis caſibus, & quòd virtute S. Sacramenti poterit eis prodeſſe quælibet talis reiterata confeſſio.

Quarta, quòd iſta auctoritas, *agnoſce vultum pecoris tui*, bene & aptè intelligitur de cognitione in foro pœnitentiæ.

Quinta, quòd locus parrochialis eſt congruus & ordinarius ut Sacramenta Eccleſiaſtica recipiantur in eo.

Sexta, dum poſui quod Curatis habentibus ſufficienter unde viverent aliundè quam de decimis, non licet recipere decimas ad uſum proprium, imò ſacrilegium committerent; nolui per hoc dare occaſionem Laicis vel aliis quominus decimas ſolverent: ſed volui condamnari abuſus, & non juri dominorum Curatorum detrahere ſuper receptione & uſu licito decimarum: ſicut arbitror ſanctos Doctores quos allegavi, intelligere voluiſſe. Denique ſi aliqua protulerim vel ſcripſerim quæ videantur prædictis contraria, vel quæ aliter accepra ſint, nolo in eis ſtare, ſed volo & ſupplico haberi pro non dictis vel ſcriptis, & alia

quæ-

Digitized by Google

quæcumque quæ viderentur præbere occaſionem ſcandali vel erroris. De & ſuper qua Concluſione, per dictum Dominum Cancellarium facta, & per dictum fratrem Joannem de Gorello licentiatum acceptata, idem dominus Cancellarius petiit à me Notario publico ſubſcripto ſibi fieri & confici publicum inſtrumentum, unum aut plura : præſentibus ad hæc venerabilibus & circumſpectis viris dominis & magiſtris Petro Ubart, Gauffrido Latache, Guillelmo de Bevilla, Joanne d'Acheri, Joanne Mathee, Mathæo Roedes, Jordano Morin, & Joanne de Vameſnillo, nec non venarabilibus & religioſis viris dominis & magiſtris Armelſo de Fonte ordinis Fratrum Minorum, Richardo Generali ejuſdem ordinis Fratrum Minorum, ac Guillelmo de Sanctis ordinis Fratrum Hæremitarum ſancti Auguſtini, & Jacobo de Liſſodio ejuſdem ordinis, omnibus ſacræ Theologiæ profeſſoribus teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter & rogatis. Et ego Joannes Mancyon Pariſienſis publicus auctoritate Apoſtolicâ Notarius, principaliſque bidellus Facultatis Theologiæ ſtudii Pariſienſis : Quia præmiſſæ concluſioni, ſic per reverendum patrem dominum Cancellarium Pariſienſem factæ, ac omnibus aliis & ſingulis, dum ut ſuprà ſcribuntur, agerentur & fierent, unà cùm prænominatis teſtibus præſens interfui, eaque ſic fieri vidi &, audivi. Idcircò huic præſenti publico inſtrumento manu meâ ſcripto, ſignum meum ſolitum appoſui in teſtimonium veritatis præmiſſorum requiſitus.

Hujus autem Cenſuræ facultatis, Gerſonius lib. de poteſtate Eccleſiaſtica conſideratione xii. ſub finem meminit, ubi docet *Curatos eſſe hierarchas, atque vocem definitivam in Conciliis Eccleſiæ cum Epiſcopis habere* : eam verò ſigillatim explicat in Sermone ubi agit de bulla mendicantium.

Porrò in eodem Codice pergameni folio nonageſimo quinto, recto, & verſo, hæc alia Cenſura *adversùs magiſtrum Joannem Sarrazin* extat, quam anno 1611. cùm libello de Eccleſiaſtica & Politica poteſtate unà cum articulis Pariſienſibus contra Lutherum edi curavit Richerius.

In nomine Domini, Amen. Per hoc præſens publicum inſtrumentum, cunctis pateat evidenter & ſit notum, quòd anno ejuſdem Domini milleſimo cccc^mo^ xxix^mo^ more Gallicano, indictione octavâ, menſis Martii die trigeſimâ & penultimâ, Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri, Domini Martini divinâ providentiâ Papæ V. anno xiii. In congregatione venerabilium & circumſpectorum virorum dominorum & Magiſtrorum ſacræ Theologiæ Facultatis ſtudii Pariſienſis, in ſancto Mathurino multùm ſolenniter congregatorum, & more ſolito dictæ Facultatis Theologiæ congregationem ibidem celebrantium : de mandato venerabilis & circumſpecti viri Magiſtri Pe-

tri de Dierreyo dictæ Facultatis Decani, tam regentium quàm non regentium, & religioſorum, ac ſecularium, ad infraſcripta ibidem vocatorum, ſpecialiter propter hoc perſonaliter conſtitutus præfatus Dominus Decanus dicens & proponens, quòd frater Joannes Sarrazin ordinis Fratrum Prædicatorum licentiatus in Theologia, poſt veſperias ſuas; fuerat delatus apud ipſum, conſequenter apud dictam Facultatem, tanquàm dixiſſet ea quæ ſequuntur, ſicut etiam ſcripta exhibita de propria manu, ſonare videbantur, formam quæ ſequitur continentia.

Primò, omnes poteſtates juriſdictionis Eccleſiæ, aliæ à Papali poteſtate, ſunt ab ipſo Papa quantùm ad inſtitutionem, & collationem.

Secundò, hujuſmodi poteſtates non ſunt de jure divino, nec immediatè inſtitutæ à Deo.

Tertiò, non invenitur Chriſtum tales poteſtates, ſcilicet alias à Papali, expreſſiſſe, ſed tantùm ſupremam, cui commiſit Eccleſiæ fundationem.

Quartò, quandocunque in aliquo concilio aliqua inſtituuntur, tota auctoritas dans vigorem ſtatutis, in ſolo ſummo reſidet Pontificio.

Quintò, ex textu Evangelii non habetur expreſſè alicui Apoſtolorum, niſi Petro, auctoritatem juriſdictionis fuiſſe collatam.

Sextò, dicere inferiorum Prælatorum poteſtatem juriſdictionis, ſive ſint Epiſcopi, ſive Curati, eſſe immediatè à Deo, ſicut poteſtatem Papæ, veritati quodammodò repugnat.

a Septimò, ſicut nullus flos, & nulla pullulatio, nec etiam omnes flores, & pullulationes, ſimul poſſunt aliquid in arborem, quia hæc omnia ſunt propter arborem inſtituta, & ab arbore derivata: ſic, omnes aliæ poteſtates, nihil de jure poſſunt contra ſummum ſacerdotium. Infrà dicitur, quòd ſpiritualis poteſtas eſt ſummus Pontifex, ut recitatur Hugonem de ſancto Victore dixiſſe ſecundò de Sacramentis: ex quo poteſt videri, quòd hîc per ſummum Pontificium, ſummus Pontifex intelligatur.

Octavò, ſummus Pontifex Canonicam Simoniam à jure poſitivo prohibitam non poteſt committere.

Quæ propoſitiones ſeu dicta, pluries per deputatos ejuſdem Facultatis diligenter examinata, judicabamus eſſe reparanda: præſertim cùm dominus Rector, & multi de Univerſitate, talem reparationem requiſiiſſent in præſentia dictæ Facultatis. Tandem præfatus dominus Decanus, ex matura & diligenti ac concordi deliberatione Magiſtrorum

a *Hoc argumentum verum eſt de Chriſto Domino qui eſt caput eſſentiale Eccleſiæ: nequaquàm quòd de Petro, qui eſt caput miniſteriale: Itaque, fallit à dicto ſimpliciter, ad dictum ſecundùm id.*

Digitized by Google

dictæ Facultatis, tam regentium quàm non regentium, & tam ſecularium quam religioſorum, præhabita : CONCLUSIT, quòd prædictus frater Joannes Sarrazin, ordinis Fratrum Prædicatorum, qui tunc & aliàs auditus fuit ad longum, & cujus intentio ſcita fuit, & qui etiam ſe ſubmiſerat dictæ Facultati Theologiæ, diceret in dicta congregatione, & deinde in Aula fratris Girardi de Salinis ordinis Fratrum Minorum, poſt primam quæſtionem exſpectatoriam, ſub hac forma.

Ex veſperiis meis quidam fuerunt ſcandalizati, ſicut mihi ſignificatum eſt per matrem meam Facultatem Theologiæ, tanquàm intellexerint, quòd voluerim inter alia, detrahere poteſtati & Eccleſiæ & Prælatorum aliorum à ſummo Pontifice, tam majorum quàm minorum, & quorumdam aliorum Eccleſiaſticorum : & ſpecialiter occaſione quarumdam propoſitionum per me in eiſdem veſperiis meis dictarum : Volens propterea, quantùm in me eſt, tollere omne ſcandalum, & eſſe filius obedientiæ, & pacis, & aſſertor veritatis, dico nunc ex ordinatione ejuſdem matris meæ Facultatis Theologiæ, cujus ordinationi, diſpoſitioni, & omnimodæ determinationi me ſubmiſi & ſubmitto, ac etiam ultroneâ voluntate veritates quæ ſequuntur.

Prima, omnes poteſtates juriſdictionis Eccleſiæ, aliæ à Papali poteſtate, ſunt ab ipſo Chriſto, quantùm ad inſtitutionem & collationem primariam : à Papa autem & ab Eccleſia, quantùm ad limitationem, & diſpenſationem miniſterialem.

Secunda, hujuſmodi poteſtates ſunt de jure divino, & immediatè inſtitutæ à Deo.

Tertia, invenitur in ſacra ſcriptura Chriſtum Eccleſiam fundaſſe, & poteſtates alias à Papali expreſſè ordinaſſe.

Quarta veritas, quandocumque in aliquo Concilio aliqua inſtituuntur, tota auctoritas dans vigorem ſtatutis, reſidet non in ſolo ſummo Pontifice, ſed principaliter in Spiritu ſancto, & Eccleſia Catholica.

Quinta, ex textu Evangelii & doctrina Apoſtolorum habetur expreſſè, Apoſtolis & diſcipulis à Chriſto miſſis auctoritatem juriſdictionis fuiſſe collatam.

Sexta, dicere inferiorum prælatorum poteſtatem juriſdictionis, ſive ſint Epiſcopi, ſive ſint Curati, eſſe immediatè à Deo, Evangelicæ & Apoſtolicæ conſonat veritati.

Septima, aliqua poteſtas, ſcilicet, poteſtas Eccleſiæ, de jure poteſt aliquid, & in certis caſibus, contra ſummum Pontificem.

Octava veritas, quicumque purus viator, habens uſum rationis, cujuſcumque dignitatis, auctoritatis, aut præeminentiæ, etiamſi Papalis exiſtat, Simoniam poteſt committere.

Digitized by Google

Denique, ſi aliqua protulerim vel ſcripſerim, quæ videantur prædictis contraria, vel quę aliter ſcripta ſint, nolo in eis ſtare, ſed volo & ſupplico haberi pro non dictis vel ſcriptis, & alia quæcumque, quæ viderentur præbere occaſionem ſcandali vel erroris.

Qui quidem Frater Joannes Sarrazin, modo & formâ prædictis, omnia & ſingula fecit, dixit, & protulit. Primò, videlicet in dicta congregatione in Capitulo ſancti Mathurini Pariſiis, ut præfertur, celebrata: præſentibus ibidem venerabilibus & circumſpectis viris, domino Decano prænominato, ac magiſtris Joanne de Trecis, Guillelmo de Bomillon, Guillelmo de Sella, Emerico de Bruſſeriis, Rollando Barguenal, Guillelmo Boutitot, Joanne de Vernonne, Remondo de Altoponte, Philippo Bavet, Dionyſio de Sabrevois, Joanne le Gallois, Girardo Gerron, Martino Billery, Joanne pulchri patris, Joanne de Gondivillier, Thomâ Monachi, Rogerio de Gaillon, Joanne Soqueti, Guillelmo Adelie, Joanne Tripier, Joanne Graveſtain, Gaufredo Coclearis, Michaële Langlois, Georgio de Valleſponſa, Roberto de Porta, & Joanne de Queſneyo, magiſtris in Theologia, tam ſecularibus quàm religioſis, ac Joanne Vacheau principali bidello ejuſdem Facultatis. Item eiſdem anno, indictione, menſe, die, & Pontificatu prædictis, dictus Frater Joannes Sarrazin dictas propoſitiones legit & reparavit modo & formâ ſupradictis, in Aula reverendi Patris Domini Epiſcopi Pariſienſis, poſt primam quæſtionem magiſterii fratris Girardi de Salinis ſupradicti, præſentibus dicto Reverendo in Chriſto Patre Domino Epiſcopo Pariſienſi, ac venerabilibus ac circumſpectis viris Magiſtris Petro de Dierreyo Decano ejuſdem Facultatis, Guillelmo Evrardy Rectore Univerſitatis Pariſienſ. Hugone Majoris viceſgerente Cancellarii Eccleſiæ Pariſienſ. Guillelmo de Sella, Joanne pulchri patris, Rogerio de Gaillon, Joanne Soqueti, Gaufredo Coclearis Magiſtris in Theologia, Laurentio Caliot, Petro de la Haſardiere, Guillelmo Hugueti, Guillelmo Candelli Magiſtris in artibus, cùm pluribus aliis tam Magiſtris, quàm Doctoribus, Scholaribus, Baccalariis, & ſecularibus ibidem exiſtentibus: de & ſuprà quibus, præmiſſis omnibus & ſingulis, dicti Domini Decanus & Rector, & quilibet ipſorum, petierunt, & petiit à me Notario publico ſibi fieri & confici publicum inſtrumentum, unum vel plura. Acta fuerunt hæc anno, indictione, menſe, die, Pontificatu, & locis prædictis, præſentibus prænominatis teſtibus, ad præmiſſa vocatis ſpecialiter, & rogatis. Et ego Laurentius Pontrelli presbyter Curatus Parrochialis Eccleſiæ de Annovilla, Rothomagenſis Diœceſis, publicus Apoſtolicâ & Imperiali auctoritatibus Notarius, præmiſſis omni-

Digitized by Google

bus & ſingulis, dum ſic, ut ſuperiùs ſcripta ſunt, fierent, & agerentur, unà cum prænominatis teſtibus præſens fui, eaque ſic fieri vidi, & audivi: Idcircò huic præſenti publico inſtrumento alienâ manu fideliter ſcripto, me aliis occupato negotiis, ſignum meum publicum appoſui conſuetum, hîc propriâ manu ſubſcribendo, requiſitus & rogatus in teſtimonium veritatis præmiſſorum.

Signatum, PONTRELLI.

Hoc decretum confirmatur etiam ſex ſequentibus concluſionibus articulorum ejuſdem Facultatis Pariſienſis contra Lutherum: quibus conſtat Chriſtum Dominum immediatè contuliſſe infallibilem auctoritatem decernendi, & excommunicandi, toti Eccleſiæ collectivè ſumptæ, ut per unum exerceretur: ſumma verò totius juriſdictionis Eccleſiaſticæ, in facultate excommunicandi conſiſtit, ut omnes Theologi norunt.

Articulus XVIII.

Tenetur & quilibet Chriſtianus firmiter credere unam eſſe in terris univerſalem Eccleſiam viſibilem, quæ in fide & moribus errare non poteſt: cui omnes fideles, in his quæ ſunt fidei & morum, obedire aſtringuntur.

XIX. Quòd ſi quid in ſcripturis ſacris controverſiæ aut dubii oriatur, ad præfatam Eccleſiam definire & determinare ſpectat.

XX. Eſt & certum, multa eſſe credenda, quæ non ſunt expreſſè & ſpeciatim tradita in ſcripturis ſacris: quæ tamen per traditionem Eccleſiæ ſunt neceſſariò recipienda.

XXI. Eodem veritatis firmamento recipiendum, poteſtatem excommunicandi eſſe de jure divino immediatè à Chriſto Eccleſiæ conceſſam: & ob id magnoperè timendas eſſe cenſuras Eccleſiaſticas.

XXII. Certum eſt Concilium generale legitimè congregatum univerſalem repræſentans Eccleſiam, in fidei & morum determinationibus errare non poſſe.

XXIII. Nec minùs certum, unum eſſe de jure divino ſummum in Eccleſia Chriſti militante Pontificem: cui omnes Chriſtiani parêre tenentur: qui quidem poteſtatem habet & indulgentias conferendi.

Hîc operæ pretium eſt notare, in more poſitum eſſe, ut omnes baccalaurei Facultatis Theologiæ Pariſienſis, tam ſeculares, quàm regulares, ſolenniter jurent in prædictos articulos, eoſque propriâ ſyngraphâ obſignent, atque inſuper in omnium diſputationum aut actorum ſuorum exordio palàm & publicè profiteantur, ſe ſacrorum Conciliorum definitionibus, nec-

Digitized by Google

non decretis ſacratiſſimæ Facultatis Theologiæ Pariſienſis, jugiter adhæſuros: quarum poteſtationum eximium extat monimentum in tabellario Facultatis, anno M. D. VIII. *factum: & à Guidone Rigaudeau, ac Joanne Crozon Notariis publicis obſignatum.*

Tertium ſcholæ noſtræ decretum *adversùs fratrem Joannem Angeli*, his conceptum verbis, leges in eodem Codice pergameneo, fol. centeſimo ſexto recto, & verſo.

IN NOMINE DOMINI, Amen. Hujus præſentis publici inſtrumenti tenore cunctis pateat evidenter, & ſit notum, quòd cùm apud almam Theologorum Facultatem Pariſiis, ex parte venerabilis Capituli inſignis Eccleſiæ Tornacenſis delatæ & præſentatæ extitiſſent quatuordecim propoſitiones tanquàm erroneæ, aut in fide malè ſonantes, in quodam papyri folio redactæ, & ſcriptæ; quas aſſerebat dictum Capitulum fuiſſe in civitate Tornacenſi publicè in diverſis prædicationibus ad populum per quendam fratrem Joannem Angeli ordinis Fratrum Minorum prædicatas, & aſſertas; ut conſtare dicebat per quandam informationem auctoritate juſtitiæ factam, prædictæ Facultati ex parte ipſius Capituli cum dictis propoſitionibus præſentatam, & ſuper illarum propoſitionum qualificatione nonnulli egregii præfatæ Facultatis Doctores & magiſtri, unà cum Decano prædictæ Facultatis ad ipſas propoſitiones examinandas, & earum veritatem judicandam per ipſam almam Facultatem electi & deputati fuiſſent, diverſiſque diebus & reïteratis vicibus, tam in domo domini Decani præfatæ Facultatis, quàm alibi prædicti Doctores & magiſtri deputati, cum multis & variis argumentationibus & diſcuſſionibus ſuper examine præfatarum propoſitionum, & earum qualificatione, dictæque informationis viſitatione congregati extitiſſent, materiaque prædicta in multis congregationibus prædictæ Facultatis agitata: TANDEM anno Domini milleſimo cccc. octuageſimo ſecundo, more gallicano computando, indictione primâ, menſis verò Februarii die quintâ, Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri, Domini Sixti, divinâ providentiâ Papæ quarti, anno duodecimo. In mei Notarii publici præfatæ Facultatis ſcribæ, teſtiumque infraſcriptorum ad hæc vocatorum præſentia, præfata alma Theologorum Facultas, apud ſanctum Mathurinum Pariſienſem in loco ſolito, per egregium & doctiſſimum virum magiſtrum Joannem Huë ſacræ Theologiæ profeſſorem, Eccleſiæ Pariſienſis Pœnitentiarium, ac præfatæ Facultatis Decanum, ſolemniter & per juramentum ad qualificandum præfatas quatuordecim

Digitized by Google

propoſitiones convocata, & congregata, omnibuſque magiſtris in magno numero tam Secularibus quàm Religioſis in præfata congregatione exiſtentibus, unus poſt alium ad longum auditis : PRÆFATA alma Theologorum Facultas poſt omnium & ſingulorum præfatorum magiſtrorum maturam deliberationem, per organum prænominati magiſtri Joannis Huë Decani, nemine opponente, prædictas quatuordecim propoſitiones modo & formâ & prout continetur in quodam papyri folio de verbo ad verbum in prædicta congregatione pluries lecto & mihi Notario publico tradito, qualificavit. Cujus papyri folii, dictas propoſitiones & earum qualificationem continentis, tenor de verbo ad verbum ſequitur & eſt talis. FRATER JOANNES ANGELI Religioſus Fratrum Minorum, in quadrageſima noviſſima publicè prædicavit articulos ſeu propoſitiones ſequentes, tàm in Eccleſia Tornacenſi, quàm in parrochialibus Eccleſiis ſanctorum Petri, & Quintini Tornacenſis, Capitulo Eccleſiæ præfatæ Tornacenſis ſubditis, cui Fratres Minores Conventus civitatis Tornacenſis favorem, & aſſiſtentiam omnimodam præbuerunt.

PRIMUS articulus. Fratres Minores præſentati Epiſcopo & admiſſi, ſunt proprii Sacerdotes & veri Curati, & meliùs quàm presbyteri parrochiales, quia Facultatem ſuam habent à ſummo Pontifice, & dicti presbyteri ab ipſo Epiſcopo duntaxat. QUIDQUID ſit de prima parte, propter æquivocationem iſtius termini *proprii* : DICIT tamen Facultas, quòd propoſitio in ſe, & quoad omnes reliquas partes, & probationem partis ultimæ, in qua dicitur (*ab Epiſcopo duntaxat*) eſt ſcandaloſa, in fide erronea, hierarchici ordinis deſtructiva, & pro conſervatione ejuſdem ordinis publicè revocanda, & abjuranda.

Secundus articulus. Parrochianus confeſſus dictis Fratribus, ſatisfecit decretali *Omnis utriuſque ſexus de Pœnit. & remiſ.* Nec tenetur confiteri proprio ſuo Curato ſemel in anno, nec ab eo petere licentiam. HÆC PROPOSITIO ut jacet, eſt ſcandaloſa, & juri communi contraria; & pro ſubditorum ad Prælatos debitæ obedientiæ & reverentiæ obſervantia, publicè revocanda.

Tertius articulus. Si Curatus recuſet Sacramentum Euchariſtiæ miniſtrare parrochiano eiſdem Fratribus ſic confeſſo, veniat ille parrochianus ad Fratrem qui eum audivit, & ipſe ſibi adminiſtrabit. HÆC PROPOSITIO in forma in qua jacet, eſt falſa, & de hæreſi vehementer ſuſpecta, juri communi contraria, & publicè revocanda.

Quartus articulus. Curatus Parrochialis nihil debet recipere à parrochianis ſuis pro confeſſione & Sacramentorum adminiſtratione, ſecus eſt de mendicantibus. HÆC PROPOSITIO eſt contra diſpoſitio-

Digitized by Google

nem juris naturalis & divini expreſſam ; Ideò falſa , & notoriè hæretica.

Quintus articulus , Curatus aſſerens parrochianos ſuos obligari ut ſibi confiteantur ſemel in anno ſub pœna peccati mortalis , eſt excommunicatus , & ſi celebret irregularitatem incurrit. HÆC PROPOSITIO eſt falſa & injurioſa.

Sextus articulus , faciens celebrare miſſam per ſacerdotem tenentem ſecum mulierem ſuſpectam , ſeu aliàs mali regiminis , peccat mortaliter. HÆC PROPOSITIO quia indeterminatè loquitur eſt dubia, temeraria, & nullo modo populo prædicanda.

Septimus articulus, fratres prædicti non tenentur ad ſolutionem quartæ, de qua in Clementina *Dudum. de ſepulturis*. HÆC PROPOSITIO eſt juri communi contraria.

Octavus articulus , Papa poſſet totum jus Canonicum deſtruere, & novum conſtruere. HÆC PROPOSITIO eſt ſcandaloſa, blaſphematoria, notoriè hæretica, & erronea.

Nonus articulus , aliqui ſancti ſunt furioſi, gallicè *enragez*. HÆC PROPOSITIO eſt ſcandaloſa, blaſphematoria, & piarum aurium offenſiva.

Decimus articulus, animæ in purgatorio exiſtentes ſunt de juriſdictione Papæ, & ſi vellet poſſet totum Purgatorium evacuare. HÆC PROPOSITIO in ſe eſt dubia, & ad mentem aſſerentis per modum juriſdictionis , & ordinariæ poteſtatis, de falſitate ſuſpecta, & ſcandaloſa, & nullatenus populo publicè prædicanda.

Undecimus articulus, Papa poſſet ab uno Eccleſiaſtico tollere medietatem reddituum beneficiorum ſuorum , & uni alteri dare, non exprimendo aliquam cauſam. HÆC PROPOSITIO eſt periculoſa & nullo modo prædicanda, ut jacet.

Duodecimus articulus. Quicumque contradicit voluntati Papæ paganizat , & ſententiam excommunicationis incurrit (ipſo facto) & à nullo Papa reprehendi poteſt niſi in materia hæreſis : HÆC PROPOSITIO eſt falſa, ſcandaloſa, & ſapiens hæreſim manifeſtam.

Decimus tertius articulus : Bulla per papam modernum eiſdem fratribus conceſſa, fuit Pariſiis prædicata & per Univerſitatem Pariſienſem approbata , & qui eidem contradicit , ſententiam excommunicationis incurrit ipſo facto. HÆC PROPOSITIO eſt falſa , & mendacium manifeſtum continens.

Decimus quartus articulus. Dictus frater Joannes Angeli omnes & ſingulos articulos ſupradictos pluries aſſeruit fore veros , & eoſ-

dem

Digitized by Google

dem ſuſtinere velle Pariſiis, & ubicumque uſque ad ignem, & illos nunquam revocare, dicens ſe non eſſe de numero prædicatorum qui ſe revocant. Hoc dictum eſt hominis protervi, & pertinacis, & ſufficiens ad procedendum contra eum judicialiter, tanquam contra vehementer de hæreſi ſuſpectum.

Declarat etiam præfata alma Theologorum Facultas, quòd prædictorum articulorum qualificatio, nullo modo derogat, nec præjudiciat Clementinæ *Dudum, de ſepulturis.* De qua quidem qualificatione, omnibuſque præmiſſis, egregii & doctiſſimi viri Magiſtri Joannes Roerii ſacræ Theologiæ profeſſor, Canonicus prædictæ Eccleſiæ Tornacenſis, tam ſuo, quàm præfati Capituli nominibus, nonnullique etiam doctores & magiſtri in dicta congregatione, & Joannes Paruy, *aliàs* Laurentii in artibus magiſter, in jure Canonico licentiatus, hoſpitalarius & Canonicus præfatæ Eccleſiæ Tornacenſis, tam ſuo quàm præfati Capituli nominibus; nonnulli etiam doctores & magiſtri in dicta congregatione exiſtentes, petierunt ſibi & eorum cuilibet fieri atque tradi publicum inſtrumentum, ſeu publica inſtrumenta, unum aut plura, per me Notarium publicum ſubſcriptum. Acta fuerunt hæc Pariſius in loco ſupradicto ſancti Mathurini, ſub anno, indictione, die, menſe, & Pontificatu prædictis: Præſentibus ad hæc egregiis & doctiſſimis viris magiſtris Antonio Urſi, Joanne de Hallies, Laurentio de Colonia, Guillelmo Houppelande, Jacobo l'Huillier, Reverendo in Chriſto Patre Domino Joanne Abbate Regalis montis, Reverendo etiam Patre Domino Joanne Abbate Caroliloci ordinis Ciſtercienſis, Stephano Gervaſi, Joanne de Touques, Joanne Quintin ſacræ Theologiæ profeſſoribus; necnon quamplurimis aliis in magno numero, tam ſecularibus quàm Religioſis etiam ſacræ Theologiæ profeſſoribus, teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter, & rogatis. Et ego Henricus Alexandri presbyter, in jure Canonico Baccalaureus publicus, auctoritate Apoſtolicâ & Imperiali actoritatibus, ac venerandæ Curiæ conſervationis privilegiorum famoſiſſimi ſtudii Pariſienſis juratus Notarius, prædictæque almæ Theologiæ Facultatis Scriba: quia prædictorum articulorum & informationis pro parte Capituli Tornacenſis ſupradictæ almæ Theologiæ Facultati, præſentationi, & exhibitioni, prædictorumque articulorum examinationi & qualificationi, cæteriſque præmiſſis omnibus, & ſingulis, dum ſic ut ſuprà ſcribuntur & per præfatos Decanum & facultatem agerentur & fierent, unà cum prænominatis teſtibus præſens interfui, eaque ſic fieri vidi, & audivi: Idcirco huic inſtrumento publico & alterius manu fideliter ſcripto, ſignum meum publicum conſuetum ap-

Digitized by Google

poſui, In fidem & teſtimonium præmiſſorum requiſitus & rogatus. Sic ſignatum, H. Alexandri.

Quartum decretum ex eodem Codice excerptum eſt, fol. centeſimo quinquageſimo ſexto verſo, & centeſimo quinquageſimo ſeptimo recto: continetque reſponſionem Carolo VIII. Regi Chriſtianiſſimo factam, cùm Eccleſiæ ſeriò reformandæ rationem iniret, poſtquàm ex Italica expeditione victor rediit.

Anno Domini M. CCCC. XCVII. die undecimâ menſis Januarii, ſacratiſſima Theologorum Facultas almæ matris Univerſitatis Pariſienſis congregata fuit apud ſanctum Mathurinum, pro terminandis quibuſdam quæſtionibus à domino noſtro rege ad ſe tranſmiſſis, ſuper quibus jamdudum fuerant dati duodecim deputati ex magiſtris noſtris, diu quoque & per plures dies continuè per dictos deputatos & alios fuerat diſputatum ſuper his: quibus deputatis auditis, & conſequenter omnium Doctorum Regentium & Magiſtrorum acceptâ uniformi deliberatione, & concluſione, Fuit per dictam Facultatem concorditer reſponſum ad dictas propoſitiones affirmativè, videlicet ad primam quâ quærebatur: *A ſçavoir-mon ſi le Pape eſt tenu de dix ans en dix ans aſſembler le ſaint Concile repreſentant l'Egliſe univerſelle, & mêmement de preſent, conſideré le deſordre qui eſt tout notoire en l'Egliſe*, tam in capite quàm in membris. Et responsum est, quòd ſummus Pontifex & Pater ſanctiſſimus tenetur de decennio in decennium congregare generale Concilium univerſalem Eccleſiam repræſentans, & maximè nunc, cùm tanta ſit deordinatio in Eccleſia, tam in capitibus quàm in membris, quæ cunctis notoria eſt.

Ad ſecundam quâ quærebatur: *Et en cas de urgente neceſſité, comme de preſent, ou quand dix ans ſont paſſez aprés le dernier Concile, ſi le Pape eſt prié & ſommé de ce faire, & s'il eſt negligent ou differe, à ſçavoir-mon ſi les Princes, tant Eccleſiaſtiques que ſeculiers, & autres parties de l'Egliſe, ſe peuvent aſſembler de ſoi-même, & s'ils feront le ſaint Concile repreſentant l'Egliſe univerſelle, ſans être par le Pape aſſemblez.* Dictum est determinativè, quòd ſi tempore urgentis neceſſitatis, ſicut nunc, vel poſt decem annos ab ultimo celebrato Concilio, dictus ſummus Pontifex rogatus fuerit, requiſitus, ſummatus, & monitus de ſic congregando dictum concilium, ut ſuprà, & facere recuſaverit, & neglexerit vel diſtulerit: tunc Principes tam Eccleſiaſtici quàm ſeculares, & partes Eccleſiæ notabiles, poſſunt ſe congregare, ſine hoc quòd per dictum ſummum Pontificem congregetur dictum Concilium Eccleſiam univerſalem repræſentans.

Digitized by Google

Ad tertiam quâ quærebatur : *Si en cas de urgente neceſſité comme de preſent , ou aprés dix ans paſſez, comme deſſus , une grande & notable partie de la Chrêtienté, comme le Roiaume de France, ou le Roi repreſentant icelui, prie, ſomme, & admoneſte le Pape & les autres parties de ſoi aſſembler & pourvoir à la neceſſité de l'Egliſe ; & les autres parties, ou aucunes d'elles ſont negligentes, refuſantes, ou dilaiantes d'y venir, A ſçavoir-mon ſi ceux qui ſe trouveront pourront celebrer ledit Concile ſans les autres, & pourvoir à la neceſſité de l'Egliſe.* DIXIT ET DEFINIVIT prædicta Facultas, quòd tempore urgentis neceſſitatis ut nunc, vel poſt decennium ab ultimo celebrato concilio, ut ſuprà dictum eſt, poſtquàm aliqua bona magna pars & notabilis chriſtianitatis, quemadmodum regnum Franciæ, vel Rex Chriſtianiſſimus ipſius vices gerens, rogaverit, ſummaverit, & exhortatus fuerit dictum ſummum Pontificem, cæteraſque partes Eccleſiæ, de congregando dictum Concilium, & ad ipſum conveniendo, & de providendo neceſſitati Eccleſiæ ; ipſe verò Pontifex vel aliquæ prædictarum partium fuerint recuſantes, negligentes, vel differentes de veniendo ad dictum Concilium ; Nihilominus illi qui aderunt & comparebunt, poterunt ſine aliis non comparentibus dictum Concilium celebrare, & neceſſitati Eccleſiæ providere. Actum Anno & die prædictis.

Quæ reſponſio apertè declarat quidnam Pariſienſes Theologi, conformiter ad Conſtantienſis & Baſileenſis ſynodi decreta de authoritate Concilij ſupra Papam, & de Regum Chriſtianorum poteſtate in Conciliis indicendis, & congregandis tum temporis ſentirent, atque docerent. Porrò, ne aliquid eorum quæ in prima editione libelli de Eccleſiaſtica & politica poteſtate continebantur, in hac Demonſtratione deſiderari poſſit, eam Cenſurâ facultatis Pariſienſis adversùs myſterium iniquitatis Philippi Mornæi ſic concludam.

CUM auctore Apoſtolo 4. ad Epheſios, Deus omnia in unitatem concluſerit ; & quæcumque ſunt à Deo ordinata ſint, Romanor. 13. exploratum autem habeatur, unitatem atque ordinem ſine eminentis alicujus auctoritatis prærogativa nequaquàm ſubſiſtere : eaque de cauſa, Dominum noſtrum ad vitanda ſchiſmata, B. Petrum Vicarium ſuum, & caput viſibile Eccleſiæ conſtituiſſe, Mathæi 16. & Joannis 21. Meritò quidem omnes Catholici illos execrari debent, qui S. E. Romanæ primatum, atque unicam Petri cathedram ſcriptis ſuis evertere moliuntur : cùm certiſſimum ſit, Eccleſiam, quæ eſt myſticum corpus viſibile Chriſti, nullâ aliâ re vel notâ accuratiùs dignoſci, aut à factio-

Digitized by Google

ſis Sathanæ conventiculis, quàm uno viſibili capite ſecerni poſſe. Quod ipſum ſectariorum exempla ſatis comprobant, qui in ortus ſui principio, cùm ab hac unitate & fundamento viſibili nefariè deſciviſſent, ſtatim in variorum ſchiſmatum ac hæreſeon monſtra degenerarunt: adeò ut, tanquàm Madianitæ, ſeſe mutuis & contrariis dogmatum vulneribus confecerint: nullâ aliâ re inter ſe conſentientes, quàm ut ſacroſanctam Eccleſiæ Catholicæ unitatem funditus labefactent: ſicut omnibus eorum libris innoteſcit, maximè verò duobus, quos Philippus Mornæus Pleſſæus in lucem edidit: quorum alter, pridem à ſacratiſſima Facultate Theologiæ Pariſienſi damnatus, inſcribitur, *de l'Inſtitution, uſage, & doctrine du ſaint Sacrement de l'Euchariſtie*: alter, paucis ab hinc diebus vulgatus, iſtum nefandum ac horribilem titulum præfert: *le Myſtere d'Iniquité, c'eſt-à-dire, l'Hiſtoire de la Papauté.*

Quocirca, Decanus & Doctores prædictæ Facultatis Pariſienſis, anno milleſimo ſexcenteſimo undecimo, die primâ Auguſti, poſt ſacrum de ſancto Spiritu, more ſolito celebratum, in majorem aulam Collegii Sorbonæ convenientes, provinciam iſtius libri examinandi viris ſelectis demandarunt: qui quidem die decimâ nonâ ejuſdem menſis & anni, ad Facultatem retulerunt, ſe præfatum opus conſideratè legiſſe, atque expendiſſe: innumeris autem execrandis blaſphemiis, atque impietatibus in religionem, fidem Catholicam, & ſanctam ſedem Apoſtolicam ſcatere; variis ac propudioſis mendaciorum atque hæreſeon pridem damnatarum centonibus interpolatum: denique, præcipuum Mornæi inſtitutum eſſe, ut Babylonicam confuſionem in Eccleſiam Catholicam, primatus ſanctæ ſedis Apoſtolicæ, atque unius Cathedræ Petri everſione, intromittat, omneſque Principes Chriſtianos, ad bellum ſanctiſſimo D. noſtro Papæ inferendum, ſuâ turbulentiſſimâ oratione inflammet.

Quibus auditis, atque iteratò & maturè in deliberationem adductis, die vigeſimâ ſecundâ Auguſti, in ſolennibus comitiis, hâc de cauſâ ſub juramento habitis; omnes & ſinguli Magiſtri Theologiæ, primo cenſuerunt, dictum librum hoc nefandiſſimo titulo nuncupatum, *le Myſtere d'Iniquité, c'eſt-à-dire l'Hiſtoire de la Papauté*, tanquàm legi divinæ, naturali, & canonicæ, Patrum antiquorum doctrinæ, praxi Eccleſiæ Catholicæ, ſacriſque ritibus ab omni memoria hominum in Eccleſia uſitatis ac receptis, omnino contrarium, hæreticum, furioſiſſimum, ſeditioſiſſimum, impudentiſſimis calumniis atque mendaciis refertiſſimum, damnandum, execrandum, ac populo Chriſtiano penitùs interdicendum. Secundò, ut omnes pios Eccleſiæ Catholicæ & Roma-

Digitized by Google

næ aſſertores hujuſce rei necnon imminentis periculi quamprimùm commonefacerent, hoc decretum Latinè, & Gallicè typis vulgandum eſſe ſtatuerunt. Demùm, univerſos Eccleſiæ Catholicæ Præſules, ac civiles Magiſtratus humillimè obſecrant, atque obteſtantur, ut pro ſui officii & auctoritatis ſibi à Deo creditæ ratione, huic teterrimæ peſti generoſè ac efficaciter occurrere annitantur: pervigilentque tanquàm rationem de publica Eccleſiæ pace, quiete, atque animarum ſalute reddituri.

Domine libera animam meam à labiis iniquis, & à lingua doloſa, PSAL. 119.

Aufer à me opprobrium & contemptum, quia teſtimonia tua exquiſivi. Redime me à calumniis hominum, ut cuſtodiam mandata tua, PSAL. 118.

FINIS.

Digitized by Google

ADMONITIO
ad Lectorem.

CUm Emundus Richerius anno 1629. tres ampliùs menſes graviſſimis & acutiſſimis torminibus nephritidis laboraſſet: ſuamque fidem, & pietatem omnes indubiam, & conteſtatam vellet relinquere: Declarationem in fronte, & veſtibulo hujus libri editam anno 1622. iterato coram Thoma Vaſſets, & Fiacrio Jutet notariis Caſteleti Pariſienſis de integro edendam, & frequentandam cenſuit, die 28. Junii ejuſdem anni 1629. Sed de hinc die ſeptimâ Decembris ſequentis, illuſtriſſimus Cardinalis de Richelieu Proviſor Sorbonæ, & primus Regis Franciæ miniſter, accerſito ad ſuas ædes Richerio per Carolum Talonum doctorem Sorbonicum, & parœcum ſancti Gervaſii Pariſienſis, eidem Richerio dixit, ſe nominatim mandatum à Rege habere pacem conſtituendi in Collegiò Sorbonæ: neque Declarationem anno 1622. editam à Richerio ſufficere ad tollenda diſſidia, & diſſenſiones doctorum: neque etiam gravitatem temporum pati, ut hodiernâ die Richerius libellum ſuum explicaret, ut memoratâ Declaratione ſpondebat. Itaque peropus eſſe Declarationem novam ederet, cujus exemplum poſteà integrum exhibemus. Quibus perſpectis, cùm Richerius ſibi minimè integrum videret dicere apertè quidnam de hoc Cardinalis Richeleii mandato, nomine & auctoritate Regis armato ſentiret, neque ei Regem convenire, & alloqui fas eſſet: & præterea color quæreretur pacis in Collegio Sorbonico ſtabiliendæ, quam Richerius ne tantillum quidem unquam labefactarat: Ut ergo publicæ atque privatæ pacis amantiſſimus, Declarationem ſibi à Cardinali Richeleio dictatam, & oblatam in ejus ædibus exſcripſit, atque obſignavit, in Camera Patris Joſeph ordinis Capucinorum, præſente, ac teſte Carolo Talono, atque eodem Patre Joſeph: quam Declarationem ejuſdem Cardinalis juſſu Richerius ad notarios conſignandam detulit, qualem hic intueris.

Digitized by Google

Declaratio Emundi Richerii ſuper editione libelli ſui de Eccleſiaſtica, & Politica poteſtate.

EGO Emundus Richer Presbyter diœceſis Lingonenſis, doctor ſacræ Facultatis Theologiæ Pariſienſis, & magnus Magiſter Collegii Cardinalitii Univerſitatis Pariſienſis ſubſignatus : Cùm perſpexerim quaſdam propoſitiones libelli à me ſcripti anno milleſimo ſexcenteſimo undecimo, *De Eccleſiaſtica, & Politica poteſtate*, in malam partem acceptas : hîc proteſtor & declaro, me ſemper voluiſſe, atque etiam nunc velle, & meipſum, & libellum præfatum, quaſcumque ejus propoſitiones, earumque interpretationem, *omnemque meam doctrinam Eccleſiæ Catholicæ Romanæ, & ſanctæ ſedis Apoſtolicæ judicio ſubjicere : quam Matrem, & Magiſtram omnium Eccleſiarum, & infallibilem veritatis judicem agnoſco* : ac proteſtor permagnum concepiſſe dolorem, aliquas propoſitiones memorati libelli ſic à me eſſe conſcriptas, ut occaſionem offenſionis dederint : quaſi juſtæ & legitimæ poteſtati ſummi Pontificis, & Dominorum Prælatorum Eccleſiæ aliquid diminutum aut detractum vellem, licèt talis intentio mea non fuerit : *Quas quidem propoſitiones, quatenus Eccleſiæ Catholicæ, Apoſtolicæ & Romanæ judicio*, UT SONANT, *contrarias vehementer improbo & condemno*. Quam Declarationem, profiteor me liberè, ac voluntariè edidiſſe, ut mea erga ſanctam ſedem Apoſtolicam obedientia cunctis pateat : eamque inter manus illuſtriſſimi Domini Cardinalis de Richelieu Proviſoris Sorbonæ conſignandam cenſuiſſe, pro ratione obſervantiæ, & debiti mei erga eumdem Dominum illuſtriſſimum Cardinalem. In cujus rei fidem, & teſtimonium præſentem Declarationem, & Proteſtationem concepi, meâque manu ſcripſi, & obſignavi, anno Domini milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo nono, die Veneris ſeptimâ Decembris, præſentibus Magiſtro Carolo Talon parœco ſancti Gervaſii Pariſienſis, & patre Joſeph Pariſienſi ordinis Capucinorum : Signatum Richer, Talon, & Joſeph cum ſyngraphis.

E. RICHER.

AUjourd'hui datte des preſentes, eſt comparu pardevant les Notaires, & Gardenotes du Roi nôtre Sire en ſon Chaſtelet de Paris ſouſſignez, Venerable & ſcientifique perſonne Me. Emond Richer Docteur en la Faculté de Theologie de Paris & grand Me du College dit du Cardinal le Moine fondé en l'Univerſité de Paris, ruë ſaint Victor : lequel volontairement a reconnu, & confeſſé avoir écrit, & ſigné le contenu ci-

Digitized by Google

deſſus, qui eſt veritable : dont il a requis auſdits Notaires ſouſſignez le preſent acte, à lui octroyé en l'étude de Jutet, l'un deſdits Notaires ſouſſignez, le Vendredi après midi ſeptiéme jour de Decembre l'an mil ſix cent vingt-neuf, & a ſigné la minute du preſent Acte avec leſdits Notaires ſouſſignez, demeurée vers ledit Jutet l'un deſdits Notaires ſouſſignez.

Signé, COUSTART, & JUTET.

PОrrò, in memorata Declaratione duæ potiſſimùm clauſulæ occurrunt notatu dignæ, quarum prior eſt ejuſmodi : *Omnemque meam doctrinam Eccleſiæ Catholicæ, Romanæ, & ſanctæ ſedis Apoſtolicæ judicio ſubjicere, quam Matrem, & Magiſtram omnium Eccleſiarum, & infallibilem veritatis judicem agnoſco, &c.* Quæ verba de Romanæ Eccleſiæ, & ſedis Apoſtolicæ infallibili judicio conjunctim, non autem ſeparatim de ſola ſede Apoſtolica intelligi oportere liquet : propterea quod nullus Patrum antiquorum ſolam ſedem Apoſtolicam diſtributim captam, Matrem, & Magiſtram omnium Eccleſiarum infallibilem unquam vocavit : ſed ſolummodò Romanam Eccleſiam *propter potentiorem principalitatem* : quippe quæ à beatis Apoſtolis Petro & Paulo collectim eſſet fundata, ut S. Irenæus lib. tertio cap. tertio adverſus hæreſes nominatim docet. Cùm itaque hæc Eccleſiæ Romanæ fundatio ab Apoſtolis Petro & Paulo conjunctim facta, unius & ſolius ſedis Apoſtolicæ, aut Papæ ſingularitatem Monarchicam excludat : Inſurgit neceſſariò, memoratam clauſulam de ſedis Apoſtolicæ, atque Romanæ Eccleſiæ infallibilitate conjunctim ſumptam, nihil penitus officere, aut iis derogare quæ Richerius libello de Eccleſiaſtica, & politica poteſtate aſſerit : puta ſolam Eccleſiam Catholicam, Apoſtolicam, & Romanam collectim non ſedem Apoſtolicam, aut Papam diſtributim captos, eſſe infallibiles : conſequenterque *Eccleſiam Canone non abſolutâ poteſtate regi oportere*, ut libello ſuo docet Richerius.

Poſterior clauſula ſic concipitur, *quas quidem propoſitiones, quatenùs Eccleſiæ Catholicæ, Apoſtolicæ, & Romanæ judicio*, UT SONANT, *contrarias vehementer improbo, & condemno :* Hinc autem planum evadere, propoſitiones libello Richerii contentas, ſolummodò conditionaliter, & ſecundùm quid Cenſurâ compunctas, ſicut jam ſuperiùs in Epiſtola hujus libelli ad lectorem obſervatum eſt. Quapropter ſequitur neceſſariò, vocem illam, UT SONANT, certam munire viam Richerio ad explicandas libelli ſui propoſitiones in bonum, verum & catholicum ſenſum : ac proindè Declarationem à Richerio editam apud illuſtriſſimum Cardinalem de Richelieu, nihil planè libello Richerii de Eccleſiaſtica & politica poteſtate incommodare.

Digitized by Google

CONSOLATIO,

Et ſpes hominis Chriſtiani, ut ei omnis metus mortis adimatur.

VENITE ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos: & invenietis requiem animabus veſtris: Jugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve.] Ego ſum via, & veritas, & vita.] *ait Dominus.* Videte qualem charitatem dedit nobis Pater miſericordiarum, ut filii Dei nominemur, & ſimus.] Si autem filii, & hæredes; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti: ſi tamen compatimur, ut & conglorificemur. Quid ergò dicemus ad hæc, ſi Deus pro nobis, quis contra nos? Qui etiam proprio filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodò non etiam cum illo omnia nobis donavit?] Qui peccatum non novit, ipſe peccatum factus eſt, ut nos efficeremur juſtitia Dei in ipſo.] Nihil ergo nunc damnationis eſt iis qui ſunt in Chriſto Jeſu, qui non ſecundùm carnem ambulant: Lex enim Spiritus vitæ in Chriſto Jeſu, liberavit nos à lege peccati & mortis.] Ut fiat ſermo qui ſcriptus eſt: Ero mors tua ô mors, morſus tuus ero Inferne.] Abſorpta eſt mors in victoria: ubi eſt mors victoria tua, ubi eſt mors ſtimulus tuus: Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.] Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ ejus, ut miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno: cumque ita obſecremus.

Matt. 11. Joan. 14. 1 Joan. 3. Rom. 8. 2. Cor. 5. Rom. 8. 1. Cor. 15. Oſee 13. 1. Cor. 15. Hebr. 4.

ORATIO AD VITAM

Chriſtianè inſtituendam & finiendam.

DOMINE DEUS *miſericordiarum, & totius conſolationis*: [*qui ſicut Pater filiorum, ita misereris timentibus te: qui cognoſcis figmentum noſtrum, quoniam pulvis ſumus, dieſque noſtri ſicut fœnum pertranſeunt, & tanquàm flos agri ſic efflorescunt*: quòd ex nihilo procrea-

2. Cor. 1. Pſal. 102.

Geneſ. 8. ti, ſic à natura *proni ſumus in malum*, [*ut abſque tuo ſingulari auxilio*;
Phil. 2. *nihil æterni velle, nedum perficere poſſimus.* Cui noſtræ infirmitati, &
Joan. 4. miſeriæ ut ſuccurreres, quando tibi placuit [*Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum filium tuum unicum, dare propitiationem pro peccatis noſtris* : atque horribiles mortis æternæ tenebras, & dolores, in lucem, gaudium,
Rom. 8. & gloriam vitæ immutabilis tranſmutare; [*& cum eodem filio tuo chariſſimo nobis omnia ſuperabundè donare.* Te obſecro Domine, per eum-
Proverb. 30. dem redemptorem noſtrum [*Vanitatem & verba mendacii longè fac à me : Paupertatem & divitias ne dederis mihi : ſed tribue tantùm victui*
Eccleſiaſtici 23. *meo neceſſaria* : [*ne derelinquas me in cogitatu maligno : extollentiam oculorum ne dederis mihi : & deſiderium pravum averte à me : aufer à me concupiſcentiam : & animæ irreverenti, ac infrunitæ ne tradas me* : da in communibus vitæ humanæ officiis exercendis, ne quid peccem contra legem tuam : & quia tum temporis bonum eſt mori, cùm adhuc jucundum eſt vivere, effice ut diem ſupremum obeam, antequàm jucundo vitæ ſenſu perempto, vità in moleſtiam, & pœnam de-
Pſal. 18. generet. [*A delictis meis munda me, & ab alienis parce ſervo tuo*: mihique, potiſſimum in mortis articulo, gratiam perfectæ pœnitentiæ, charitatis, & perſeverantiæ, cum ſana mente, & integro uſu rationis
Epheſ. 3. largire : quo immenſos miſericordiæ tuæ theſauros, [*quantaque ſit latitudo, longitudo, ſublimitas, & profundum, ſupereminentis in nos charitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti, cum omnibus ſanctis, poſſim comprehen-*
Matth. 6. *dere* : *& impleri in omni plenitudine Dei*, illo cæleſti viatico, [*& ſu-*
Pſal. 77. *perſubſtantiali pane Angelorum* : Itaut, ubi mens mea meritum paſſionis Domini ſolidè recoluerit; hîcque pretium, pignus, & præmium
Joan. 14. vitæ æternæ in ænigmate perceperit; tandem teipſo, [*qui es via, veri-*
1. Cor. 13. *tas, & vita*, [*facie ad faciem* jugiter perfrui; [*& gloriâ, quam præ-*
1. Cor. 2. *paraſti diligentibus te, ſatiari valeam.* Da mihi inſuper Domine, has
Pſal. 16. breves oratiunculas ita cordi infixas habere, ut crebris gemitibus, atque ſuſpiriis, voce, & mente, eas aſſiduò frequentare, & cum extre-
Pſal. 50. mo ſpiritu ſic precari queam : [*Miſerere mei Deus, ſecundùm magnam miſericordiam tuam : Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in*
Job. 14. *peccatis concepit me mater mea. Nec alius à te eſt Domine, qui mundum*
Pſal. 50. *de immundo conceptum ſemine facere poſſit.* [*Averte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele. Cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innova in viſceribus meis.* [Ne *projicias me à facie*
Pſal. 129. *tua, & Spiritum ſanctum tuum ne auferas à me.* [*Si iniquitates obſer-*
Pſal. 142. *vaveris Domine, Domine quis ſuſtinebit*? [*Et non intres in judicium cum ſervo tuo, quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens.* [*Il-*

Digitized by Google

lumina Domine oculos meos, ne unquam obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus, prævalui adverſus eum. [*Quoniam* abſque tuo ſingulari auxilio *non eſt in morte qui memor ſit tui; ut nomen tuum ſanctificare poſſit : in inferno autem quis confitebitur tibi :* & glorioſum triumphum prædicabit, *quem de peccato, morte, & inferno devictis reportaſti?* [*In te Domine ſperavi, non confundar in æternum, in juſtitia* unigeniti filii tui Domini noſtri Jeſu Chriſti *libera me :* [*qui peccatum novit, tamen peccatum fieri voluit, ut efficeremur juſtitia Dei in ipſo.* [*Quoniam fortitudo mea, & refugium meum es tu, & propter nomen tuum deduces me, & enutries me. In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum, redemiſti me Domine Deus veritatis.* Domine Jeſu Chriſte fili Dei vivi, pone paſſionem, crucem, & mortem tuam, inter judicium tuum, & animam meam, nunc & in hora mortis meæ : *Sanctificetur nomen tuum, adveniat regnum tuum, fiat voluntas tua, ſicut in cælo & in terra : panem noſtrum quotidianum da nobis hodie : Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris : & ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos à malo. Amen.*

Pſal. 12. Pſal. 6. 1.Cor.15. Pſal. 30. 2.Cor 5. Pſal. 30. Matth.6.

Meditatio in vitam æternam.

QUemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus, &c. Pſal. 41.

Quàm dilecta Tabernacula tua Domine virtutum! concupiſcit, & deficit anima mea in atria Domini. Cor meum, & caro mea exultaverunt in Deum vivum. Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſecula ſeculorum laudabunt te. Quia melior eſt dies una in atriis tuis ſuper millia. Elegi abjectus eſſe in domo Dei, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum. Quia miſericordiam, & veritatem diligit Deus: gratiam, & gloriam, dabit Dominus. Pſal. 83.

Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi : In domum Domini ibimus, &c. Pſal. 121.

Urbs Hieruſalem beata, dicta pacis viſio, &c.

Oratio contra tribulationes.

DOMINE JESU CHRISTE, *Via, veritas, & vita:* [*quem noſſe conſummata eſt juſtitia*; & *cujus juſtitiam, & virtutem ſcire, radix eſt immortalitatis :* quando tuâ ſingulari miſericordiâ, aliquam tuæ veritatis, & juſtitiæ particulam imbibimus, [*utque ſperamus, liberabit nos :*

Joan. 14. Sap. 15. Joan. 18 1.Cor.10

Digitized by Google

obſecro [*ne patiaris nos tentari ſupra id quod poſſumus , ſed fac* gloriæ
Pſal. 45. tuæ, & ſalutis noſtræ *proventum, ex tentatione.* [*Eſto refugium noſtrum,*
& virtus, adjutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis : Prop-
tereà, non timebimus dum turbabitur terra, & transferentur montes in
Pſal. 26. *cor maris.* [*Unam petii à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in do-*
Pſal. 83. *mo Domini omnibus diebus vitæ meæ.*] *Quia melior eſt dies una in atriis*
tuis ſuper millia. Elegi abjectus eſſe in domo Dei mei, magis quàm ha-
Pſal. 50. *bitare in tabernaculis peccatorum.*] *Miſerere mei Deus, ſecundùm mag-*
nam miſericordiam tuam : Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in
Job. 14. *peccatis concepit me mater mea. Nec alius à te eſt Domine, qui mundum*
de immundo conceptum ſemine facere poſſit. Averte faciem tuam à pec-
Pſal. 50. *catis meis, & omnes iniquitates meas dele. Cor mundum crea in me*
Deus, & ſpiritum rectum innova in viſceribus meis. Ne projicias me à
Pſal. 129. *facie tua, & Spiritum ſanctum tuum ne auferas à me.*] *Si iniquitates*
obſervaveris Domine, Domine quis ſuſtinebit? [*Et non intres in judi-*
cium cum ſervo tuo, quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens.
Pſal. 142. *Quia perſecutus eſt inimicus animam meam: humiliavit in terra vitam*
meam. Collocavit me in obſcuris ſicut mortuos ſæculi : & an-
xiatus eſt ſuper me ſpiritus meus, in me turbatum eſt cor meum. Eri-
pe me de inimicis meis Domine, ad te confugi, doce me facere
Pſal. 119. *voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.* [*Domine libera animam*
meam à labiis iniquis, & à lingua doloſa. [*Aufer à me oppro-*
Pſal. 118. *brium, & contemptum, quia teſtimonia tua exquiſivi. Redime me*
Pſal. 70. *à calumniis hominum, ut cuſtodiam mandata tua.* [*Ne projicias me*
in tempore ſenectutis: cùm defecerit virtus mea, ne derelinquas me. [*Li-*
Pſal. 50. *bera me de ſanguinibus Deus Deus ſalutis meæ : & exultabit lingua mea*
Pſal. 141. *juſtitiam tuam.* [*Educes de tribulatione animam meam : & in miſericor-*
dia tua diſperdes omnes inimicos meos. Et perdes omnes qui tribulant
Pſal. 30. *animam meam, quoniam ego ſervus tuus ſum.* [*In te Domine ſperavi,*
non confundar in æternum, in juſtitia unigeniti filii tui Domini noſtri
2. Cor. 5. Jeſu Chriſti [*libera me :* [*qui peccatum non novit, tamen peccatum*
fieri voluit, ut efficeremur Juſtitia Dei in ipſo.] *Quoniam fortitudo mea,*
& refugium meum es tu, & propter nomen tuum deduces me, & enutries
Pſal. 30. *me. Educes me de laqueo hoc, quem abſconderunt mihi, quoniam tu es*
protector meus. In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum, rede-
Matt. 6. *miſti me Domine Deus veritatis.* [*Sanctificetur nomen tuum, adveniat*
regnum tuum, fiat voluntas tua, ſicut in cælo & in terra: panem noſtrum
quotidianum da nobis hodie : & dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos
dimittimus debitoribus noſtris : & ne nos inducas in tentationem, ſed
libera nos à malo. Amen.

Digitized by Google

EMUNDI RICHERII DOCTORIS THEOLOGI PARISIENSIS TESTAMENTUM.

PARISIIS,

M. DCC. I.

Digitized by Google

Veritas Domini manet in æternum, & liberabit nos. Pſal. 112. & Joannis 8.

Deus diſſipabit oſſa eorum qui hominibus placent. Pſal. 52.

Revela Domino viam tuam, & ſpera in eo, & ipſe faciet: & educet quaſi lumen juſtitiam tuam, & judicium tuum tanquàm meridiem. Pſal. 36.

Pro juſtitia agonizare pro anima tua, & uſque ad mortem certa pro juſtitia, & Deus expugnabit pro te inimicos tuos. Eccleſiaſtici 4.

Digitized by Google

IN nomine ſanctæ, & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, amen. Anno Domini milleſimo ſexcenteſimo decimo tertio, die xxij. Novembris. Ego Emundus Richerius natus Caduſiæ, diœceſis Lingonenſis Presbyter, & Doctor ſacræ Facultatis Pariſienſis, ſociuſque Sorbonicus, ac magnus Magiſter Collegii Cardinalitii, anno tertio, & quinquageſimo ætatis cum uno menſe, duobus & viginti diebus: Poſtquàm Deum humillimè adoravi, Jeſu Chriſto redemptori animam meam commendavi, atque devovi: B. Virginem Matrem Dei cum omnibus ſanctis precatus ſum, quatenùs ſuis orationibus mihi in articulo mortis indulgentiam peccatorum cum perfecta charitate, à Domino noſtro Jeſu Chriſto impetrare dignarentur: ſedens in mea bibliotheca, animo & corpore ſanus, hunc Codicillum Latinum olographum in formam Teſtamenti condidi, ſinguliſque annis vitæ, qui poſt primam ſcriptionem mihi ſuperfuerunt, ſæpiùs, diligenterque recognovi: quem ubi viam univerſæ carnis ingreſſus fuero, cum alio Codicillo Gallicano de meo peculiolo, & facultatibus, pariter à me ſcripto & obſignato, exequutioni mandari volo. Primùm autem, quaſcumque injurias aut damna cuicumque intuli: quæcumque nomina, aut debita contraxi, ea confeſtim emendari, & diſſolvi cupio. Verùm, quoniam die ſecundâ Januarii anni milleſimi ſexcenteſimi octavi omnium Doctorum Facultatis Theologiæ Pariſienſis conſenſu (me quidem inſcio, non cogitante, & à Comitiis abſente, ſicut acta ſcholæ teſtantur) eo tempore Syndicus ejuſdem Facultatis renuntiatus ſum, quo totum Franciæ regnum, & Univerſitas Pariſina, maximè verò poſt Henrici IV. cædem, in maximas omnium anguſtias, & difficultates conjecta eſt: eamque ob cauſam gerendo Syndicatum, aut mihi in veritatis defenſione, & ſalute communis parentis Academiæ, quæ me ſemper à pueris aluit, ac erudivit, prævaricandum, aut in multorum hominum potentiſſimorum odium neceſſariò incurrendum fuit: Ego hîc per ſpem ſalutis meæ in Chriſti ſanguine declaro, atque proteſtor, quæcumque velut Cenſor Academiæ, Syndicus, aut privatus Doctor Facultatis Theologiæ dixi, ſcripſi, curavi, geſſi, adminiſtravi, illa me non cujuſquam odio, vel invidiâ feciſſe, non vindictæ, vanæ gloriæ, aut redimendæ gratiæ hominum, vel opum cumulandarum deſiderio, aut etiam ut novas diviſiones, & ſchiſmata in regno, & Eccleſia consererem, vel jampridem conſita foverem, aut paſtinarem: Sed in omnibus meis actionibus hoc unum mihi perpetuò, conſtanterque propoſitum, quatenùs

avitos, receptoſque mores, patrios ritus, majorum inſtituta, innumeris quidem virtutum exemplis nobilitata, & comprobata, inculpatæ tutelæ moderatione vindicarem: necnon Pariſinæ univerſitatis, & ſcholæ Sorbonicæ incolumitati, tanquàm Reipublicæ Chriſtianæ perutilibus, conſulerem. Cæterum, anno M. DC. XI. poſt ſolutionem Capituli generalis Dominicanorum, rogatu atque impulſu viri ampliſſimi Nicolai Verduni, primi Præſidis Curiæ Parlamenti, ego libellum de Eccleſiaſtica, & Politica poteſtate lucubravi, partim ut antiquæ, & novæ doctrinæ diſcrimen reſerarem: *Partim ut ſupremam atque independentem politicarum poteſtatum auctoritatem, contra novam, & ſeditioſam doctrinam de abdicandis, & occidendis Regibus, quæſito colore tyrannidis, aut neglecta religionis Catholicæ, propugnarem.* Quem libellum publici juris feci, quando cauſa Academiæ Pariſienſis contra Jeſuitas in ampliſſimo ordine perorata eſt. At verò nunquam poſteri in animum inducent ſuum, quantum damni ex hoc meo propoſito, de parente Academia, & veritate juſti regiminis Eccleſiæ à Chriſto inſtituti tuenda, quantum infamiæ, calumniarum potentiſſimorum inimicorum, & periculi, ſub prima Ludovici XIII. ætate, in me redundarit; & dehinc etiam redundabit, niſi Deus ſuâ immenſâ bonitate incredibiles malevolorum minas, conatus, & factiones in meam perniciem excogitatas, atque inſtructas, profligarit. Hercle illuſtriſſimus Cardinalis Perronius, qui me criminandi princeps extitit, ut totum Regis Conſiſtorium in meam ruinam proclivius incenderet, in ſacro Principis conſilio dixit, Scriptorem libelli de Eccleſiaſtica, & Politica poteſtate, quem optimè noverat, conſtituiſſe præſentem Regni, Reginæ matris, omniumque liberorum regiorum ſtatum, hâc ſcriptione convellere: ac propterea, neque ſuum, neque typographi nomen illi libello inſcripſiſſe. Quæ ſtatim atque accepi, mihi quidem & veritatis, & teſtimonii rectæ conſcientiæ apprimè gnarus, palam, & ingenuè memet illius libelli auctorem, ac vehementer ambire profeſſus ſum, ut *à viris doctis qui non eſſent in cauſa* ſeriò examinaretur. Quamobrem aliquot viros primarios ſacri Conſiſtorii etiam atque etiam precatus ſum, darent operam, quatenùs aut voce in Regis Conſiſtorio Cardinali Perronio reſpondere, aut aliquâ ſcriptione meam innocentiam cum veritate propoſitionum libello meo contentarum mihi integrum eſſet defendere. Sed proh dolor! graviſſima tempora pupillaris ætatis Regis, & incredibiles clamores, prenſationes, atque interminationes domini Ruperti Hubaldini Nuncii Apoſtolici, qui ſe continuò Lutetiâ, inſalutato Rege, deceſſurum Romam obteſtabatur, & meipſum, atque libellum meum, telis, & ludibrio hominum

Digitized by Google

minum indictâ causâ ſic expoſuerunt, ut mihi non modò omnia humana ſubſidia, & leges Regni deeſſe, verumetiam cunctas mundi poteſtates, quaſi in meam conſenſiſſe perniciem, ſub ætate pupillari Regis, inquam, expertus fuerim. Certè D. Cardinalis Bonzius Italus, mihi nominatim, & Regis, & D. Brulartii Cancellarii Franciæ imperio, iracundè, minaciterque prohibuit, ne etiam contumelioſis libellis, quos homines conductitii etiam in me ſcripturiebant, & publicabant, reſponderem: niſi è veſtigio, & meam ipſius, & cujuſcumque alterius Apologiam meo nomine factam capitis luere vellem: *Nam*, inquit, *ſi Rex*, *& Regina regens tàm ſtudioſè, & comiter pacem colit cum vili & exigua Genevæ republica: quid eos cum ſummo Pontifice facere oportet, quando præter ſpirituale regnum per univerſum orbem terrarum diffuſum, magno inſuper temporali regno potitur in Italia?* Qua ex Cardinalis Bonzii oratione, & geſtis. D. Nuncii Apoſtolici contra me, tum didici quod antea neſciebam, ſcilicet majorum doctrinam de Concilii auctoritate ſupra Papam libello meo evolutam, hodie velut materiam, & argumentum ſtatus politici temporalis in Curia Romana pertractari; quamquàm Cardinalis Bellarminus, & Perronius eam eſſe problematicam venditent. Jam ergo aliquid internuncius ad majores noſtros deferat, noxæ, & quidem capitali datum Richerio, quòd in regno Franciæ, atque inter Pariſienſes Theologos, de ancipitibus controverſiis, atque avitis Eccleſiæ Gallicanæ libertatibus diſputaſſet: quia, ut inquiunt, tantumdem licitum eſt de Regis, & Regni Franciæ ſtatu, quantùm de Pontificis auctoritate ſupra Concilium ambigere! Quapropter, inita fuerunt conſilia de Richerio velut monarchomaco, & perduelii compingendo in Baſtiliam Pariſienſem: atque inauditis antea fabricis, & prenſationibus regium diploma quæſitum, & extortum eſt, ut contra morem ſcholæ Pariſienſis Syndicatu Theologiæ facultatis abdicaretur; quoniam viâ ordinariâ comitiorum id nullâ ratione, quamquàm ſæpè tentatum, confici potuerat: tametſi ex omnibus Galliæ provinciis, nimirum Picardia, Campania, Normania, Aquitania, Britannia, Armorica, Carnuto, Aureliis, & Nivernio, Doctores Sorbonici ſeculares, & Regulares, extraordinariis evocati ſtudiis, & quidam illorum mercede propoſitâ allecti, magniſque locupletati pollicitationibus fuiſſent. Quid memorem palam circumferri, illos gratiſſimam Deo victimam facturos, qui ſeſe Richerio mactando devoverint: & ſi unquam abripi, & Romam deportari poſſit, revera experturum quod pernegat: nimirum Papam materiali gladio inſtructiſſimum, ad perduelles ſimiles Richerio capite plectendos. Verùm, illi ipſi qui deſi-

derio hominibus gratificandi, & foro ſerviendi, tam cruenta, & horrenda in Richerium commentantur, minimè attendunt, ſe iſtis formidoloſis interminationibus magnam invidiæ molem S.S. Apoſtolicæ conciliare: quaſi manſuetiſſima, & æquiſſima Petri Cathedra, quæ anteactis ſeculis uſque uſque afflictis, & catholicam veritatem propugnantibus perfugio, & præſidio ſalutari extitit, *jam vel damnaret innocentes, vel ſolveret noxios: cùm apud Deum non ſententia Sacerdotum, ſed reorum vita quæratur*, auctore Hieronymo in caput 16. Mathæi: ſiquidem *manet Petri privilegium ubicumque ex ipſius æquitate fertur judicium*, ut ait S. Leo magnus 26. *quæſt.* 1. *Can. manet.* Quid dicere attinet, Richerio graviſſimè ægrotanti, imperitos, & ignaros ſacerdotes factione conductos, ei abſolutionem ſacramentalem, & Euchariſtiæ ſacramentum denegaſſe, atque innumeras alias moleſtias, calamitates, & pericula, viginti circiter annorum inclinatione intentata, & procurata?

Quando igitur veritas juſti regiminis Eccleſiæ, à Chriſto inſtituti, & ab Apoſtolis, Patribuſque antiquis propagati, & jure poſtliminij in Conſtantienſi, & Baſileenſi Concilio reſtituti, per latus Richerij petitur; atque hodiernâ die certatur, ut aliquo celebri exemplo pœnæ in Richerium ſtatuto, omnes Theologi Pariſienſes à doctrina majorum propugnanda abſterreantur, & ne quiſquam deinceps eam vel explicare, aut contra renitentes mutire audeat: Proteſtor quæcumque in hunc diem convitiatores maligni in meam peſtem moliti ſunt, aut poſthac molientur, quanta quanta ſint, ea me illis animo Chriſtiano indulgere; ſicut mihi peccata mea remitti, atque in adverſis, & imminentibus periculis, quæ profectò incredibilia ſunt, gratiam patientiæ, conſtantiæ, & fortitudinis, ſic à Deo fieri obſecro, ut Prophetarum, atque Apoſtolorum imitatione, *per gloriam, & ignobilitatem, per infamiam, & bonam famam, ut Seductor, & verax*, Catholicam veritatem Apoſtolici regiminis Eccleſiæ (quod Catholicæ religioni, diſciplinæ Eccleſiaſticæ, & moribus Chriſtianorum meliùs conſtituendis, & emendandis perneceſſarium eſt) intrepidè tueri queam, unitate, & charitate cum omnibus ſervatâ, neglectiſque inimicorum opprobriis, & contumeliis. Hercle quidem, cùm profeſſores Theologiæ Deum quàm homines magis timere, & vitam hanc corruptibilem, bona caduca, & ſiniſtram famam ſeculi, præ gloria Dei, & immortalitate omninò habere deſpectui teneantur: deindè ex certa rerum, & cauſarum cognitione, non ex vulgi rumuſculis, vel anticipatis obnoxiorum hominum præjudiciis, aut etiam ad ambitioſorum, & potentiorum gratiam vel

Digitized by Google

ſmperium, de Theologiæ controverſiis ſuam dicere ſententiam : inſuper accuratè debeant cognoſcere, quidnam ſit hæreſis, quid ſchiſma, & perduellionatus contra Eccleſiam : ac in tam horrenda crimina neminem incurrere, niſi manifeſtè, & pervicaciter in principia, & manifeſtas concluſiones fidei Catholicæ impegerit : Equidem *gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ, quòd in ſimplicitate cordis, & ſinceritate Dei, & non in ſapientia carnali converſati ſumus*, 2. Corinthior. 1. Quocircà ſicut vir deſideriorum Nabuchodonoſori reſpondit, *Deus quem colimus poteſt nos de camino ignis ardentis* tantarum tribulationum *eripere*, atque ab hominum zelotarum calumniis redimere, & liberare, Danielis 3. Verumtamen ſi hoc ei minùs placitum ſit, non proptereà Evangelium erubeſcere, id eſt, Catholicam veritatem juſti regiminis Eccleſiæ, velut hæreticam, ſchiſmaticam, & perduellem abnegare debemus. *Quòd ſi utilius eſt ſcandalum naſci, quàm veritatem Catholicam relinqui, Cap. Qui ſcandaliſaverit, de Regulis in Juris Decretalibus* : triplexque eſt veritas, ut Gloſſa ibidem obſervat, nimirum *bonæ vitæ, & juſtitiæ*, quas nunquàm omittere licet : *deindè diſciplinæ*, quam pariter violare non debemus, ſi modò in jure communi indiſpenſabili, hoc eſt, in lege divina, & naturali verſetur. Proculdubio, cùm ipſa acta Apoſtolorum, & octo prima Concilia generalia nongentorum circiter annorum decurſu habita, nos clariſſimè doceant, Apoſtolos, Patres antiquos, & Doctores Eccleſiæ, totidem annorum lapſu ſacras electiones, jus commune, & regimen Ariſtocraticum accuratè ſervaſſe : deindè geſta Conſtantienſis, & Baſileenſis ſynodi teſtentur, Eccleſiam Catholicam hoc genus regiminis in integrum reſtituere voluiſſe, quantùm illa tempora ferre poterant, atque Gallicanam Eccleſiam illud regimen ſanctione Pragmaticâ in rem judicatam per univerſum Galliæ regnum miſiſſe : Sanè iſtinc liquidò, & evidenter probatum manet (quicquid ſophiſtæ adverſùs illa duo ſanctiſſima Concilia, & Pragmaticam ſanctionem blaterent, & cavillentur) his poſtremis ſeculis corruptiſſimis Curiam Romanam efficere nullo modo poſſe, vel ut Romanus Pontifex ſanctorum communionem, & Eccleſiæ unitatem monarchicè, aut abſoluto dominatu per vim externam, more poteſtatum ſeculi, cogat, aut etiam ut hæc abſoluta infallibilis monarchia juris ſit divini : quando Apoſtoli, & Eccleſia Catholica quadringentorum & mille annorum fluxu, hoc genus abſoluti regiminis, tanquàm divinitus inſtitutum, nunquàm agnoverunt, nedum approbarunt. Nam Patres Eccleſiæ primitivæ cuncta negotia ad libram Canonum, & ſuaviſſimæ moderationis Ariſtocraticæ, ſemper definiri, & majores noſtri hoc

Digitized by Google

genus gubernationis in Conſtantienſi, & Baſileenſi Concilio inſtaurari, & recuperari voluerunt, ut jam dixi.

Sanè quidem hâc infeliciſſimâ ætate, quâ longè, latèque *veritates diminutæ ſunt à filiis hominum* Pſal. 11. *& homines quæ ſua ſunt quærunt non quæ Chriſti*, undè hæreditatis Chriſti calamitas: nullum verbum adversùs iſtam abſolutam infallibilem monarchiam poſt primam ſcriptionem libelli de Eccleſiaſtica & Politica poteſtate feciſſem,. ſi modò Adverſarii noſtri ab horribilibus in me conviciis, calumniis, & violentiſſimis impreſſionibus, quibus viginti circiter annis meme virulenter infeſtarunt, ſibi temperaſſent, ſuaque abſoluta imperia, pace, & charitate ſervatâ, tuerentur. Quandoquidem per illos nequaquam ſtat; quominùs permulti viri boni, piiſſimi, & maximè Catholici, ab Eccleſiæ ſinu fugentur, atque inviti ad nova ſchiſmata inſtruenda compellantur, ſicque Eccleſia ad pauciores redigatur. Profectò, & ſapientiſſimum, & piiſſimum Gerſonii conſilium ſemper judicavi, libro de vita ſpirituali animæ lectione quartâ, corollario decimo, *Poterit fieri ut abſque peccato mortali*, inquit, *imò cum merito magno, ſit aliquis Theologus, vel alius prudens, qui diſſentiat corde ab humanis determinationibus, aut traditionibus, qui tamen obligabitur propter evitationem ſcandali, vel aliter, non repugnare exteriùs. Nam poteſt aliquarum publicatio veritatum prohiberi, & aliquarum falſitatum dogmatizatio permitti.* Cæterùm, ſicut frequenter accidit Mathematicos ab imperitis ſcientiarum Mathematicarum ſortilegos, & incantatores haberi: ſimiliter, ut plurimum uſu evenit, Theologiæ, aut juris Canonici Doctores, ſuſpicione hæreſeos apud imperitam plebem laborare, eodem Gerſonio auctore, *Tractatu de veritatibus credendis ad neceſſitatem ſalutis.* Certè qui in ſacrarum Scripturarum, & Patrum lectione valdè exercitati ſunt, atque Conciliorum, & Eccleſiaſticam hiſtoriam callent, hancque ſcientiam ad cauſas eſſentiales Eccleſiaſticæ, & politicæ poteſtatis, ut neceſſe eſt, retulerunt: omnes quidem inclinationes, & mutationes, incrementa, & decrementa religionis Chriſtianæ, regiminis Eccleſiæ, perſpectas & exploratas habent: quas homines imperitos, aut ſolâ ſcholaſticæ Theologiæ cognitione ſaturos, prorſus ignorare oportet. Quocircà idem doctor Chriſtianiſſimus opuſculo de materia Excommunicationum, & Irregularitatum prudenter decernit, *Puſillos qui æſtimant Papam eſſe unum Deum, qui omnem habet in cælo & in terra poteſtatem, inſtruendos per idoneas informationes, & ſi nolent acquieſcere, eſſe in cauſa ſcandali Phariſaici, accepti non dati.* Deinde lib. de examine doctrinarum parte primâ conſideratione ſecundâ con-

Digitized by Google

tendit *adverſùm humanas conſtitutiones nunquam eſſe palam dogmatizandum, niſi fortè aliquis error contra fidem, & ſcandalum intolerabile ex noſtro ſilentio emergeret*, hoc que in caſu aſſertionem Catholicæ veritatis pro ſuprema lege habendam: & tum multò magis præſtare ſcandalum naſci, quàm veritatem Catholicam deſeri. *Quòd ſi fieret perſequutio ſententiarum, atque pœnarum contra repugnantes ejuſmodi Conſtitutionibus humanis, beatos eſſe, qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam ac ſupereſſe remedium Concilii generalis.* Quam ſalutarem doctrinam meis adverſariis in charitate examinandam relinquo.

O Domine Jeſu Chriſte! ex hoc falſo, & planè imaginario principio, *Papa eſt abſolutus Monarcha Eccleſiæ, & dominus omnium beneficiorum:* ecquid hoc corruptiſſimo ſeculo ambitioſi, & mundani homines in maniſeſtiſſimam legis Evangelicæ ruinam, totiuſque ordinis politici ſubverſionem non certatim architectantur, & demoliuntur jus divinum, ſchiſma, hæreſim, & perduellionatum aſtringentes, ubi ubi merum eſt jus humanum, nullum ſchiſma, nulla hæreſis, aut perduellionatus: imoverò nec ulla peccati mortalis ſuſpicio hærere poteſt: modò fœdas ignorantiæ tenebras, & ſuperſtitiones rudibus concretas ſeculis, pace, charitate, atque unitate Eccleſiæ ſervatâ, depellere, & illuminare, id eſt, illos ipſos meliùs erudire, & informare nitamur, *Qui Papam haud aliter quàm Chriſtum ipſum abſolutâ infallibili auctoritate præditum, ac in ratione regiminis totam Eccleſiam conſtituere ariolantur.* Quàm bellè, & appoſitè olim neſcio quis dicebat, *laudamus veteres, ſed noſtris*, prudenter, *utamur annis*: hoc eſt, de jure communi, ariſtocratico Eccleſiæ regimine, Apoſtolica diſciplina, & finibus Sacerdotalis, atque Regiæ poteſtatis comiter regendis, ſic diſſeramus, ut nihilominùs pacem, charitatem, & unionem cum omnibus retineamus: & vitia, atque corruptelas, non homines oderimus; illorum more, qui ex profundo herebi diabolica nomina diſſenſionum, ſectarum, & Richeriſtarum exſuſcitarunt atque in Eccleſiam effuderunt. Quandoquidem omnes Catholici pretioſiſſimo Chriſti ſanguine redempti ſumus. Et utinam omnibus zelotis manſuetudo Chriſti, & Evangelii pacis, cum hac præclara Auguſtini ſententia lib. primo cap. 1. contra epiſtolam Parmeniani veniret in mentem: eamque vellent, & poſſent, ſicut neceſſe eſt Chriſtianis, ſtrictè accuratèque ſervare, profectò, longè aliter Chriſtiana religio ſe haberet, neque Eccleſia ſponſa Chriſti tot ſchiſmatibus, & tantâ ſtrage Chriſtianorum deformata horreret. *Quiſquis vel quod poteſt arguendo corrigit*, ait Auguſtinus, *vel quod corrigere non poteſt ſalvo pacis vinculo excludit: vel quod ſalvo pacis vinculo excludere non*

Digitized by Google

poteſt, æquitate improbat, firmitate ſupportat, hic eſt pacificus, & ab iſto maledicto immunis quod ſcriptura dicit, væ his qui dicunt quod nequam eſt bonum, & quod bonum eſt nequam, qui ponunt lucem tenebras, & tenebras lucem, ESAIÆ.5. Quam mirabilem & divinam epiſtolam Auguſtini, Paſtores Eccleſiæ, & Theologi nunquam de manibus ponere debent.

Cùm igitur aſſiduâ contentione vigiliarum, mihi *cùm à poſteriori, tum à priori*, ſcientiam naturæ Primatus ſedis Apoſtolicæ, poteſtatis clavium, & gubernationis Eccleſiæ à Chriſto inſtitutæ comparaverim: idque me ſatis ſufficienterquè aſſequutum exiſtimem, ut morali, & naturali certitudine ſim in conſcientia ſecuriſſimus: Hercle quidem mihi apprimè conſcius quanti ſit pretii Juris communis, & Ariſtocratici regiminis Eccleſiæ; hoc eſt, libertatis Evangelicæ abrogatio, *quam nobis proprio ſanguine acquiſivit Dominus*, ut Patres Epheſini Concilii loquuntur: & quàm craſſo ac ſupino errore illi cæcutiant, qui, ut ait Pariſienſis Cancellarius Sermone in Circumciſione Domini conſideratione primâ, imaginantur *Eccleſiam meliùs poſſe regi per humanas inventiones, quàm per legem purè Evangelicam*: nihil certè vel obnoxiorum, vel imperitorum, aut malevolorum hominum calumnias, & portenta verborum certatim adverſùs Richerium, ejuſque libellum effuſa pertimeſco: ne quidem hoc teſſelatum emblema, *hæreticus, ſchiſmaticus, perduellis, monarchomacus, impoſtor, &c.* quia certiſſimus ſum, neminem Cenſuris in libellum aliquem effuſis, aut ejuſmodi conviciis percelli debere, eo quòd problematicas, & ancipites quæſtiones, pace, charitate, & unitate ſervatâ, abſque cujuſquam injuria aſſeruerit, & propugnarit: atque Theologos non ad antiqua ſeculi Apoſtolici placita, & inſtituta, ſed ad deformes novitatum iſtius ævi pruritus debere trepidare. Quòd ſi Dominus noſter caput Eccleſiæ *Seductor vocatur* à Judæis Mathæi 27. eumque adhuc hodie Judæi, & Athæi pro Sycophanta, & Impoſtore deſpiciunt: quid ejus membra in charitate, & unitate Eccleſiæ veritatem, more Prophetarum propugnantes non pati, & perferre neceſſe eſt? Hæbræorum 11. *Non enim eſt diſcipulus ſupra Magiſtrum, ſed ſufficit ei ut ſit ſicut Magiſter*, MATHÆI 10.

Verùm hîc aliquos ſubaudire videor: objicientes ejuſmodi Controverſias, iſtis temporibus non modò pietati, boniſque moribus conſtituendis eſſe inutiles, verumetiam permagno eſſe ſcandalo, & cauſæ hæreticorum velificari. Contra rependo, hæc ipſa ignaris, & ſimplicibus illudendis, atque etiam corruptelis, & abuſibus fovendis, ac

Digitized by Google

incruſtandis callidè excogitari, & adverſùs ſolem ſcripturarum obtendi. Nunquid *propterea captivus ductus eſt populus meus quia non habuit ſcientiam : & nobiles ejus interierunt fame, & multitudo ejus ſiti exaruit : Propterea dilatavit infernus animam ſuam, & aperuit os ſuum abſque ullo termino* ? Esaiæ 5. Quòd ſi verum amamus, ut Chriſtianos oportet, quid Eccleſiæ univerſæ magis utile & neceſſarium, quàm diligenter cavere, ne jus humanum pro divino, & ſchiſma, hæreſis, ac perduellionatus contra Eccleſiam aſſerantur, ubi nulla prorſus mortalis peccati labes hærere poteſt? Tunè pietati, boniſque moribus in integrum reſtituendis, & caſibus conſcientiæ bene moderandis inutile putas, rectam tenere rationem finium utriuſque poteſtatis herciſcondorum, ut inter Regnum & Sacerdotium æterna pax ſtabiliatur, & caveatur ne deinceps prætextu Religionis, & Cenſurarum, Reges furori aſſaſſinorum, quaſi piaculares hoſtiæ, mactandi exponantur, atque orbis Chriſtianus bellis civilibus, & internecione Chriſtianorum deformetur? Scire quænam ſit juſta vis, & poteſtas clavium, & quouſque ſe extendant? Quid jure divino primario, *ſive de condigno* Romanus Pontifex, & Epiſcopi quidnam humano *aut de congruo* ex Eccleſiæ conſtitutione, ac Principum Chriſtianorum largitione, & indulgentià poſſideant? Quid Epiſcopi à Preſbyteris differant, & quæ antiquitus forma, & conſuetudo illorum eligendorum, & ordinandorum extiterit? Quæ olim Canonum ſciſcendorum, & Controverſiarum Eccleſiæ definiendarum fuerit ratio: ac totum robur, & confirmationem Conciliorum à Catholico Eccleſiarum conſenſu manare, quæ in Synodum confluunt, ut inter ſeſe ſanctorum communionem incant; & paciſcantur? Similiter; quinam jus præſidendi in Synodis obtineant: & quo titulo Imperatores octo prima Concilia generalia, & Reges Franciæ Synodos regni ſui quondam indixerint, & convocaverint? Quam auctoritatem Reges, Principes, & Magiſtratus politici, velut juris divini, naturalis, & canonici vindices, atque exequutores, obtineant in externa Eccleſiæ diſciplina conſtituenda, quæſtionibus facti definiendis, & ſubditis ſuis contra injuſtas & iracundas Prælatorum Cenſuras protegendis? Undenam Curia Romana tantam poteſtatem, quâ hodie utitur & fruitur, collegerit? Quando & quo fine Collegium Cardinalium inſtituerit? Quæ prima Monachorum origo, & natura votorum eorumdem? Quænam Miſſiones, & inſtituta ordinum Mendicantium, atque aliorum Regularium, qui, dormitantibus ordinariis, in eorum jura invaſerunt? Tenere quiſnam ab ævo Apoſtolorum ad hæc noſtra tempora per ſeculorum vices uſus ſacramentalis Confeſſionis

Digitized by Google

extiterit: & *Capite Omnis utriuſque ſexus*, proprium dici Sacerdotem, cui in ſua ordinatione, & inſtitutione populus *de propinquo* regendus traditur, quatenus illum omnibus horis, & caſibus neceſſariis, tempeſtivè, atque intempeſtivè, *de propinquo* inquam, adjuvet, conſoletur, paſcat, purget, illuminet, perficiat. Quæ auxilia ſpiritualia, *Vagi*, *& Subſidiarii*, *nedum Communes Sacerdotes*, *quicumque ſint*, præſtare nullo modo poſſunt: & idcircò ſolus Parœcus aut Curio, proprius, & familiaris, eſt Sacerdos; quicquid homines litigioſi cavillentur, vim ipſi naturæ inferre conantes, ut oves non ſuas ab ordinariis Paſtoribus avocent. Item habere compertum, quodnam fuerit Pariſienſis Academiæ propoſitum, & ſtudium, in jure communi, & Ariſtocratico regimine conciliorum, hierarchia propugnanda, naſcentibus corruptelis, & abuſibus impugnandis, aliaque innumera, quæ procul dubio humanis adinventionibus & inſtitutis à jure divino ſecernendis, conſequenterque ad veram, & ſolidam pietatem conſtituendam, & vitia expurganda, perneceſſaria ſunt.

De ſcandalis autem: omnes ſecuros eſſe jubeo, quoniam plus ſatis ſacrorum Bibliorum lectione edocemur, nunquam à Prophetis, Chriſto, Apoſtolis, aut aliis, veritatem aſſertam, & propagatam, etiam in Conciliis Eccleſiæ, abſque gravi ſcandalo: ſed tandem ſuo præjudicio, ac prærogativa, portas, & vectes inferni confregiſſe: ut inſuper omittam, activum, non paſſivum ſcandalum, eſſe in culpa & reatu.

Quòd verò has diſputationes hæreticorum querelas juvare clamitant, perinde eſt certè, ac ſi quiſpiam cauſaretur, Patres Tridentini Concilii nequaquàm moribus Eccleſiæ reformandis operam, & ſtudium navare debuiſſe, ne cauſæ hæreticorum ſervire putarentur: aut etiam olim Prophetis ſuperſedendum fuiſſe ab erroribus Hieroſolimitanæ Eccleſiæ carpendis, ne forſan Samaritanis, & Saducæis, quos Judæi pro hæreticis habebant, gratificari viderentur: aut præterea, ne vel famæ, vel vitæ propriæ graviùs conſulerent. Ac profectò noſtrûm eſt qui Catholici ſumus, atque unitatem, & pacem Eccleſiæ ſartam-tectam volumus, noſtrûm eſt inquam, non hæreticorum, & perduellium (quibus cum optima parente ſponſa Chriſti, quam impiè violarunt, & diſcerpſerunt, nihil quicquam juris, aut commercii eſſe poteſt) de diſciplina meliùs conſtituenda, & emendandis moribus diſputare, ac Prophetarum, beati Hieronymi, Bernardi, Gerſonii, & aliorum pietate, & vitæ ſanctimoniâ illuſtrium emulatione, cùm noſtrorum fratrum corruptelis, tum hæreticorum erroribus ſtrenuè obſiſtere: neque ullis hominum clamoribus, convitiis, minitationibus, periculis, aut etiam præmiorum illecebris,

Digitized by Google

illecebris, à tam ſanctiſſimo propoſito abſterreri. *Nudè nuda loquor, nec retego verenda, ſed inverecunda confuto. Utinam privatim, & in cameris hæc tantùm fierent: utinam ſoli viderimus, & audierimus: utinam nobis reliquerint moderni Noë undè à nobis poſſent aliquatenus operiri: Nunc verò cernente orbe mundi fabulam ſoli tacebimus? Caput meum undique conquaſſatum eſt, & ego ſanguine circumquaque ebulliente putaverim eſſe tegendum? Quidquid oppoſuero cruentabitur, & major erit confuſio voluiſſe celare, cùm celari nequiverit*, ait ſanctus Bernardus, quadrageſimâ ſecundâ epiſtolâ ad Henricum Senonenſem Archiepiſcopum: eo quidem ſeculo, quo abuſus tolerabiles, & emendabiles erant, & ſacræ electiones fervebant. His autem perditiſſimis moribus, quibus hypocriſis, & Atheiſmus altiſſimas egerunt radices, totaque fermè religio, & pietas, à virtute, & ſimplicitate cordis in ſpeciem, & choragium externum traducta eſt, ſilebimus? Proculdubiò bacchantibus Lutheranis, ſi Catholici doctores in morum carcinomata, ſicut & in errores Lutheri, calamum acuiſſent: vel hodie Eccleſiam emendatam, vel non ita ſchiſmatibus laceram, & ad paucos redactam haberemus: neque ambitioſi, & portenta hominum, ſilentium noſtrorum, in abuſum, & corruptelarum patrocinium ſic abduxiſſent, ut quotquot hodie de Eccleſia meliùs emendanda ſermones conſerere audent, pro hæreticis, & pabulo Inquiſitionis, ſi Deo placet, habeantur. Sed tum demum, anno ſeptuageſimo ætatis poſt diuturnum morbum nephritidis, Codicillum hunc olographum concluſi, & obſignavi, die XXIV. Decembris in pervigilio Nativitatis Dominicæ poſt meridiem, anno M. DC. XXIX.

Signatum, E. RICHER.

Digitized by Google

42

Digitized by Google

JOANNIS CARAMUELIS LUBOVISCHI

AD PETRUM GASSENDUM

EPISTOLA.

Quâ ſignificat Germanos Proteſtantes ad amplectendam fidem catholicam longè promptiores futuros illâ ipſis opinione detractâ, non licère cuiquam eſſe Catholicum, niſi qui Papam infallibilem & Oecumenico Concilio ſuperiorem agnoſcat.

CUM PETRI GASSENDI

RESPONSIONE.

Quâ latè demonſtrat tum antiquæ tum hodiernæ Scholæ Pariſienſis ac longè graviſſimorum Theologorum perpetuam & conſtantem eſſe doctrinam, Papam nec citra Concilium Oecumenicum infallibilem eſſe, nec Oecumenico Concilio ſuperiorem.

Digitized by Google

Duæ iſtæ Epiſtolæ depromptæ ſunt ex ſexto tomo Operum P. Gaſſendi Theologi ac Mathematici quæ ſtudio illuſtriſſimi viri Henrici Ludovici Haberti Montmorii libellorum ſupplicum Magiſtri in lucem prodiêre. Habetur autem epiſtola Caramuelis pag. 465. *ad calcem huc cum reliquis ad Gaſſendum epiſtolis conjecta. Epiſtola autem Gaſſendi reſponſoria extat pag.* 191. *ejuſdem tomi.*

Digitized by Google

JOANNIS CARAMUELIS

LUBOVISCHI AD PETRUM GASSENDUM EPISTOLA.

Ampliſſimo & Perilluſtri Viro Domino PETRO GASSENDO, S.

LOVANII, ſapientiſſime Vir, ad te ſcripſi imò & mittendas edidi in libello de ſeptem Stellis Jovem circumvenientibus : nondum tamen ambitionem meam tuis beare litteris dignatus es. At quia te urbaniſſimum veneror, vel meas tibi non fuiſſe traditas, vel tuas periiſſe exiſtimo : quorum ultimum probabilius eſſe, meus excurſus in Germaniam perſuadet. Diſceſſi ipſo cinerum die, Regis Catholici liberalitate ad Diſembergenſem Abbatiam promotus, & Crucinaci in inferiori Palatinatu habito, ubi tuas expecto. Te curioſum Hiſtoricum & Aſtronomum jam ego à multis annis novi : nec videbatur mirùm ; Hiſtoria enim & Aſtronomia, ſi bene examinem, una & eadem ars. Principes Cœli politici ſunt ſydera ; Sydera militiæ cœleſtis ſunt Principes, adeòque arte Aſtronomicâ politicorum ſyderum curſus, & Hiſtorica Planetarum & aliorum ſyderum motus, periodi, Synodi, & comitia deſcribenda ſunt. Sed quod præter eloquentiæ ſuaviſſimos flores, quibus illuſtria amicorum facinora tranſtuliſti ad ſydera, & ſyderum clandeſtinos congreſſus, ad amicorum oculos, etiam Metaphyſicas ſubtilitates eximiùs, & ſubtiliùs pervaderes, & obſcuriſſimas controverſias divinitate tui ingenii illuſtrare liberet, non crediſſem referenti, & tamen crediturus ſum. Ad nundinas Francofurtenſes curioſitatis gratiâ veni ; multos quæſitos ſcriptores non reperi, adeòque meum illud iter judicaturus ſuperfluum aut infelix ni mihi non quærenti occurriſſes. Speculationes illas tuas in Carteſium Blaviana officina non ſine Simoniæ civilis ſuſpicione ambitioni meæ vendidit, admirabundæ quidem, quod viderit pretio commutari, tametſi divinas & cœlicas. Rem fatear ? non cognoſco Carteſium, amo tamen propter vivacitatam ingenii ; ſed quòd abſit ab univerſitate, viro magno condoleo ; acutæ enim menti cos deficit, & exercitium Academicum menti magnæ eſſet coti. Nauſeabundus ille, ſuperbuſque ſcriptitandi modus omninò diſplicet ; cùm enim nec puræ carnes ſimus, plus carnis quam mentis nos habere convincimur, cùm evomimus, quæ mens civilis & urbana concoqueret. Quercus decrepita altas radices egit, nec baculo tametſi toroſâ manu acta dejicitur, ſed ſoli cedit bipenni : & peripatetica

Digitized by Google

Philoſophia, quernea quidem & ruſtica, ſed quæ per multos annos in Scholis obtinuit, & radices immiſit profundiſſimas, dejici & eradicari poterit, non tamen baculo & fuſte, ſed bipenni & ſecure, non inurbanitate, incivilitateque, ſed acutiſſimis rationibus forti mente conceptis, ſcriptis calamo ſuavi & urbano. Tu igitur cui acre ingenium converſationis elegantiâ conditum Deus indulſit, progredere & rem Metaphyſicam tuis inventis illuſtra. Prodibo & ego, multaſque Carteſii ſpeculationes proſequar; multas perſequar; habet enim nonnullas quæ ſunt mentis ſublimis indices, aliquas quæ inſinuant debere auctorem exerceri, ut urſæ ſimilis abortiva acumina perficiat & reformet. Utrùm mihi urbanus futurus ipſe ignoro: ſed ſi tam benè Politica quàm Metaphyſica ſapiat, aderit urbaniſſimus, mihi unam & ſolam veritatem quærenti ipſumque urgenti & exercenti, quod magnâ mente cælitus donatum credidero; aliàs enim contemnerem, nec loquentem tacentemve morarer.

Judicium tuum in hac materia magnifacio; libera tamen ſervatâ debitâ reverentiâ aut intendo, aut remitto, & fundamentis demonſtratis accommodo; quod ut exiſtimo, tibi erit gratum; ego enim libenter examinor, ut accedente Amicorum calculo ſciam, quid poſſim ſecurè proferre, quid debeam ſecundò examinare. At tuo, tuorumque Pariſienſum judicio in materia digniore & ſublimiore indigeo, controverſias ſcriptito, & has theſes apud viros magnos reperio, 1. „Concilia Generalia errare non poſſunt. 2. Summus Pontifex extra Concilium Generale (hoc eſt ſolus, aut in Concilio Nationali) imò & ipſa Nationalia „ Concilia errare poſſunt. Utramque tuetur Adrianus Papa 6. *in quæſt. de Confirm.* Cardinalis Cameracenſis, Cuſanus, Panormitanus, Florentinus; primus, *de auctorit. Eccleſ.* Secundus, *de Concordia Catholica lib. 2. cap. ultim.* Tertius, & ipſe qui nomine Abbatis citatur, *Cap. ſignificaſti extrav. De electione.* Ultimus, *ibidem*, quibus adhæret magnus ille Doctor Hiſpaniæ, Alfonſus Toſtatus, *Abulenſis Epiſcopus*, *In cap.* 18. *Math. quæſt.* 108. Et ne quis dicat inconſideratè & obiter difficultatem reſolviſſe, eamdem theſim reſumit *in defenſorio part 2. c. 69.* in majori Salmanticenſi Collegio, quod S. Bartholomæo inſcriptum, Profeſſor & Collega olim fuit, & exiſtimo tanti à ſuis hodie fieri, ut vix reperiendus ſit qui affirmet eum docuiſſe ſententiam improbabilem. Ejuſdem opinionis fuerunt Joannes Gerſonius, Joannes Major, Joannes Pariſienſis, Jacobus Almainus, & alii *in ſuis tractatibus de poteſtate Eccleſiæ*, Franciſcus de Victoria in Salmanticenſi Academia eximius, S. Theologiæ Profeſſor (ſic eum appellat Poſſevinus in ſuo indice) *Religione 4. de Poteſtate Papæ & Conciliorum, propoſ. 32.* Sic inquit, *de comparatione poteſtatis Papæ eſt duplex ſententia.*

„ Altera eſt S. Thomæ & ſequacium multorum & aliorum Doctorum, tam „ in Theologia quàm in jure Canonico peritorum, quòd Papa eſt ſupra Concilium; Altera eſt communis ſententia Pariſienſum & multorum etiam Doctorum in Theologia & Canonibus, ut Panormitani & aliorum contraria, quòd „ Concilium eſt ſupra Papam. Non eſt locus hîc diſputandi, quæ illarum ſit „ verior; puto utramque eſſe probabilem opinionem: Idem omninò docet Navarrus, tametſi ſcrupuloſiſſimus Doctor, qui cùm ubique ſtrictiſſimas ſequatur

Digitized by Google

ſententias, cenſendus eſt hanc credidiſſe ſtrictiſſimam & ſecuriſſimam. *Eſt maxima diſcordia Romanorum & Pariſienſium*, ait Navarrus citatus ab Widdringtono, „ cui principaliùs poteſtas Eccleſiaſtica fuerit à Chriſto collata, an Eccleſiæ toti, an „ verò Petro ? Illi enim (nimirum Romani) atque ideò Papam Concilio eſſe „ ſuperiorem, ii verò (nempe Pariſienſes) quibus Gerſon adhæret, totam da- „ tam eſſe toti Eccleſiæ, licèt exercendam per unum, atque ideò in aliquot ſal- „ tem caſibus Concilium eſſe ſupra Papam. Quarum illa ſcilicet Romanorum „ videtur placuiſſe Thomæ à Vio, ubi altiùs omnibus & profundiùs hoc demon- „ ſtrare conatur. Altera verò placuit Panormitano, qui pro Pariſienſibus eſt „ quem frequentiùs noſtri ſequuntur, ut tradit Decius, quam mordicus tuetur „ Jacob Almainus è Sorbonâ Theologus, qui reſpondit Thomæ à Vio Libello „ juſto, & Joannes Major qui idem facit, ait, Romæ nemini permitti tenere Pa- „ riſienſium & Panormitani ſententiam, nec rurſus Academiam illam Pariſienſem „ (notetur benè) pati ut contraria opinio aſſeratur in ea. „ Et ille qui Navarrum recognovit, & additiones aliquot contextui adſcripſit, quem *Additionatorem* Sanchez *de Matrimonio ſæpiſſimè* : & Widdringtonus *in Apologia num.* 29. nuncupant tametſi velit remittere pauliſper ſui auctoris ſententiam, Pariſienſium opinionem probabilem, & Romanorum probabiliorem clarè affirmat, cùm verum ſit in moralibus ſufficere probabilitatem. Tomo etiam quarto Conciliorum, referente Petro Molinæo *Libro de Monarchiâ temporali Pontificis Romani cap.* 7. *pag. mihi* 106. Bulla recognitionis reperitur, in qua Æneas Sylvius, qui & Pius II. agnoſcit ſe in tenebris ambulaſſe, & procul à vera luce receſſiſſe, quando credidit Concilium eſſe ſupra Papam; & ne temerè credidiſſe diceretur, ſuæ credulitatis rationem & occaſionem expreſſit dicens, *Contra Concilii dignitatem mutire, crimen hæreſis fuit.* Vnde colligo ante hujus Pontificis promotionem, adeò fuiſſe communem Pariſienſium ſententiam, ut haberentur omninò hæretici, qui docerent contrariam Pariſienſibus : re bene examinatâ intrepidè Rogerus Widdringtonus Catholico-Romanus Anglus *in diſputationis Theologicæ de jurament. fidelitat. cap.* 3. *ſect.* 1. *n.* 8. *& cap.* 10. *n.* 27. *& in reſponſ. Apolog. n.* 28. Hanc videntur ſupponere Lovanienſes Doctores cùm Janſenii in Bayo olim à duobus Pontificibus condemnatas opiniones defendunt, hanc cum Vrbano VIII. Janſenianam doctrinam condemnanti hoc vel illo prætextu quæſito non adquieſcunt.

Certè, Vir Optime, ſi hæ duæ Theſes à Pariſienſibus publicè defenduntur, probabiles ſunt, quidquid in contrarium Bellarminus inclamet ; & ſi probabiles, faciliùs ad nos reducere poſſumus Germanos errantes, & tirannidem Pontificorum (ſic nos vocitant) perhorreſcentes. An verè hodiè Pariſiis permittantur & defendantur, neſcio, tu ſcis, & ex te reſciam. Quid ſi ipſe, ut potè majori Gallorum Auctorum copiâ inſtructus, velis aliquos juniores Senioreſve recognoſcere, & ea ad notare, quæ meæ intentioni favere videbuntur ? Quid ſi Sorbonicos aut alios Doctores eximios, adhuc vivos dignareris conſulere ? rem ſanè mihi gratiſſimam faceres ; Ego enim ſtante bello ſcribere in Gallias non poſſum ſtrepentes epiſtolas, & conſultationes Academiæ ſemper fiunt cum ſtrepitu, præcipuè ſi cogantur Doctores ad petitionem peregrini. Multum tibi debeo,

Digitized by Google

ſi me adjuves, imo, ſi meos; " Hanc ſententiam verè eſſe probabilem deſi-
,, dero, & ſi pariſienſium, vt circumfertur, ſit, non jam probabilis, ſed mihi
,, probabilior futura. Tu meis conatibus magnus Apollo ſis. Si tempore conſultatio ipſa indigeat, patienter expectabo, modò ſtatim ſcribas te rem habere cordi, velleque meæ petitioni ſatisfacere. Vale Humaniſſime & Sapientiſſime Vir, & tuis famulis adnumera.

Tuæ doctrinæ & perſonæ perilluſtri addictiſſimum

J. CARAMVEL LOBKVVITS,
Abbatem Diſembergenſem.

Digitized by Google

PETRI GASSENDI

RESPONSIO.

Admodum Reverendo Sapientiſſimoque Viro, D. JOANNI CARAMUELI Lobkuvitzio, Abbati Diſembergenſi,

PETRUS GASSENDUS. S.

REddidit mihi nudius-tertiùs optimus Merſennus tuas litteras, quam cum ſcheda ſub involucro ad ſe deſtinato accepit. Oblitus es reſcribere ubinam. & quando illas dederis; ſed quantum conjicio, eæ fuere ſcriptæ Cruciniani ante decem plus minùs dies. Ipſe à diebus quindecim meas ad te Lovanium dedi, & neſcius tamen, illicne fores, ipſas deſtinavi ad eximium Chiffletium Bellofontanum Balernæ Abbatem, qui illas ubicumque te verſari noſſet, tranſderet. Non potui verò ullâ ratione maturiùs ad te ſcribere, gratitudinemque teſtari: quoniam non priùs libellum tuum, conſcriptumque in eo ad me humaniſſimum Epiſtolium pervidere conceſſum fuit. Nunc cùm bonitate in me adeò effusâ extiteris, ut etiam manu exarata, eaque benè longâ Epiſtolâ præoccuparis (quippe nihil adhuc obtinens à me) non poſſum ſanè me continere, quin primâ hâcce occaſione denuò reſcribam, gratiaſque agam, & quòd meam illam Diſquiſitionem Francofurti inventam tanti feceris, nimiæ erga me benevolentiæ tribuendum adnoſcam. Facio porrò quoque, ne me ſegnem habeas, circa id officii, quod comiter adeò abs me exigis; ut cùmque ſim impar, qui planè, prorſumque ea in re tibi faciam ſatis. Exoptas nimirum reſcire ex me, qui Auctores hactenùs fuerint, & ex Pariſienſi quidem Facultate potiſſimùm, qui defenderint Pontificem Summum extra Concilium generale, hoc eſt ſolum, aut in Concilio Nationali: imò & ipſa Concilia Nationalia errare poſſe. Verùm & ipſe interim ita enumeraſti multos, ut omnem prope diligentiam cenſeri poſſis antevertiſſe; Et ego ex Avenionenſi, non verò ex hac omnium Summa Facultate ſum Theologus, ut tu videris ſupponere, cùm ex me id rei perquiris. Ut tamen, quantum quidem poſſum, ac licet, tibi morem geram, non meam exponam ſententiam; ſed hiſtoricè ſolùm referam, ſi quid ex Auctorum lectione, aut ex Doctoribus eximiis, amiciſque intimis, ac uno præſertim inclytæ hujus Facultatis converſando addidici.

Ac primùm quidem ingenuè agam, videris mihi non debuiſſe inter citandum auctoritates, Molinæi commeminiſſe; ſive enim ille *Carolus* eſt, noſti quàm ſit

Digitized by Google

ipſius nomen in Romana curia exoſum ; ſive *Petrus*, noſti eum eſſe manifeſtè *eterodoxon* , & à Fide , communioneque Catholica longè alienum. Videris deinde opinionem Navarri debuiſſe non ex Widdringtono , ſed ex ipſomet potiùs citare, maximèque cùm ejus Textus apud hunc Auctorem mutilatus ſit, & interſit ſententiam Viri, qui, & magni nominis eſt, & Romæ etiam vixit, ſcripſitque, ex ipſo ejus haurire fonte. Atque ut diſcrimen agnoſcas, en ut Navarri textus ſe habeat in cap. Novit. notab. 3. num. 84. de judiciis. „ Non eſt „ Concilium in præſentia definire cui principalis Eccleſiæ poteſtas fuerit à Chri- „ ſto collata, an Eccleſiæ toti, an verò ipſi Petro, propter illam maximam diſ- „ cordiam Romanorum & Pariſienſium. Illi enim tenent Petro, & ſucceſſori- „ bus datam eſſe hanc poteſtatem , atque ideò Papam Concilio eſſe ſuperio- „ rem ; Hi verò, quibus Gerſon adhæret, totam datam eſſe toti Eccleſiæ , licèt „ exercendam per unum , atque ideò in aliquod ſaltem caſibus Concilium eſſe „ ſupra Papam. Quarum illa ſcilicet Romanorum videtur placuiſſe S. Thomæ „ in 2. 2. quæſt. 11. art. 2. & 3. Et qu. 1. art. ult. & in 4. diſt. 19. qu. 1. Thomæ „ à Vio in ejuſdem articulis, & in parvis Opuſculis tom. 1. & in Apol. 2. part. „ cap. 1. & in 2. part. cap. 9. ubi altiùs omnibus, & profundiùs hoc demonſtra- „ re conatur. Altera verò placuit Panormitano, qui pro Pariſienſibus eſt, in „ capite ſignificaſti. Et in tract. ſuper Concilium Baſileenſe, quem frequentiùs „ noſtri ſequuntur, ut tradit Decius conſil. 115. quam mordicus tuetur Jacobus „ Almainus è Sorbona Theologus, qui reſpondit Thomæ à Vio libello juſto, & „ Joannes Major in cap. 16. in Matth. idem facit, aiens Romæ nemini permitti „ tenere Pariſienſem & Panormitani ſententiam ; nec rurſus Academiam illam Pa- „ riſienſem pati ut contraria opinio aſſeratur in ea. *En etiam, ut ſe textus habeat in Comment. in 7. diſt. de Pœnitentia, diſt. 5. pag. 492. col. 2. num. 32.* „ Ex hac „ concluſione primò infertur Pontificem Romanum, ad confitendum ſua peccata „ teneri ; quia divinâ lege obligatur ; quamvis verum ſit non ligari per caput „ illud , Omnis; & ita non teneri abſolutè ad confitendum ſemel in anno. Quod „ etiam ſenſit Joan. Andreas, & Felinus. Quod procedit tenendo illam, quam „ pleroſque omnes Italos audio tenere opinionem, quamque magnis viribus tu- „ tari conatur Thomas à Vio, ſcilicet Papam eſſe ſupra Concilium. Nam, ſi te- „ neremus alteram ſententiam, quam Schola Pariſienſis cum tota ferè Gallia ſe- „ quitur, Concilium Univerſale ſupra Papam eſſe (& adeò quidem ſequitur , „ ut Jacobus Almainus ſcribens in hoc ipſo articulo, dixerit, eum , qui contra- „ rium aſſereret in Francia, hæreticum judicatum iri) diceremus , ut ait ille , „ Romanum Pontificem ſtatuto Conciliorum ligari, ac proinde ad illud caput , „ Omnis , ſervandum teneri. Sic textus Majoris à Navarro citati , ſcilicet in cap. 19. Mathæi, ac in prioribus quidem Commentariis editis anno 1518. ſuper illud, „ ſi peccaverit hujuſmodi eſt. „ Hæc quæſtio quærit, an Pontifex Maxi- „ mus ſit ſupra univerſale Concilium, vel ſuper univerſalem Eccleſiam. Super „ præfata quæſtione duo ſunt modi dicendi oppoſiti ; quorum unus tenet Papam „ eſſe ſupra Concilium univerſale. Hunc modum aliqui Cardinales tenuerunt , „ & tenent, & communiter Thomiſtæ, & Romæ, ut aſſeritur, nulli fas oppo-

ſitum publicè tueri. Alium modum ſemper univerſitas noſtra Pariſiana à die- „ bus Concilii Conſtanticnſis imitata eſt, ſic, quòd in ea, qui prædictam tenue- „ rit, in campo cogitur eam revocare. „

Jam, quòd hic citatur Conſtantienſe Concilium, nihil agnoſco antiquius opinioni iſti favere, quàm Epiſtolam Innocentii III. ad Philippum Auguſtum Francorum Regem, quæ reperitur numero 194. inter editas nuper à Boſqueto. Scilicet in ea hæc verba habentur. „ Propter ſententiam Evangelicam, quam ipſe Deus expreſſit, ut quod Deus conjunxit, homo non ſeparet, cùm abſque dubio nec ſan- „ ctorum exempla, nec Patrum Decreta intentioni tuæ in hoc ſuffragentur: verùm, ſi „ ſuper hoc abſque generali definitione Concilii determinare aliquid tentaremus, „ præter divinam offenſam, & mundanam infamiam, quam ex hoc poſſumus in- „ currere forſan ordinis, & officii nobis periculum immineret; cùm contra præ- „ miſſam veritatis ſententiam noſtra non poſſit auctoritas diſpenſare. „ Poſteriùs autem quod habet Thomas de Corſellis Pariſienſis Theologus in propoſitione an. 1440. facta à Biturigibus, præſente Rege in Concilio Eccleſiæ Gallicanæ, his verbis. Poſt hæc omnia Papa Martinus cum toto Concilio dedit litteras ad Præ- „ latos, & Inquiſitores, in quibus continentur articuli Joannis Wiclef, & Joan- „ nis Hus, inter quos iſte ponitur articulus XLI. Non eſt de neceſſitate ſalutis, „ credere Romanam Eccleſiam eſſe ſupremam inter alias Eccleſias. Super quod „ dicit Papa, approbante Concilio, error eſt, ſi per Romanam Eccleſiam intel- „ ligat univerſalem Eccleſiam, aut Concilium generale, aut pro quanto negaret „ primatum ſummi Pontificis ſuper alias Eccleſias particulares. Deinde in Inter- „ rogatorio in iiſdem litteris poſito, ſuper quibus haberent interrogari ſuſpecti, „ de hæreſi Huſſitarum ponuntur ſequentia: Interrogetur utrùm credat quòd „ quodlibet Concilium generale, etiam Conſtantienſe, univerſalem Eccleſiam „ repræſentet. Ex quibus manifeſtum eſt, quòd per Papam Martinum, & Car- „ dinales, qui tunc ibi communiter aderant viginti tres, unà cum toto Concilio „ fuit approbatum, quod Concilium generale habeat ſupremitatem in Eccleſiam „ & quòd univerſalem Eccleſiam repræſentabat. „ Quod verò dicitur Vniverſitatem Pariſianam id imitatam eſſe; à diebus Conſtantienſis Concilii, ecce proferunt Pariſienſes Epiſtolam ſcriptam ad Pariſienſem Facultatem Theologiæ ab Innocentio VIII. die Septembris 7. an. 1486. quâ improbatum nihil fuerit, quod fuiſſet eo uſque ab illa defenſum, ſed comprobatum potiùs hujuſcemodi verborum tenore. Dilecti filii ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Intelleximus non „ ſine magna cordis noſtri lætitia, ſinceram animorum veſtrorum devotionem, „ quam ad nos, ſanctamque Romanam Eccleſiam, & Fidem Catholicam habetis; „ cùm omne ſtudium, & curam veſtram pro ejuſdem Fidei defenſione, & hære- „ ſium exſtirpatione, ſicut probatiſſimos quoſque Chriſtianos decet, inceſſanter „ adhibueritis. „ Aſſerunt quoque non improbatum facultatis ejuſdem Decretum de celebratione generalis Concilii die Januarii 11. ac anni 1497. in quo ad quæſita à Rege reſpondendo inter cætera ſic habetur, „ Reſponſum eſt quòd ſummus Pontifex, & Pater ſanctiſſimus tenetur de decennio in decennium congregare „ Concilium generale, univerſalem Eccleſiam repræſentans, & maximè nunc, „

Digitized by Google

reſis : nam ipſe poteſt eſſe criminoſus, aut fautor alicujus criminis, vel into- “
lerabilis erroris, tam pernicioſi Reipublicæ Chriſtianæ, quàm pernicioſa eſt “
hæreſis. Cui crimini reſecando, ſi non poſſit remedium adhiberi niſi per Sum- “
mi Pontificis deſtitutionem, verè & realiter diſtituendus eſt. „ Et paulò poſt
eamdem doctrinam hocce diſticho comprehendit.

PETRUS in Æde ſacra caput eſt, & quandoque Membrum;
Paret, & eſt Membrum; præcipit, ut Caput eſt.

JOannes Arboreus, Pariſienſis etiam Theologus lib. 4. Theoſophiæ. cap. 32.
ſic ſentit. „ Decretales Epiſtolæ non exequuntur Canonibus Conciliorum &
definitionibus. Hanc facilè ſuadebo aſſertionem. Minùs auctoritatis habet “
Romanus Pontifex, quàm tota & univerſalis Eccleſia, quam repræſentat Con- “
cilium generale ritè congregatum. Nam Papa in Fide errare poteſt, ut dicit “
Innocentius hujus nominis IV. cap. 1. de Summa Trinitate; & totâ mihi ab- “
errare viâ videtur, qui aliter ſentit; & plus veritati tribuendum eſt, quàm “
amico. Aſſentantur ſanè Romano Pontifici, qui faciunt eum immunem à pec- “
cato, & lapſu hæreſeos, & ſchiſmatis; cùm non ſit divino munere confirma- “
tus in gratia. At Concilia generalia legitimè congregata non poſſunt in fide “
aberrare. „ Claudius Conſors ſimiliter pariſienſis Theologus, in confutatione
errorum Waldentium, *Paucis*, inquit, *probemus utramque & Eccleſiæ, & Petri aucto-
ritatem, Eccleſiæ primò ex eo, quòd generalium Conciliorum definitione Eccleſia ſit ſupra Papam,
quem reſtituere & ex cauſa deſtituere poteſt.* Verùm iſte ſcribebat jam annò 1548.
Cæterùm ab anno 1542. conditi fuerant celebri Facultatis Decreto articu-
li, Pariſienſes dicti numero XLII. quod juramento adhibitò profitentur etiamnum
quotquot in eâ licentiæ ſiunt Doctoratum adepturi. Ipſorum autem XXI. hujuſmodi eſt.
“ Eodem veritatis firmamento recipiendum, poteſtatem excommunicandi eſſe de “
jure divino immediatè à Chriſto Eccleſiæ conceſſam. *Et XXII.* certum eſt Concilium “
generale legitimè congregatum univerſalem repræſentans Eccleſiam, in Fidei, & “
morum determinationibus errare non poſſe. “ Ex quibus minùs mirum eſt, ſi ſcri- “
bens poſteriùs Dominicus Soto (utrumque oppoſitum cum ſua familia ſequutus) in
4. Sentent. diſt. 20. qu. 1. art. 4. ſic quærat “ Utrùm poteſtas juriſdictionis in utro- “
que foro fuerit collata Eccleſiæ, ut in toto corpore immediatè reſideat : an verò “
in Prælatis ejus ? *Et poſteà ſic habeat.* Nihil hìc dicere molimur de illa moleſta “
lite, utrùm Concilium ſit ſupra Papam; quæ cauſa eſt, ut numquàm Concilia “
eo candore feliciter celebrentur quo antiquitùs; ſed quia rerum conſequentia “
hoc expoſcit, ne clavium tractatus mutilus maneat; quidquid ſit de illa quæ- “
ſtione, pro noſtra tenuitate ſubjectum proximum Eccleſiaſticæ Poteſtatis & ju- “
riſdictionis explanare adoriamur. Enimverò Gerſon in tractatu Poteſtatis Ec- “
cleſiaſticæ, quem imitatur Almainus in ſuo libro de Comparatione Papæ & Con- “
cilii, cap. 6. atque alii fautores illius opinionis, quòd Concilium eſt ſupra “
Papam, arbitrati ſuam opinionem ex hoc fundamento pendere, aiunt poteſta- “
tem Eccleſiaſticam juriſdictionis in utroque foro reſidere in tota univerſitate Ec- “

H

Digitized by Google

,, cleſiæ, hoc eſt, in toto corpore, quod aiunt, categorematicè, inſtar Reipu-
,, blicæ civilis. ,, Hoc tempore non video rem vocari ampliùs in controverſiam ;
fortaſſis ob juratos illos ab omnibus articulos, tametſi ſunt, qui opinionem utramque
probabilem putent. Cùmque neutra diſertis verbis defendenda proponi ſoleat ; re-
tineri tamen antiquam, juratamque intelligi poteſt ex ipſa ratione loquendi tam
eorum, qui libros conſcribunt, quàm eorum qui diſputant Theſeis. Quippe
cùm nihil ſimile obſervem pro oppoſito ; facere tamen pro hac videtur, quòd
ſcribens Franciſcus Hallierius Pariſienſis Theologus pro defenſione Eccleſiaſticæ
Hierarchiæ, ſeu in Vindiciis cenſuræ Facultatis Theologicæ Pariſienſis adverſus
Hermandi Loëmelii ſpongiam, editis anno 1632. §. 2. ſic inſtat. « Legiſti in li-
,, bello Richeriano Regimen Eccleſiæ eſſe Ariſtocraticum ; annè legiſti ſtatum eſſe
,, Monarchicum ? *Et poſteà*, Licèt Epiſcopus hic, aut ille morte extinguatur, li-
,, cèt ob crimen expellatur, ſine Epiſcopo tamen Eccleſiam eſſe negamus, in qua
,, ſemper remanet Epiſcopalis Cathedra, in qua viget ſemper Epiſcopi Princi-
,, patus. *Et rursùs*, Hoc ſenſu neque Eccleſiam univerſalem, nec particularem
,, ullam perfectam ſine Epiſcopo eſſe poſſe pronunciavit Pariſienſis Theologorum
,, Facultas, & contrariam ſententiam falſiſſimam, in conſequentia periculoſam,
,, temerariam, ſcandaloſam, ordinis Hierarchici deſtructivam, Populo Chriſtia-
,, no nocivam, traditionis Apoſtolicæ, & ſucceſſionis Apoſtolicæ fundamentum con-
,, vellentem; imò & in hæreſim inducentem judicavit. Facit verò etiam, quòd Theſeis
,, proponens Robertus Conſtantinus Baccalaureus Sorbonicus anno 1639. die Novem-
bris 18. Sorbonica 29. Theſim hanc inter cæteras ultimâ columnâ repoſuit. « Promul-
,, gatio eſt eſſentialis legi, non acceptatio; tenenturque omnes Principum edictis
,, parere, non tantùm propter iram ; ſed etiam propter conſcientiam. Pari jure
,, quiſque fidelium, excepto nemine, Eccleſiæ Catholicæ, & Conciliorum De-
,, cretis ſubditur.

Atque hæc ſunt quidem, quæ recepi initio commemoranda hiſtoricè, non dogmaticè verò expendenda. Videlicet retuli ſolùm, ut tibi quaſi fido amico rem exigenti gratificarer ; non ut ſententiam dicerem, cui nullum ex me accederet pondus. Tu id totum quodcumque eſt, quo do affectu excipe, & tanquàm pignus quoddam meæ erga te obſervantiæ habe. Pariſiis VII. Kal. Jul. M. DC. XLV

FINIS.

Digitized by Google

EMUNDI
RICHERII
DOCTORIS THEOLOGI PARISIENSIS

DEFENSIO LIBELLI

DE

ECCLESIASTICA
ET POLITICA POTESTATE,

IN QUINQUE DIVISA LIBROS.

TOMUS PRIMUS.

COLONIÆ,
Apud BALTHASAREM AB EGMON.

M. D. CCI.

Digitized by Google

Veritas Domini manet in æternum, & liberabit nos. Pſal. 116. & Joannis 8.

Deus diſſipabit oſſa eorum qui hominibus placent. Pſal. 52.

Revela Domino viam tuam & ſpera in eo: & ipſe faciet & educet quaſi lumen juſtitiam tuam, & judicium tuum tanquàm meridiem. Pſal. 36.

Pro juſtitia agonizare pro anima tua, & uſque ad mortem certa pro juſtitia, & Deus expugnabit pro te inimicos tuos. Eccleſiaſtici 4.

Digitized by Google

EMUNDUS RICHERIUS

Doctor Theologus Pariſienſis, univerſis, qui veritatem, pacem atque unitatem juſti regiminis Eccleſiæ Chriſtianæ adamant, ſalutem atque æternam felicitatem precatur.

PRimos pictores, artis quam profitebantur, uſque adeo rudes & ignaros extitiſſe memorant, ut ea quæ pingerent, vix aliter quàm illorum nomine ſic adſcripto, exprimere & deſignare poſſent, *hic eſt homo, hic eſt bos, hic eſt equus, canis, &c.* Hercle quidem odia, quibus plerique hujus ævi Zelotæ utrinque fervent, ſic eos tranſverſum rapiunt, ut multò plus iracundiæ & pravæ affectioni, quàm veritati inter ſcribendum indulgeant; ex quo accidit, ut de illorum libris haud aliâ ratione, quàm ex Epigraphe judicare poſſimus, quoniam calumniis & ſophiſticis illuſionibus adeò turgent ac pûtent, ut homines eruditos, aliquâ æquitate animi ac judicio præditos, à ſuorum librorum lectione omninò abſterreant. Profectò, ut de me ipſo loquar,

Digitized by Google

poſt Henrici Magni necem, cùm exiguam lucubrationem de Eccleſiaſtica & politica poteſtate in vulgus emiſiſſent, tantumque odii, & potentiſſimorum inimicorum mihi ex ea re creari viderem, ut magno etiam perduellionatui verteretur, ſi quicquam adversùs meos convitiatores lucubrarem: Dominum Jeſum Chriſtum obſecravi, quando propter temporum iniquitatem & graves factiones, neque pro Catholica & Evangelica veritate juſti regiminis Eccleſiæ, neque pro ſuprema & independenti politicæ majeſtatis auctoritate divinitùs inſtituta & propagata mihi tutum eſſet hiſcere, ſaltem aliquando illos dies illuceſcere pateretur, quibus me vivo aut mortuo ea edi & legi poſſent, quæ in eam rem commentabar. Maximè verò quòd omnium hominum voce & ſcriptis confirmata ſit notio inculpatæ tutelæ defenſionem ita jure divino & naturali eſſe ſubnixam, ut neque ulli hominum affecto injuriâ unquam noxæ ſit, neque etiam à quoquam mortalium legitimè prohiberi, multòque minùs per vim eripi queat: accedit etiam quòd ex vulgi & Sophiſtarum conſuetudine nunquam mihi in animum induxerim maledicta maledictis, & ſophiſticas cavillationes aliis cavillationibus turpiter & iracundè rependere, ſed omnibus neglectis in me certatim opprobriis, forti & chriſtiano animo, veritati neceſſarii regiminis Eccleſiæ planè oppreſſi patrocinari. Quæ controverſia, ſi ad ejus appendices & hodiernum Curiæ Romanæ dominatum attendamus, certè omnium maxima & aliarum caput eſt: ut meritò Bellarminus illam omnibus aliis antepoſuit in ſuis operibus. Quocirca, lector, te etiam atque etiam obſecro, ne vel ex opinionum præjudiciis, quæ jam pridem hominum obnoxiorum factionibns inveteraſcunt, vel ex magna gratia & potentia eorum qui me ſub ætate pupillari Regis in dicta cauſa damnarunt, de hac mea defenſione ſtatuas; neque tuam interponas ſententiam, priuſquam omni ſepoſito animi motu, conſideratè accuratèque, & ut Patres antiqui loquebantur, ſecundùm regulas cognoveris. Quandoquidem certiſſimum eſt neminem de iis, quæ non apprimè novit, legitimum Judicem eſſe poſſe. Porrò ut hic maturè & Canonicè judicium feratur, non ſolâ ſcholaſticæ Theologiæ, verumetiam exactiſſimâ Eccleſiaſticæ hiſtoriæ, Conciliorum & Patrum antiquorum cognitione opus eſt. Unde qui ejuſmodi ſubſidiis non ſunt ſolidè inſtructi, & nihilominùs ex hodierno atque abſolutiſſimo Curiæ Romanæ principatu cenſuras contra juris communis & ariſtocratici regiminis Eccleſiæ vindices, quaſi adversùm hæreticos, ſchiſmaticos, perduelles & monarchomacos, ſic enim paratragœdiant, diſtringunt, certè novi, orbis populis ſimiles videntur, qui ad primum Galli gallinacei, equi ovi-

Digitized by Google

culæ,atque aliorum fœcundiſſimorum & manſuetiſſimorum animalium quæ nunquam viderant, velut ad horribilis excetræ aut alterius monſtri peſti-feri conſpectum expaveſcebant: hincque illa Thraſonica magiſtri Andrææ Vallii jactatio, initio ſui operis de *ſuprema poteſtate Papæ* in Epiſtola nuncupatoria ad Cardinalem Joyeuſum, ubi gloriatur ſe hydram errorum Richerii debellaſſe. Sed te unum rogo, Lector, ut ſi has lucubrationes, ſuperſtite Richerio, in vulgus edi contingat, & forſan aliquid erroris, vel potiùs hallucinationis in eis oſtendas, me de illorum, ſervatâ legis Evangelicæ normâ & moderatione, commonefacere nequaquàm graveris; ut enim homo ſum errori obnoxius, ita tibi polliceor me quamprimùm omnia emendaturum; & ſi Eccleſiæ Catholicæ optimæ parenti videatur, me in omnium oculis culpam & lapſum publicè deprecaturum: inſuper nolo te latere, ſex annis circiter poſt primam ſcriptionem hujus defenſionis, cùm in ejus recenſionem incumberem, Martinum Decanum doctiſſimum Theologum publici juris feciſſe opuſculum de *Republica Eccleſiaſtica*, quo quidem jure & dogmaticè B. Petri & Eccleſiæ Romanæ Primatum contra Antonium de Dominis Spalatenſem Epiſcopum propugnat: & ſicut in hac parte ejus ſtudium & ſententiam vehementer laudo & amplector, ita eis nullo modo poſſum aſſentiri, quæ in præfatione libri ſecundi venditat, hæc tria pro uno atque eodem effato conſtituens. 1. *Petrus eſt viſibile caput totius Eccleſiæ loco Chriſti.* 2. *Petrus eſt vicarius Chriſti in regimine totius Eccleſiæ.* 3. *Petrus habet Primatum totius Eccleſiæ.* Enimverò duæ priores propoſitiones niſi ſanè intelligantur accuratèque diſtinguantur, abſolutam infallibilem involvunt monarchiam; à qua primatus toto cælo, ſicut res divinitus inſtituta à re penitus imaginaria & fictitia, diſtat, ut hoc opere demonſtrabitur, conformiter ad ea quæ axiomate XV. & XXXI. Apologiæ noſtræ diſputavimus. Intereadum ne animi pendeas, quid verum in hac defenſione tractetur, hîc in primo limine ſeriem omnium librorum & capitum, quam unius horæ ſemicirculo facilè perleges, tibi præ oculis delineandam cenſui. Vale.

Digitized by Google



Digitized by Google

LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM.

I. Partitio totius operis in quinque libros.

II. De Philoſophi & Sophiſtæ inſtituto, quantùmque ejus rei notitia conducat ad dogmaticè judicandum de permultorum hominum ſcriptis, qui odiis inflammatis hodie in lucem mittuntur.

III. Varii auctores qui in Richerium ejuſque libellum ſcripſerunt.

IV. Libros magiſtri Andreæ Vallij contra Richerium totos ſcatere cavillationibus; & de hac inſcriptione quâ libros ſuos nobilitavit: De ſuprema Romani Pontificis in Eccleſiam poteſtate.

V. Summum Pontificem à duobus generibus inimicorum oppugnari, quorum alii omnia illi adulatione contra jus divinum, naturale, & canonicum arrogant, alii impiè detrahunt.

VI. Schiſmata æquè patrari in Eccleſia, ſi Caput miniſteriale omnia membrorum officia uſurpet, quàm ſi membra legitimum Capitis imperium detrectent.

VII. Scholæ Pariſienſis & Collegii Sorbonici diviſionem non à libello Richerii, ſed ab illis manaſſe, qui, poſt Henrici Magni cædem, diſcordiarum & novitatum ſemina artificiosè inter Doctores ſparſerunt, quò ſub infirma ætate Regis ſuas res privatas agerent, atque doctrinam de abſoluta Papæ monarchia in res ſpirituales & temporales defigerent in Francia.

VIII. Utrùm libellus Richerii intempeſtivè editus fuerit.

IX. Non modò Theologis licitum, ſed etiam pernece ſſarium eſſe de Papæ poteſtate diſputare.

X. Vallius ineptè & ſophiſticè contendit Papam ſe habere ad Eccleſiam ſicut ſol ad radium, fons ad rivum, radix habet ſe ad arborem.

XI. An Richerii libello antiqua doctrina Facultatis Pariſienſis contineatur.

XII. A temporibus Synodi Conſtantienſis Gallicanam Eccleſiam ſemper fide catholicâ tenuiſſe Concilium eſſe ſupra Papam, idque neminem revocaſſe in dubium, niſi poſtquàm Jeſuitæ Ludum aperuerunt in Galliis.

Digitized by Google

XIII. Quibus de cauſis plures hodie teneant Papam eſſe ſupra Concilium, quàm contra, Concilium eſſe ſupra Papam.

XIV. Theologos obſtringi multa fide catholicâ credere, ad quæ imperiti Theologiæ non tenentur, & utrùm hodie decreta Synodi Conſtantienſis aliquos fide catholicâ obligent.

XV. Leviculus atque inconſtans Vallius paſſim in ſolemnes proteſtationes, quas initio ſui libri edidit, cæco impetu ceſſitat.

XVI. Richerium immeritò à Vallio & Fileſaco flagellari, eo quòd decreta aliquot Facultatis evulgarit.

XVII. Hiſtoria geſtorum in Capitulo Dominicanorum anno 1611.

XVIII. Quid cauſæ priſci Doctores Sorbonici habuerint ut Baccalaureos vellent proteſtari ſe ſervaturos Conciliorum & Sacræ Facultatis Theologiæ decreta, nullâ planè factâ mentione Conſtitutionum Pontificiarum.

XIX. De formula quâ Richerius ſuum ita concluſit libellum: Hæc Eccleſiæ Catholicæ ſubjecta ſunto.

XX. Antiquos Eccleſiæ Patres ſemper Romanam Eccleſiam pro Eccleſia particulari ſumpſiſſe, & de loco Ambroſii in Oratione funebri fratris ſui Satyri petentis ab Epiſcopo, utrùm cum Romana Eccleſia conſentiret.

XXI. An libello Richerii detrabat, quod aliqui Doctores dixiſſe feruntur, genuinum eſſe blattarum atque tinearum pabulum.

XXII. De Cenſuris in eundem libellum editis.

I. HAnc ego Defenſionem in quinque libros diſtribuam, quorum primus ſummam complectetur argumentorum & calumniarum quæ adversùs Richerium excogitata ſunt: ut odio publico oppreſſus in dicta cauſa damnaretur, atque officio Syndicatûs Theologiæ Regis edicto abdicaretur, quod nunquam anteà auditum fuerat. Secundus explicabit demonſtrationem duorum priorum capitum libelli de eccleſiaſtica & politica poteſtate, quibus tanquam invictiſſimis ac evidentiſſimis principiis totus ille libellus, hæcque ipſa defenſio nititur. Tertius liber omnia firmamenta Cajetani, Bellarmini, & aliorum pro abſoluta infallibili Papæ monarchia examinabit, & confutabit. Quartus in probatione ſeptem capitum ejuſdem libelli, nimirum à tertio ad nonum caput incluſivè occupabitur. Quintus explicationem novem reliquorum capitum memorati libelli continet, omniaque Magiſtri Andrææ Vallii & aliorum argumenta propulſat.

II. Sed antequàm ulteriùs progrediamur, ut omnes de hac defenſione & permultorum ſcriptis, quæ hoc infeliciſſimo ſæculo inflammatis odiis ſuper controverſia quam in manibus verſamur, certatim eduntur, procliviùs ex rei veritate judicare

valeant, antè omnia velim Philoſophorum & Sophiſtarum naturam, mores & inſtituta diligenter obſervent, atque ſecundùm utriuſque regulas moremque agendi, omni ſimultate, odio & gratiâ ſepoſitis, ut bonos viros decet, æquanimiter judicent. Quandoquidem Philoſophus ad unicam & ſolam veritatem, cui cætera omnia præponit, jugiter collimat, ſuaſque probationes directè ac evidenter, quoad ejus fieri poteſt, à rerum natura & cauſis promit, moralia moraliter, phyſica phyſicè, & metaphyſica metaphyſicè in propriis ac genuinis terminis pertractat, mendacia, argutias, cavillationes, effugia, convitia, omneſque ineptias tanquam à propoſito ſuo abhorrentes cane pejus & angue odit, nec ab inſtituto & quæſtione juris unquam aut parcè admodùm & causâ id flagitante divertit. Auctorum ſententias & teſtimonia quibus utitur, ſicut in fonte concepta ſunt, in aciem explicat, neque prudens, ſciens aliquid eorum quæ ad controverſiæ deciſionem faciunt, ſubticet, aut à ſcopo deerrat, vel ullam aliam quàm regiam veritatis & virtutis viam ſequitur, numquam ex præjudiciis opinionum aut rumoribus populi, ſed ex ſola rerum evidentia & certitudine ſuum propalat judicium. Denique quia virtutem & veritatem omnibus anteponit, glorioſiſſimè ducit triumphum, etiam cum propria famæ & nominis jactura, vinci veris: Contra autem Sophiſtæ, quia veritatem ſibi pro fine non ambiunt, ſed gloriam, victoriam & privatum commodum aucupantur, atque anticipatis opinionibus laborant, aut aliorum cupiditati & imperio turpiter ſerviunt, ut illis ipſis quibus ſunt obnoxii, aut etiam imperitæ multitudini quæ verum à falſo nequit ſecernere, ancillentur, ſuas argumentationes longiùs, violentiùs in ſpeciem & ad ſolam pompam ac famam derivant à petitione principii ab æquivocatione, metaphoris, allegoriis, parabolis, aliiſque ſimilibus elenchis. Prætereà de moralibus & politicis phyſicè aut abſtractè & metaphyſicè vel contra diſſerunt, innumeras cavillationes atque evaſiones more vulpecularum ſibi adornant, & ſcripta ſua ſuperfluis digreſſionibus referciunt: Auctorum teſtimonia & regulas ipſas, quibus uti debent, de induſtria corrumpunt, & in alium à nativo ſenſu detorquent; Theſim hypotheſi, & quæſtionem juris quæſtione facti implicant, neque victi umquam acquieſcunt, ſed ſtrophas, morologias, factiones, calumnias, convitia, innumeraque mendacia comminiſcuntur, turbaſque ingentes edunt, ut quibuſcum diſputant, grandem invidiam, odium, invidiam & periculum concilient; denique ubi ſeditioſa atque exotica dogmata primi in vulgus ſparſerunt, cauſamque diſſidii atque turbarum alios laceſſendo & novis rebus ſtudendo præbuerunt, attamen ejus rei culpam ſubdolè & verſutè in alios transferunt, qui veritatem, antiqua inſtituta, avitos mores & patrios ritus ſervatâ moderatione inculpatæ tutelæ propugnant, aut illatam injuriam repellunt. Quæ omnia utrùm in Emundum Richerium actitata fuerint, tu Lector candide pro tua æquitate judicabis; atque etiam Elenchos Ariſtotelis nunquam de manibus depones, quando cum fructu libros Scriptorum Curiæ Romanæ voles perlegere.

III. Porrò in libellum de eccleſiaſtica & politica poteſtate varii ſcripturierunt; quidam ex profeſſo, alii obiter; quorum aliquos Joannes Galterus Chronographus Sodalitii Jeſuitarum exquiſitis elogiis cohoneſtavit. Certè his annis nullus extitit Scriptor, modò Curiæ Romanæ hominibus gratificari, & tempori inſervire vellet,

qui roſtro vel unguibus Richerium lacerare non tentarit. Petrus Pelletarius popularis & aſſecla menſæ Cardinalis Perronii, qui nuper ex Calviniſmo ad Eccleſiam Catholicam tranſmigravit, primus omnium in Richerium inquinatiſſimè ſcripſit, ut hâc ratione bonum ſe Catholicum & non de nihilo annua Cleri Gallicani ſtipendia colligere demonſtraret; Pelletarium ſequutus eſt Magiſter Claudius Durandus Doctor Theologiæ Pariſienſis Vallii diſcipulus, & tanquam fringilla contra Richerium involavit; quem pariter Bointius Bellilocus æmulatus eſt: omnes enim, cum latinè non poſſent, gallicè & ridiculè ſcripturierunt. Quarè eorum libri ſonitu & pondere præli, quo expreſſi ſunt, confeſtim perierunt. At Jacobus Sirmundus vir certè doctus, ſodalis Jeſuita, *notas edidit ſtigmaticas ad Magiſtrum triginta paginarum*; nomen ſuum ſic adumbravit, *Jacobi Coſmæ Fabricii notæ ſtygmaticæ, &c.* Ego quidem certò accepi Magiſtrum Jacobum Gutterium advocatum Parlamenti aliquid etiam opis huic libello famoſo contexendo, pro amicitia quæ illi cum Sirmundo intercedit, contuliſſe. Famoſum dico libellum, quia nullum eſt genus virulentiſſimi convitii atque mendacii, quo hæc lucubratio non nobilitetur, & auctores ſuos contaminet, ut ex ejuſdem lectione claret. Quem eximium fœtum Sirmundus miſit in Germaniam, eſtque editus Francofurti apud Jacobum Fiſcherum: quamprimum cauſa Academiæ contra Jeſuitas perorata eſt, cui quidem Sirmundus intererat, qui Sirmundum familiariter inviſebant, mihi renuntiabant, illum aliquid contra me & Patronos Academiæ meditari, neque obſcurè nobis interminari; itaque nundinis autumnalibus ex Germania partus iſte putidus allatus anno 1612. & per Collegia Jeſuitarum ad perpetuam nominis mei commendationem miſſus eſt. Cùm ego mirabundus aliquando dicerem Gutterium hominem forenſem, ne vel minimam quidem à me friviculam habuiſſe, cùm tam intemperanter in me baccharetur, mihi à quodam viro, qui Gutterium ejuſque ſtudia optimè noverat, reſponſum eſt illum Curiæ Romanæ gratiam impensè venari, & cantionem temporibus congruentem ſaltare, ac tandem aliquando exambire in locum Magiſtri Jacobi Montelonei Patroni Jeſuitarum, Ducis Eſpernonii, atque aliorum hominum Richerio inimiciſſimorum ſuffici. Certè aliquanto poſt ex epigraphe librorum Gutterii, illum *Jure Civitatis* Romanæ donatum, idque ambitiosè præ ſe ferre cognovimus; quod ventoſum hominis ingenium indicat: Magiſter Joannes Bacherius Doctor Pariſienſis & nunc Eccleſiaſtes Tornacenſis Eccleſiæ, aliquot opuſcula gallica partim ſub Pauli Gimontii, partim ſub Pompeii Ribemontii nomine edidit, quibus libellis haud me aliter quàm de hæreſi ſuſpectum contaminat Petrus Cotonus in actione quam adversùs Petrum Martilerium vulgavit. Richeonius in examine categorico, Eudemon Joannes & Joannes Gualterus ſodales Jeſuitæ aliquid pariter in auctorem libelli de eccleſiaſtica & politica poteſtate aliter commenti ſunt, omneſque Magiſtrum Andræam Vallium quaſi alterum Herculem Gallicum & Lernæ domitorem miris afficiunt laudibus; hic autem cùm mihi quondam eſſet intimus, ex amiciſſimo inimiciſſimus evaſit, propter cauſam Academiæ Pariſienſis defenſam contra Jeſuitas magiſtros ſuos, omnibuſque aliis qui in me ſcripſerunt convitiandi & calumniandi palmam longè præripuit, ſi notas ſtigmaticas Sirmundi & Gulteri excipias: paſſim enim hujuſmodi comitiis *ſchiſmaticus, hæreticus,*

Digitized by Google

perduellis, monarchomacus, mendax, impoſtor, &c. Vallius me nobilitat, pro figuris & luminibus ſuæ orationis, calumniis utitur. Quod mirabile eſt in homine chriſtianam charitatem ad ſingula fermè verba perſonante, & aliis commendante, quam non ſervat. Verùm hæc *Claudiana ſunt tonitrua fulguraque ex vitro*, quæ ſolos pueros, mulierculas, ignaros, atque obnoxios homines poſſunt percellere. *Domine parce illis, quia neſciunt quid faciunt.*

IV. Verùm Magiſter Andræa Valli, jam te ex jure manu conſertum voco, quænam amabo hæc eſt tui Elenchi inſcriptio? *Elenchus*, ais, *pro ſuprema Romani Pontificis in Eccleſiam auctoritate, vel de ſuprema Romani Pontificis in Eccleſiam poteſtate*, ut tuo ſecundo opere contra me & Vigorium nuncupas! profectò ex hominum ſcriptis facile eſt de illorum ingenio judicare; & quoniam à multis annis monarchiam abſolutam, ne dicam tyrannidem, in Domum Sorbonicam & Facultatem Theologicam tibi uſurpare & normam Magiſtrorum tuorum cæcam obedientiam invehere moliris, ideò has præclaras inſcriptiones & Richerium ſupremam poteſtatem Papæ denegare comminiſceris. Sed quando in tuo elencho me tam ſæpè laceſſis, quòd nimiùm quantùm Synodi Conſtantienſis decreta tuear: hercle id argumento certiſſimo eſt, me ſupremam Papæ auctoritatem minimè denegare, ut revera non denego; ſed inter me & te, cæteroſque conviciatores hoc dumtaxat intercedit diſcrimen, quòd vos abſolutam & purè monarchicam poteſtatem etiam ſupra Canones & Generale Concilium Pontifici addicitis; ego verò cum Patribus Synodi Conſtantienſis & antiquis Scholæ Sorbonicæ Doctoribus contendo Statum aut Principatum Eccleſiæ eſſe monarchicum Ariſtocratico regimine eſſentialiter temperatum; ita ut primatus ad particulares Eccleſias diſgregatas ſolummodò juridicè extendatur, minimè verò ad univerſalem Eccleſiam congregatam in Concilium. Undè cùm Richerius Synodum Conſtantienſem ſuæ ſententiæ auctorem habeat, tu verò Redargutor nullos alios opinationis tuæ patronos, quàm Curiæ Romanæ homines obnoxios, qui ſunt in cauſa ſuſpicias, atque inſuper Facultati Pariſienſi, cui Sacramento devinctus es, bellum apertè indicas; meritò quidem vapulare debes. An potes negare Sorbonam ſemper docuiſſe, *Chriſtum claves in commune toti detuliſſe Eccleſiæ, ut per unum exercerentur? & continuò Concilium eſſe ſupra Papam, ſicut Synodo Conſtantienſi eſt definitum?*

V. Quàm appoſitè Gerſonius lumen Scolæ Pariſienſis lib. de poteſtate eccleſiaſtica conſideratione 12. perhibet, Papam duo habere genera inimicorum: quorum alii fœdis aſſertationibus Pontificem Chriſto in Eccleſiæ regimine æquant, alii verò eidem omnia hæreticè denegant, procul dubio cum Eccleſia in ſua notione eſſentiali, quatenùs etiam pro ſolo ordine hierarchico ſumitur, plurium collectionem ſignificat.

VI. Pontifex qui eſt ſolummodò miniſteriale non eſſentiale Caput Eccleſiæ totum corpus hierarchicum in ratione poteſtatis atque regiminis conſtituere nequit: *Si totum corpus oculus, ubi auditus? quod ſi omnia eſſent unum membrum, ubi corpus? multa quidem membra, unum autem corpus*, &c. *Deus temperavit corpus ei cui deerat abundantiorem tribuendo honorem, ut non ſit ſchiſma in corpore, ſed in idipſum pro ſe invicem ſolicita ſint membra*: primæ Corinthiorum 12. Itaque ſicut ſingula corpo-

Digitized by Google

ris membra in ſolidum partem corporis proportionatim efficiunt, & corpus conſtituunt naturale, ac non tantùm ex charitate mutua, ſed etiam ex proprio officio de ſe invicem eſſentialiter, naturâque ſuâ ſolicita ſunt, ne ſchiſma oriatur in corpore, ſimiliter in corpore myſtico & politico Eccleſiæ, omnes Epiſcopi, quia in ſolidum Sacerdotii & Epiſcopatûs Chriſti participes ſunt, ideò etiam conſortes efficiuntur in ſolidum regiminis Eccleſiæ, quando, auctore Cypriano, *Epiſcopatus unus eſt, cujus à ſingulis in ſolidum pars tenetur. 24. quaſt. 1. can. loquitur*; neque Papa ſupra illos jure divino quicquam præter primatum poſſidet, quoniam ſicut ex ſolutione continui dolor, ac tandem interitus naſcitur; ita in myſtico corpore Eccleſiæ hæreſes & ſchiſmata æquè contingunt, ſi Caput miniſteriale per abſolutam & deſpoticam poteſtatem ſibi aliorum membrorum officia vendicet, interturbet aut impediat; quàm ſi membra ipſa ductum atque imperium Capitis ſui detrectent. Quandoquidem & uniendo & dividendo nimium, confuſio atque conturbatio æquè naſcitur in corpore politico, ſicut quî in corpore naturali, omnia membra unum efficeret membrum, aut à ſe invicem diſſociaret ac diſcerperet; hoc quidem ſectarii hodie, illud verò Curiæ Romanæ homines faciunt, ſicque cauſam novis ſchiſmatibus ac hæreſibus præbent, atque pridem natas hæreſes iſtâ ſuâ abſolutâ monarchiâ fovent, quæ quidem purum putum Curiæ, non Romanæ Eccleſiæ inventum.

VII. At verò paginâ 2. Elenchi Vallius perſuadere vult Sorbonam evulgatione libelli Richerii, quem ſemper Anonymum vocat, quaſi eum memorati libelli puderet, mirum in modum diſciſſam; atque ſe ultrò laborem ſcribendi ſuſcepiſſe, ut quantum in ſe ſitum eſſet, diviſionem illam ſarciret; ſed bonus vir ſubticet, ſe hortatu atque impulſu D. Nuncii Hubaldini, Cardinalis Perronii & aliorum Prælatorum tam contumelioſè contra me prætextu illos placandi ſcripſiſſe, quippe qui deliberationes inirent, ut ipſe Vallius mihi faſſus eſt, de funditùs evertenda Domo Sorbonica, ne ulla ampliùs mentio doctrinæ Majorum extaret. Sanè antequàm ſcriberes, Valli, & D. Nuncius Hubaldinus per Alexandrum Scappi auditorem ſuum magnam ſementem factionum & diſcordiarum in Facultate Theologica ſparſiſſet, tota Sorbona concors, atque unius erat labii; adeò ut maxima pars Doctorum libellum Richerii apprimè neceſſarium prædicarent, & amplecterentur contra novam doctrinam, quæ ſtatim ab Henrici Magni excidio diſſeminata eſt in Galliis: atque inter alios Magiſter Georgius Froger palam & publicè, dum menſæ Sorbonicæ aſſideret, multis audientibus & mirantibus, quoniam tuus eſſet diſcipulus, dixit magnas habendas Richerio Syndico gratias, quòd tam exiguo libello digitum ad fontes intendiſſet; cum alii rivulos tantùm ſectarentur, atque ex unius Bellarmini commentariis ſaperent: quæ Magiſtro Frogerio dixiſſe ſatis non fuit, niſi inſuper ſeſe ad Richerium conferret, eumque in os laudaret, & ab eo plurima exempla peteret. Quatuor vel quinque ei Richerius dedit, quæ Frogerius viris primariis magno cum Richerii elogio diſtribuit: cujus ſui dicti & facti Frogerius dehinc pœnas luere, & in pœnitentiam tuas eximias lucubrationes, Valli, encomio ſolemni quaſi grande ſophos ornare, eaſque ſuâ ſyngraphâ approbare coactus eſſet. Quâ igitur fronte te conſuendæ diviſionis deſiderio ad ſcribendum accenſum prædicas? cùm omnes animi & corporis nervos ad augendam diviſio-

Digitized by Google

nem intenderis, cumque in finem hæc verborum portenta adversùs ſodalem tuum excogitaveris; *ſchiſmaticus*, *monarchomachus*, *perduellis*, *mendax*, *impoſtor*, &c. Imò etiam paginâ 2. Elenchi addubitatione Rhetoricâ, *me caſtra hæreticorum meditari ſimulas : & paſſim cum Luthero, Calvino & Anglis deſipere narras.* Omitto nomen odioſum *Richeriſtarum* à te conſultò inventum, & ſtudioſiùs, non certè divino afflatu, hoc certò ſcio, propagatum, ut ejuſmodi odia atque ſchiſmata faciliùs paſtinares & irrigares. Sic olim qui veritati & cauſæ B. Chryſoſtomi patrocinabantur, Joannitæ ab inimicis contemptim & invidiosè vocitabantur. Sed apage tam dira & infauſta ſciſſuræ & factionis nomina : cum Dei filii nullâ re aliâ quàm quòd Chriſtiani ſint, ſeque invicem diligant, tantoperè lætari debeant. Unde Rom. 13. *Nemini quidquam debeatis, niſi ut invicem diligatis.* Verùm quis nobis jura tam æqualia diſtribuit, ut poſt Henrici Magni cædem innumeris librorum Scriptoribus permittat, quæcumque animo ſuo libitum fuerit, *de abſoluta infallibili Papæ monarchia*, contra avitam Scholæ Pariſienſis doctrinam ſcribere, hâcque viâ uberrimam ſegetem diſcordiarum facere; Richerio autem & aliis Scholæ Sorbonicæ alumnis, ne quidem pro majorum placitis eo tempore quo oppugnantur hiſcere concedat? Porrò tantùm abeſt ut hæc majorum doctrina viam ad hæreſim & ſchiſmata inſtruat, ſicut adulatores perſuadere volunt, cùm potiùs certiſſimam deſignet rationem, quâ & priſtina ſchiſmata ſanciantur & nova impediantur, atque Eccleſiæ reformatio in Capite & in membris ſuaviter ineatur, firmaque pax & concordia in tota Chriſtianitate per juſtam civilis & poteſtatis eccleſiaſticæ ferruminationem obtineatur. Audi, Redargutor, Doctorem Pariſienſem & Theologiæ Profeſſorem longè tui diſſimilem, Almaïnum lib. de Eccleſiæ auctoritate cap. 7. *Sed inimicus homo qui non ceſſat in agro Dominico per ſe & ſuos miniſtros ſeminare zizania, cognoſcens Eccleſiam non poſſe in Capite & in membris aliter reformari quàm per Concilium, induxit adulatores quoſdam, qui plus quærunt hominibus quam Deo placere, & plus quæ ſua ſunt, quàm quæ Jeſu Chriſti, in hunc errorem pernicioſiſſimum Eccleſiæ, quòd ſummus Pontifex ei non eſt ſubjectus; ſi enim ſingula beneficia vendat, aut ſacrilegis & pernicioſiſſimis perſonis diſtribuat, aut nitatur Eccleſiam omni modo deſtruere, non erit ei via ad reſiſtendum ei, niſi Eccleſia ſit eo ſuperior.*

VIII. Quibus accuratè conſideratis, aliorum occurritur obtrectationi, qui ſe libellum Richerii probare, ſed temerè atque intempeſtivè ſub ætate pupillari Principis editum prædicant. Novum crimen, Cai Cæſar, & antè hunc diem inauditum! quaſi verò Richerius novæ alicujus doctrinæ auctor & non antiquæ eſſet propugnator? Enim verò cum omnes boni cives Patriæ & Religionis Catholicæ amantes, incredibilem dolorem ex horribili cæde Henrici Magni hauſiſſent, hicque dolor ex libri Cardinalis Bellarmini adversùs Barclaium & aliarum ejuſdem farinæ lucubrationum evulgatione increbreſceret : quæ culpa potuit eſſe in Richerio, ſi ampliſſimi viri hortatu atque præceptis ſenſum & mentem Sorbonæ de ejuſmodi placitis promulgaret? Dicant etiam inimiciſſimi, an unquam magis opportunè, tempeſtivè & neceſſariò veritas defendi poſſit, quàm dum certatim ab illis oppugnatur, qui eam tenentur defendere, & dum ex ejuſdem oppugnatione Chriſtiana Reſpublica in maximum præcipitatur diſcrimen,

Digitized by Google

atque homines obnoxii, toto animi impetu jus divinum, ſchiſma & hæreſim ibi eſſe venditant, ubi nequidem ulla letalis eſſe poteſt ſuſpicio culpæ; ſi modò unitate & charitate ſervatâ unitatem tueamur? O nos cæci atque dementes, qui hoc ſæculo partium ſtudiis implicati, ac pænè faſcinati meridie lucere ambigimus! neque poſt duos Chriſtianiſſimos hâc ſeditioſiſſimâ doctrinâ confoſſos, plurimaque furioſorum hominum attentata contra Ludovicum XIII. Regem innocentiſſimum; & denique poſt Regnum Gallicanum ad ruinam certiſſimam præcipitatum minimè expergiſcitur. Profectò Cardinalis Bellarminus 4. de Romano Pontifice cap. 1. *doctrinam Schola Pariſienſis de eminentia Concilii ſupra Papam omninò erroneam videri & proximè ad hæreſim accedere perhibet.* Sicque totam Gallicani Regni politiam quæ magnâ parte huic doctrinæ & placitis incumbit, cum Eccleſiæ Gallicanæ Libertatibus, & invictiſſimis Regum noſtrorum adversùs Curiam Romanam præſidiis, erroris ac hæreſeos damnat; quod multo clariùs docet libro contra Barclaium, quem librum, calente adhuc Henrici IV. ſanguine, publici juris fecit, ut confirmaret jus eſſe illos Reges abdicandi & occidendi qui minùs eſſent morigeri Romano Pontifici. Cujus libri evulgatione, qui Ravaillaci parricidium interpretativè, imò clarè atque explicitè defendi non vident, nihil planè vident: & hinc illi motus D. Hubaldini Nuncii Apoſtolici, atque Cardinalis Perronii & aliorum adversùs Richerium, quòd exiguo libello triginta paginarum, ut aiunt Convitiatores, iſtorum dogmatum falſitatem demonſtraſſet. Quid dicere attinet Petrum Cotonum *ſuâ epiſtolâ declaratoriâ ad Reginam-Matrem* Synodum Conſtantienſem velut ſanctam, legitimam & ab omnibus amplectendam, ſtatim poſt Regem à Ravaillaco interemptum maximè commendare, deinde aliquantopoſt, id eſt menſe Auguſto 1610. quo ſuam Catholicam Inſtitutionem edidit ac Reginæ-Matri ſimiliter nuncupavit, libro ſecundo cap. 7. memoratæ Inſtitutionis *Concilium Conſtantienſe tamquam ſpurium ex albo Conciliorum Generalium abraſiſſe*: ſicque Joannis Marianæ placita de interimendis Regibus, & conſequenter etiam nefandum ſcelus Ravaillaci non obſcurè defendiſſe. Quòd ſi homines qui ætate pupillari Regis, tanquam fori & nundinarum locupletiſſimarum opportunitate ad ſuas res privatas faciendas, nullâ publicæ ſalutis habitâ ratione, hodie certatim abutuntur, mala & calamitates quæ ex ipſa peſtilenti doctrina imminent, prævidere, eamque ob rem graviſſimo doloris ſenſu affici, atque ejuſmodi mala vitanda enunciare ſeditioſum, ſchiſmaticum, & Richerianum ut aſſolent nominant, profectò numquam me iſtius opprobrii pœnitebit, imò verò illud æternæ laudi comparabo. Quàm benè ut omnia alia Marcus Tullius 2. de officiis, *Nemo juſtus eſſe poteſt, qui mortem, qui dolorem, qui exilium, qui egeſtatem timet; aut ea quæ his ſunt contraria, vitam, voluptatem, urbis amœnitatem, delicias atque divitias veritati anteponit*; quam divinam vocem Ciceronis Curiæ Romanæ obnoxiis ponderandam atque imitandam, ſi ſatis habent animi, relinquo.

IX. Tertiò, Valli, mirabile eſt, cur pag. 2. & 3. Elenchi exclames ſacram & intemeratam Romani Pontificis auctoritatem, cum magna & evidenti animarum pernicie in dubium revocari, cùm à me nullo modo vertatur in ambiguum, niſi forſan nomine ſacræ atque intemeratæ auctoritatis, tuam abſolutam infallibilem monarchiam oggeris. Equidem *de poteſtate eccleſiaſtica diſputare vel inquirere nedum licet, ſed*

Digitized by Google

ſed & decet atque expedit : tantummodò ſit intentionis oculus ſimplex & rectus. Quidni liceat cùm de ipſius omnipotentis Dei poteſtate crebrò fiat abſque omni temeritate conquiſitio : ait Gerſonius exordio libri de poteſtate eccleſiaſtica, deindè ſermone quem habuit in Circumciſione Domini Taraſcone coram Benedicto XIII. P. P. *Numquid expedit de talibus inquirere* dicit, ut ſciat *quilibet magnus cum puſillo qualitatem ſuæ potentiæ, ſuæ ſubjectionis, ſui cordis, quæ ſibi competunt jure divino, naturali vel humano; alioquin error facilè ſubreperet & confuſionis horrore cuncta fœdarentur? quid efficitur, quod innuis mihi quaſi non liceat de poteſtate Petri diſputare? nonne de omnipotentia Dei quotidie perquirimus?* Hæc Pariſienſis Cancellarius : cujus divina vox illa tua mundana & turbida monita, Valli, quibus & baccalaureos & juniores Theologos præoccupare, & territare conſueviſti, profligat. Nam frequenter in ore habes & inculcas eſſe charitatis atque humilitatis chriſtianæ ſeſe cæcâ obedientiâ, ſuis Prælatis, & præſertim ſummo Pontifici tanquam abſoluto infallibili Monarchæ ſubmittere, ac multò præſtare hac in parte humilem quàm doctum eſſe, idque vocas *humilitatem ſenſûs & ſpiritûs habere.* Præterea ſubnectis illos, qui avitam Scholæ Pariſienſis doctrinam tuebuntur, nunquam probatum aut miſſum iri à Prælatis, ſed deſides, inutiles atque pauperes jugiter permanſuros. Egregia certè argumenta, & quibus olim Apoſtolus dum Evangelium prædicabat, ut homines ad fidem converteret, utebatur ſcilicet? quaſi verò Romanorum 12. dum *obſequium noſtrum debere eſſe rationabile præcipit*, non unà demonſtret legi gratiæ, hoc eſt juri naturali & canonico conſentaneum eſſe oportere : juri autem divino, naturali & canonico hæc tua cæca obedientia funditùs repugnat, teſte B. Gregorio 2. quæſt. 7. Can. *Admonendi ſunt ſubditi, nè pluſquàm expedit ſint ſubjecti, nè cùm ſtudent pluſquàm neceſſe eſt hominibus ſubjici, compellantur eorum vitia venerari :* ſicut hodiè accidit dum Curiæ Romanæ faſtum & typhum quaſi divinitùs inſtitutum veneramur. Procul dubio, non eſt laus vel humilitas, ſed ſupina ignorantia, & flagitium maximum in Theologo neſcire, quidnam jure divino, naturali & canonico Prælatis debeatur, quæ ſit juſta eorum poteſtas, quod Eccleſiæ regimen à Chriſto inſtitutum, & ab Apoſtolis Patribuſque antiquis propagatum atque ſervatum : quando ex hujus rei ignoratione compertum eſt, jus humanum pro divino, terram pro cælo obtrudi, & ſchiſma atque hæreſim aſſeri, ubi nullum penitùs ſchiſma eſt aut hæreſis, imò verò nequidem ulla peccati ſuſpicio, ut jam paulò antè docui : Quòd autem Vallius epiſtolam Hieronymi ad Damaſum venditat, de ea infra commodiùs diſputabitur.

X. Quartò, evigila & attende quònam hæc tua documenta de cæca obedientia te cæcum præcipitent : ais enim pag. 4. Elenchi, *quòd eſt in mundo ſol, in corpore humano oculus, in arbore radix, in fluvio fons, hoc ipſum eſſe Romanum Pontificem in Eccleſia;* Deindè folio vigeſimo libri de ſuprema poteſtate Pontificis, *ſicut corpus humanum ſimulatque ab eo caput eſt amputatum, non poteſt non interire; quippè cùm ejus influxum continuum neceſſariò poſtulet, ſic Eccleſia vel Concilium illam repræſentans, ubi Capite, Pontifice ſcilicet deſtituitur.* Item pag. 428. ejuſdem libri : *Pontifex eſſentialiter eſt Eccleſiæ fundamentum, petra, crepido & lapis angularis*, quæ dum ſcribebas, Romam non cælum, Decretales non Evangelium cogitabas; nam ſi hæc vera eſ-

Digitized by Google

ſent quæ blatteras, Papa non eſſet Miniſter aut Caput miniſteriale Eccleſiæ, ſed cauſa efficiens gratiæ & Sacramentorum ac humani generis Redemptor; item mortuo Papâ & ſede vacante, Eccleſia omninò deperiret; ſimiliter quando Paulus Petro in faciem reſtitit Galat. 2. & S. Auguſtinus cum aliis Patribus Africanis, Zozimo Papæ jus ſibi Monarchicum in Eccleſias Africæ uſurpare volenti ſtrenuè adverſati ſunt, fuiſſent quidem radii à ſole, oculi à corpore, corpus à capite, rami à radice, fluvii à ſua ſcaturigine diviſi atque abſciſſi, & oves à ſuo paſtore aberrantes, continuòque extrà ſtatum ſalutis extitiſſent; quod & falſum & hæreticum eſt. Doce Redargutor ullum anteà hominem tam turbido extitiſſe ingenio, ut ita effrenatè ac intemperanter loqueretur, & quæ uni ac ſoli Chriſto propria ſunt, ea Petro Capiti miniſteriali auderet arrogare. Siccinè *titulum defenſoris Apoſtolicæ Sedis emeritus es*? Nam breviculum ſub annulo Piſcatoris eam ob cauſam tibi Româ miſſum tu te ipſe non ſemel inter familiares tuos gloriatus es; macte virtute, ſic itur ad aſtra? utinam Melchiori Cano alioqui maximo abſolutæ Monarchiæ patrono auſcultâſſes lib. v. de locis cap. v. ſub finem. *Quid tandem adverſum hæreticos diſputando ille proficiet, ait, quem viderint non judicio ſed affectu patrocinium auctoritatis Pontificiæ ſuſcipere, nec id agere ut diſputationis ſuæ vi lucem ac veritatem eliciat; ſed ut te ad alterius ſenſum voluntatemque convertat? non eget Petrus mendacio noſtro, noſtrâ adulatione non eget.* Quibus ex verbis liquet tibi non tam propoſitum hæreticos vi argumentorum tuorum ad Eccleſiam allicere, quàm abſurditatem opinionum tuarum fugare, atque obſtinatiore animo efficere. Saltem Bellarminum tuum debebas conſulere lib. 2. de Conciliorum auctoritate cap. 19. circà medium; *In corporibus naturalibus amputato capite totum corpus moritur; at corpus Eccleſiæ non moritur moriente Papâ* (inquit.) Equidem me valdè pudet, pigetque tuæ temeritatis. An Rogius Theologiæ Profeſſor ignorat, longè aliud eſſe de Chriſto eſſentiali atque interno, & de Papa miniſteriali atque externo capite Eccleſiæ agere? Enim verò cùm Eccleſia ſponſa Chriſti ſit corpus connaturale Domini, hic ad illam ſeſe habet velut forma ad materiam, anima ad corpus, caput humanum ad hominem, ſol ad radium, fons ad rivum, radix ad arborem & lapis angularis ad ædificium. Papa autem eſt dumtaxat externus miniſter atque paranymphus Sponſæ. Quare, ut ait Joannes Major Doctor Pariſienſis in cap. 18. Mathæi reſponſione ad ſeptimum, *quando nullus eſt Papa, Eccleſia non eſt minùs una quàm vivente Papâ, quia Eccleſia dicitur una ab unitate fidei & charitatis, & non ab unitate capitis accidentalis, ſtatque virum aliquem Papæ contradicere & eſſe de unitate Eccleſiæ.* Quod autem Redargutor perhibet mortuo Papâ Eccleſiam eſſe in ſtatu imperfecto, negatur de eſſentiali atque interno ſtatu, de externo, miniſteriali & accidentali conceditur, idque infrà pluribus explicabimus lib. 4. cap. 1. vide axioma xv. Apologiæ noſtræ.

XI. Quintò, Elenchiſtes pag. 5. me acerbè exagitat, quaſi perſuadere voluerim omnia capita & propoſitiones libelli mei ſolidè ad doctrinam totius Scholæ Pariſienſis pertinere; atque ſe Doctorem eſſe Pariſienſem, & nihilominùs illam doctrinam reſpuere, atque hominis anonymi impoſturam velle detegere, ſicque mecop ſyhantiæ poſtulat. Hercle eò impudentiæ evaſit, ut in familiaribus collo-

Digitized by Google

quiis dixerit nihilò plus habendum fidei Gerſonio, Almaïno & aliis antiquis Doctoribus Sorbonicis in hac parte quàm ſibi-ipſi nunc illorum opinionem impugnanti & contra illos ſcribenti: quod periculoſum eſt; deindè pag. 44. Elenchi, & libro de ſuprema poteſtate parte 3. quæſt. 10. vociferatur *unius atque alterius aut trium Doctorum Pariſienſium dumtaxat opinionem eſſe quòd Concilium poſſit corrigere & deponere Papam.* Quæ quidem mutuatus eſt à ſuo Bellarmino 4. de Romano Pontifice cap. 2. ubi docet hanc opinionem eſſe aliquot Pariſienſium ut Gerſonii, Almaïni, &c. quâ mioſi aut imminutione efficere tentat hanc ſententiam non eſſe tanti faciendam quàm ſi eſſet totius Scholæ: Verùm hæc mera ſunt commenta ignaris & ſimplicibus illudendis adinventa, facilèque Vallio non mihi crimen ſycophantiæ hærere oſtendam. Profectò ſicut nemo vertit in dubium, quin Thomiſtæ, dum in hac controverſia ſcribunt, S. Thomæ opinionem ſequantur, ita nullus eſt; ſi modò Gerſonium, Almaïnum & alios Doctores Pariſienſes illius ſæculi legerit, qui ambigere poſſit illos pro communibus Scholæ Sorbonicæ placitis ſcribere, quæ tum à tota Eccleſia Gallicana probabantur, ut ſtatim convincam. Hocque inter Vallium & illos intercedit diſcrimen, quòd hic tanquam Jeſuitarum diſcipulus privato motu atque animi impotentiâ effundat quidquid in buccam venerit, illi autem juxtà Scholæ concluſiones ut plurimùm auctoritate publicâ inducti & muniti lucubrent, ut ſtatim innoteſcet. Duæ verò ſunt partes ejus Redargutionis, quas ſigillatim evolvemus; quoad priorem utrùm omnes libelli mei propoſitiones ad Scholæ doctrinam ſpectent? cùm D. Nuncius Apoſtolicus Hubaldinus Politianus Epiſcopus incredibiles agitaret prenſationes in ſchola noſtra, ut meus libellus cenſurâ notaretur à Doctoribus Sorbonicis, & ego unà Syndicatu Theologiæ abdicarer; atque in eum finem Magiſter Joachimus Forgemontius Doctor Theologus Alexandrum Scappi Auditorem D. Nuncii oſtiatim ad ſingulos Magiſtros Theologiæ duceret: quo illorum ſtudia & ſuffragia auctoritate Pontificis interpoſitâ contra Richerium extorqueret (nam hac de cauſa idem Forgemontius eſt graviter à Curia Parlamenti reprehenſus:) ego quidem in comitiis ordinariis Facultatis Theologiæ Calendarum Februarii 1612. ſuaſi Facultati me vehementer percupere ut libellus meus de eccleſiaſtica & politica poteſtate à Magiſtris Theologiæ, qui non eſſent in cauſa, abſque odio & gratia ſtrictè accuratèque examinaretur: idque ſi Canonicè fieret, me & quamplurimos alios ex ordine Theologo, totumque Franciæ Regnum, permagnum ex ea re fructum collecturos: duo quidem rerum genera illâ contineri lucubratione, nimirùm principia & concluſiones ex illis deductas principiis; at neminem eſſe qui vocare poſſit in dubium hæc tria principia, nativam & domeſticam eſſe Facultatis doctrinam, ſcilicet, *Claves aut juriſdictionem eccleſiaſticam immediatè, indiviſim & in commune datam à Chriſto toti Eccleſiæ. Secundò, poteſtatem infallibilem decernendi & condendi leges, in Eccleſia collectim & univerſim ſumpta reſidere. Tertiò, Concilium Generale legitimè congregatum propriè ac eminenter Eccleſiam Catholicam repræſentare, & continuò Papam directivo & coactivo Eccleſiæ & Concilii generalis judicio ſubjectum eſſe.*

Quantùm ad concluſiones quas ex his tribus principiis hauſeram, dixi me paratiſſimum eſſe demonſtrare illas dogmaticè & ſecundùm Logicæ ac Theologiæ re-

Digitized by Google

gulas doctrinamque Patrum antiquorum & Synodi Conſtantienſis & Baſileenſis decreta, à me collectas fuiſſe. Demùm pollicitus ſum, ſiquid in memorato libello erroris requireretur à Facultate Theologica matre mea, me non tantùm calamo, verùm etiam linguâ & lacrymis palam & publicè deleturum. Quibus à me propoſitis magna pars Doctorum incredibili deſiderio ardebant, ut libellus meus ſepoſito omni odio & prenſationibus D. Nuncii Apoſtolici, ac Magiſtri Andrææ Vallii examinaretur, ſicque doctrina Majorum apud omnes indubitata maneret: hoc autem ne fieret, cùm Nuncius Apoſtolicus in magno metu eſſet, Magiſtrum Joannem Fileſacum prenſari, & ad partes Magiſtri Andrææ Vallii, cui anteà erat infenſiſſimus, deſerto Richerio abduci curavit: Fileſacus autem iiſdem comitiis Facultatis Calendarum Februarii quamprimùm Richerius finem dicendi fecit, ſupplicavit Facultati Theologiæ, vellet juberetque libros concluſionum Facultatis quibus antiqua doctrina continetur, tribus ſeris concludi, ne deinceps in ſolius Syndici poteſtate eſſent, atque inſuper rogavit, ne cuiquam acta & concluſiones Facultatis, inconſultâ & non conſentiente Facultate vulgare liceret: ſic enim efficere conabatur, ne ex Facultatis tabulario Richerius libelli ſui probationes expromeret, eamque ob cauſam privatim graviter Richerium reprehendit, quòd inconſultâ Facultate cenſuram propoſitionum Joannis Sarrazin typis æneis cum libello ſuo efformari curaviſſet: atque Magiſtrum Philippum Gamachium injecto metu ſchiſmatis quod Richerium meditari dictitabat, à Richerii defenſione totum abduxit, anteà enim Gamachius Richerium coram Epiſcopo Pariſienſi propugnaverat, dixeratque libellum de eccleſiaſtica & politica poteſtate cenſurâ notari non poſſe, ut ipſe mihi confeſſus eſt die 24. Januarii 1612.

XII. Venio ad alteram partem redargutionis Vallii, quòd hæc doctrina non totius Scholæ, ſed duorum aut trium ſit Doctorum Pariſienſium. Hercle rebus convincam neceſſariis non modò Scholam Pariſienſem, verùm etiam totam Gallicorum Eccleſiam collectim ſumptam, antequàm Jeſuitæ Ludum in Galliis aperuiſſent, ſemper docuiſſe, ac fide catholicâ conſtanter tenuiſſe veritatem decretorum Synodi Conſtantienſis & Baſileenſis de Eccleſiæ & Concilii eminentia ſupra Papam; neque cuiquam licitum fuiſſe in Pariſienſi Academia aliquid contra hanc veritatem catholicam dicere aut aſſerere in contrarium, quin è veſtigio ad palinodiam adigeretur. Equidem Magiſter Petrus Plaoul ſocius & Doctor Sorbonicus Epiſcopus Sylvanectenſis, tumque demùm Proviſor Collegii Sorbonæ, cujus effigies etiam hodiè viſitur in feneſtra decima-nona Bibliothecæ Sorbonicæ, ad ſiniſtrum latus verſùs plateam S. Jacobi, nomine totius Academiæ Pariſienſis miſſus eſt ad primum Concilium Piſanum an. 1409. & tanquam Orator & Legatus totius Univerſitatis hanc habuit orationem coram Patribus ſeſſione decimâ-tertiâ: *Congregabuntur filii Juda & filii Iſrael pariter, & ponent ſibimet caput unum Oſeæ primo in fine, & deduxit pulchrè exaltando Eccleſiam & aſſerendo eam eſſe ſupra Papam, quod deduxit pluribus rationibus, tam ex parte materiæ ſcilicet animarum, quàm etiam ex parte formæ, quæ eſt Spiritus ſanctus, quàm etiam ex parte finis, quæ eſt ipſe Deus in Eccleſia triumphante, & poſtmodum poſuit opinionem Univerſitatis Pariſienſis, &c. & ſubjunxit quòd de eadem opinione erant Univerſitates Andegavenſis, Aurelianenſis & Tholoſanenſis, &c,* Habes, lector, Synodale teſtimonium O-

Digitized by Google

ratoris Academiæ Pariſienſis, qui etiam electioni Alexandri V. P. P. interfuit.

Sed forſan Vallius, ut aſſolet, Sophiſtica diverticula meditabitur, objicietque hoc tempore ſchiſmatum Antipaparum facta. Contra, rependam Legatum Pariſienſis Academiæ dogmaticè & ſecundùm omnia genera cauſarum eſſentialium Eccleſiæ à priori demonſtrare Concilium eſſe ſupra Papam, conſequenterque hanc doctrinam abſolutè omnique tempore erga quemcumque Pontificem legitimum & indubitatum, veram ac certiſſimam eſſe, dato, quòd Papa Eccleſiæ obſequi nollet. Quod rectè Cardinalis Alliacenus Doctor Pariſienſis nominatim docet tract. de Eccleſiæ auctoritate cap. 2. tertiæ partis circa finem. *Quartò dico circa prædictam ſchedulam*, ait, *quod etiam ex præmiſſis ſequitur, quòd ſicut Concilium Piſanum, ita & aliud Concilium in aliquo caſu eſſe poteſt ſupra Papam, & poteſt eum deponere, patet quia non apparet major ratio de uno quàm de alio*; & hæc de prima Synodo Piſana. Decreta autem quartæ & quintæ ſeſſionis Conſtantienſis Concilii, quibus edictum eſt Papam directivo & coactivo Eccleſiæ & Concilii judicio ſubjici, notiora quidem ſunt, quàm ut in iis immorari debeamus. Hoc tantùm nobis incumbit probandum, quòd à tota Eccleſia Gallicana olim fide catholicâ tenerentur, antequàm Jeſuitæ Ludum aperuiſſent: adeò ampliùs Gallicanam Eccleſiam potiſſimùm in cauſa fuiſſe, ut conderentur, ſicut & hic articulus XIII. quadrageſimæ ſeſſionis, *propter quæ & quomodò Papa poſſit corrigi & deponi*: Nam pervagatiſſimum eſt Cancellarium Pariſienſem ſe triplici nomine ad Synodum Conſtantienſem contuliſſe, partim ut Regis Franciæ, partim ut Senonenſis Provinciæ, partim ut Academiæ Pariſienſis Oratorem & Legatum. Hoc enim ipſemet teſtatur dialogo apologetico quem pro actis Synodi Conſtantienſis ſcripſit, ubi ſic fratrem, quem Monicum vocat, alloquitur: *Scis quòd à Chriſtianiſſimo Rege Francorum & à præclariſſima filia ſua Univerſitate Pariſienſi, imò & ab Eccleſia Gallicana pro Provincia Senonenſi delegatus extiti ad Generale Concilium ſub certis inſtructionibus & litteris quæ proſequutionem materiarum fidei, necnon unionis Eccleſiaſticæ, ſed & reformationis morum in Capite & in membris multipliciter imponebant.* Quibus ex verbis relinquitur Gerſonium nihil ſuo privato, ſed Regis Chriſtianiſſimi, Academiæ Pariſienſis, & Eccleſiæ Senonenſis auctoritate omnia peregiſſe. Cæterùm Senonenſis Provincia octo capit Diœceſes, puta Senonenſem quæ & Metropolitana, Pariſienſem, Meldenſem, Trecenſem, Aurelianenſem, Carnotenſem, Antiſſiodorenſem atque Nivernenſem: notandumque onus de procuranda Eccleſiæ reformatione in Capite & in membris demandatum Gerſonio nullo modo impertiri potuiſſe abſque Eccleſiæ & Concilii auctoritate ſupra Papam, ſicut decretis quartæ & quintæ ſeſſionis Conſtantienſis definitum eſt, quæ decreta quampridem ſcita ſunt, ea Patres continuò ad omnes Provincias Chriſtianitatis miſerunt, *atque literas miſſivas per mundum informatorias de geſtis Synodalibus decreverant*, ut liquet ex ſexta ſeſſione Conſtantienſi, in qua referuntur literæ quas Univerſitas Pariſina tùm ad ſacram Synodum cùm ad Joannem XXIII. & Ambaſiatores ejuſdem Univerſitatis, qui memoratæ Synodo intererant, ſcripſit. Prætereà, ſub finem nonæ ſeſſionis ejuſdem Univerſitatis, literæ ad Concilium Conſtantienſe leguntur, quibus Patres Concilii obſecrant & monent, ut ſedulam navent operam ad unionem atque reformationem Eccleſiæ

Digitized by Google

conſtituendam, neque à propoſito dimoveantur ob Joannis XXIII. ſeceſſionem; & in hunc finem Univerſitas Pariſienſis omnem ſuam operam, induſtriam, ſtudia, vota atque aſſenſum ſacræ Synodo pollicetur: ex quo datur intelligi quæcumque Doctor Chriſtianiſſimus paſſim in ſuis operibus de auctoritate Concilii ſupra Papam, & certis in caſibus Papam abdicari poſſe docet; non privatam eſſe ejus & aliquorum Doctorum Pariſienſium ſententiam, ut cavillantur adverſarii, ſed totius Scholæ Sorbonicæ, imò & Academiæ Pariſienſis, ac Gallicanæ Eccleſiæ conſtantiſſimam doctrinam. Quocircà idem Gerſonius ſæpè contendit poſt definitionem Synodi Conſtantienſis hæreſim eſſe contrarium ſentire. Nam in ſermone habito coram Patribus Synodi Conſtantienſis die ſancti Antonii, ubi decreta quartæ & quintæ ſeſſionis integra recitavit, in hunc modum concludit: *Huic veritati fundata ſuper petram ſacrae Scripturae, quiſquis à propoſito detrahit, cadit in hæreſim jam damnatam, quam nullus unquam Theologus, maximè Pariſienſis aſſeruit*; quid obſecro clariùs dici poteſt? Item de examine doctrinarum parte primâ conſideratione 2. *Supereſt quoque remedium Concilii Generalis, cujus finalis auctoritas, judicialiſque poteſtas fundata eſt indeſtructibiliter in illo verbo Chriſti de correctione fraternâ: quòd ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus, cui legi haud dubiè ſubeſt Papa, licèt multis hactenùs hæc veritas non placeret: Nunc autem oppoſita falſitas eſt haereſis expreſsè damnata per Concilium Conſtantienſe cum aliis multis in utilitate totius Politiae Chriſtianae.* Idem in reſolutione circà materiam excommunicationum & irregularitatum conſiderat. 8. *Dixerunt quidam olim antè Concilium Generale Piſanum & Conſtantienſe, quòd hoc nullo modo liceat*, (loquitur de appellationibus à Papa ad Concilium) *& allegant jura ſua pro ſe valdè, ſicut eis videtur, expreſſa; ſed conſtanter nunc aſſeritur quòd eſt haereſis damnata per Conſtitutionem expreſſiſſimam practicatam in Concilio praedicto Conſtantienſi, prout alibi diffuſiùs eſt oſtenſum*, &c. Hæc etiam facit cenſura octo propoſitionum Magiſtri Joannis Sarrazin Dominicani, qui cùm ejuſmodi propoſitionibus decreta Synodi Cònſtantienſis labefactare niteretur, eas recantare coactus eſt, ut libro ſequenti cap. 5. demonſtrabitur, & inter alias propoſitiones hæc ſeptima legitur: *Aliqua poteſtas, ſcilicet poteſtas Eccleſiae, de jure poteſt aliquid & in certis caſibus contra ſummum Pontificem*, quæ omninò decretis quartæ & quintæ ſeſſionis Conſtantienſis congruit.

Tranſeo ad Baſileenſe Concilium quindecim circiter annis poſt Conſtantienſe celebratum, ut Eccleſia in Capite & in membris reformaretur ad normam octodecim articulorum à Patribus Conſtantienſibus conſcriptorum ſeſſione 40. Quocircà Synodus Baſileenſis nihil aliud eſt quàm continuatio praxeos, atque executio Synodi Conſtantienſis. Etſi autem Vallius (hoc enim ex ejus ſcriptis Sophiſticis claret) quodvis potiùs effugium & cavillationem adornare, quàm ingenuè veritatem amplecti paratus ſit, nihilominùs ire non poteſt inficias, quin Prælati innumeri Eccleſiæ Gallicanæ, atque Oratores Regis Chriſtianiſſimi miſſi fuerint ad Baſileenſe Concilium, atque Thomas de Corcellis ſocius & Doctor Sorbonicus, Eccleſiæ Pariſienſis Canonicus, & dehinc Collegii Sorbonici Proviſor, nomine etiam Academiæ Pariſienſis illuc ſe contulerit; cujus viri ſingularem modeſtiam Æneas Sylvius maximoperè commendat, atque in Actis & Epiſtolis Synodalibus concipien-

Digitized by Google

dis & contexendis plus operæ quàm reliquos omnes impendiſſe. Accedit poſt diſſolutum ab Eugenio Concilium, atque Eugenium à Patribus Baſileenſibus exauctoratum, eundem de Corcellis nomine Baſileenſis Concilii miſſum ad Regem Franciæ & Eccleſiam Gallicanam Biturigibus congregatam: atque ſolemnem habuiſſe orationem pro vindiciis actorum Baſileenſis Concilii; in cujus orationis initio hæc adversùs propoſitiones ab Oratoribus Eugenii in Synodo Bituricenſi factas leguntur. *Quantùm ad primum*, ait de Corcellis, *ſatis notum eſt omnibus Chriſtianis, quomodò in ſacro Conſtantienſi Concilio, cùm de reformatione Eccleſiae in Capite & in membris agendum eſſet, fuit ſolemniter definitum & declaratum, quòd ſacra Generalis Synodus univerſalem Eccleſiam repraeſentans, poteſtatem à Chriſto immediatè habet, cui quilibet cujuſcumque ſtatûs & dignitatis, etiamſi Papalis, obedire tenetur in his quae pertinent ad fidem, ad extirpationem ſchiſmatis & reformationem Eccleſiae in Capite & in membris: & quòd ſi in praedictis & pertinentibus ad ea contumaciter obedire contempſerit, condignae pœnae ſubjiciatur, & debitè puniatur, ad alia juris remedia, ſi opus ſit, recurrendo. Nec dubium eſt hanc eſſe declarationem fidei Catholicae, quae eſt de auctoritate data Eccleſiae immediatè à Chriſto, qui eſt Veritas prima & primum objectum Fidei, à quo dependet univerſa Fides noſtra, &c. quas pœnas non potuiſſet ſtatuere ipſa Synodus Conſtantienſis in illum qui haberet verum jus in Papatu, niſi ad hoc auctoritatem immediatè à Chriſto habuiſſet, quemadmodùm in praedicta declaratione ponitur. Deindè in 40. ſeſſione ejuſdem Synodi Conſtantienſis, quam impugnantes auctoritatem ſacrorum Conciliorum pro ſe allegare volunt, (& tamen contra eos multùm facit) dicetur quòd ſancta Synodus ſtatuit & decernit, quòd Papa futurus cum Concilio aut Deputatis nationum habeat reformare Eccleſiam in Capite & in membris ſuper certis articulis ibidem deſcriptis, ut de annatis, de collationibus beneficiorum, & de aliis pluribus. Inter quos articulos ponitur ille: item propter quae & quomodò Papa poſſit corrigi & deponi. Ex hoc enim apparet primò, quòd in facto hujus correctionis & depoſitionis Papa ſubjicitur judicio Concilii Generalis, quando Concilium ſtatuit & decrevit quòd Papa futurus habeat ſic facere.* Lector videbit integram Orationem de Corcellis in editionibus Regiis ad finem tomi ultimi, quam ille habuit, non ut privatus Doctor, ſed tanquam Orator & Legatus Synodi Baſileenſis, necnon etiam Univerſitatis Pariſienſis coram Rege in Synodo Eccleſiæ Gallicanæ Biturigibus congregata ad ſanctionem pragmaticam condendam; quæ ſanctio, partim è Conſtantienſis, partim è Synodi Baſileenſis decretis coaluit: adeò ut primus titulus Pragmaticæ nobis 33. ſeſſionem Synodi Conſtantienſis de frequenter habendis Generalibus Conciliis, & quartæ ac quintæ ſeſſionis de auctoritate Conciliorum generalium ſupra Papam exhibeat. Undè oportet illos frontem amiſiſſe, qui perhibent Facultatem Pariſienſem collectim nunquam tenuiſſe & propugnâſſe decreta Synodi Conſtantienſis, at jam probavi hanc doctrinam non modò Academiæ Pariſienſi, verùm etiam toti Gallicanæ Eccleſiæ propriam ac peculiarem eſſe; hoc enim pragmaticæ ſanctionis lectione plus ſatis exploratum redditur. Hercle Æneas Sylvius factus Pius II. in Bulla retractationis hiſtoriæ Synodi Baſileenſis, narrat ſe illam hiſtoriam abſque ullius odio vel gratia ſcripſiſſe, & Legatos Univerſitatis Pariſienſis uno ore auctoritatem Concilii Generalis ad cælum extuliſſe: idque ſibi fuiſſe incentivo, ut tum temporis à Concilii partibus contra Eugenium ſtaret. Quid his

Digitized by Google

opponet Elenchiſtes? ſuo more cavillabitur, nam tertiâ parte quæſt. 10. libri ſui de ſuprema poteſtate Theſim hypotheſi obruit, memoratque Legatos Univerſitatis Pariſienſis quæ egerunt, privato, non ſcholæ mandato vel auctoritate peregiſſe, quaſi tum Schola, ut hodiè operâ Jeſuitarum diviſa fuiſſet. Verùm debebat oſtendere Scholam geſta Oratorum & Procuratorum ſuorum improbâſſe, aut irrita feciſſe. Profectò Eccleſia Gallicana Biturigibus congregata quæſtionem juris, *ſcilicet Papam directivo & coactivo Eccleſiæ & Concilii judicio ſubjici, atque in certis caſibus deponi poſſe*, nunquam vertit in dubium, ut liquet ex primo titulo pragmaticæ ſanctionis; ſed tantùm à quæſtione facti, id eſt, ab Eugenii depoſitione prudenter abſtinuit, quoad ampliùs pateret an Baſileenſe Concilium, quando Eugenium abdicavit, Eccleſiam Catholicam ſufficienter repræſentaret: quia tunc temporis multi Prælati factioſis prenſationibus Curiæ Romanæ abducti fuerant Baſileâ, ac Ferrariam ſeceſſerant: de qua re fuſiùs in hiſtoria Concilii Baſilêenſis.

Tempore Caroli VIII. Francorum Regis idem Princeps, teſte Philippo Comineo, reformandæ Eccleſiæ deſiderio tenebatur; quare ſub Alexandro P. P. VI. conſilium petit à Facultate Pariſienſi; quæ quidem ſuâ reſponſione avitam doctrinam Majorum *de Concilii auctoritate ſupra Papam* clarè confirmavit & propagavit: quam reſponſionem ex tabulario Facultatis exprompſi, ut eam huc congererem. *Anno Domini 1497. die xi. menſis Januarii, ſacratiſſima Theologorum Facultas almæ matris Univerſitatis Pariſienſis congregata fuit apud S. Mathurinum pro terminandis quibuſdam quæſtionibus à Domino noſtro Rege ad ſe tranſmiſſis, ſuper quibus jamdudum fuerant dati duodecim Deputati ex Magiſtris noſtris; diu quoque & per plures dies continuè per dictos Deputatos & alios diſputatum fuerat ſuper his: quibus Deputatis auditis, & conſequenter omnium Doctorum & Regentium & Magiſtrorum acceptâ uniformi deliberatione & concluſione, fuit per prædictam Facultatem concorditer reſponſum ad dictas quæſtiones affirmativè, videlicèt ad primam quâ quæritur:* A ſçavoir mon ſi le Pape eſt tenu de dix ans en dix ans aſſembler le ſaint Concile repreſentant l'Egliſe univerſelle & meſmement de preſent, conſideré le deſordre qui eſt en l'Egliſe tout notoire, tam in Capite quàm in membris: *Et reſponſum eſt quòd ſummus Pontifex & Pater Sanctiſſimus teneretur de decennio in decennium congregare Generale Concilium univerſalem Eccleſiam repræſentans, & maximè nunc cum tanta ſit deordinatio in Eccleſia tam in Capitibus quàm in membris, quæ cunctis notoria eſt.*

Ad ſecundam quâ quærebatur: Et en cas d'urgente neceſſité comme de preſent & aprés que dix ans ſeront paſſez aprés le dernier Concile, ſi le Pape eſt prié & ſommé de ce faire, & s'il eſt negligent ou differe, à ſçavoir mon ſi les Princes tant eccleſiaſtiques que ſeculiers & autres parties de l'Egliſe ſe peuvent aſſembler de ſoymeſme, & s'ils feront le ſaint Concile repreſentant l'Egliſe univerſelle, ſans eſtre par le Pape aſſemblez. *Dictum eſt determinativè quòd ſi tempore urgentis neceſſitatis ſicut nunc, vel poſt decem annos ab ultimo celebrato Concilio, dictus ſummus Pontifex rogatus fuerit, requiſitus, ſummatus & monitus de ſic congregando dictum Concilium ut ſupra, & facere recuſaverit & neglexerit, vel diſtulerit, tum Principes tam eccleſiaſtici quàm ſæculares, & partes Eccleſiæ notabiles poſſunt ſe congregare, ſine hoc quòd per dictum Pontificem congregetur dictum Concilium univerſalem Eccleſiam repræſentans.*

Digitized by Google

Ad tertiam quâ quærebatur : Si en cas de neceſſité urgente comme de preſent, ou aprés dix ans paſſez comme deſſus, une grande & notable partie de la Chreſtienté, comme le Royaume de France, ou le Roy repreſentant iceluy, prie, ſomme & admoneſte le Pape & les autres parties de ſoi aſſembler, & pourveoir à la neceſſité de l'Egliſe, & les autres parties, ou aucunes d'elles ſont negligentes, refuſantes ou dilayantes d'y venir ; à ſçavoir mon, ſi ceux qui ſe trouveront, pourront celebrer ledit Concile ſans les autres, & pourveoir à la neceſſité de l'Egliſe. *Dixit & definivit prædicta Facultas, quòd tempore urgentis neceſſitatis, ut nunc vel poſt decennium ab ultimo celebrato Concilio, ut ſupra dictum eſt, poſtquàm aliqua bona & magna pars & notabilis Chriſtianitatis, quemadmodum Regnum Franciæ, vel Rex Chriſtianiſſimus ipſius vices gerens, rogaverit, ſummaverit & exhortatus fuerit dictum ſummum Pontificem, cæteraſque partes Eccleſiae de congregando dictum Concilium, & ad ipſum conveniendo, & de providendo neceſſitati Eccleſiae ; ipſe verò Pontifex, vel aliqua praedictarum partium fuerint recuſantes, negligentes, vel differentes de veniendo ad dictum Concilium, nihilominùs illi qui aderunt & comparebunt, poterunt, ſine aliis non comparentibus, dictum Concilium celebrare, & neceſſitati Eccleſiae providere. Actum anno & die ſupradictis.*

Porrò hoc reſponſum Facultatis totum decretis Synodi Conſtantienſis & Baſileenſis de ſingulis deconniis habendis Generalibus Conciliis incumbit, atque inſuper praxi Eccleſiæ primitivæ roboratur : quoniam Patres Eccleſiæ Orientalis S. S. Baſilius, Gregorius Nazianzenus, Nyſſenus, atque alii ſecundam Synodum Generalem celebrarunt, quamquàm Damaſus P. P. & Epiſcopi Occidentalis Eccleſiæ, qui legitimè vocati fuerant ad Concilium, non intereſſent Concilio, neque ullos Legatos aut Procuratores miſiſſent. Conſule hiſtoriam noſtram Conciliorum Generalium, neque ſilentio premendum eſt ad normam hujus Concluſionis Scholæ Sorbonicæ dehinc Eccleſiam Gallicanam ſub Ludovico XII. adversùs abſoluta Julii II. imperia, qui Galliæ Regem opprimere volebat, coactam fuiſſe in Synodum Turonibus, idque occaſionem præbuiſſe Ludovico XII. interpellandi Papam, Imperatorem, & cæteros Principes Chriſtianos de libero & ſecuro Concilio pro Eccleſiæ reformatione in Capite & in membris habendo. Unde cùm Julius II. Concilium liberum convocare nollet, hoc præbuit occaſionem nonnullis Cardinalibus indicendi ſecundum Concilium Piſanum, cui propoſito ut Julius II. obſiſteret, Romæ Lateranenſe Concilium armatus inſtituit ; tumque temporis Thomas de Vio, Generalis Dominicanorum, qui poſteà Cardinalis Cajetanus vocitatus eſt, librum lucubravit pro abſoluta infallibili Papæ monarchia, eamque ob cauſam Patres Piſani ſequentes literas miſerunt ad Univerſitatem Pariſienſem.

Sacroſancta Generalis Synodus Piſana in Spiritu ſancto legitimè congregata, Univerſalem Eccleſiam repraeſentans, & per continuationem Mediolanum ad tempus tranſlata, dilectis filiis Rectori, Doctoribus, Magiſtris & Regentibus almae Univerſitatis ſtudii Pariſienſis, Salutem & omnipotentis Dei Benedictionem : Dilectus filius Gaufredus Bouſſard Cancellarius Pariſienſis, juſſu noſtro tradet vobis libellum quemdam ſuſpectum & plenum injuriis contra Concilium Conſtantienſe & Baſileenſe, ac noſtrum, & contra Joannem Gerſonem optimum Eccleſiae defenſorem, compoſitum per quemdam fratrem Cajetanum hominem audacem & pe-

Digitized by Google

riculoſum, quem deſideramus pro ſuo demerito caſtigari : Ideò hortamur vos in Domino, ut libellum ipſum diligenter examinetis & diſcutiatis, mittatiſque ad nos celeriter determinationem veſtram doctrinalem, quâ poſſimus juxtà ejus audaciam cum veſtris ſapientiſſimis conſiliis procedere. Datum Mediolani in generali Congregatione noſtra 10. *Januarii* 1512.

B. Cardinalis S. Crucis.
G. Cardinalis Narbonensis.
F. Cardinalis de S. Severino.
P. De Prie Cardinalis.
F. Arch. Lugdunensis.
Tristandus Senonensis Arch.
P. Lucionensis Episcopus.
G. Macloviensis Episcopus.
A. Episcopus Engolsmensis.
Jacobus Abbas Cistertii.
Joan. Abbas Suessionensis.

Et à tergo. Dilectis filiis Rectori, Doctoribus & Regentibus almae Univerſitatis Pariſienſis.

Prætereà Ludovicus XII. ejuſdem quoque argumenti literas ſcripſit ad Univerſitatem, quæ hîc exſcribere non gravabor.

DE PAR LE ROY.

Tres-chers & bien-amez, Nous avons été advertis que le Concile de Piſe ſeant de preſent à Milan, vous envoye par noſtre cher & bien-amé Maiſtre Geoffroy Bouſſard Chanchelier de l'Egliſe de Paris, un certain livret pour eſtre par vous viſité & examiné, lequel a n'agueres eſté compoſé par quelqu'un au deshonneur des ſaints Conciles de l'Egliſe, & depreſſion de l'autorité d'iceux : Auquel livret, comme l'on nous a rapporté, ſont contenus pluſieurs grands & dangereux erreurs, qui ne ſont à tolerer; & pource que ſommes deliberez de toûjours aider, porter & favoriſer les ſaints Conciles Generaux de l'Egliſe, à l'exaltation, gloire & autorité d'iceux, comme la raiſon le veut : A cette cauſe Nous vous prions tres-acertes, que vous receu ledit livret, le viſitiez & examiniez diligemment & le confutiez par raiſons & points & articles, eſquels il vous ſemblera eſtre contre verité. Si n'y veuillez faire faute, & vous nous ferez ſervice tres-agreable en ce faiſant. Donné à Blois le 19. *de Fevrier.*

Signé Loüis. *Et au deſſous* Robertet.

Et au dos. A nos tres-chers & bien-amez les Recteur, Maiſtres, Docteurs & Regens de noſtre aiſnée Fille l'Univerſité de Paris.

Cæterùm has Regis & Patrum Piſanorum literas Magiſter Gaufredus Bouſſard Doctor Sorbonicus & Cancellarius Pariſienſis Eccleſiæ, detulit ad Rectorem Academiæ, & menſe Martio in ſolemnibus comitiis Univerſitatis habita eſt ſuaſio à Rectore & Decano Facultatis Theologiæ, ut Regis & Patrum Piſanorum mandato fieret ſatis : tres autem Doctores Theologi provinciam ſcribendi adversùs Cajetanum ſumpſerunt, nimirùm Magiſter Jacobus Almain, Joannes Major & quidam alius Eccleſiaſtes Lucionenſis, cujus ego vidi librum manuſcriptum in Bibliotheca

Digitized by Google

Collegii Navarræ. Profectò Almaïnus jam paulò antè ſpecimen ſuæ lucubrationis emiſerat in quæſtione reſumptiva Veſperiarum Magiſtri Ludovici Bec, qui primum locum Licentiæ anni 1512. habuit. Deindè idem Almaïnus aliquantò poſt librum de auctoritate Eccleſiæ contra Cajetanum edidit, in quo hæc leguntur cap. 7. *Concilium eſſe ſupra Papam fuiſſe determinatum per ſacra Concilia Conſtantienſe & Baſileenſe, & quòd ſicut ſacrum Evangelium foret veneranda ejuſmodi determinatio* : niſi argutiæ Cajetani in contrarium obſtarent ſcilicet. Item lib. de poteſtate eccleſiaſtica & laïca parte primâ cap. 15. diſputans utrùm Papa judicari poſſit à Concilio. *Quantùm ad iſta* (inquit) *eſt concluſio quam tenent omnes Doctores Pariſienſes & Galli, quòd poteſtas Papae eſt ſubjecta poteſtati Concilii.* Hæc ille de omnibus Scholæ Doctoribus, nemine dempto, atque etiam de tota Eccleſia Gallicana loquens. At libro quarto Sententiarum quæſt. 2. diſtinct. 17. fol. 70. col. 4. editionis Claudii Chevalon & Ægidii Gourmontii anno 1517. ubi diſputat : *An Papa in vim Canonis Synodi Lateranensis omnis utriuſque ſexûs teneatur ſemel in anno peccata ſua confiteri Sacerdoti? tenendo partem veram, quòd ſummus Pontifex obligatur per ſtatuta Conciliorum; & qui diceret oppoſitum, ſaltem in Francia, reputaretur haereticus.* De his autem loquitur Almaïnus quæ ſuo tempore obtinebant, ex quo intelligimus Facultatem Pariſienſem & totam Eccleſiam Gallicanam tenuiſſe decreta Synodi Conſtantienſis Fide Catholicâ obligare.

Joannes Major Commentariis in caput 18. Mathæi : *Duo ſunt modi dicendi oppoſiti* (ait) *quorum unus tenet Papam eſſe ſupra Concilium Univerſale, hunc modum aliqui Cardinalium tenuerunt, & tenent communiter Thomiſtae, & Romae aſſeritur, nulli fas eſt oppoſitum tueri, alium modum ſemper noſtra Universitas Parisina à diebus Concilii Conſtantiensis imitata eſt, sic quòd in ea qui praedictam viam tenuerit, in campo cogitur eam revocare.* Audis Joannem Majorem aſſerere illos qui in Pariſienſi Academia aliquid decretis Synodi Conſtantienſis contrarium aſſeruerint, id cogi recantare in ipſo campo, quod verò perhibet hoc in more poſitum poſt tempora Conſtantienſis Concilii, compertum habeo ex tabulario Facultatis Theologiæ anno 1408. antè tempora Synodi Conſtantienſis & Piſani invaluiſſe : quoniam *Frater Joannes de Gorello Franciſcanus*, cùm aſſeruiſſet *Curatos non habere juriſdictionem aut poteſtatem immediatè à Chriſto, neque eſſe Hierarchas Eccleſiae*, hanc propoſitionem ſuæ contrariam aſſerere coactus eſt, de qua infra lib. 2. cap. 5. numero 14. & Pariſienſis Cancellarius lib. de poteſtate eccleſiaſtica conſiderat. 12. *Domini Curati ſunt in Eccleſia minores Prelati & Hierarchae ex primaria inſtitutione Chriſti, quibus competit ex ſtatu jus praedicandi, jus confeſſiones audiendi, jus Sacramenta Eccleſiaſtica ſecundùm exigentiam ſui ſtatûs & Parochianorum miniſtrandi, jus ſepulturas dandi, jus inſuper decimas & alia jura Parochialia accipiendi, &c.* Hæc autem ut monui antè Synodum Conſtantienſem. At cenſura propoſitionum Fratris Joannis Sarrazin poſt Conſtantienſe Concilium facta eſt anno 1429. ſicut & Fratris Joannis Angeli Franciſcani 1482. cujus cenſuræ idem Joannes Major meminit 4. Sententiarum diſt. 24. quæſt 3.

Franciſcus à Victoria, Dominicanus Hiſpanus, qui ſextum gradum Licentiæ Pariſiis habuit anno 1522. & inde Theologiam Scholaſticam ad Hiſpanos exportavit, habuitque Dominicum à Soto Diſcipulum, in quarta relectione de *Poteſtate Papae & Concilii*, propoſitione tertiâ, *pro hujus propoſitionis probatione eſt notandum*, (inquit)

Digitized by Google

quòd de comparatione poteſtatis Papae eſt duplex ſententia. Altera S. Thomae & ſequacium multorum, & aliorum Doctorum tam in Theologia, quàm in Jure Canonico, quòd Papa eſt ſupra Concilium; & altera eſt communis ſententia Pariſienſium & multorum etiam Doctorum in Theologia & Canonibus, ut Panormitani & aliorum contraria, quòd Concilium eſt ſupra Papam. Non eſt locus nunc diſputandi quae illarum ſit verior, quia non de hoc agitur, puto utramque eſſe probabilem opinionem, & quia quaelibet habet magnos aſſertores, non oportet in quaeſtione propoſita procedere ſolùm ex altera opinione, ſed ſtatuere quid dicendum, quamcumque ſententiam ſequamur. Vides Franciſcum à Victoria docere communem eſſe totius Scholæ Pariſienſis ſententiam, *Concilium eſſe ſupra Papam*; quid igitur Vallius Fabulatur unius dumtaxat aut alterius eſſe Doctoris?

Navarrus tomo primo tractatu de Pœnitentia in gratiam Principum numero 32. quærens an Papa obligetur ad caput *omnis utriuſque ſexûs*, ſic reſpondet ex hac concluſione, primò infertur *Pontificem Romanum ad confitendum ſua peccata teneri, quia divinâ lege obligatur, quamvis verum ſit non ligari per caput illud omnis utriuſque ſexûs, & ita non teneri abſolutè ad confitendum ſemel in anno: quod etiam ſenſit Joannes Andreas & Felinus, quod procedit tenendo illam quam pleroſque omnes Italos audio tenere opinionem, quamque magnis viribus probare ac tutari conatur Thomas à Vio, ſcilicet Papam eſſe ſupra Concilium. Nam ſi teneremus alteram ſententiam, quam Schola Pariſienſis cum tota Gallia ſequitur, & adeò quidem ſequitur, ut Jacobus Almaïnus ſcribens in hoc ipſo articulo, dixerit eum qui contrarium aſſereret in Francia, haereticum judicatum iri, diceremus, ut ille ait, Romanum Pontificem ſtatuto Conciliorum ligari, proindè illud caput omnis ſervandum teneri.* Quem ad locum quidam librorum Expurgator poſt exceſſum Navarri in editione Lugdunenſi anni 1595. (quandoquidem Romana & Veneta editio quæ ipſo Navarro ſuperſtite factæ ſunt id non habent,) hoc gloſſema adſcripſit: *Papam eſſe ſupra Concilium qui in Gallia aſſerunt*, (ait Expurgator) *nequaquam judicantur haeretici, & à partibus haereticorum ſtare; imò verò Doctores ipſi Pariſienſes, jam illud pronunciatum magnâ parte remiſerunt, Concilium univerſale eſſe ſupra Papam; ſed contrarium magna ex parte amplectuntur.* Hæc ille. Quæ omnia concordant narrationi Gretſeri Jeſuitæ in ſuo veſpertilione hæretico pag. 148. editionis Adami Sartorii Ingolſtadienſis Typographi. *Dolet Epiſtoliſta* (ait Gretſerus) *pleroſque Pariſienſium Theologorum, quos Sorbonicos vocant, tranſire in hanc ſententiam, Pontificem eſſe ſupra Concilia etiam OEcumenica, non Concilia ſupra Pontificem; & hoc effectum ait operâ & ſtudio Jeſuitarum. Reſpondeo* (inquit Gretſerus) *licèt hoc labore ac inſtitutione noſtrorum accidiſſet, non vi ipſius veritatis caput in dies magis ac magis ex priſca caligine attollentis, cauſa tamen nihil haberent Jeſuitæ cur eos hujus ſua opera vel puderet, vel taederet; quia veritatem aliis proponere & perſuadere non niſi honorificum cenſeri poteſt, & ut illud veritatem cùm offertur amplecti.* Huc uſque Gretſerus; hâc autem defenſione me demonſtraturum ſpero Jeſuitas in controverſia quam tractamus, *pro igne fumum & pro lumine tenebras atque caliginem in hominum animos offudiſſe, nihilque aliud ſibi propoſuiſſe, quàm abſolutum Curiæ Romanæ dominatum, unde quaque poſſent fulcire*, quo in aliquam partem hujus puncti venirent.

XIII. Cæterum genuina ratio cur plures hodiè Pontificis quàm Concilii & Eccleſiæ Auctoritatem defendant, triplex eaque manifeſtiſſima eſt. Primùm quia, ut

Digitized by Google

auctor eſt Philoſophus, *quædam falſa longè probabiliora ſunt veris*, quare etiam proclivius defenduntur. Certè falſiſſimum eſt *Papam eſſe abſolutum infallibilem Monarcham Eccleſiæ*, attamen duobus Elenchis Sophiſticis à ſuppoſitione principii & à dicto ſecundùm quid ad dictum ſimpliciter facillimè propugnatur hâc argumentatione. *Chriſtus Mathæi 16. & Joannis ultimo conſtituit Petrum Vicarium ſuum immediatum & Caput* viſibile Eccleſiæ; ergò Petrus & Romanus Pontifex Petri Succeſſor eandem habet auctoritatem in Eccleſiæ regimine quam Chriſtus habuit dum eſſet in terris. Qui paralogiſmus nullo labore, nullâ Conciliorum, Patrum, aut Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cognitione expeditè defenditur, habitâ ratione regiminis hodiernæ Curiæ Romanæ, quod omnium oculis expoſitum eſt. Contra autem, Doctrina Catholica & Apoſtolica de Primatu Petri in ordine ad regimen Ariſtocraticum, cùm jam pridem uſu contrario exoleverit, non poteſt niſi ex monimentis Conciliorum Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, Patrum, & ſacræ Scripturæ lectione cognoſci. Procul dubio, cùm ego ad hoc ſtudium animum induxiſſem, ac permagna adjumenta, nimirùm cognitionis Theologiæ Scholaſticæ, lectionis Bibliorum & Hiſtoriæ Gentium attuliſſem, nihilominùs ubi per tres annos huic labori me dedidi, innumeris pænè difficultatibus diſtinebar, quas diuturnitate contentionis & vigiliarum tandem ſuperavi; & miratus ſum Doctores Scholæ noſtræ, atque inter alios bonum Gerſonium ſæculo barbariſſimo, quo anticipatis opinionibus & praxi abſolutæ Monarchiæ opprimebantur, neque bonorum librorum ad hæc ſtudia neceſſariorum copiâ abundabant, è tantis difficultatibus emergere & lumen neceſſarium conſequi potuiſſe, ut toti Chriſtiano Orbi decretis Synodi Conſtantienſis prælucerent. Poſt Synodum Conſtantienſem & lucubrationes Gerſonii multò facilius fuit Cardinali Cuſano libros de Concordia Catholica eo tempore ſcribere, quo jam ars typographica vigere incipiebat, cujus ope libri communes effecti ſunt, & hæc de prima ratione. Altera verò eſt, quia poſt hæreſim Lutheri Doctores Catholici ab hac tractanda quæſtione prudentes abſtinendum cenſuerunt, quouſque obſervarunt Jeſuitas & alios Curiæ Romanæ Scriptores ſilentio Doctorum Catholicorum ita abuti, ut perſuadere vellent doctrinam Scholæ Pariſienſis decretis Synodi Conſtantienſis factam eſſe *erroneam & proximè ad haereſim accedere, atque etiam Papam praeditum eſſe poteſtate Regum abdicandorum, imò & occidendorum, ſi parere recuſent*; quod poſt cædem Henrici III. & IV. Regum Franciæ Bellarminus, Suarez & alii Jeſuitæ confidenter, ne dicam temerè, aſſeruerunt: idque multis occaſionem evigilandi è ſomno noxio, & ſcribendi contra iſtam ſeditioſam doctrinam, mihique inter alios præbuit, ſpretis omnibus verborum portentis & convitiis quæ ſub ætate pupillari Regis in me conſulta, parata & meditata ſunt: Etenim quia doctrinam Scholæ Pariſienſis cum Synodi Conſtantienſis decretis ſartam, tectam retineo, ego ſum *monarchomachus, perduellis, haereticus, ſchiſmaticus*, ſi Deo placet. Quid plura? *nova quoque haereſis Richeriſtarum conficta.* Neque Curiæ Romanæ hominibus hæc in me ſparſiſſe ſatis fuit, niſi etiam me in diſcrimen capitis vocarent. Sciant autem velint adverſarii nos cauſam habere multò juſtiorem illis ea dandi improperio, quæ in nos comminiſcuntur.

Quandò doctrina noſtra, ut hâc defenſione probabitur, tota jure divino, natu-

Digitized by Google

rali & canonico, illorum autem opinio ſolis Elenchis imaginariis nititur. Hercle quidem decreta Synodi Conſtantienſis & Baſileenſis, quæ ego cum majoribus noſtris fide Catholicâ amplector, (quibus edocemur ſtatum Eccleſiæ eſſe monarchicum Ariſtocratico regimine temperatum) multò longiùs ab Apoſtolicæ, primitivæ gubernatione diſtant, (quæ gubernatio quinto & ſexto Canone Nicæno conſignatur) quàm Bellarmini atque aliorum Scriptorum Curiæ Romanæ placita, ab Conſtantienſis & Baſileenſis decretis, de auctoritate Generalis Concilii ſupra Papam. Quandoquidem Canonibus Nicænis Papæ ſententia etiam Synodi Provincialis examini & judicio erat ſubjecta, ut docuimus libro priore hiſtoriæ Conciliorum. Venio ad tertiam rationem quam Joannes Major cap. 18. Commentariorum in Mathæum, reſponſione ad nonum argumentum Cajetani, ſic aſſignat: *Quòd plures Pontificem extollunt quàm Concilium, non miraberis* (ait) *Concilium rarò congregatur, nec dat dignitates eccleſiaſticas, Papa dat eas, ideò hic homines ei blandiuntur, dicentes, quòd ſolus poteſt omnia quadrare rotunda, & rotundare quadrata, tam in ſpiritualibus quàm in temporalibus.* His & aggregandus Gerſonius de poteſtate eccleſiaſtica conſiderat. 12. At verò illis qui Eccleſiæ & Concilii auctoritatem defendunt, non modò non dantur beneficia & dignitates eccleſiaſticæ, aliaque adjumenta; ſed etiam, quantùm fieri poteſt, illis quæcumque habent auxilia & ſubſidia temporalia auferuntur, conturbantur, & ad ſummam paupertatem rediguntur. Hinc illæ crebertimæ Vallii interminationes erga juniores Doctores & Baccalaureos Theologiæ, ut eos à defenſione doctrinæ Majorum abducat. Sed ut eò undè digreſſa eſt, nempè ad Navarrum noſtra revertatur oratio, cap. Novit de judiciis, Notabili 3. num. 83. & 4. ſic habet. *Non eſt Concilium in praeſentia definire cui principaliùs poteſtas Eccleſiae fuerit à Chriſto collata, an Eccleſiae, an verò ipſi Petro propter illam maximam diſcordiam Romanorum & Pariſienſium; illi enim tenent Petro & Succeſſoribus datam eſſe hanc poteſtatem, atque ideò Papam Concilio eſſe ſuperiorem. Ii verò quibus Gerſon adhaeret, totam datam eſſe toti Eccleſiae, licèt exercendam per unum; atque ideò in aliquot ſaltem caſibus Concilium eſſe ſuprà Papam; quarum illa ſcilicet Romanorum videtur placuiſſe S. Thomae & Thomae de Vio, ubi altiùs omnibus & profundiùs hoc demonſtrare conatur. Altera verò placuit Panormitano qui pro Pariſienſibus eſt, quem frequenter noſtri ſequuntur, ut tractat Decius Conſilio 151, quam mordicus tuetur Jacobus Almainus è Sorbona Theologus, qui reſpondit Thomae à Vio libello juſto: & Joannes Major cap. 18. in Mathaeum, qui idem facit, aiens Romae neminem permitti tenere Pariſienſium & Panormitani ſententiam, nec rurſùs Academiam illam Pariſienſem pati ut contraria opinio aſſeratur in ea; quorum utrique videtur replicâſſe praedictus Thomas à Vio in dicta Apologia.*

Ut ergò hanc diſputationem compendii faciamus ex ſerie teſtimoniorum indubitatorum quam edidimus, comprobatum relinquitur, antequam Jeſuitæ Scholas in Franciæ regno aperuiſſent, non modò Scholam pariſienſem, verùm etiam totam Eccleſiam Gallicanam Synodi Conſtantienſis & Baſileenſis decreta de auctoritate Concilii ſupra Papam fide Catholicâ tenuiſſe & propugnâſſe.

XIV. Quòd ſi quiſpiam in contrarium objiciat hoc nullo modo poſſe fieri, quando hodiè percrebuit ejuſmodi opiniones Romanorum & Pariſienſium ſcilicèt eſſe dumtaxat problematicas, reſpondebis aliquid poſſe duobus modis ad Fidem

Digitized by Google

Catholicam pertinere, materialiter nimirum & formaliter, & quæ ſunt materialiter atque implicitè de Fide non obligare, antequàm conſenſus Catholicus & aperta atque ſufficiens declaratio Eccleſiæ ſuper ea re intervenerit : idque vocant formaliter & explicitè pertinere aut obligare ad fidem, quæ ſufficientes declarationes ut plurimùm ſolent fieri in Conciliis Generalibus. Secundò, ex omnium Theologorum ſententia obſervabis quædam poſſe ab aliquo Doctore credi Fide Catholicâ & formaliter, ad quæ tamen alius minimè obligabitur; prætereà quòd ille majora ſibi adjumenta & lumina comparavit, quæ aliis vel per captum ingenii, vel alia de cauſa evolvere & enucleare non potuit, aut etiam quia id facere minimè obſtringitur, ut patet de ruſtico & Theologo : hic enim Fide Catholicâ multis concluſionibus aſſentiri tenetur, quibus indocti Theologiæ nequaquàm obligantur. Idemque ſentiendum de Canoniſtis, habitâ ratione eorum qui minimè verſati ſunt in ſcientia Canonum & Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cognitione. Legendus Gerſonius tractatu *de iis quae ſunt credenda ad neceſſitatem ſalutis.* His ergò de cauſis Facultas Theologiæ Pariſienſis à multis ſæculis Fide Catholicâ Immaculatam Conceptionem B. Virginis Mariæ & doctrinam de Eccleſiæ & Concilii auctoritate ſupra Papam credidit juxtà Synodi Conſtantienſis & Baſileenſis conſtitutiones. De me autem ut privatim dicam, non propter ſolam inductionem Scholæ Pariſienſis cui nomen dedi, & Sacramento devinctus ſum, ſed propter operam atque laborem aſſiduum, quem decem atque ampliùs annos in indaganda veritate hujuſmodi controverſiarum impendi, profiteor me Fide Catholicâ tenere ejuſmodi doctrinam; & nihilominùs me alias Nationes, Univerſitates aut Doctores qui contrariam opinionem tuentur, non habere aut damnare pro ſchiſmaticis, hæreticis vel temerariis; quoniam Eccleſia Catholica eorum opinionem & exceptiones (quas Cajetanus) Bellarminus & alii Scriptores Romani comminiſcuntur, perfert atque tolerat ad concordiam & unitatem Eccleſiæ retinendam. Nam ſicut Leges & Canones non obligant, niſi recipiantur, pariter quoque deſuetudine obſoleſcunt; & ita res tum temporis pro non ſufficienter definitis habentur, reſpectu eorum, qui eas non admittunt; quique admittunt, pacem atque unitatem Eccleſiæ ſervare tenentur : quoniam finis omnis præcepti & actionum humanarum eſt pax, charitas & unio in Chriſto. Cæterùm Doctiſſimi Theologi, qui ejuſmodi effugia contra Conſtantienſis & Baſileenſis decreta comminiſcuntur, conſiderent utrùm ſtudium veritatis, quam oppugnant, an adulatio & propriæ utilitatis deſiderium, atque alia ejuſmodi quibus Eccleſiæ reformationem in Capite & in membris tantoperè neceſſariam impediunt, eos tandem aliquando coram Deo cordium ſcrutatore excuſatura, an potiùs damnatura ſint. Deus immortalis! quid tantoperè Theologis & animarum Paſtoribus neceſſarium, quos Chriſtus ſal terræ & mundi lumen eſſe voluit, quàm notitia & certa ſcientia juſti, ſalutaris & ſuaviſſimi regiminis Eccleſiæ à Chriſto inſtituti & ſub octo primis Univerſalibus Conciliis propagati? Quandoquidem Dominus Communionem Sanctorum & unitatem in Fide (quæ eſt finis gubernationis Eccleſiæ) Ariſtocratico regimine ſuaviter & conformiter ad captum ingenii & liberalitatis humanæ ſtabiliri & propagari voluit, ut ſub octo primis Generalibus Conciliis factum eſt : ho-

Digitized by Google

diè verò non tantùm ſcriptis, ſed ferro atque igni acriter certatur, quòd omnia negotia Eccleſiaſtica abſoluto ac purè Monarchico dominatu ſicut in regnis temporalibus decertatur: ita ut qui ſeſe clauſis oculis vel cæcâ obedientiâ, ut Vallius loquitur, non ſe totos ejuſmodi gubernationi permittunt, intra perduelles, hæreticos & ſchiſmaticos amandentur. Porrò, quamquàm Vallius, Forgemontius, Monclerus, plurimique alii Scholæ noſtræ alumni, qui ex ſolis Jeſuitarum dictatis, & commentariis recentiorum ſapiunt, à vera ſalutarique doctrina Majorum deerrent: hoc tamen ad quæſtionem facti pertinet, neque placitis Catholicis antiquorum derogare poteſt, pluriſque hac in parte paucorum ſententiam doctrinæ Majorum & decretis Synodi Conſtantienſis & Baſileenſis conformem, quàm multorum Scholæ deſertorum atque transfugarum opiniones facere debemus, quia illi olim poſſident, priùs poſſident, eorumque perpetua & conſtans ab Apoſtolorum temporibus in hunc deducta diem ſolemnis poſſeſſio, ſolâ viâ facti & praxi regiminis Curiæ Romanæ interrupta vel potiùs oppreſſa eſt, ut quatuor libris hiſtoriæ Conciliorum hâcque ipſâ defenſione demonſtrabitur. Porrò etſi veterem atque Apoſtolicam politiam omni laude & admiratione prædicandam exiſtiment, nihilominùs ad bonum unitatis & pacis Eccleſiæ, præſentem Curiæ Romanæ Potentatum tolerandum & ſequendum, atque expectanda tempora, quibus Domino Eccleſiæ ſuæ ſponſæ miſereri placuerit, contendo. Quàm æquanimitatem ſi abſolutæ infallibilis Monarchiæ patroni ſervarent, nullum cum eis verbum de hoc ſuo dominatu committendum putarem.

XV. Sed ad Elenchos Vallii revertor. Sextò enim pagina 6. more Baccalaureorum Theologiæ Theſes ſuas propugnantium ſolemnes concipit proteſtationes, ac primùm ait, *toto ſuo opere velle abſtinere ab iis quae vel tantillùm regiam poteſtatem imminuere. 2. Quae ſacrorum & OEcumenicorum Conciliorum auctoritatem labefactare. 3. Quae Eccleſiae Gallicanae libertates & privilegia. 4. Quae Magiſtratum ſaecularem. 5. Quae decreta & concluſiones Facultatis Pariſienſis vel minimùm laedere poſſunt.* Verumtamen nullum eſt iſtorum quinque capitum in quod ſive iracundiâ, ſive aliâ animi impotentiâ abreptus non multoties arietet, adeò ut has proteſtationes quaſi ſcrupuloſas, ut potiùs in eas impingat, quàm ut evitet erexiſſe: ac ſibi-ipſi crucem quâ ſeipſum torqueret, & levitatem ac temeritatem ſuam propalaret, fixiſſe videatur. Cujus rei certiſſimam probationem habes partim in hac defenſione, partim in hiſtoria noſtra Conciliorum.

XVI. Septimò, Anonymum, ſic paſſim vocat Richerium, ſtomachosè carpit pag. 8. quòd motu proprio & abſque mandato Facultatis Theologiæ, imò verò contra expreſſam illius prohibitionem duo decreta Facultatis vulgarit, & cum ſuo libello de eccleſiaſtica & politica poteſtate publici juris fecerit. Alterum hujuſcemodi decretum eſt, *Cenſura octo propoſitionum Magiſtri Joannis Sarrazin*; alterum verò, *ſex capita articulorum Facultatis contra Lutherum*, quibus decretis antiqua doctrina Scholæ Pariſienſis vindicatur. Quæ criminatio mirum in modum ampliabatur à Magiſtro Joanne Fileſac, poſtquàm eſt prenſatus atque excitus à quibuſdam magnatibus eccleſiaſticis adverſùs Richerium, quem Fileſacus paſſim jactitabat *valdè culpandum & Syndicatu abdicandum, quòd arcana Facultatis inconſultâ Facultate*

vulgaſſet

Digitized by Google

vulgaſſet certumque eſſe ſummum Pontificem putaturum quæcumque Richerius contra Jeſuitas geſſiſſet, à tota facultate proficiſci; ſe quidem Papiſtam eſſe, non Jeſuitam, nec acta, Richerij ullomodo probare poſſe. quæ objectio duobus conſtat membris, priùs attinet prohibitionem vulgandorum decretorum facultatis, rem utque geſta, eſt paucis narrabo anno 1608 ſubortum eſt quoddam diſſidium in facultate Theologica inter aliquos Baccalaureos & Priorem Sorbonicum: Richerius Syndicus Comitiis Julii ejuſdem anni, ſuaſit Facultati proclive eſſe contentionem ſubortam placare & definire antiquis concluſionibus atque decretis ſcholæ; & ad dignitatem ordinis Theologici pertinere, ut moribus antiquis viveretur, nec quicquam innovaretur. Itaque decretum anni 1561. Richerius perlegit, quod omnium Magiſtrorum conſenſu valdè laudatum & approbatum eſt, & quoniam ſumma capita totius diſciplinæ, quam omnes Baccalaurei ſervare debent, complectebatur, curavit Syndicus, ut memoratum decretum typis æneis efformaretur, ſed quidam Baccalaurei Navarrici, id graviter & moleſte ferentes, Magnum Magiſtrum Collegij Navarræ exſtimularunt, ut conqueſtionem haberet de Richerio Syndico, quod ejuſmodi decretum edi curaviſſet.

Quapropter Calendis Julij 1609. in Comitiis Facultatis, Magnus Magiſter Navarricus, petiit à facultate, *utrum approbaret vel improbaret impreſſionem concluſionis factæ ultimâ Julij 1608. quibus auditis facultas pro bono pacis & concordiæ, impreſſionem prædictæ concluſionis improbavit, concluſionem verò iterùm approbavit.* Hæc ſunt genuina verba, quibus conceptum eſt Decretum Facultatis, de quo loquitur Vallius, & ita patet illum falſa comminiſci. Et hæc de primo membro objectionis. Poſteriùs autem Richerium vel præclari vel neceſſarij facti reum inſimulat, quoniam editio decretorum Facultatis ideo facta eſt à Syndico, ut in cauſâ Academiæ contra Jeſuitas, illa decreta loco dicæologiæ Judicibus offerrentur, atque diſcrimen antiquæ & novæ doctrinæ demonſtraretur: quâ in re momentum totius cauſæ verſabatur, Idque à nullis, niſi quibus dolet tum temporis Academiam, Jeſuitarum petitionibus minimè ſuccubuiſſe, improbari poteſt. Finge Valli & Fileſace, legibus vetitum, ne quis enſem diſtringat, & quemdam pium filium conſpicere jugulum parentis ſui peti atque opprimi ab inimicis, diſtrictoque enſe inimicos illos fugare & ſaluti parentis conſulere; deindè poſteà filium reum agi, quod contra legem, enſem diſtrinxerit: An bonum illum & pium filium coram æquis Judicibus damnari poſſe cenſeris, quod enſem ad ſalutem parentis ſui diſtrinxerit? porrò exceptâ decretorum editione nihil Richerius inconſulto Fileſaco egit in cauſa Jeſuitarum, eique omnia commentaria, quæ patronis Academiæ dedit, priùs communicavit, & ipſemet Fileſacus cauſam libris atque commentariis juvit. *Nam directorium inquiſitorum Romæ editum, quo carebat Richerius, commodavit.* Certè ſi in Fileſaco fides fuiſſet, ut debuerat, Academia hodiè à Jeſuitis non opprimeretur. Cæterum articuli facultatis contra Lutherum, multoties anteà etiam Regis edicto & Parlamenti decreto vulgati fuerunt. Lege Redargutor codicem Regiarum edictionum, ab Antonio Fontano collectarum, & opera Joannis Driedonis Theologi Lovanienſis, ibi articulos memoratos nanciſceris integros; non aliâ autem de cauſâ leges ejuſmodi decretorum editionem, quam quod doctrinam avitam ſcholæ (quam maximè oppreſſam cupis) in omnium oculis exponit; demonſtratque non,

D

Digitized by Google

duorum aut trium Doctorum, ut fingis, ſed totius eſſe facultatis Pariſienſis proprium.

Octavo pag. 8. Clenchi *Auctorem*, ſic deinceps Richerium deſignabo, graviter flagellat, quod fronti concluſionum Facultatis, quos ad calcem Libelli de eccleſiaſticâ & politicâ poteſtate edi curavit, hunc titulum adſcripſerit, *Decreta facultatis Pariſienſis contra ſectarios hujus ſæculi*, contenditque nomine ſectariorum, hæreticos intelligi non poſſe, ſaltem ratione decreti facti contra propoſitiones Joannis Sarrazin. Reſpondeo primum hic à majori parte ſumi denominationem, hoc eſt ab articulis contra Lutherum, & à cenſura adverſus Marnæum, deindè etiam decretum contra Joannem Sarrazin, eo ipſo quod Primatum Pontificis ſupra particulares Eccleſias, conſormiter ad ſanctionem patrum Conſtantienſis Synodi, admittit directe eſſe contra ſectarios hujus ſæculi, qui primatum Petri abnegant.

XVII. nono pag. 9. Urget auctorem, *nondum illam opinionem erroneam abjeciſſe, quam in capitulo generali Dominicanorum impudentiſſime profeſſus eſt, coram illuſtriſſimo Cardinali Perronio, videlicet fide Catholicâ tenendum, Concilium eſſe ſupra Papam, atque magnum illum Cardinalem validis rationibus falſitatem iſtius opinionis confutaſſe.* Hæc ille, quem ego verius, quod non faciam tamen, maximæ impudentiæ poſſem convincere, quod de his loquatur quæ non vidit, & ſola auditione tenet. cæterum depulſio hujus objectionis, Cartim ab iis pendet, quæ ſupra in reſponſione ad quintum argumentum explicavimus, ſcilicet, Sorbonam ſemper habuiſſe concilium Conſtantienſe pro legitimo atque Oecumenico, & continuo ab eo tempore tenuiſſe tanquam de fide, Concilium eſſe ſupra Papam, partim etiam ab hiſtoriæ enarratione, quæ ſic habet. „ Anno Domini milleſimo ſexcenteſimo undecimo, die 27. May Magiſter Emundus „ Richerius, Doctor & Syndicus Sacratiſſimæ Facultatis Pariſienſis, unà cum honorandis Magiſtris, Vincentio Marchant, Antonio de Heu, Nicolao de l'Eſcleves, & „ Nicolao de Paris Doctoribus ejuſdem Facultatis, circa horam tertiam ſeſe contulit in pergulâ, Scholæ Theologicæ conventus fratrum Dominicanorum Pariſienſium, „ quas frequentiſſimo numero clarorum ac doctorum virorum occupatas reperit, inter alios, permulti erant Doctores Theologi prædictæ facultatis, nec non etiam plures ex familia Dominicanorum, Galli, Itali, Hiſpani, qui eo convenerant „ ad ſpectandas & audiendas ſolemnes diſputationes Capituli generalis. In his diſputationibus Frater Wibertus Roſemback Lector Conventus Colonienſis prædictorum Dominicanorum, partes reſpondentis agebat, præſide Magiſtro ac Fratre Coſma Morelles, Regente ac publico Profeſſore ejuſdem Conventus Colonienſis, „ Theſes autem ſic inſcriptæ erant. Sereniſſimo ac Reverendiſſimo D. D. Erneſto „ Dei gratia Electo & confirmato Archiepiſcopo Colonienſi Sacri Romani Imperii „ per Italiam Archicancellario, & Principi Electori, Epiſcopo Leodienſi, „ adminiſtratori Monaſterienſi Heildeshemienſi & Friſingenſi, Principi Stabulenſi, „ Primario Eccleſiæ Archiepiſcopalis, Magdeburgenſis Præpoſito, Comiti Palatino „ Rheni, utriuſque Bavariæ, Weſpaliæ, Angariæ & Bullionij Duci, Marchioni Franchimontenſi, &c. Porrò idem magiſter Emundus Richer Syndicus, „ omnibus, qui in prædictis pergulis erant, videntibus atque audientibus, honorandum fratrem ac Magiſtrum Nicolaum Coeffeteau, Doctorem prædictæ facultatis & Priorem Conventus Pariſienſis Dominicanorum, nonnulloſque alios „ Dominicanos, etiam Doctores ejuſdem Facultatis, ſic allocutus eſt. Rem eſſe indigniſ-

Digitized by Google

ſimam ac minimè ferendam, quod in Theſibus, quæ eo die agitabantur, paſſi fuiſſent "
hos tres articulos. 1. Romanum Pontificem in fide & moribus errare non poſſe. "
2. In nullo caſu Concilium eſſe ſupra Papam. 3. Ad Papam pertinere dubia deci- "
denda, concilio proponere, deciſa confirmare vel infirmare, partibus ſilentium "
perpetuum imponere &c. Enim verò ſi hujuſmodi articuli veri ſint, oportere om- "
nes Gallos, qui decreta Synodi Conſtantienſis, tanquam de fide ſemper propugnaſ- "
ſent, eſſe hæreticos, vel ſaltem ſchiſmaticos, Gallorum patientiam iſtis Theſibus ten- "
tari: quas ſi Henricus Magnus viveret, nunquam auſi fuiſſent edere in lucem: "
multos perſuaſum habere, id ab illis fieri, non tam veritatis quam privati commo- "
di ſtudio, præſertim quod aliâ ratione ſuas, extraordinarias miſſiones atque privi- "
legia, tueri ac propagare nequeant: memoratas Theſes dicatas eſſe D. Archiepiſco- "
po Colonienſi ac propterea non modo omnium Gallorum, ſed etiam exterarum "
nationum manibus teri; quare ſi prædicti articuli intacti maneant ſine ulla publi- "
câ interceſſione, ſtatim Gallos atque exteros ſibi perſuaſuros, Sorbonam iſto ſilen- "
tio tacite à majorum ſuorum placitis deciſcere; publicum errorem publica ſatis- "
factione eluendum; ſe decreviſſe, in præſentiam, mittere Magiſtrum Ludovicum "
de la Coort magnum apparitorem, ut nomine Facultatis hâc formulâ intercederet. "
De mandato D. Syndici ſacratiſſimæ Facultatis Theologiæ Pariſienſis, & Domino- "
rum dictæ Facultatis ſubſignatorum, conferat ſe Magiſter Ludovicus de la Coort "
major apparitor ipſius facultatis, in Aulam Conventus fratrum Dominicanorum "
Pariſienſium, in quâ habentur ſolemnes diſputationes pro Capitulo generali dicto- "
rum fratrum, ibique quâ poterit modeſtiâ & ſine ſcandalo, ſignificet Magiſtro "
fratri Coſmæ Morelles Præſidi, atque fratri Wiberto Roſemback, reſpondenti, "
omnibusque baccalaureis dictæ Facultatis diſputantibus, aut diſputaturis, ſeſe no- "
mine dictæ Facultatis intercedere ac opponere quibuſdam concluſionibus conten- "
tis in ſeptimo, octavo, & nono articulis aſſertionum controverſialium, prout ſcribun- "
tur in Theſi prædicti fratris Wiberti Roſemback, tanquam novis in Gallia, contra- "
riis ac repugnantibus ſacris conciliis Generalibus, nativis Eccleſiæ Catholicæ liberta- "
tatibus, prolitiæ Regni Gallicani; necnon antiquiſſimis decretis prædictæ Faculta- "
tis Pariſienſis. Ad vitandum autem ſcandalum cunctis Baccalaureis ejuſdem faculta- "
tis prohibeat, ne in ejuſmodi concluſiones diſputarent, ſed tantum in aliàs partes, "
quarum magna eſt copia, actum die veneris vigeſimâ ſeptimâ menſis Maij, anno mil- "
leſimo ſexcenteſimo undecimo, quam interdicendi formulam, ubi prædictus magiſter, "
& frater Nicolaus Coeffeteau audivit ac perlegit, per ſuos ſacros ordines affirma- "
vit, prædictas Theſes, ſe inſcio atque inconſulto factas; ſtante Capitulo Generali, ſe "
nihil prorſus habere authoritatis in Conventu: eodem die quo illarum Theſium no- "
titiam habuit, ſe dominos Triumviros Regios adiiſſe, ſibique ab eis nominatim "
injunctum, ut caveret diligenter ne quis in prædictos articulos diſputaret; eamque "
ob cauſam omnes Baccalaureos ſigillatim monuiſſe, ut illas concluſiones tacitas ſine- "
rent; hoc inſuper D. R. Patri Generali plurimum dolere, adeo vt præſidi ac "
Reſpondenti ſtrictiſſime præceperit, ne de iſtiusmodi partibus reſponderent, "
ſed ſi eas fortè à quibuſdam agitari contingeret, palàm & publicè declararet, ſibi "
minime licitum eſſe de illis agere. Quibus auditis & perpenſis Magiſter Emundus "

Digitized by Google

„Richer Syndicus, mutato intercedendit propoſito, reſpondit controverſiam iſtam
„hac moderatione ſedari poſſe; nempe ſi quiſpiam Baccalaureorum in aliquem præ-
„dictorum articulorum diſputaret, ad quæ Magiſter Coſmas morelles, qui diſputa-
„tionibus præerat, è veſtigio proteſtaretur, ſibi à ſuo Reverendiſſimo Generali ve-
„titum, eſſe de illa parte in Francia reſpondere; hoc ſi ille præſtaret, ſacratiſſimæ Fa-
„cultati abunde ſatisfactum iri: moxque idem Magiſter imperavit majori appari-
„tori prædictæ facultatis, ut ſignificaret Baccalaureis licitum eſſe in prædictos articu-
„los velitari, eamque ob cauſam Magiſter, Claudius Bertin, Baccalaureus Sorboni-
„cus primi ordinis, ita diſputare cœpit. Quidquid adverſatur Oecumenico & legiti-
„mo Concilio, eſt hæreticum, hæc tua concluſio, in nullo caſu Concilium eſt ſupra
„Papam, adverſatur Concilio Conſtantienſi Oecumenico & legitimo, ergo eſt hære-
„tica, quam ad vocem illuſtriſſimus S. S. Apoſtolicæ Nuncius Epiſcopus Politianus,
„commotior viſus eſt, Magiſter autem Coſmas Morelles qui præerat diſputationi-
„nibus (in hac enim totâ concertatione nullum verbum à prædicto fratre Wiber-
„to Roſemback emiſſum eſt) ſic reſpondit, Domine Baccalauree arguens, noli di-
„cere hanc aſſertionem eſſe hæreticam: ſatis enim eſt, ſi dicas, eſſe falſam atque erro-
„neam. Ego verò profiteor me iſtas concluſiones non poſuiſſe animo offendendæ aca-
„demiæ aut facultatis Pariſienſis, quam velut omnium aliarum Academiarum
„matrem agnoſco, ſed tantum veritatis diſquirendæ causâ. etenim ſi veritas hujuſce
„quæſtionis in hâc celeberrimâ Academia diſquiri non poſſit, ubinam enucleabitur?
„neque hanc partem tanquam de fide, ſed velut problematicam cum Franciſco à
„Victoria, Melchiore Cano & Bagne propoſui: ſi quidem conſtat multas alias
„univerſitates eandem concluſionem tueri, contra ſententiam Academiæ Pariſienſis,
„quare ſi mihi detur venia reſpondendi, eam ut problematicam defendam, tum Il-
„luſtriſſimus S. S. Apoſtolicæ Nuntius, juſſit de illa parte diſputari, quod D. ejus audi-
„tori, qui præſens erat, gratiſſimum videbatur. Cæterum quidam Doctores Theo-
„logi ac permulti viri illuſtres, qui de prædictis pergulis eventum diſputationis attente
„exſpectabant, perſtrepere, atque conqueri cœperunt, nequaquam ferendum, ut
„ejuſmodi concluſiones agitarentur, in Galliis, cum Eccleſia Gallicana à temporibus
„Conſtantienſis Synodi, contrariam ſententiam, velut de fide ſemper propugnarit:
„magnus quoque clamor excitatus eſt ab omnibus auditoribus, qui in aulâ erant
„Theologicâ, circiter ad duo millia, inter alios D. Sanguin Conſiliarius Parlamenti
„& Præfectus mercatorum Urbis Pariſienſis Theſim publice lacerandam, Dominus
„autem de Hacqueville, Præſes Parlamenti, illam præpoſitionem eſſe hæreticam,
„contendebat. Tunc Illuſtriſſimus D. Cardinalis Perronius, Archiepiſcopus Sene-
„nenſis, & magnus Regis Chriſtianiſſimi Eleemoſinarius, imperavit magno apparito-
„ri Facultatis Theologiæ, ut Magiſtrum Emundum Syndicum, ex pergulis in au-
„lam arceſſeret, quæ frequentiſſimo numero clariſſimorum ac doctiſſimorum viro-
„rum, tàm Eccleſiaſticorum quàm Laïcorum, fervebat, quos inter Illuſtriſſimus D.
„Cardinalis Perronius Illuſtriſſimus D. S. S. Apoſtolicæ Nuncius, D. Rector Academiæ,
„D. Epiſcopus Montis peſſulani D. de Hacqueville Præſes in Supremo Senatu, D. San-
„guin Conſiliarius Parlamenti ac Præfectus Mercatorum Urbis Pariſienſis, Item D.
„Ribier etiam Conſiliarius in Supremo Senatu, eminentiores Cathedras occu-

Digitized by Google

pabant, cunctiſque audientibus, ac videntibus Illuſtriſſimus D. Cardinalis Perronius " multoties iteravit, quæſtionem de Concilij, & Papæ eminentia, problematicam eſſe, " propter exceptiones quas tranſmotani adverſus Conſtantienſe Concilium obten- " debant. Deinde, petitâ à Magiſtro Emundo de Richer Syndico, qui ſe in Aulam ex " pergulis contulerat, primùm ecquid cauſæ habuiſſet præcipiendi Baccalaurei ut " in memoratos articulos diſputarent, quos D. D. trium viri Regis ſilentio obrui " præceperant, ſecundo conferet ne de illa parte, diſputandum: ad hæc Magiſter " Emundus Rucher reſpondit, ſe ideò copiam diſputandi feciſſe Baccalaureis in prædi- " ctos articulos, ut ſi quâ ratione fieri poteſt, aliquod publicum teſtimonium elicere- " tur à Magiſtro Coſma Morelles, Præſide diſputationum, quo fieret ſatis Academiæ " & Facultati Pariſienſi, quæ publicâ aſſertione prædictorum articulorum, nomina- " tim peti atque offendi videbatur. Sorbonam ſemper habuiſſe Concilium Conſtantien- " ſe pro legitimo atque Oecumenico, eamque ob rem, ab eo tempore, tanquam de fide " tenuiſſe Concilium eſſe ſupra Papam; Theſes quibus prædicti articuli contra de- " creta Synodi Conſtantienſis, & doctrinam Facultatis Pariſienſis ſcribuntur, in om- " nium gentium oculis verſari, ac propterea opus eſſe, ut aliquo actu publico con- " trario confutentur. Juſſionem D. D. triumvirorum Regiorum, de hac parte ſilen- " tio involvendam, omnibus ignotam atque occultam eſſe, quippe quæ uni tantum Ma- " giſtro, ac fratri Nicolao Coëffetau, qui eam privatim acceperat, innotuerit, & verbo " tantum, non ſcripto concepta ſit, ſe optimè ſcire, D. D. triumviros Regios, nun- " quam moleſte laturos, ſi & ſchola Pariſienſis aliquâ publicâ interceſſione, aut ob- " nuntiatione ſuam antiquam, Doctrinam vindicare niteretur. Demum ſe limatiſſimo " & caſtigatiſſimo judicio Illuſtriſſimi Cardinalis Perronij relinquere, quanti momenti " hæc ſit controverſia, & utrum eam hoc tempore tractari, aut ſilentio prætermitti " expediat. Quibus auditis Magiſter Coſmas Morelles, iterato ea quæ in exordio argu- " menti Magiſtri Claudij Bertin præmiſerat, proteſtatus eſt, videlicet, ſe iſtas conclu- " ſiones non poſuiſſe animo offendendæ Academiæ, aut Facultatis Pariſienſis, quam velut " matrem omnium aliarum Academiarum agnoſcebat, ſed tantummodo veritatis diſtin- " guendæ cauſa, hancque partem, non tanquâm de fide, ſed velut problematicam, aſ- " ſerere &c. Si verò ſibi concedatur, de illa reſponſurum. Quamobrem annuente " Illuſtriſſimo D. Nuncio Apoſtolico, idem Magiſter Claudius Bertin ſic argumentum " ſuum proſequutus eſt. Hæc pars damnata fuit in Concilio Conſtantienſi, quod Mar- " tinus V. approbavit, ergò falſa atque erronea eſt. Cui argumento, ut Præſes ſatis- " faceret, multas attulit ſolutiones, ex Cajetano potiſſimum deſumptas, primo, quod " decretùm quartæ & quintæ ſeſſionis Conſtantienſis Synodi, tantummodò intelli- " geretur de Papa dubio, puta, quandò eſt aliquot ſchiſma & plures ſunt Antipapæ. " ſecundo, quod eadem decreta non ſunt facta concilianter, hoc eſt allatis atque pen- " ſatis utrimque rationum momentis. Tertio, quod ſola obedientia Joannis XXIII. " conſenſum præbuerit hujuſmodi decretis, ipſo Joanne abſente, adeò ut Concili- " um Acephalum videretur. Quartò, addidit de ſuo Martiniani. V. quaſi ex abrupto, " & non mature attendendo peculiariter ad prædicta decreta, Synodum Conſtantien- " ſem concluſiſſe. Scilicet, poſtquàm Legati Regis Poloniæ & magni Ducis Lithuani " ſupplicaſſent, ut Liber fratris Joannis Fultzemberg, quem nationes & Collegium "

Digitized by Google

„ Cardinalium damnaverant, etiam publicè & conciliariter damnaretur. Quibus in
„ ſolutionibus deducendis, prædictus Frater Coſmas Morelles, tam multa involvebat
„ atque implicabat, ut vix ex ejus reſponſione liqueret, cuinam ſolutioni plus tribue-
„ ret. Quocirca Illuſtriſſimus D. Cardinalis Perronius, juſſit finem imponi diſputationi.
„ At Magiſter Emundus Richer Syndicus, illum obnixè rogavit, ut pateretur Magiſtrum
„ Claudium Bertin, ſuam proſequi argumentationem: quam ità continuavit, argumen-
„ to ad hominem: ut vocant. Quidquid Summus Pontifex reſpondet. aut confirmat de
„ Cathedrâ, per te eſt indubitatæ fidei, ſed Martinus V. ſedens pro Tribunali, in Con-
„ ſtantienſi Synodo, cui etiam antequàm crearetur Pontifex, velut Cardinalis interfue-
„ rat, omnia & ſingula acta confirmavit, quæ facta fuerant conciliariter, Igitur de-
„ creta quartæ & quintæ ſeſſionis, cum facta fuerint conciliariter, indubitatæ ſunt fi-
„ dei, ac proindè falſum ac erroneum eſt, aſſerere pro nullo caſu Papam ſubeſſe Con-
„ cilio. Præſes reſpondit Martinum V. diſſoluto Concilio Bullâ quâdam peculiari,
„ damnaſſe errores Joannis Wiclef & Joannis Hus, idque argumento eſſe, quod de-
„ creta quartæ & quintæ ſeſſionis, minimè roboraſſet, contra, Idem Magiſter Claudius
„ Bertin inſurrexit, nunquàm antè, neque poſteà auditum, ut qui Concilio inter-
„ fuiſſet, cum deliberaretur, atque eidem quoque præfuiſſet, ut Papa, dùm concludere-
„ tur, deinceps bullâ peculiari, quædam acta Concilii pro animi ſui ſententiâ com-
„ probaret, alia verò reſpueret. Et quamvis in Synodo Tridentinâ, Romani Pontifi-
„ ces minimè præſentes fuiſſent, nunquàm tamen Bullâ, peculiari, ſingulos Canones
„ Concilii approbaſſe. Cumque idem Magiſter Claudius Bertin inſtaret, ac ulteriùs
„ argumentum ſuum promovere cuperet, Illuſtriſſimus Cardinalis Perronius edixit, nè
„ de hac re ampliùs, ſed de Sacramento Euchariſtiæ ageretur, ſicque huic diſputa-
„ tioni finis impoſitus. Prætereà cum iidem Dominicani, die Sabbati vigeſimâ octa-
„ vâ Maij, indixiſſent diſputationes in diem dominicam ſequentem, ac Theſes jam
„ præ foribus ſcholæ eſſent affixæ, & articulus 63. prædictarum Theſeum, ita conci-
„ peretur, veritates fidei definire ſolius, Pontificis eſt, qui in hoc errare non poteſt;
„ de mandato Domini de Verdun Primi Præſidis Parlamenti, illis eſt injunctum, ut hic
„ Dominico ceſſarent, ac prædictum articulum ex Theſibus abraderent, ſi de his
„ reſponderi vellent. Ex quo accidit, ut ante diem Martis, ultimum Maij, non fuerit
„ diſputatum, quo die memoratæ Theſes eâ lege agitatæ fuerunt, ut Dominicani
„ non paterentur quemquam diſputare in prædictum articulum de Romani Pontificis
„ infallibilitate. Signatum HOYAU Rector Academiæ. E. RICHER Sindicus.

V. MARCHANT H. de Heu. Leſcleves

de Paris *C. Bertin* *De la Court* Cum Syngraphis.

habes Redarguitor veritatem Actorum, eam ſi potes reprehende.

XVIII. Decimo

XVIII. Decimo *pag.* 9. & 10. Elenchi Richerium ſuggillat, quod ad calcem libelli ſui, in recenſendis proteſtationibus Baccalaureorum facultatis Pariſienſis, tantummodo decretorum Conciliorum generalium & facultatis Pariſienſis meminerit, nulla facta mentione, Conſtitutionum Pontificis, quod conſulto factum à Richerio, criminantur adverſarij, quaſi denegaret Pontifici facultatem condendorum Canonum, quæ redargutio duabus conſtat partibus: utque de poſteriori priùs dicatur. falſum eſt, me denegare poteſtatem condendorum Canonum Pontifici, de qua re diſputabitur infrà lib. 4. cap. 6. quo ad ſecundam partem, cum auctori propoſitum fuerit, doctrinam ex inſtituto majorum, ex rei veritate & tabulis ipſius ſcholæ referare, profectò abſque falſi crimine, nec debuit, nec potuit rem aliter quam concepta eſſet, in actis exhibere. Verum quod in libello de Eccleſiaſticâ & politicâ poteſtate, per compendium narravit, nunc amplius demonſtrabit, & acta ipſa ſolida ex tabulario Facultatis, ne quiſquam poſt hac de more & doctrinâ majorum poſſit ambigere, exſcribet.

A tous Ceux qui ces preſentes Lettres verront. Jacques Deſtouteville Chevalier Seigneur de Beyne, & de Blaville, Baron d'Ivry & de St. Andry en la Marche, Conſeiller Chambellan du Roy noſtre Sire, & Garde de la Prevoſté de Paris, ſçavoir faiſons, que pardevant Guy Rigandeau & Jean Crozon élevés Notaires du Roy noſtre dit Seigneur de par luy eſtablis en ſon Chaſtelet de Paris, furent preſents Venerables & Scientifiques perſonnes Maiſtres Thomas Bricot Penitencier & Chanoine de Paris, Gilles Delf, Guilleaume du Cheſnes, Pierre du Val Chanoines de St. Benoiſt, Jean de Heſtray, Nicole Girard Provincial des Auguſtins, Pierre Richard, Pierre Tarturel, Nicole le Clerc, Thomas Maillart, Jacques du Moulin, & Claude Felix, tous Docteurs en Theologie de l'Univerſité de Paris, Loüis le Ber, Philippes de Nozieres, Michel Gaillard, frere vital de maiſon, Guilleaume Ubilly Religieux de l'Ordre des Carmes, Guilleaume Jourdain, Alexis de Rentilli, Antoine Seurre & frere Marc de grand-Val Religieux de l'Abbaye de St. Victor lez Paris, tous Bacheliers formés en laditte faculté de Theologie en icelle Univerſité de Paris, tous leſquels dirent, certifierent, teſtmoignerent & pour verité atteſterent & depoſerent, que chaſcun eſtudiant de la ditte faculté de Theologie ou icelle Univerſité de Paris en chaſcun de ſes actes, a accouſtumé de faire les proteſtations, qui en ſuivent; C'eſt à ſçavoir; *In primis proteſtor quod nihil intendo dicere, quod obviet, aut ſit diſſonum ſacræ Scripturæ aut definitionibus Sacrorum Conciliorum; aut etiam determinationibus Sacræ Facultatis Theologiæ, matris meæ, quibus adhæreo & ſemper adhærere intendo* & diſent leſdits atteſtants, que chaſcun d'eux a fait leſdites proteſtations en leurs actes. Outre diſent leſdits Docteurs, que toutes fois qu'ils ont preſidé, leurs Reſpondans ont toûjours fait pareilles & ſemblables proteſtations que deſſus diſent avec ledit Delf & du Cheſne, qu'ils ont été Prieurs de Sorbone, c'eſt à ſçavoir ledit Delf un an, & ledit du Cheſne deux an, durant leſquels il a preſidé à vingt ſix Sorboniques & ont toûjours veu faire pareilles & ſemblables proteſtations à tous Reſpondants aux dites Sorbinoques, dont & deſquelles choſes venerable & diſcrette perſonne, Maiſtre Jean de Nery, Preſtre, grand Bedeau & premier d'icelle Faculté en la ditte Univerſité de Paris requiſt & demanda aux dits Notaires à avoir lettres, pour

Digitized by Google

ſervir, leſquelles luy lirent & octroierent ces preſentes, auſquelles en teſmoin de ce & à la relation d'iceux Notaires, avons mis le Scel de ladite Prevoſté de Paris. Ce fut ainſi dit & atteſté par tous les deſſus nommez, le mercredy cinquieſme & vendredy ſeptieſme. & mercredy douziéme jours de Juillet tout l'an milcinq cent & huit, ſigné Rigaudeau. & Crozon.

Procul dubio, non ſine ſingulari Providentiâ Dei, majores noſtri animum induxerunt ad hoc actum publicum & authenticum edendum, ut hoc ipſo tempore nobis uſui eſſet, ad os occludendum adverſariis perſuadere volentibus, duos aut tres Doctores ad ſummum, non totam facultatem Pariſienſem, tenuiſſe & propugnaſſe veritatem decretorum Synodi Conſtantienſis & Baſilienſis: at verò inter proteſtandum, Majores noſtri ideò ſuperſedebant commemorare decreta aut conſtitutiones Romanorum Pontificum, quoniam ſcirent, hoc Curiæ Romanæ unicè propoſitum, ut undequaquè abſolutam Monarchiam Papæ muniat, atque Regimen Ariſtocraticum illis Synodii recuperatum abroget. Quapropter ſi inter proteſtandum, Baccalaurei aliquam feciſſent mentionem Decretorum Pontificis, & hic fortè, ut ſæpè contingit, aliquid ſciſceret, quod Ariſtocratico regimini adverſaretur: alterum iſtorum neceſſariò ſequutum fuiſſet, puta, Baccalaureos & ſcholam Pariſienſem ſuis proteſtationibus pugnantia loqui, aut ſaltem doctrinam de Eminentiâ Concilii ſupra Papam, abjurare. Verùm, in hoc acto dignoſcimus, nulla tùm extitiſſe divortia de Concilii authoritate ſupra Papam inter omnes Doctores facultatis, tam ſeculares quàm Regulares, etiam mendicantes, ſi quidem, hic videmus Provincialem Ordinis Auguſtinentium, & duos Carmelitas, atteſtari cum aliis ſæcularibus. accedit inſuper, Priores Sorbonicos declarare, eaſdem proteſtationes factas ab omnibus Baccalaureis, qui trium annorum ſpatio reſponderant de actibus Sorbonicis. Compertum autem & certum eſt de illo actu multos Dominicanos & Franciſcanos reſpondiſſe. Certè Magiſter Nicolaus Le Clerc, cujus hic extat atteſtatio, aliquantò poſt, fuit Decanus Facultatis, & Magiſtri Jacobus Almainus & Joannes major, Doctores Sorbonici anno 1512. libros de Concilii authoritate, adverſus Cajetanum ſcripſerunt, ut ſupra reſponſione ad quintum docuimus. Quid hic memorem Magiſtrum Joannem Arborem Doctorem Pariſienſem lib. 3. *cap.* 17. Theoſophiæ, conformiter ad hoc actum publicum, nominatim docere, Pariſienſes Theologos *maximè colere & obſervare Sanctiſſima Eccleſiæ decreta & commodiſſima Romanorum Pontificum ſancita.* Quibus verbis deſignat, ſcholam Pariſienſem non abſolutè amplecti omnes conſtitutiones Pontificias, ſed quâ diſcretione & diſpenſatione magiſtra factæ ſunt, ut Nicolaus P. P. loquitur & intrà uberius Lib. 4. explicabitur.

XIX Undecimo pag. 10. Elenchi, authorem fraudis malique doli inſimulat; quod libellum ſuum hac clauſulâ finierit, *hæc Eccleſiæ Catholicæ judicio ſubjecta ſunt*, narratque *ſolemne eſſe*, *nomen Apoſtolicæ & Romanæ Eccleſiæ* ſuperaddere; quoniam hæc ſola dici poſſit Catholica. In cujus rei confirmationem B. B. Ambroſium & Hyeronimum laudat, Ambroſii ſententiam refert Gratianus 24. quæſt. 1. Can. advocavit. Verum huic redargutioni quinque oppono. Primùm, ſi ego ſim culpandus, certè Sebaſtianum [illegible] lium Theologum Jeſuitarum tomo 3. Commentariorum in Evangelia, venire [illegible] in culpæ conſortium; quippe qui librum ſuum ita concl-

ſerit, *Omnia ſancta Eccleſia judicio ſubjecta ſuncto.* Similiter etiam Almoinum de Eccleſiæ authoritate, *proteſtor me ſemper* ſubmiſſum determinationi Eccleſiæ univerſalis (inquit)

XX. Secundo *ex vi & ratione nominis, id verè propriéque Catholicum dici urgeo, quod ubique, quod ſemper, quod ab omnibus tenetur & creditur*, ut ait Vincentius Lirinenſis, atque Summum Pontificem & omnes Chriſtianos dum hunc fidei articulum profitentur. *Credo ſanctam Eccleſiam Catholicam, ſanctorum Communionem, remiſſionem peccatorum.* Id intelligere de Eccleſia Catholica ubique terrarum & gentium diffusâ, cui Dominus Sanctorum Communionem & remiſſionem peccatorum credidit, nequaquam verò uni & ſoli Romanæ Eccleſiæ; quæ particularis, & ſingularis eſt Eccleſia, ut explicitè demonſtratur Canone 6. Synodi Nicænæ; in quo univerſitas Chriſtiana diſtribuitur in certos Patriarchatus, & ita T'ò Romana Eccleſia & T'ò Catholica, opponitur ſicut particulare & univerſale: non enim Eccleſia dicitur Catholica aut univerſalis propter Romanam, ſed potiùs Romana Catholica indigetatur propter Eccleſiam Catholicam, cujus Primatum poſſidet, ſicut caput meum dicitur humanum, à toto ſuppoſito cujus nobiliſſimam partem efficit; nam pars virtutem & denominationem à toto ſuppoſito mutuatur. Quocirca antiqui Doctores Sorbonici nunquam infallibilem facultatem decernendi ſedi Romanæ, ſed dumtaxat Eccleſiæ Catholicæ tribuerunt, qua in re duces & auctores habent cunctos Patres Eccleſiæ primitivæ, qui Romanam Eccleſiam pro particulari & ſingulari, non pro univerſali Eccleſia ſumpſerunt: ſi quidem *Romana Eccleſia non eſt univerſalis aut univerſitas ſed pars univerſitatis* gloſſa diſt. 99. Can. ecce § *negat ſe hoc eſſe*; ſi quidem B. Gregorius ſe negat eſſe univerſalem Epiſcopum; *ſi enim univerſalem me eſſe Papam veſtra ſanctitas dicit, negat ſe hoc eſſe, quod me fatetur univerſum, ſed abſit hoc, recedant verba quæ vanitatem inflant & charitatem vulnerant* mens ergo Gregorij eſt. *Quemadmodum non ſunt in Republicâ ferendi cives, qui plus poſſe volunt quam tota Reſpublica collectim ſumpta, ſic in Eccleſia damnandos Prælatos aut ſingulares Eccleſias, quæ ſolam univerſalem Eccleſiam efficere & conſtituere volunt, cum omnes ſimul unum Corpus in Chriſto, alter alterius membra Rom.* 12. accedit poteſtatem clavium ſoli datam Eccleſiæ in commune, ideoque regimen eſſe ariſtocraticum, non planè Monarchicum.

Profectò Eccleſia Catholica ſponſa eſt & thalamus Chriſti, quod nequaquam ſoli Romanæ Eccleſiæ convenit, teſte Gelaſio diſt. 21. Can. *Quamvis univerſa per orbem Catholica & Apoſtolica conſtituta Eccleſia, unus Thalamus Chriſti ſit, tamen S. Romana Eccleſia Catholica & Apoſtolica nullis ſynodicis conſtitutis cæteris Eccleſiis* prælata eſt. &c. Fatendum igitur & lubenter concedendum S. Romanam Eccleſiam inter omnes alias Eccleſias Catholicas & Apoſtolicas principatum ſemper tenuiſſe, juxta Canonem 6. Nicænum, tertium Conſtantinopolitanum & 28 Calcedonenſem. *Sed negandum ſtrenuè ac intrepide, ſolam Romanam eſſe, aut conſtituere Catholicam & univerſalem Eccleſiam, aut id eſſe poſſe Catholicam, quod ſola Eccleſia Romana ſecluſo conſenſu & authoritate aliarum Eccleſiarum decreverit, & approbarit.* Ratio eſt, quia Monarchiam abſolutam ſuper alias Eccleſias minimè ita poſſidet, ut eis abſolutè legem figere poſſit; hinc fit antiquitus, *non idem eſſet communione Romana & Catholica Eccleſia*

Digitized by Google

privari, ut patet ex Victoris Papæ geſtis erga Eccleſias Aſiæ, de quibus infra lib. 4 cap. 6. Accedit & hiſtoria Africanæ Eccleſiæ quæ quamquam Patriarchatui Romano ſubjecta, tamen Zozimi P. P. Conventorio pro Ariſtocratici regiminis libertate viriliter obſtitit. Sicut lib. 1. Hiſtoriæ Conciliorum generalium probavimus. Huc & accurrunt geſta B. Ignatij Patriarchæ Conſtantinopolitani qui pro tuendâ dignitate ſui Patriarchatus Joannis VIII. P.P. Cenſuris acriter repugnavit, ſimiliter majores noſtri decreta Conſtantienſis & Baſileenſis ſynodi, quibus magna pars politiæ Regni Franciæ hodiè nititur, mordicus propugnarunt: quamquam ſcirent Romanam Eccleſiam contra obniti, & excommunicatione latæ ſententiæ illos innodare, qui ad Concilium de Papæ ſententiâ appellarent, quas cenſuras tanquam juri divino naturali, & Canonico repugnantes, nihil duxerunt. Adeundus Gerſonius tractatu, *quomodo & an liceat in cauſis fidei à ſummo Pontifice appellare, ſeu ejus judicium declinare*, item in diſcuſſione hujus aſſertionis, *ſententia Paſtoris etiam injuſta eſt timenda*, & de examine doctrinarum parte 1. Conſiderat. 2. Necnon in reſolutione circa materiam excommunicationum, & irregularitatum conſiderat. 8. XI. & XII. quocircà ſi ad hunc fidei articulum attendamus, *Credo Sanctam Eccleſiam Catholicam*, &c. longè aliud eſt de Romanâ Eccleſiâ, & de Catholicâ agere, cæterum de variis Eccleſiæ Romanæ acceptionibus iterùm agetur. lib. 4. cap. 4. & hæc de ſecundo notabili. Tertium verò, docet Eccleſiam univerſalem duobus modis, repræſentari, propriè eminenter & proximè in univerſali Concilio, deindè remotè, & minus propriè in primatu ſedis Apoſtolicæ, quare ob hanc repræſentationem quæ ineſt Primatui, fateor Romanam Eccleſiam quia primatum poſſidet, impropriè & ſecundum quid, univerſalem Eccleſiam repræſentare, ſicut B. Auguſtinus & alij Patres dicunt, Petrum qnando claves habuit à Chriſto. Eccleſiam ſignificaſſe ac retuliſſe propter Primatum quem habuit in discipulis ut lib. 2. oſtendetur. Item Patres Conſtantienſes ſeſſione 8. articulo 41. contra errores Joannis Wicleff definiunt Romanam Eccleſiam propter primatum repreſentare Catholicam Eccleſiam, quare ad hunc ſenſum formulæ hæc, *Eccleſia Catholica Apoſtolica & Romana* contra illos videtur adinventa, qui Eccleſiæ Romanæ primatum abnegant, quâ formulâ populum edocemus, Sedem Romanam Primatum Eccleſiæ Catholicæ obtinere, & primam atque nobiliſſimam eſſe Cathedram, ſedem & membrum Eccleſiæ univerſalis: minime vero ut id habeatur pro Catholico, quod ſola Romana Eccleſia ſecluſo omni aliarum Eccleſiarum conſenſu ſancivit, ut jam diximus. Quarto S. Ambroſius oratione funebri pro fratre Satyro narrat, *fratrem nondum perfectioribus myſteriis initiatum vela feciſſe in Orientem, cumque navis quâ vehebatur naufragium minitaretur; ne vacuus myſterij è vitâ exiret, à vectoribus, quos initiatos eſſe cognoverat, Sacramentum Euchariſtiae petiiſſe, illudque orario involviſſe, nec alia humana auxilia deſideraſſe, nec ſpem eum deſeruiſſe, nec opinionem feſelliſſe; atque omnium primum ex undis ſervatum & in portum appulſum Dei Eccleſiam adiiſſe, ut Deo ageret gratias, Praeſulem recognoviſſe, advocaſſe ad ſe Epiſcopum, nec ullam veram putaſſe? niſi verae fidei gratiam, & percontatum ex Epiſcopo Utrum cum Epiſcopis Catholicis, hoc eſt Romanâ Eccleſiâ, conveniret & fortè ad id locorum in ſchiſmate regionis illius Eccleſiam fuiſſe: Lucifer enim Calaritanus, ſe à noſtra tunc temporis communione diviſerat: inquit Ambroſius*,

Digitized by Google

cujus haec narratio nulla in re favet vallio : *Nam cum* Calaritanus Epiſcopus, cenſeret Epiſcopos, qui Ariminienſi ſynodo ſubſcripſerant, quamquam pænitentiâ ducerentur & ad Eccleſiam Catholicam redirent, nullomodo admittendos in Eccleſia, & eam ob rem ſchiſma feciſſet cum Eccleſiâ Catholicâ, quæ illos Epiſcopos pænitentes recipiebat, merito quidem Satyrus frater Ambroſij communionem Luciferianorum vitandam monet, cum earum ſchiſma nihil ab ſchiſmate novatianorum diſcreparet; eamque ob cauſam omnes Eccleſiæ Orientis & Occidentis Lucifero adverſabantur. At vero ex hoc Satyri interrogatione, utrum cum Epiſcopo Catholico, hoc eſt cum Romanâ Eccleſiâ conveniret, perſpicuum evadet, Eccleſiam Romanam, ideo dici Catholicam, quia cum aliis Epiſcopis conveniret, non contra: ſi quidem diſertè habet Ambroſius, Lucifer ſe à noſtra communione tum temporis dimiſerat: Ideoque Satyrus petiit ab Epiſcopo loci, utrum cum Epiſcopis Catholicis conveniret; deindè propter Eccleſiæ Romanæ principatum explicat quoſnam Epiſcopos Catholicos deſignet, conformiter ad ea quæ ſupra notabili tertio obſervavi, videlicet ſolam Romanam Eccleſiam, ſecundum quid, dici poſſe Catholicam, propter Primatum Catholicum, qui toti Eccleſiæ Catholicæ proprius & peculiaris eſt. Undè quamdiu Eccleſia Romana Canonice & in ordine ad regimen Ariſtocraticum Primatu ſuo utitur, certè Eccleſiam Catholicam repræſentat. Contra autem, ſi ſola velit omnia abſque aliarum Eccleſiarum authoritate monarchico & abſoluto dominatu ſtatuere, tum Eccleſiam Catholicam non repræſentat, ſed ſola facere vult per uſurpationem, quaſi oculus totum corpus conſtitueret, contra ea, quæ ſuperiùs numero ſexto docui, hocque viam ſternit ad ſchiſma. Quinto locus Hyeronimi cauſæ Vallij nullomodo patrocinatur. Cum enim Ruffinus Hyeronimum inſimularet hæreſeos, & tamen ſcriberet ſe in libris Origenis λεὸ: λεξων. translatis à Hironymo, nihil offendiſſe, quod à fide ſua diſcreparet, inde Hyeronimus lib. 1. Apologiæ in Ruſticum ſic argumentatur. *Fidem ſuam quam vocat Ruſticus; eamne, quae Romanae pollet Eccleſia an illam, quae in origenis voluminibus continetur. Si Romanam reſponderet, ergo Catholici ſumus, quo nihil de origenis errore tranſtulimus; ſin autem origenis, blaſphemia ſides illius eſt, dum mihi inconſtantiae crimen impingit, ſe baereticum probat.* Ubi notandum eundem planè eſſe ſenſum hujus clauſulæ Hieronymi, *ſi Romanam reſponderit, ergò Catholici ſumus, atque textu Ambroſij ſuprà laudati, ita ut uterque ſenſum & ſidem Catholicam denotet per Romanam Eccleſiam aliarum tanquam principem, matricem & primatem*, Certè vellem adverſarij hic nobis aliquem Logicæ aut Theologiæ normam vel Canonem teſtimonium Patrum exhiberent, cujus ope probare vel cognoſcere poſſem, id pro Catholico haberi opertere, quod ſola Romana Eccleſia abſque aliarum Eccleſiarum conſenſu ſcivit, ſic enim ſuam abſolutam infallibilem Monarchiam facile conſtituerent, ſed cum auctore Hieronymo *Orbis major ſit urbe*, Can. legimus. diſt. 93. fruſtrà Hieronymum patronum ſibi adſciſcunt, de qua re infra amplius.

XXI. Duodecimo pag. XI. Elenchi arguit libellum de Eccleſiaſtica & politica poteſtate contra duorum graviſſimorum Doctorum, ſcilicet *Gammachij atque Heberti* Pœnitentiarij Eccleſiæ Pariſienſis Conſilium editum, illoſque dixiſſe tineis & blattis ac muribus relinquendam. Duo hic objicis valli, Conſilium & Diaſyrticum Doctorum, quæ duo ad quæſtionem facti ſpectant. Certè fateor Gammachium libelli

mei editionem diſſuaſiſſe, & per occaſionem quamdam, de qua alias dicetur, evulgatum à me, ſcioque habitâ ratione turbarum atque factionum, quas in me concivisti propter hujus libelli editionem illos bonos, Doctores pacis amantes, tuique valdè diſſimillimos, graviter tuliſſe publici juris factum; & vehementer conquæſtos, præſertim Gammachium, de tua importunitate nimia, quod eum per te atque alios tuos emiſſarios identidem laceſſerens, quaſi auctor atque approbator libelli de Eccleſiaſticâ & politicâ poteſtate extitiſſet: eique perſuadere velles ut aliquid contra ſcriberet, aut tuos egregios fœtus approbatione ſua commendaret; hæc enim & alia multa dolenter de te mihi dixit, quæ non ſunt hujus loci, & hæc de prima parte objectionis, quod ſpectat ad Diaſyrticum, quoniam ridendo dicere verum nihil vetat, quicumque libellum de Eccleſiaſtica & politica poteſtate tineis & blattis ac muribus relinquendum pronunciant, Valli, hercle Pelletarium, Durandum Bointium, atque alios ſimilis farinæ ſcriptores & Convitiatores acriter pupugit, indicans illos qui famam Richerij, hac de cauſa corrodebant, tineis blattis ac muribus eſſe perſimiles, ſicut olim Æſopus fabella ſerpentis limam corrodentis eorum ingenium adumbravit, qui bellum apertè veritati indicebant, hoc notent libellorum famoſorum artifices.

XXII. Decimo tertio pag. 4. & 5. libri de ſuprema poteſtate Papæ, ut vallius terrore Religionis pueros & ignaros percellat, obijcit libellum Richerij triplici Cenſurâ innodatum: primo in congregatione Senonenſi à Cardinali Perronio die nona Martij 1612. Deinde ab Archiepiſcopo Aquenſi 24. Maij 1612. Demum Romæ à S. S. D. noſtro Paulo. V. Ad hæc autem rependo ex omnium Theologorum & Canoniſtarum doctrinâ, Cenſuras adverſus Canones neque timendas, neque tenendas. Iſtas autem de quibus agit vallius, non modo Juri Canonico, verum etiam legi divinæ, & naturali penitùs adverſari, Quoniam toto libello de Eccleſiaſtica, & politica poteſtate nihil quicquam quod non juri divino, naturali & canonico apprime quadret, continetur, ut priori & à poſteriori infra clariſſimè demonſtrabitur. Tantiſper Lector aſſenſionem ſuſpendat & ſemper obſervet, magnum eſſe poſitum diſcrimen inter Cenſuras Eccleſiæ & Curiæ Romanæ, verum quia de ejuſmodi Cenſuris Bucherius diſputat, infra de illis amplius agetur Capite 3. hujus libri. Decimo quarto pag. 24. Et ſequentibus libri de ſuprema poteſtate Papæ (homo qui ſe Sacrorum Conciliorum authoritatem illibatam percipere ſupra argumento ſexto obteſtatus eſt) omnia Conciliorum genera in ſacram ſynodum Baſileenſem evomuit cujus hiſtoriam alias, Deo bene propitio enarrabimus & à cavillis atque calumniis adverſariorum propulſabimus. Hoc enim juſtum expoſcit librum, ideoque de hac re plura impræſentiarum non dicam.

Digitized by Google

CAPUT SECUNDUM.

I. De immoderatis Cardinalis Perronii & quorundam aliorum Prælatorum ſtudiis, ut Richerius cum libello ſuo indictâ cauſâ damnaretur.

II. Gerſonii Opuſcula de Concilii aucthoritate ſupra Papam, tanquam dogmaticè ad normam veritatis edita, vindicantur à Cardinalis Perronii redargutione.

III. De tribus intolerandis erroribus, qui ſæculo Gerſonii circa regimen Eccleſiæ vigebant, & à Synodo Conſtantienſi debellati ſunt.

IV. Librum Gerſonii, de auferibilitate Papæ, plurimùm favere auctoritati Pontificis, quoniam docet ſtatum Eccleſiæ eſſe invariabiliter monarchicum, & quidnam de monarchia Eccleſiæ tenendum ſit.

V. De Cardinalis Cuſani libris, pro Concordiâ Catholicâ, & cur minùs habeant aucthoritatis inter Curiæ Romanæ Principes.

VI. Libellum Richerii, nullo modo cauſæ hæreticorum favere, contra quam Cardinalis Perronius perſuadere voluit.

V. I. SUperioribus Vallij argumentis, ea ſubjungam, quibus Cardinalis Perronius contra Richerium, partim inter prælatos diverſarum Provinciarum quos in ædes ſuas Pariſiis convocarat, partim in ſacro Regis Conſiſtorio uſus eſt, quo Reginam Matrem, Regni gubernacula tenentem, perterrefaceret, eamque induceret ad permittendum, ut libellus de Eccleſiaſticâ & politicâ poteſtate, cenſurâ notaretur. Primum itaquè, D. D. Cancellario & Villæregi Secretario magno, cum ſtomacho dixit tantumdem, de ſtatu matrimonij Reginæ, ejuſque liberorum, quantum de Pontificis authoritate, qui primum Regis Matrimonium diremerat licitum dubitare, certumque eſſe aliquem magnum & potentem rerum novarum ſtudioſum, incentivo fuiſſe Richerio, ut tam nefarium libellum, ſub ætate pupillari Regis ederet, quo de reginæ matrimonio, tanquam nullo, ad Concilium provocaretur. Quâ ex calumniâ, deliberatum eſt de Richerio compingendo in Baſtilicum Pariſienſem, ut alias amplius dicetur cum hiſtoriam mei Syndicatus referabo.

Secundo, Reginâ præſente atque audiente, objecit ex Richerij doctrinâ de electionibus ſequi, à tempore Franciſci primi, quo electiones abrogatæ ſunt à Leone X. Omnes Eccleſiæ prælatos nullam planè vocationem aut miſſionem legitimam habere, & continuo Eccleſiam deperiiſſe, hecque feneſtram patentiſſimam hæreticis aperire, ad Eccleſiam Romanam, oppugnandam; preterea indè inferri, & Papam & Regem, quia hodiè beneficia abſque electionibus conferrent, graviſſimè

peccare, quod genus argumenti quoniam à Vallio tractatur, de illo infrà commodius diſputabitur. lib 2. cap. 7.

Tertiò, narrabat quibus placitis Richerius authoritatem monarchicam Papæ convellebat, & regimen Ariſtocraticum ventitabat; iiſdem quoque omnium Regum atque Principum Monarchias, & poteſtatem abſolutam evertere; ac populo, ad Reges ſuos exauctorandos, viam certiſſimam ſternere. Hæc autem à Cardinali Perronio, tanto cum animi motu dicebantur, in ſacro Regis Conſiſterio, ut omni extrano ſe vagari, & lapides loqui putaretur; adeo quidem, ut domum reverſus ingemiſcendo, palam ſuis audientibus, à quibus hæc ipſa accepi, dixerit, hoc negotio nullum à ſe unquam infeliciùs ſuſceptum aut geſtum, conſcientiâ teſtimonium perhibente: hæc autem aut non multum abſimilia, Legati Eugenij IV. Coram Carolo vij, in Synodo Bituricenſi quondam objecerant; quæ à Magiſtro Thoma de Corcellis Doctore Pariſienſi & Proviſore Collegij Sorbonici, hunc in modum depulſa ſunt, in oratione quam habuit pro actis Synodi Baſileenſis, in Conventu Eccleſiæ Gallicanæ: *qui talia dicunt (ait, manifeſtè authoritatem Conciliorum, & declarationem fidei, ſuper hoc factum deſtruunt, non plus tribuentes authoritatis ipſi congregationi Eccleſiae, quam uni communitati ſaeculari. Clarè quoque negant, Concilium habere, immediatè authoritatem à Chriſto; cum ipſum ſic comparant communitati ſaeculari, quae non habet authoritatem à Chriſto corrigendi aut puniendi Principem ſuum, ſed benè inſpiciant definitiones Concilij Conſtantienſis, reperient in hoc magnam differentiam. Nam ipſum Concilium Conſtantienſe, reprobavit illum articulum xvij, inter articulos Joannis Hus contentum. Quod Principes deberent puniri ad arbitrium populi, & tamen alterum probavit, quod Concilium generale habet immediatè poteſtatem à Chriſto. &c. Et hoc etiam apparet ex ſacris ſcripturis; cum Chriſtus ipſe aſſignans differentiam inter hoc & illud, dicat, Reges gentium dominantur eorum, vos autem non ſic. Et B. Petrus in Canonicâ, dicit de Paſtoribus, non dominantes in clero, ſed forma facti gregis ex animo. Doctores quoque lucidè declarant, quomodo Papa non eſt Dominus rerum Eccleſiae, ſed Miniſter. Valdè quoque extraneum eſt & à veritate alienum, dicere, quod non plus ſpiritualiter reperiatur in congregatione legitimâ Eccleſiae, quam in communitate ſaeculari, aut non ſpecialiter aſſiſtentia Spiritus Sancti, de quo Chriſtus ad ipſum dixit mittam vobis Spiritum veritatis, ut maneat vobiſcum in aeternum,* Joannis 14. hactenus de Corcellis.

At verò Curiæ Romanæ Principem hæc in Richerium effudiſſe, nihil mirum eſt, cum ad abſolutam Papæ Monarchiam tutandam, privato devinctus ſit Sacramento. Ejus autem collectio, facto diſcrimine cauſarum eſſentialium, utriuſque poteſtatis, evaneſcit in auras. Lege octavum axiomia apologiæ noſtræ cum obſervationibus. Si quidem politica poteſtas, cum corporibus & temporalibus imperet, gladio materiali inſtructa eſt, quo abſolutè cogit, quæcumque imperat.

Quamobrem omnis politica poteſtas, ſivè regiè, ſivè ariſtocratice, aut democratice exerceatur, naturâ ſuâ abſoluta eſt; contra autem, Eccleſiaſtica, quoniam animis & conſcientiis per actus tantum hierarchicos moderatur, idcircò eam abſolutè, & per vim, aut externam coactionem, ſuperare omnino repugnat. Nam excommunicatio, propriè loquendo, non eſt coactio, ut pluribus infrà diſputa-

Digitized by Google

bitur. Conſule xvij. axioma noſtræ Apologiæ.

Quartò, contendebat Sorbonam ſeſe civilibus turbinibus, contra Galliæ Reges perpetuò inmerſiſſe, ſicut olim quando Burgundi & Angli, in Regnum Franciæ invaſerant, Doctores Sorbonici puellam Aurelianenſem divinitus miſſam, ad Regis & Regni ſubſidium, ſortilegij damnarunt, ita etiam Superioribus Besli civilibus, populum adverſùs Henricum III. armaſſe Editâ declaratione, quod in illum tanquam tyrannum & libertàtis trium Ordinum violatorem, arma capere liceret, tumque Temporis Richerium, cum eſſet Baccalaureus Theologus, Theſes propugnaſſe, quibus Jacobum Clementem Henrici III. Parricidam, elogiis exornabat, atque libertatis Regni vindicem numcupabat. Ad hæc rependo Scholam nobiliſſimam, quamdiu ſuæ ſpontis ac Juris fuit, ſemper optimè ſenſiſſe pro, ac inſtituti ſui ratione, ægregiam operam propugnandis Regibus, Patriæ & Eccleſiæ libertatibus navaſſe, ſed factionibus magnatum, & vi majore, quaſi torrente quodam abreptam, ſæpe clavum abjeciſſe, ac ſeſe totam tempeſtati permiſiſſe, ſicut & innumeris aliis Collegiis, magiſtratibus, atque decuriis ſupremis contigit, ejus rei nunc exempla habemus in facultate Theologicâ, quæ tota pœnſationibus D. Nuncij Apoſtolici, Cardinalis Perronij, Epiſcopi Pariſienſis, & aliorum magnatum, à fundamentis concutitur, ut avita doctrina Sorbonæ, per latus Richerij conſortatur. Hercle inter illos probatos Conventus habiti ſunt de funditus perdendâ Sorboniâ, quo majorum doctrina unà extingueretur. Eamque ob cauſam Presbyteri Oratoriani impenſius exculti atque ornati à Prælatis: idque ipſum Magiſter Andræas vallius mihi non ſemel confirmavit; quod tamen aliunde certo acceperam: nihil enim ab illis tam abditum aut arcanum, contra me aut Academiam gerebatur, quod non ſtatim neſcirem: cujuſmodi eſt illos in votis habuiſſe dare operam, ut Beruliſtæ in Collegium Sorbonicum invaderent, quo eis eſſet loco Seminari, & famam eruditionis ac doctrinæ apud populum hac ratione conſequerentur, quod eſſent de Sorbonâ. Quantum ab hypoteſim de facto Richerij, ſi gratuito demus, Jacobum inclementem libertatis Regni vindicem ab illo appellatum; ſanè id ei non tam vitio dari debet, quam bellis Civilibus, quæ illo tempore bacchabantur; quibus quidem omnes Regni ordines, atque optimi quique & ſimplices, præſertim verò juvenes, qui ut plurimum prudentiâ atque experientiâ rerum agendarum carent, zelo cæco & præcipiti abripiebantur. Quocirca iſtæc geſta, ſi aliquos ambitioſos & ſeditioſos demas, non tam perſonarum, quam temporis quam ſæculi vitia fuerunt. Proculdubio non ſtetit per Cardinalem Perronium, quominus Richerius, quem Deus ſua ſingulari providentiâ ſervavit, omnino perderetur.

Quinto; cenſuram propoſitionum fratris Joannis Sarrazin, quam Richerius ad finem libelli ſub edi curavit, nullius planè eſſe momenti cauſabatur. Quippe quæ tum facta fuiſſet, quando Angli Lutetiam occupabant, & Puellam Aurelianenſem damnabant: verum magnus perſuadendi Magiſter Perronius, ſi demonſtrare poterit doctrinam ſcholæ Pariſienſis de immediata Eccleſiæ authoritate, quæ Cenſura propoſitionum fratris Joannis Sarrazin continetur, aliquid cum Anglorum & Burgandionum factionibus habere peculiare. Profecto hiſtoriæ memorant,

Digitized by Google

Anglos & Burgandos, ſicut & Gallos, Piſanum & Conſtanſienſe Concilium, cum Alexandri V. Joannis XXIII. & Martini V. electionibus comprobaſſe: inſuper temporum ratio prædictæ cenſuræ inſcripta, declarat, tum omnia ſchiſmata penitùs exoleviſſe, quando illa Cenſura condita eſt, quia Martinus V. annum XIII. ſui Pontificatus tum decurrebat, & paulo poſt mortuus eſt. Et ſi verò illis temporibus facultas Theologica Pariſienſis, magna ex parte à Duce Burgundo occupata diſtineretur & partes Anglorum ſequeretur; nihilominus, tunc permulti boni Doctores, & quidem doctrinâ & authoritate magis celebres minimè defuerunt, qui conſtanter pro juſtitiâ & veritate, etiam cum maximo vitæ ſuæ diſcrimine, adverſus Anglorum & Burgundionum factiones decertarent; quos intererant, Magiſter Petrus Alliaco, tunc Cancellarius Pariſienſis, Joannes Gerſonius, Jordanus Morinùs, Ægidius de Campis Dex. Sic etiam ſub Henrico III. Omnes, aut major pars antiquorum Doctorum Theologiæ; pro Rege & Regni tranquillitate, contra juniores pugnabant, hoc enim quod ego vidi teſtor fideliter & hæc dicta ſunt à Peronio in ſacro Regis conſiſtorio.

Sexto, in congregatione Prælatorum, ut eos faciliùs ad cenſuram faciendam intruderet; multa præfatus eſt de horrore ſchiſmatis, quod Eccleſiæ impendere ex libello Richerij, quem ducem hujus ſceleris dicebat. Inſuper Richerium, omninò presbyteros aggregare Epiſcopis, & docere Epiſcopos nihil quicquam abſque preſbyterorum concilio poſſe decernere in ſua Diœceſi, quæ præcipua fuit ratio, cur aliqui Epiſcopi Cenſuræ Libelli, de Eccleſiaſticâ & politicâ poteſtate ſubſcriberent, quo de argumento fuſiùs infrà lib. 4. cap. 5. de ſchiſmate autem rependo, eos illius authores & propugnatores habendos, qui poſt necem Henrici magni, libros de poteſtate Papæ in abdicandis & occidendis Regibus ediderunt, atque ejuſmodi quæſtiones in Capitulo Generali Dominicanorum, calente adhuc Regio ſanguine excinerant: minimè verò Richerium, qui mandato viri ampliſſimi; ſummatim complexus eſt principia doctrinæ Facultatis Sorbonicæ, neminique injuriam fecit, ſed illatam repellere conatus eſt: ut cap. 1. num. 6. & 8. probavimus.

II. Septimo obtendebat, quæcumque à Gerſonio aut aliis de authoritate concilij ſupra Papam, ſcripta ſunt, non quidem ad Regulam veritatis, ſed in odium Schiſmatum eſſe lucubrata; ac proindè vim tantum habere, quando agitur de Papa dubio, pluresque ſunt Antipapæ; & librum Gerſonij *de auferibilitate Papæ*, iſtinc ſumpſiſſe origmem. Repono ex communi parœmiâ, Jura creſcere ligitando, ac proindè nihil mirum eſſe ſchiſmata, quæ per quinquaginta annos Eccleſiam populata ſunt, nobis multas Lucubrationes & decreta de Eccleſiæ & Concilij authoritate reliquiſſe; cum ſit exploratum, Eccleſiam, præſertim in ratione doctrinæ velut auroram ex crepuſculo in lucem meridianum, ſenſim exſplendeſcere: ita ut quód anteà involutè ac implicitè, quaſi in principiis generalibus tenebatur, poſteà explicitè & clarè credatur, quoniam ut docet Lirinenſis, *Eccleſia non credit nova, ſed novè.* Quocircà videmus hæreſim Arij nobis decretum de filij Dei, & Macedonij de Spiritus Sancti conſubſtantialitate, Berengarij de tranſubſtantiatione panis & vini in Corpus Dominicum, reliquiſſe: At quotus quiſque ejuſmodi decreta, ideò minus fidei mereri aſſerere audeat, quod à memoratis erroribus tanquam à cauſa

fluxerint.

Digitized by Google

fluxerint. Hercle, ſi Cardinalis Perronij argumentatio obtineat, pro nunc erit Arrianis ſymbolum, Nicænum, & Calviniſtis decretum de tranſubſtantiatione convellere, prætexendo hæc decreta, non ad normam veritatis, ſed ut opprimerentur fuiſſe condita.

III. Sed ut omnes fibræ hujus controverſiæ funditus pateant, notare oportet, ſæculo Gerſonij tres intolerandos errores de poteſtate clavium & Eccleſiæ regimine, inveteraſſe: quorum primus erat Bohemorum, qui Eccleſiæ Romanæ primatum abſolutè negabant, & continuò omnes Pontificum Bullas, conſtitutiones & decretales reſpuebant. Secundus quoſdam Catholicos authores habebat, qui aſſuefacti ſchiſmatibus Antipaparum, & indè aliquot commoda metentes (ſicut conſuetudo eſt altera natura) contendebant, ad ſalutem hominum, aut Eccleſiæ regimen, nihil planè intereſſe, unus ne, an duo eſſent Pontifices interni, modo, unicus Papa in Cælo Chriſtus, crederetur & coleretur, quem errorem, ex hoc principio malè intellecto, *Claves data ſunt unitati non uni*, colligebant. Ut author eſt Pariſienſis Cancellarius, tractatu ſecundo de Schiſmate. Tertium errorem Idem Gerſonius refert in ſermone de Circumciſione Domini conſiderat. *Quidam deliberare non dubitant, quod per inventiones humanas, etiam melius quam per legem divinam Evangelicam, regeretur Eccleſia, quaſi minus ſit anima quam Corpus, & Spiritualis quam Carnalis fructus, quæ aſſertio per meam fidem blaſphema eſt, nedum falſa* (inquit.) Item parvo quodam opuſculo inſcripto. *Quatuor conſiderationes* de pace, conſiderat. 1. *alij*, inquit, *Papam prædicant impeccabilem & omnipotentem; & ſine ulla exceptione, credunt, extra ſalutis ſtatum eſſe quemlibet, ſuæ parti non obedientem.* &c. in quos tres errores univerſæ Academiæ Europæ tum temporis depugnarunt, ut illos ad auream mediocritatem revocarent: ſi quidem in moralibus & politicis, mediocritas eſt ſemper melior & laudabilior: Itaque magna animi contentione certatum ab Academiis ut ea ſecernerentur, quæ jure divino, ab iis quæ pure humano, & ex mero privilegio, Pontifici competunt. Unde cum retroactis temporibus nullum unquam ſynodale decretum conditum fuiſſet, quo explicato declararetur; Primatum eſſe Monarchicum vel Ariſtocraticum, Patres Conſtantienſes nominatim ſciverunt, Eccleſiam univerſalem & Concilium legitime congregatum Eccleſiam repræſentans; immediatè à Chriſto habere authoritatem, eique Papam in certis caſibus, directivè & coactivè ſubjici ſeſſione 4. & 5. Deinde ſeſſione 8. Pontificem pollere juridicâ poteſtate ſuper particulares Eccleſias diſgregatas, ad Juris divini naturali, & Canonici exequutionem, nec non etiam ſi res poſtulet, ut leges condat in actu primo; & ita liquet, Papam reſpectu Eccleſiarum particularium, jus quoddam habere monarchicum. adi XXXI. Axioma noſtræ Apologiæ, & obſerva Patres Conſtantienſes cum regimen Ariſtocraticum recuperare vellent, ſeſſione 39. Sciviſſe, ut ſingulis decenniis generalia concilia celebrarentur; eamque ob rem ſeſſione 40. Octodecim ſequentes articulos eum in finem concepiſſe, pro Eccleſiæ reformatione, in capite & in membris. Præbe audientiam Lector, *Sacroſancta generalis Synodus Conſtantienſis in ſpiritu ſancto legitime congregata. &c. Statuit & decernit, quod futurus Romanus Pontifex, per Dei gratiam de proximo aſſumendus; cum hoc ſacro Concilio, vel deputandis, per ſingulas nationes, debeat reformare Eccleſiam in capite & in membris, & curiam Romanam ſecundum æquitatem & bonum regimen Eccleſiæ, antequam*

Digitized by Google

hoc Concilium diſſolvatur ſuper materiis articulorum per nationes in reformatorio oblatorum, qui ſequuntur.

1. *Primo de numero, qualitate & natione* D. D. *Cardinalium.*
2. *De Reſervationibus ſedis Apoſtolicæ.*
3. *De Annatis & communibus ſervitiis & minutis.*
4. *De Collationibus beneficiorum & gratiis expectatim;*
5. *De Confirmationibus electionum.*
6. *De Cauſis in Romanâ curia tractandis vel non.*
7. *De Appellationibus ad Romanam Curiam.*
8. *De Officiis Cancellariæ & pænitentiariæ.*
9. *De Executionibus & incorporationibus tempore ſchiſmatis factis.*
10. *De Commendis.*
11. *De Fructibus medij temporis.*
12. *De non alienandis bonis Romanæ Eccleſiæ.*
13. *Propter quæ & quomodo Papa poſſit corrigi & deponi.*
14. *De Extirpatione Simoniæ.*
15. *De Diſpenſationibus.*
16. *De Proviſione Papæ & Cardinalium.*
17. *De Indulgentiis.*
18. *De Decimis.*

PORrò hic Articulus 13. Propter quæ & quomodo Papa poſſit corrigi & deponi; illos vel malitiæ, vel ſupinæ ignorantiæ arguit, qui perhibent Decreta Synodi Conſtantienſis, de authoritate Concilij ſupra Papam, ſolummodò habere locum tempore Schiſmatis, quando plures ſunt Antipapæ: Nam certiſſimum eſt Patres Conſtantienſes, hic abſolutè & ſimpliciter de quocumque Papâ, etiam unico atque indubitato ſtatuere; & quærere quibuſnam de cauſis exauctorari valeat, Cæterum in trigeſima nona & quadrageſima ſeſſionibus, ubi de modo rucuperandi regiminis Ariſtocratici decernitur, tres & viginti Cardinales interfuerunt, atque inter alios Cardinalis Columna, paulò poſt electus in Papam, vocatuſque Martinus V. qui ſuo aſſenſu has conſtitutiones comprobavit.

IV. At verò liber Gerſonij de Auferibilitate Papæ, cujus Cardinalis Perronius meminit, non eo quidem fine ſcriptus eſt, quo ſectarij, & quidam alij opinantur; quaſi propoſitum fuiſſet Doctori Chriſtianiſſimo, oſtendere Primatum aut Papatum non eſſe divinæ inſtitutionis, nec ullomodo neceſſarium. Hercle ſumma rationum Cancellarij Pariſienſis iſtuc evadit, ut demonſtret Primatum poſſe duobus modis conſiderari, objectivè nimirum, formaliter & in abſtracto & quo ad eſſentiam, deindè ſubjectivè, materialiter in concreto quo ad exiſtentiam, exercitium & exequtionem; atque poſteriori, non priori modo., eſſe mutabilem & ab Eccleſia auferibilem. Cum enim omnes homines in Pontificiâ dignitate conſtituti, circumdati ſint infirmitate, hac de cauſa certis legibus & Canonibus dirigi, atque in officio contineri debent. Quare Cancellarius docet, poſſe aliquem caſum contingere, quo neceſſe ſit Papam ab Eccleſiâ auferri, atque deponi. *Auferibilis eſt aut mutabilis, lege*

Digitized by Google

ſtante, qualibet politia civilis Monarchica, ſeu regulis, ut fiat Ariſtocratica, & non ſic de Eccleſiaſticâ, quæ in uno Monarcha ſupremo per univerſum fundata eſt à Chriſto. Poſſet deduci conſideratio tam à priori, quam à poſteriori, deducendo variationes, quæ fuerunt in aliis politiis, quia nullam aliam politiam inſtituit Chriſtus immutabiliter Monarchicam & quodammodo regalem, niſi Eccleſiam; & oppoſitum ſentientes de Eccleſia, quia ſcilicet fas eſt eſſe plures Papas, aut quod quilibet Epiſcopus eſt in ſua Diœceſi Papa, vel Paſtor ſupremus æqualis Papæ Romano, errant in fide & unitatem Eccleſiæ, contra articulum illum & in unam ſanctam. &c. Et ſi pertinaces maneant, judicandi ſunt hæretici; ſicut Marcilius de Padua & quidam aliorum: Conſonat ratio; quia ſicut ad unam fidem, & ad eadem ſacramenta obligantur omnes Viatores; ſic oportet, ut non eſſet ſchiſma, reductionem finalem fieri ad unum ſupremum. Secùs ubi communitas regitur legibus ſolis naturalibus & traditionibus humanis, quæ pro varietate temporum & locorum variantur. &c. Huc uſque Gerſonius conſiderat. 8. *in cujus operibus vix ullum alium locum gratioſiorem Papatui reperias, hoc enim neceſſarium erat*, ad extinguenda ſchiſmata, propter illorum errorem, qui dicebant, *nihil omnino referre, utrum duo vel plures eſſent Papæ in terris, modo unus Papa in Cælo coleretur.* Quâ in ſententia Cancellarij, duo notanda occurrunt: prius eſt Deum voluiſſe Eccleſiaſticam politiam ſic eſſe Monarchicam, ut illam abſolutè mutari repugnet in puram Ariſtocratam vel oligarchiam: ratio eſt, quia *etſi Chriſtus claves dederit unitati, tamen voluit per unum exerceri & exequi; quæcumque ab unitate decernerentur.* Quare can. 8. Synodi Nicænæ cavetur, *ne duo ſint* Epiſcopi in una Diœceſi aut Epiſcopatu. Lege xxxij. axioma noſtræ Apologiæ. Poſteriùs notabile eſt Gerſonium non dicere, Politiam Eccleſiaſticam eſſe abſolutè & ſimpliciter Monarchicam aut regalem, ſed *quodammodo*, & ſecundum quid, ſcilicet ratione unitatis fidei & Sacramentorum, necnon ad exequutionem regiminis, & ad condendos Canones in actu primo, ex quo fit, ut de poteſtate Eccleſiaſtica conſiderat xj. verſus finem diſputans, *An Concilium poſſit dare Epiſcopis licentiam exercendi Juriſdictionem abſque limitatione, vel reſtrictione, ſtatuat* Concilium *poſſe ſupplere Papalem poteſtatem, dum neceſſitas urget, vel ſuadet evidens utilitas, & hoc vel per unum Epiſcopum quaſi Vicarium, vel per plures ſimul.* Præterea concluſione 2. *Epilogi ejuſdem tractatus; de poteſtate Eccleſiaſtica, plenitudo poteſtatis Eccleſiæ ſic propriè ſumpta (ait) non poteſt eſſe de lege ordinariâ, niſi in unico ſummo Pontifice formaliter & ſubjectivè, alioquin regimen non eſſet Monarchicum, & habere poſſet multiplex caput ex æquo, quod aperte eſt hæreticum:* ſenſus autem Cancellarij eſt, in nullo alio ſuppoſito aut ſubjecto ſingulari, poteſtatis Eccleſiaſticæ plenitudinem, quoad executionem reperiri; quoniam Pontifex habet poteſtatem ſuper particulares Eccleſias diſgregatas, cum alij Epiſcopi tantum habent in ſuas Diœceſes privatas. Huc & occurrit conſideratio: 13. Tractatus de ſtatu Prælatorum. *Status Epiſcopalis habet rationabiliter Monarchiam ſupremam, ſcilicet Papam, ratione unitatis fidei & Sacramentorum, ſed hoc non ita perſpicuum eſt eſſe debere ex inſtitutione Chriſti, & pro utilitate univerſalis Eccleſiæ, reſpectu diſpenſationis bonorum temporalium, & Juriſdictionum contentioſarum, ſeu coercivarum, quæ diverſis legibus ſeu decretalibus aut ſtatutis; pro diverſitate locorum & temporum, regi debent; ſicut & alia mere temporalia, regalia vel imperialia. Hinc bene dictum eſt, quod qualibet provincia in ſenſu ſuo abundat.* Joannes Major 4. ſentent diſt. 24. quæſt. 3. *Ocham probabile putat* (ait) quod Politia Regalis Eccleſiæ, poteſt *pro urgentiſ-*

Digitized by Google

ſina cauſa , duobus ex aequo communicari , licet gloſſa in Can. : non autem 7. quaeſt. 1. tenеat oppoſitum , quia eſt una Catholica Eccleſia. Idem tenet Armachanus lib. 7. cap. 15 ad Armenos : ſed ratio gloſſae eſt nulla : Eccleſia enim non dicitur una ab unitate capitis miniſterialis , ſed à Chriſto & unitate fidei , ut videre eſt poſt mortem Papa , ante creationem alterius.
His vero accurate ſubductis, liquet Politiam Eccleſiaſticam non abſolute & ſimpliciter, ſed tantum regulariter , ordinarie & ſecundum quid, eſſe Monarchiam & Pontificem non eſſe cauſam efficientem Vnitatis fidei & Sacramentorum , ſed dumtaxat figuram , & Simbolum eternum , inſtrumentum ac miniſtrum Eccleſiæ. Quare Cardinalis Perronius , dum perſuadere vult Petrum aut Papam *Centrum eſſe unitatis Eccleſias* , multum hallucinatur , hoc enim proprie ſoli Chriſto , & unitati fidei , ac Sacerdotij Chriſti , eſt tribuendum ut infra probabitur.

V. Octavo contendebat Perronius Cardinalem Cuſanum, libros ſuos de concordiâ Catholicâ, quos Richerius Laudabat, Scripſiſſe antequam eſſet Cardinalis; eiſque omnem fidem & authoritatem derogaſſe epiſtolâ àd Rodericum de, Frenino, Oratorem Regis Caſtellæ in Dietâ Francofordienſi anno 1442. que quidem pariter objiciuntur à Cardinali Bellarmino, libro de ſcriptoribus eccleſiaſticis, à me autem in hiſtoriâ Baſileenſis ſynodi, depellentur. Verum eo ipſo quod cuſanus libros memoratos ſcripſerit antequam eſſet Cardinalis , hercle non minus authoritatis habere debent apud æquos judices. De Curiâ Romanâ, quod parum gratos habeat ejuſmodi libros, non valdè eſt laborandum, quando nihil quicquam ad ejus palatum ſapit, niſi abſolutam redoleat monarchiam , nam hic eſt genus, Urbis Romuli ſpiritus, à mundanâ ſapientiâ manans, cui Evangelia omnino contraria eſt, prioris ad Corinthios cap. 1. 2. & 3.

VI. Nono urgebat, Libellum Richerij cauſæ hæreticorum maxime velificari, eamque ob rem Hugonotæ illum in vulgarem linguam convertiſſe , ac edi curaviſſe. Quæ collectio tota ſophiſtica eſt, fruſtraturque reſpuere Elencho accidentis & conſequentis, Profectò hodie ſolemne eſt Curiæ Romanæ hominibus , ſi quid in eos etiam à Catholicis ſcribatur & forte in Angliâ aut Germaniâ à Typographis non Catholicis edatur, vel tanquam ſuſpectum rèſpuere, ut patet de doctiſſimis Wdringtonij Lucubrationibus in Anglia editis. Verum cum Romana Curia , ſedulam navet operam per ſuos exploratores & emiſſarios , ne libri de neceſſitate reformandæ Eccleſiæ , in capite & in membris , uſpiam à Catholicis Typographis imprimantur; qui de ea re ſcribunt , poſſunt quidem abſque ulla rèligione curare , ut ab aliis quam Catholicis , modo integrè & incorruptè edantur , vellemque libros meos ſi fieri poſſet Pariſiis à Catholicis Typographis imprimi , id autem quin forſitan fieri non poterit, parum quidem ad veritatem & bonitatem cauſæ , quam vendito , refert , utrum in Germaniâ , Angliâ ; aut alibi , modo fideliter & ſecundum propoſitum meum efformentur. An aliquid libris controverſiarum Bellarmini detrahit, quod Adamus Sartorius Typographus Lutheranus Ingolſtadienſis illos ediderit, nihil certe : atteſto Hugonotus libellum meum lingua vulgari edi curaviſſe ? quid tum an quia ſacrùm volumen Bibliorum , Baptiſmi & Euchariſtiæ ſacramenta , Apoſtolorum & Patrum Nicænorum ſymbola , atque alia ejuſmodi divina myſteria , Catholicis & Hugonotis communia ſunt , ideo Catholici ab illis plane abſtinebunt , ut ſoli heretici abutantur ? Nugæ pueriles , miror quoque S. Auguſtinum , quem tam

Digitized by Google

ſepæ Calvinius ad erroris ſui patrocinium adducit , etiam omni fide & auctoritate non obrogari in Eccleſia. Quam bene S. Cyprianus ad jubaiamum. Quid , quia honorem Cathedræ Sacerdotalis Novatianus uſurpat , num *idcirco non Cathedre renunciare debemus , aut quia novatianus Altare collocare , & ſacrificia offerre contra fas nititur, ab altari & Sacrificiis ceſſare, nos oportet , ne paria & ſimilia cum illis celebrare videamur prorſus , vanum & ſtultum eſt , quia novatianus extra Eccleſiam mendicat ſibi veritatis Jmaginem , relinquamus Eccleſiæ veritatem* ? An quia lupi veſtimentis Ovium ſe induunt , propterea Oves vellera ſua abdicabunt hercle ? quidem unus quiſque noſtrum jure divino naturali & Canonico ſolum obligatur ad reddendam rationem ſuarum non aliarum actionum. Can. ſi quis § quiſquis 23 quæſt 4. maximè vero ſi nullam occaſionem peccati aut ſcandali activi, cuiquam præbuit. Quod ſi quid diſſidi ex evulgatione libelli Richerij exarſit, hoc Richerio injuriam patienti & propulſanti non inferenti, attribui nullo modo poteſt. Porrò certiſſimum eſt Anarchiam hæretioorum hujus ſæculi , miſterium iniquitatis Mornæi, Theatrum antichriſti, atque alia convitia novatorum qui cap. 17 & 18 Apocaliptios de Romanâ Eccleſiâ interpretantur , validioribus argumentis profligari non poſſe , quam ſi inter ſcribendum & legendum, curiam à Romanâ Eccleſiâ ſecernamus , & conformiter ad doctrinam ſynodi conſtantienſis demonſtremus , *Statum Eccleſiæ eſſe monarchicum regimine Ariſtocratico temperatum: ac poteſtatem Eccleſiaſticam eſſe ſolummodo miniſterialem, beneficam , ſuaviſſimam & manſuetiſſimam* , ac falſiſſimum eſſe, Papam aut Eccleſiam Romanam , ſibi omnium aliorum Epiſcoporum & Prælatorum officia, jure non etiam Regum , atque principum temporalium , jura & munia uſurpare, eoſque de Throno regio , velle dejicere , ut paſſim hodiè clamitant hæretici, multique etiam Catholici , eam ob rem non ſine cauſa lamentantur.

norum Pontificum decretalibus, & Curiæ Romanæ placitis: quæ tanti facimus, quantum juri divino, naturali, & Canonico conſentiunt.

II. Secundo cauſatur Bucherius Stephanum Paſchaſium, in libris perquiſitionum Regni Franciæ, docere appellationem ab abuſu, ſub Ludovico XII. Galliarum Rege inventam, hocque remedium hæreſibus Richerij defendentis (ſic enim loquitur Bucherius) contra antiquam & orthodoxam Eccleſiæ doctrinam, uſui eſſe non poſſe. Advertit quoque Gerſonium in tractatu ſecundo de ſchiſmate circa medium, has tres propoſitiones hæreſibus accenſere, videlicet, *quod plures eſſe poſſunt ſummi Pontifices. 2. quod claves datæ ſunt unitati; non uni. 3. quod decreta & decretales, Pontificum plus nocuerint, quam profuerint Eccleſiæ.* Aitque Bucherius, ſecundam propoſitionem manifeſtè defendi à Richerio. Quæ collectio duobus conſtat membris; quo ad primum de appellationibus ab abuſu, certum eſt ante tempora Ludovici XII. Solemne quidem fuiſſe Gallis appellare ad Conſilium generale de Curiæ Romanæ gravaminibus, quam viam, ut Patres Conſtantienſes expeditiorem efficerent, voluerunt ſingulis decenniis univerſale conſilium celebrari, ſed poſtquam majores noſtri obſervarunt hoc ſalutare remedium fruſtra expectari, propterea quod Curia Romana impediret, ne Concilia haberentur, eoſque excommunicatione latæ ſententiæ, innodare tentaret, qui de Papæ ſententiâ, ad Concilium provocarent, tandem ſicut Deus & natura, novis morbis, nova parant pharmaca ita Gallis remedium appellationum ab abuſu ſuppeditarunt. De qua re uberius deputabitur lib. 5 cap. 4. hujus defenſionis. Alterum membrum, argumentum de hæreſi, quam Bucherius impingit Richerio: mera calumnia eſt, quo autem ſenſu Richerius dixerit, claves datas, unitati, non uni, dictum eſt, reſponſione ad ſeptimum argumentum Cardinalis Perronij, videlicet, *Claves datas unitati quo ad proprietatem & dominium, ut ab uno ſingulari Prælato exerceantur*: De quâ re ſequentibus libris fuſè agetur, tantiſper judicium ſuum lector cohibeat.

Tertio, perhibet Curiam Parlamenti, judicem eſſe non poſſe doctrinæ libelli Richeri, fateor Bucheri, ſed juſto Regem, & magiſtratum Politicum, tanquam juris divini naturalis & Canonici ultorem, jus habere ſtatuendi in quæſtione facti, quando obſervant aliquid contra jus & æquum geri in Eccleſia, atque innocentes opprimi: tunc enim eorum ſunt partes operam dare, ut jus & æquum ſervetur, atque judices æqui conſtituantur. Hacque ſi Bucherius ab omni hominum memoriâ ſervatum in Eccleſia ignorat, certe indignus eſt Theologi appellatione. S. Hieronimus in cap. 21 Jeremiæ, verſu 12 conjecto in corpus Canonicum 23. quæſt. 5. can. *Regum officium eſt proprium facere judicium & Juſtitiam, & liberare de manu calumniatorum vi oppreſſos, & peregrino, pupilloque, & viduæ qui facilius opprimantur à potentibus præbere auxilium.* Adde & Canonem *adminiſtratores*, eâdem cauſa & quæſtione ejus rei praxim legimus in Sinodo Calcedonienſi in quâ Martianus Jmperator judices conſtituit in quæſtione facti, qui quidem ubi omnium Patrum ſententias ſigillatim audierunt & collegerunt, hoc vel illo modo Synodale decretum faciendum pronuntiabant, ut ex omnibus actionibus liquet. Prima autem actione ejuſdem conſilij, Euſebius Dorylenſis, & actione 14. Savianus Paros Epiſcopus, cum malè accepti fuiſſent à Dioſcoro Alexandrino Patriarcha, flagitant à Martiani Jmpera-

Digitized by Google

rore, ut eos in integrum reſtitui, ſibique injuriarum à Dioſcoro illatarum, contra Canones, rationem fieri jubeat: ſimiliter actione 13 Eunomius Epiſcopus Nicomediæ expoſtulationem habet coram eodem Martiano, adverſus Anaſtaſium Epiſcopum Nicænum, qui Clericos Baſſinopolitanos, ſibi minimè ſubditos, excommunicaverat. Quare Eunomius ſupplex petit ab Jmperatore, velit jubeatque Nicænum Epiſcopum, juxta Canones cogi in ordinem. Quæ cum ita ſint, quiſnam jure poterit eos reprehendere, qui ſi ab Eccleſiaſticis graventur atque opprimantur, ad Regem Franciæ confugient, petentque ab eo, velit & jubeat judicia fieri ſecundum Canones, & judices æquos conſtitui? ſed de his amplius lib. 5. cap. 4. & ne tam vetera & longinqua quæramus exempla, compertum eſt Henricum IV. Anno 1600. ſe Judicem in quæſtione facti de re pure Theologicâ conſtituiſſe, Fonbellaquæ, inter Cardinalem Perronium & Pleſſæum Mornæum. Perronius autem pridiè ejus diei, quam cum Mornæo in certamen deſcenderet, locos corruptos ex libro mornæi ſeligere, illoſque eidem mittere ſolebat, ut Mornæus ſeſe ad excipiendum & reſpondendum quæcumque vellet, pararet, quam ego ſæpe exoptavi, ut his legibus cum Cardinali Perronio mihi pro libelli mei defenſione, congredi liceret, utque Rex Chriſtianiſſimus nobis æquos judices adſcriberet, quique utrimque ex probatis authoribus dicerentur & adferrentur, ſervatâ libertate ad eam rem neceſſariâ, in acta referri juberent. Deus bone, quam magnum triumphum veritas & Canones conciliorum ex Eccleſiæ Romanæ Principe, reportaſſent. Proculdubio niſi cunctas libelli mei propoſitiones vel Sacræ ſcripturæ, vel conſiliorum Patrum & Doctorum Catholicorum authoritate & teſtimonio, pænè ad verbum comprobaſſent, quamcumque cenſores vellent pœnam ſubire paratus eram, ego quidem viros ampliſſimos Nicolaum Verdunum, Auguſtum Tuanum, Nicolaum Fabrum, & Magiſtrum Antonium Fayette curionem S. Pauli, etiam atque etiam rogavi, ut hanc meam ſupplicationem partim ad D. Concellarium Franciæ & Villæregem, partim ad Cardinalem Perronium deferrent, quatenus in Sacro Regis conſiſtorio, præſente Cardinali Perronio audirer: ſed fruſtrà, quoniam mihi audientia denegata eſt à Cancellario. Perronius autem Fayetto reſpondit, & per quos authores Richerius ſuum libellum propugnabit; An Cardinalis Cuſani libris de concordantiâ Catholicâ, quos ille ſcripſit antequam eſſet Cardinalis?

III. Cæterum pro hujus reſponſionis appendiculâ, Bucheri, ſcito jus eſſe divinum Sacrâ ſcripturâ multiſque canonibus declaratum? *Primo Papam non pollere auctoritate planè monarchiâ aut abſolutâ, ſed dumtaxat, canonibus conſiliorum quibus eſt devinctus, circumſcriptâ 2. Papam neque Dominium, neque uſum habere gladii materialis, aut meri Jmperii directè vel indirectè: ut Papa eſt; 3. Supremam poteſtatem politicam, quocumque modo exerceatur, Regia nimirum auctoritate vel democraticè immediate inſtitutam eſſe à Deo; ut ei omnis anima, id eſt, tum Clerici, tum Laici, eſſentialiter in rebus Civilibus & politicis ſubeſſent quo ad directionem & coactionem. Roman* : 13. Quam doctrinam Galli à primis fidei Chriſtianæ incunabilis imbiberunt, & conſtantiſſime vindicarunt. Quocirca ſi forſan accidat miniſtros Papæ, Doctores aut Eccleſiaſticos, contra hæc tria notiſſima, juris divini & naturalis principia, aliquid directè aut indirectè moliri, & abſolutam Poteſtatem in ſpiritualibus ac temporalibus Pontifici Romano arrogare,

ne;

Digitized by Google

ut hodiè magno conatu certatur, ſcito Bucheri, jus quidem eſſe Principibus Politicis ſuam avitam poteſtatem & poſſeſſionem armis tueri & vindicare; & ſi quæ cenſuræ in contrarium ferantur, eas tanquam viâ facti & attentati procedentes, nullas, atque irritas, declarare; & ſi res poſtulet, in auctores ac propugnatores ejuſmodi doctrinæ ac cenſurarum exemplum ſeveritate ſtatuere. Conſule Gerſonium prima parte *in diſcuſſione hujus aſſertionis ſententia Paſtoris, etiam injuſta, eſt timenda, & in reſolutione circa materiam excommunicationum & irregularitatum*, parte ſecunda operum. Hinc diſces Bucheri, licuiſſe Richerio ad Magiſtratum Politicum, velut Dei Vicarium juriſque divini naturalis & Canonici vindicem confugere, ejuſque opem contra Eccleſiaſticos, qui eum opprimere videbantur efflagitare.

Quarto aſſerit Richerium eſſe perſonam pure Eccleſiaſticam, & de facto ſuo, coram ſolis Eccleſiaſticis teneri reſpondere, ſed alio vento perflari atque impelli ad faciendum ſchiſma. Certè Bucheri, annuo perſonam eſſe Eccleſiaſticam, ſed nego proptereà deſinire eſſe civem & ſubditum Regis Chriſtianiſſimi, ac proinde jure ſuo, tanquam membrum Reipublicæ & ſubditum Principis, poſſe à Magiſtratu politico, per leges Regni adverſus illos defenſionem petere, qui eum in Galliæ Regno contra Regni leges, injuſte opprimere conantur, quoniam ut ſupra dictum eſt, *Regis officium eſt, liberare de vi & manu calumniantium oppreſſos.* At valdè erras Bucheri, ſi perſonas Eccleſiaſticas, in negotio non purè Eccleſiaſtico, debere coram ſolis Eccleſiaſticis reſpondere autumas. Quæ tua aſſertio ab novâ illorum, non dicam Theologiâ, ſed terrena juriſprudentia oritur, qui hoc infecto ſæculo docent, Eccleſiaſticos non eſſe Regibus & principibus politicis, etiam in rebus Civilibus ſubditos, nec poſſe in crimen rebellionis incurrere, ſi quid in Principem aut ejus ſtatum machinentur, quam propoſitionem velut jure divino & naturali plane contrariam, erroris damnandam, eſſe contendo, idque alias, ſi Deus nobis otia fecerit, demonſtrabitur Porro res eſt Civilis, non Eccleſiaſticâ, librum de Eccleſiaſticâ & politicâ poteſtate, ex Sacrâ ſcripturâ, Canonibus conciliorum, Doctrina Patrum, & Doctorum Catholicorum contexere: an non hoc etiam ab alio quam à Sacerdote fieri poteſt? quod autem Richerium, alio quam proprio ſpiritu afflari ad Schiſma faciendum attexis: vide ut te contineas, nec ex tuo turbulentiſſimo ingenio, quod experti ſimus, de aliis conjecturam facias. Profecto quamquam convitia & mendacia que paſſim in me effundis, me ad tua geſta eximia, quæ apprime novi & vidi, enarranda valde exſtimulent, nihilominus mihi temperabo. Quid autem Richerium ad ſcriptionem libelli de Eccleſiaſticâ & politicâ poteſtate impulerit, dictum eſt Cap. 4. numero 7. & 8.

Quinto ait authorem fruſtra quæritari ſe nec vocato nec audito, libellum ſuum nominatum fuiſſe, cum prædicto libello nomen ſuum minimè profeſſus ſit, contenditque Richerium, ſtatim atque audivit Prælatos libellum ſuum examinandum ſuſcepiſſe, debuiſſe Epiſcopum ſuum adire, ac ſibi objectis reſpondere & ſatisfacere &c. Quæ objectio duabus clauſulis conſtat. Quo ad primam Bucheri, & ſi nomen meum illi libello minime adſcripſerim, proptereà quod in tam exiguâ lucubrationculâ gloriam nollem aucupari, attamen quando poſt actionem Academiæ, adverſus Jeſuitas, illum vulgavi, palam & publicè me illius authorem eſſe, ac om-

Digitized by Google

nes propoſitiones illo contentas, authoritate & teſtimonijs Conciliorum & Doctorum Catholicorum qui ante ſchiſma Lutheri vixiſſent, comprobaturum, ingenue profeſſus ſum coram ampliſſimo ordine Senatorio, & in Comitiis Facultatis Theologiæ prima die Februarij 1612. Quod ſubjicis de meo Epiſcopo adeundo, ego quidem D. Epiſcopum Bellonacenſem conſervatorem privilegiorum Apoſtolicorum univerſitatis, ſæpè inviſi, cui eadem planè dixi, quæ in Parlamento expoſueram. Quarè in conventu Epiſcoporum, qui apud Cardinalem Perronium habebantur, idem Bellonacenſis ſæpiſſimè petiit atque contendit me in dictâ causâ damnari non debere; quod ipſum ſimiliter D. Gusleus Archiepiſcopus Turonenſes fecit, ſed fruſtrà, Cardinale Perronio reclamante, cui propoſitum erat, jure vel injuriâ libellum meum cenſurâ compungere, Miranio Andino Epiſcopo ſuadente, quod ſi ego ad aliquid excipiendum & dicendum ſemel admitterer, me ſcholiaſticis diſtinctionibus & ſubtilitatibus, omnia turbaturum. Vide Bucheri, quantum Senonenſis congregatio & Cenſura, canonibus concordet 3. *quaſt.* 9. *can. Caveant judices Eccleſia, ne abſente eo cujus cauſa ventilatur, ſententiam proferant; quia irrita erit, imo etiam cauſam in Synodo pro facto dabunt. Item can. omnia qua adverſus abſentes in omni negotio aut loco aguntur aut judicantur, omnino evacuentur, quoniam abſentem nullus addicit, nec ulla lex damnat.*

IV. Sexto Richerium criminatur, quod callidè, in diplomate ſuæ appellationis dicat, ſe illos dumtaxat judices ſui libelli approbare & admittere, qui neque favore neque odio ducantur, quique doctrinæ, libello ſuo contrariæ, minimè addicantur: quâ exceptione totius Eccleſiæ judicium me velle ſubterfugere cauſatur. Sed valde fallitur, quaſi ego clauſulam & exceptionem hanc primus excogitarim & adinvenerim, cum eam jus Divinum naturale & Canonicum omnibus gravatis largiatur. 3. quæſt. 5. Integra. *Quod ſuſpecti atque inimici judices eſſe non debeant.* Adde & Auguſtinum 42. *quaſt.* 1. *can. multi* § *quis enim ſibi utrumque audeat aſſumere ut cuiquam ſit accuſator & judex.* Facit & Nicolai 8. P. P. Sententia Epiſt. 1. ad Michaelem Imperatorem poſt Principium, ubi demonſtrat Ignatium Pathriarcam Conſtantinopolitanum, neque ab inimicis neque à ſuſpectis judicibus, etiam in Synodo damnari potuiſſe. *Dicentes vero quod Jgnatius Synodicè fuerit condemnatus (inquit) fortaſſe, quia non addidiſtis Canonicè, divinitus actum eſt: congregatio enim malignantium non canon juſtè judicantium, illum damnationi ſubegerat; imò verò afflictioni & tribulationi ſubdiderat: etenim illi qui tunc convenerunt, contra jam dictum venerabilem virum, aut ſuſpecti, aut ab heri & nudiuſtertius inimici ejus erant. Quorum omnium nullus perſonam legitimorum judicum habere, ſine dubio poterat, vel accuſatorum in omnibus dumtaxat negotiis &c. Igitur quia ſuſpecti & inimici judices eſſe non debent, & ipſa ratio dictat & plurimis probatur exemplis; nam quid gratiùs & amabiliùs dare quis inimico poteſt, quam ſi ei ad impetendum commiſerit, quem ladere fortè voluerit? deinde aliquanto infra, ſe tum canonem prima ſinodi Conſtantinopolitana, cum hoc Gelaſij* P. P. *Teſtimonio laudat. Quare tamen ab his judicium, quod pretendunt ait Gelaſius ubinam poſſit agitari; an apud ipſos, ut ijdem ſint inimici teſtes & judices? ſed & tali judicio nec humana debent committi negotia, quantominus divina, id eſt Eccleſiaſtica: & re vera hinc Juſtinianus Jmperator pius legibus ſuis promulgaſſe dignoſcitur, dicens, liceat ei qui ſuſpectum judicem putat, antequam lis inchoetur, eum recuſare; ut ad alium recurratur. Nam quodammodo naturale eſt*

Digitized by Google

ſuſpectorum inſidias declinare, & inimicorum Judicium ſemper velle refugere, Quæ Gelaſij & Nicolai P. P. Sententia authori libelli de Eccleſiaſticâ & politicâ poteſtate, abunde patrocinatur. Dato etiam & non conceſſo, quod Cardinalis Perronius Synodalem conventum habuiſſet ut Bucherius comminiſcitur; *Nam ſemper aliud eſt Synodicè aliquid peragere*; Ut nominatim obſervat Nicolaus P. P. Certè Flavianus Conſtantinopolitanus, & Euſebius Dorilenſis Epiſcopus, item Ignatius Conſtantinopolitanus Synodicè ſed non Canonicè damnati fuerant, tum à Dioſcoro, cum à Photio. Quid memorem omnes Apologias S. Athanaſij contra Euſebianos, ſimiliter epiſtolam Chriſoſtomi ad Innocentium Papam, adverſus Theophilum Alexandrinum Epiſcopum, de ſuâ abdicatione, his legis naturæ principiis firmari: quoniam diſertè aſſerunt, *Legem Dei, inimicum, neque teſtem, neque judicem eſſe velle.* Certumque eſt hos Santiſſimos Epiſcopos Athanaſium & Chriſoſtomum Synodicè, non Canonicè damnatos. Verum quando omnibus perſpectum eſt, Cardinalem Perronium propter Gelerum ſuum ſingulari Sacramento abſolutæ monarchiæ Papæ tuendæ eſſe devinctum, eamque ob cauſam nullum genus fabricæ atque artificij prætermiſiſſe, quo Richerium perderet, ut cap. præcedenti probavimus, certe hinc apparet, contra omnes juris divini & naturalis regulas, Cenſuræ libelli de Eccleſiaſticâ & politicâ poteſtate faciendæ Principem conſtituiſſe, idemque eſt de Epiſcopo Pariſienſi judicium; qui multis de cauſis eſt Richerio infenſiſſimus, maximè propterea quod Richerius obſtitit, quominus ſederet Judex in controverſiâ ſubortâ inter magiſtrum Andream Vallium & Facultatem Theologicam Pariſienſem, ob Cenſuram Apologiæ contra Anticotonum, qua de re amplius in hiſtoriâ mei Syndicatus.

V. Septimo urget, Congregationem Senonenſem eſſe Synodalem, quamquam Prælati conveniſſent ad audiendas rationes Caſtilij Quæſtoris Olerij, contenditque nihil opus eſſe regiis literis, ut prælati Synodicè congregentur ad damnandum aliquem errorem doctrinalem; cum exploratum ſit, Sorbonicos Doctores quotidiè ſuos habere conventus abſque Regis Literis, ſubjungitque nihil opus fuiſſe Clerum ad eam rem convocare, contra quem Richerius in diplomate appellationis ſuæ ab abuſu obtendit. Quæ objectio duobus conſtat membris; quo ad primum, neſcit Bucherius quid ſit congregatio Synodalis, cum hanc de quâ agitur, talem prædicat: & ſi enim can. V. Synodi Nicænæ, cautum legamus, ut in annos ſingulos provinciales Synodi bis habeantur; attamen id abſque indictione aut permiſſu Principis, numquam factum legitur; quam in rem ego teſtes profero cunctas Synodos Gallicanas & Hiſpanicas, quæ primo & ſecundo Tomo conſiliorum leguntur; ubi ſtatim initio illorum habetur mentio permiſſionis factæ à Principibus Politicis, ad cogendas Synodos, & ſæpè in fine earundem Synodorum edicta principum legimus, quibus Canones confirmantur, hoc eſt mittuntur in rem judicatam, quæ conditiones conventui Cardinalis Perronij deſunt: illas autem nunquam vocatas in ambiguum compertum eſt, niſi ab eo tempore, quo abſolutæ monarchiæ opinio cæpit increbeſſere, & homines obnoxij perſuadere voluerunt, Eccleſiaſticos uni & ſoli Papæ ſubditos eſſe in temporalibus. Proculdubio Bucheri, Principi ex officio nativo incumbit videre, quid turbarum in Republicâ edatur à quoquam, & ne tumultus & ſeditiones à Sacerdotibus conſerantur, ſicut Sub. Henrico III. Optimo &

Digitized by Google

maximè Catholico Principe factum eſſe, tu te optimus es teſtis, ne dicam Author, atque incenſor. Hercle ipſa Cleri Gallicani Commentoria Anno 1606. Ab Joanne Richerio Typographo Eccleſiaſticorum, permiſſu Cleri gallicani Pariſiis edita, teſtantur Clerum numquam ſolitum habere conventus abſque Regis permiſſu. Cum ergo Cardinalis Perronius Senonenſis Archiepiſcopus abſque mandato & literis Regis ſuæ Provinciæ ſuffraganeos congregarit, atque ejuſmodi conventus, ſub Rege pupillo, ad alium finem & propoſitum, quam quod eis permiſſum erat à Rege, habuerit inimicum, ut abſolutam Papæ monarchiam ſtabiliret, in eumque ſcopum Reginam matrem, miris fabricis perterreſecerit, ut capite ſuperiori demonſtravimus: ſanè ejuſmodi congregatio, titulum & appellationem Synodi, nequaquam meretur. Prætereà quis unquam audivit Synodos haberi abſque Cleri Provinciæ convocatione? equidem ipſemet Perronius nunquam iſtum ſuum conventum nomine Synodi, aut Synodalis, ſed dumtaxat *Provincialis congregationis* donavit, idemque pariter fecit Archiepiſcopus Aquenſis.

VI. Et tamen Authores qui in libellum Richerij ſcripturierunt banbantur libellum de Eccleſiaſticâ & politicâ poteſtate damnatum in Synodo Provinciali ſic enim ſe facilius invidiam hæreſeos Richerio creaturos putarunt & ita quidem Peletarius, ita Petrus Cotonus actione fictitia, quam ſub nomine Magiſtri Jacobi Montolonei edidit, contra M. Petrum Martilerium, ita quoque Joannes Galterus Jeſuita in ſuâ chronologiâ Gallicâ & latinâ, ubi de Eccleſiæ conciliis diſputat, ad Annum 1612. Sed dato & non conceſſo, quod Synodi habitæ fuiſſent ad libellum Richerij damnandum, id cauſam illorum nihilo meliorem efficit, quia ut jam dixi ex Nicolao I. *Aliud eſt Synodiè, & aliud Canonicè damnari.* Utque libellus Canonicè damnaretur, authorem audire, libellum accuratè examinare, atque locos erroneos ſeligere & notare oportebat. Quod nec factum eſt, nec fieri potuit. Quantum ad locos erroneos, quia nulli ſunt, ut tota hac defenſione probabitur. Alterum membrum redarguitionis eſt, Sorbonam quotidiè libros Cenſurâ noturè abſque literis aut permiſſu Regis, ſed rependo, diſparem eſſe cauſam utriuſque, primum quoniam Collegium Theologorum id in ſuis congregationibus menſtruis ordinariè peragit, ſecundo, quia nullâ eſt juriſdictione præditum neque ullum habet populum ſibi ſubditum, & cenſuras tantum doctrinales, facere conſuevit, quæ abſque Principis Politici & Epiſcoporum authoritate, nullomodo in rem judicatam mitti poſſunt. Contra autem, Epiſcopi quando & juriſdictionem & Populum ſibi commiſſum habent cui poſſunt imperare, atque hodiernâ die magno certetur conatu ab Eccleſiaſticis, ut articuli Bullæ cænæ Domini de exemptione Clericorum à juriſdictione temporali Regum & Principum, exequutioni mandentur: Profecto Politici Magiſtratus diligenter cavere debent, præſertim ſub ætate pupillari Regis ne quid Regia authoritas capiat detrimenti: Proh dolor, quotuſquiſque bonus Civis Patriæ & tranquilitatis Publicæ amans, quæ tranquilitas ab Regis authoritate pendet, immoderata D. Nuncij Apoſtolici, Cardinalis, Perronij & Surdij Epiſcopi Pariſienſis, Andegavenſis, atque aliorum permultorum ſub infimâ Regis ætate ſtudia & prenſationes vidit, & non vehementer ingemuit ac indoluit. Proculdubio fidelis ejus narratio ipſis penſationum Magiſtris, ne dum aliis,

Digitized by Google

magnum ſtuporem ingereret. Certè hæc prima eſt ultio ſceleris alicujus contracti, quod authoribus diſpliceat; adeo ut nemo ſit tam perfrictæ frontis, qui abſque magno conſcientiæ motu & pudore, eorum narrationem audire poſſit, quæ contra jus & æquum patravit.

Octavo contendit Bucherius, falſum eſſe quod Richerius in diplomate ſuæ appellationis memorat, ſcilicet poſt Areſtum Curiæ Parlamenti, die prima Februarij 1612 datum, quo Sorbonicis Doctoribus eſt interdictum, ne de libro Richerij cognoſſerent; omnes qui jus Cenſuræ in eundem librum habebant, debuiſſe à Cenſurâ faciendâ propter illud Arreſtum abſtinere. Nam (inquit) Bucherius hæc Parlamenti prohibitio ſolos doctores Sorbonicos non Epiſcopos tangit, quibus Epiſcopis, Parlamentum non potuit cognitionem libelli de Eccleſiaſticâ & Politicâ poteſtate interdicere. Adnectit etiam, congregationem Senonenſem damnando librum Richerij, nihil contra Regis aut Parlamenti authoritatem feciſſe. Duo opponis Bucherij: Primum reſpondeo, ex legibus & conſuetudine Regni Franciæ, Parlamentum magnâ authoritate præditum eſſe, & tunc ſicut per Leges Prætor curam pupillorum habere conſuevit, ita Patres conſcriptos debere eſſe pervigiles in Regis poteſtate quam omnes factioſi imminutam & conculcatam cupiunt, acerrimè vindicandâ & retinendâ. Secundo urgeo Arreſtum Parlamenti quamquam explicitè ad ſolos doctores Sorbonicos extendatur, tamen implicitè atque interpretativè extendi ad omnes ambitu tractus Parlamenti contentos, & proindè etiam ad Senonenſis Provinciæ Epiſcopos, qui ſunt ſubditi Regis & finibus Parlamenti continentur. Unde etiam quo ad directionem & coactionem, Regni legibus ſubjiciuntur. Tertiò pro appendice, inſto quod Deus voluerit Eccleſiam & politicam poteſtatem mutuæ obligationis & benevolentiæ vinculo ſic inter ſe colligari, ut æternas amicitias exercerent, ac ſibi invicem mutuo auxilio præſto eſſent. *Diſt.* 10. *can. Quoniam & diſt.* 96. *can. Duo ſunt & 24. quæſt. can. Principes.* Quocircà, ubi Prælati acceperunt Parlamentum prohibuiſſe, nequid in libellum Richerij ageretur, non tantum ex Charitate atque ætatis pupillaris Regis ac ſtatus Regni commiſeratione, verum etiam ex proprio officio, tanquam naturales ſubditi Regis & membra Reipublicæ, debebant amicè & concorditer cum Parlamento de capitibus, quæ in libello Richerij digna reprehenſione cenſebant, conferre, dareque operam, ut Richerius evocaretur, & Canonicè audiretur ſic enim etiam canonicè damnatus fuiſſet, niſi propoſitiones libri ſui doctrinæ Patrum & conſiliorum conformes eſſe docuiſſet. At verò longe alia mens erat Cardinali Perronio, ut capite præcedenti oſtendimus. Volebat enim ſub Rege pupillo captare opportunam occaſionem altiſſimè poteſtatem abſolutam Papæ defigendi, atque exemplo Richerij oppreſſi omnes alios in poſterum perterrefacere, ne quis doctrinam Majorum ſcholæ Pariſienſis de authoritate conſilij ſupra Papam, deinceps propugnare auderet. Omiſſo inſuper quæ ab Eccleſiaſticis in conventu trium ordinum Regni Anno 1615, contra Articulum tertij ordinis geſta ſunt [hæc enim tanquam appendix quædam cenſuræ Senonenſis fuerunt] quandoquidem Cardinalis Perronius odium quod adverſus Richerium coquebat, redivivum ibidem excitavit, aſſerendo Richerium articuli tertij ordinis authorem & ſuaſorem extitiſſe. Undè quamquam in cenſurâ Senonenſis Provinciæ, jura Regis & Regni cum Eccleſiæ Gallicanæ libertatibus in-

Digitized by Google

tacta eſſe voluerint, nihilominus ex iis quæ deinceps in conventu trium ordinum Regni geſſerunt Eccleſiaſtici palam, quanti & Regis & Parlamenti authoritatem facerent oſtenderunt, qua de re pluribus alias.

Nono pugnat Bucherius Fruſtra Richerium de Cenſurâ Senonenſis Provinciæ, tanquam vaga, incertâ & generali conqueri, hocque vim, pondus & authoritatem cenſuræ, nullomodo minuere, cum nihil ineptius ſit lege cum prologo, quoniam leges ſauptè vi, non propter rationem adjunctam, robur habent. Subinfert quoque Parlamentum Vagè & generatim, adverſus librum Cardinalis Bellarmini, contra Bardaium & ſimiliter Sorbonam in miniſterium iniquitatis Mornæi decreviſſe: & ſatis eſſe quod Magiſter Andræas Vallius errores Richerij Elenco ſuo ſigillatim notavit. Quæ redargutio quinque capita notabilia, & primo quidem cavillatur Bucherius, dum Richerium cenſuram Senonenſis Provinciæ, tanquam vagam incertam & indefinitam reprehendere dictitat; hæc enim cauſa eſt pro non cauſa; ratio verò cur illam nullitatis arguam, eſt quia pugnantia manifeſtè loquitur, propter adjunctam exceptionem ea ipſa approbando quæ damnat, & damnando quæ approbat. Hæc enim clauſula cenſuræ, *Pluribus tamen tam Regis quam Eccleſiæ Gallicanæ ejuſque immunitatibus & libertatibus per nos non factis*, Cum vaga & indefinita ſit, certè illa ipſa excipit quæ compungit, ſicque nullam prorſus cenſuram efficit. Enimvero toto in libello Richerij ne quidem unus apex exſtat, qui vel ad Eccleſiæ Gallicanæ libertates aut regimen Ariſtocraticum Eccleſiæ Catholicæ, vel ad jura Regis & Regni non pertineant. Sicut hoc totâ defenſione clareſſit. Quæque duo vera eſſe, Joannes Galterus Cronographus Jeſuitarum optimè novit. Quocirca in ſuis Chronicis Gallicis & latinis, ubi in mentionem Cenſuræ Senonenſis incidit conſulto memoratam clauſulam & exceptionem ſilentio premit Quam integram leges apud Vallium initio libri de ſupremâ poteſtate Papæ.

VII. Secundo quod nihil ineptius eſſe lege cum prologo, & cenſuras vim legis & præcepti obtinere contendit. &c. Annuo quidem ſi modo Juri-Divino naturali & Canonico congruunt: alias abſolutè nego poſſe ullam vim habere legis aut præcepti. Adverto amplius propter diſcrimen politiæ & Eccleſiaſticæ poteſtatis, magnam poſitam eſſe differentiam, inter præcepta Regum & Prælatorum, quia illi abſolutè cogunt, quæcumque imperant, hi verò cum ſolâ poteſtate miniſteriali ſpirituali præditi ſint, ſolummodo debent regere homines per actus Hierarchicos, illuminando per verbi Divini prædicationem, purgando per pœnitentiam, & perficiendo ſacramentorum aliorum adminiſtratione, &c. Quarè Matthæi & Marci ultimo, Chriſtus vult gentes ad ſe adduci per verbi divini prædicationem. *Ite docete omnes Gentes & Lucæ 22. Dominatum omnem & abſolutum Jmperium prohibet ad morem Secularis poteſtatis. Reges Gentium dominantur eorum vos autem non ſic. &c. Gloſſa expolicans caput 17 deuteronomij ſi difficile & ambiguum judicium eſſe perſpexeris &c. Sacerdotes Eccleſiæ Dei inſtituit (inquit) ut judicia Eccleſiaſtica ſecundum poteſtatem ſibi à Deo datam reverenter agant, & juſte decernant, non ad libitum ſuum, ſed ſecundum legis decretum, ne ſuſcipiendo perſonam mutent ſententiam; deinde ad hæc verba, veniesque ad Sacerdotes Levitici generis, & facies quodcumque dixerint & docuerint te, juxta legem ejus &c. Nota (inquit) non dicitur tibi ut facias, niſi juxta legem docuerint, unde ſupra Cathedram moyſis ſed-*

Digitized by Google

erunt Scribæ & Pharisæi, hercle quidem *Lex omnis justa, honesta, possibilis necessaria utilis secundum naturam & Patriæ consuetudinem, loco temporique debet consentire. dist. 4. can. erit.* Quibus conditionibus ſi Prælati Senonenſis Provinciæ oſtendere potuerint cenſuram ſuam eſſe conformem, nihil cauſæ dico quin ad eorum arbitrium vapulem. Ut ergo cenſuræ doctrinales & juridicæ quæ in libros Catholicorum conduntur, legitimæ & validæ ſint, operæ pretium eſt aliquas propoſitiones ex illis libris excerpere, & oſtendere, Juri-Divino naturali & Canonico contrarios atque repugnantes eſſe, tum ut Populus cum etiam ut is contra quem cenſuræ cuduntur erudiatur, quia finis ejuſmodi Cenſurarnm, eſt conditio & confirmatio Eccleſiæ. Quocirca ejuſmodi Cenſuræ luce meridiana clariores eſſe, nulliſque ambagibus, Cavillis aut æquivocationibus obtegi, neque etiam propoſitiones, quæ notantur & expunguntur dolo malo truncari, & hiulce proponi debent, ſicut quandoque factum de induſtriâ, novi: quique ita faciunt contra præceptum Domini, lapidem pro Ovo, & ſerpentem pro piſce porrigunt. Matthæi 7. proculdubio in antiquis conſiliis, quorum acta habemus integra, Patres in notandis erroribus primorum hæreticorum hoc ordine ſemper proceſſerunt, ut ante omnia Sacrarum ſcripturarum authoritates, deindè verò Patrum teſtimonia, qui ab Apoſtolorum temporibus ad ſuam uſque ætatem vixerant, ſemper exhiberent, atque errori quem debellandum ſuſcipiebant, contraria eſſe demonſtrarent. Conſule acta primæ Epheſinæ Synodi, Chalcedonenſis, quinti & ſexti Concilij Generalis. Itaque cenſuræ, quæ tanquam Leges atque edicta Regia, ab abſoluto denominatu & Imperio manant, eoque potiſſimum tendunt, ut Curiæ Romanæ potentatum aſſerant, & Regimen Ariſtocraticum Eccleſiæ opprimant, neque timendæ, neque ullo modo tenendæ ſunt? quia Juri-Divino naturali & Canonico planè adverſantur: ſicque ab Ezechiele carpuntur. *Væ Paſtoribus qui paſcebant ſemetipſos &c. Quod infirmum fuit non conſolidaſtis & quod ægrotum non ſanaſtis, quod confractum eſt non alligaſtis, & quod abjectum eſt non reduxiſtis, ſed cum auſteritate imperabatis & cum potentiâ & diſperſæ ſunt Oves meæ. &c. Ubi enim advertis Prophetam pro causâ diſpertionis Ovium & Schiſmatis, aſſignare quod Paſtores cum auſteritate & abſoluto Imperio dominentur.* & hæc de Cenſuris quæ in libros Catholicorum eduntur: Quantnm ad Hæreticos qui nondum cogniti & damnati ſunt ab Eccleſiâ quamprimum libros erroneos emittunt in lucem, oportet etiam ex illis quaſdam propoſitiones colligere & notare, Juri divino naturali & Canonico repugnantes eaſque ut loquuntur in ſcholis, Canonicè, *Semotâ omni ambiguitate & æquivocatione* qualificare, ſicut à majoribus noſtris factum video. Statimatque Lutherus Melancton Calvinus & alii homines ſuſpecti, libros ſuos evulgarunt. Quod ſi ejuſmodi authores in ſuo errore Canonicè declarato & damnato continuent, alioſque libros & opera in eundem finem lucubrent, habita ratione, quod ejuſmodi authores contra cenſuras legitimè factas univerſo mundo cognitas obdureſcunt, meo Judicio illa opera quæ ad erroris ſui confirmationem iteratò vulgant, poſſunt generatim & indefinitè cenſurâ notari, ſicut ab aliquot annis factum video contra Pleſſeum Mornæum, qui crambem à Calvino & aliis identidem recoctam, de integro adornabant ut exponerent. Et quoniam librorum Cenſoribus ex nativo incumbit officio demonſtrare propoſitiones quas notare volunt Juri Divino naturali & Canonico eſſe con-

Digitized by Google

trarias. Profecto neceſſe eſt omnia diligenter expendant & moderentur ad normam ſcripturæ, conſiliorum & conſenſus Catholici Patrum, Doctorum & conſuetudines receptas in Eccleſiâ, teſte Auguſtino can. omnia diſt. 12. Legendus Gerſonius tractatu de *Veritatibus credendis ad ſalutem & de examine doctrinarum* Prima parte operum Gerſonij: amplius etiam adeo cenſuras aliquando non ſimpliciter & abſolutè, ſed reſpectu circumſtantiarum temporis, locorum & perſonarum fieri, verbi cauſa, hæc propoſitio. *Omnes Apoſtoli honore poteſtate & authoritate pares fuerunt*, Legitur apud S. Cyprianum, & alios Patres antiquos in bono quidem & Catholico ſenſu, propterà quod illi Primatum S. Petri juris eſſe Divini, hancque æqualitatem poteſtatis nihil derogare primatui agnoverunt, ut etiam fatetur Bellarminus libr. 4. de Rom. Pontifice cap. 23. & intrà oſtendetur. Contra autem eadem propoſitio non eſt hodiè ferenda in ſecturais, quia Eccleſiæ Romanæ primatum juris eſſe tantum humani perhibent: quocircà naſcente Lutheraniſmo ejuſmodi propoſitionem Cenſurâ notatam à Facultate Pariſienſi in quibuſdam propoſitionibus quæ Melanctoni adſcribuntur, obſervavi nam valdè refert reſcire, quoquiſque propoſito loquatur. Tertio Bucherius errat quidem in Principiis, dum poteſtatem Eccleſiaſticam quæ purè miniſterialis ſpiritualis eſt, cum politicâ poteſtate Parlamenti comparat, quæ abſolutè cogit quod imperat, de quâ re pluribus alias. Inſuper Parlamenti Senatus conſultum in librum Bellarmini nihil excepit, ſed abſolutè & ſimpliciter librum tanquam legibus Regni & authoritati Regiæ infeſtum, prohibuit, vide ſuprà reſponſionem ad tertium argumentum Bucherij. Quarto de Cenſurâ Sorbonæ adverſus miſterium iniquitatis Mornæi, Conſule quæ in hoc ipſo nono argumento paulò antè obſervavi de recta ratione Cenſurarum faciendarum. Quinto quod ait, Vallium ſigillatim errores libri mei notaſſe, ſpero me hac defenſione probaturum Clenchiſtam magno conatu & cæco impetu, magnas nugas & cavillationes cæcas ſparciſſe, ac potiùs convitia quam veritatem quæſiviſſe, ut ignaras percelleret, atque abſoluto dominatu Curiæ Romanæ collegam ſuum innocentiſſimum opprimeret.

Decimo cauſatur fruſtrà Richerium oſtendere quinque Epiſcopos Senonenſis Provinciæ, examini libri de Eccleſiaſticâ & politicâ poteſtate non interfuiſſe; cum certum ſit illos Epiſcopos libellum illum privatim legere & examinare potuiſſe. Quod Bucherius confirmat exemplo Cenſuræ Sorbonicæ in Pleſſæum; nam (inquit) data eſt Provincia viris ſelectis ex ordine Theologico, examinandi myſterium iniquitatis Mornæi, deindè omnes & ſinguli Magiſtri, poſtquam audierant relationem virorum Selectorum, cenſuerunt illum librum, quamquam à ſe non lectum, eſſe damnandum. Hic dupliciter illudis Bucheri, primo quia nullam differentiam inter libros hæreticorum & Catholicorum ſtatuis. Secundo, quia Ordinem à facultate Pariſienſi ſervatum in Cenſurâ Myſterij iniquitatis, non refert. Enim verò poſtquam viri ſelecti à Facultate permulta capita ejuſdem libri delecta habuerunt, eaque ad Facultatem duobus diverſis comitiis, ſigillatim retulerunt, expoſuerunt & perlegerunt, ſicut in Judiciis à cauſæ cognitione (quem vulgo Relatorem nominant) fieri conſuetum eſt, tandem omnes & ſinguli Magiſtri Theologiæ, ubi capita illa iterum atque iterum referri & recognoſci viderunt ac audierunt, eaque ipſimet maturè pon-

Digitized by Google

ponderarunt, ſuam ſuper eâ re ſententiam liberè dicendo, tum notâ quidem Cenſoria librum Mornæi inuſſerunt, ſecus quam in Senonenſi congregatione evenit, ubi libellus de Eccleſiaſticâ & politicâ poteſtate, ne quidem lectus eſt, & ſi lectus fuiſſet, major pars Epiſcoporum Senonenſis Provinciæ, numquam illum potuiſſet intelligere: Nemo enim id poteſt qui non Theologiæ ſtuduerit & hiſtoriam Eccleſiaſticam, præſertim Conciliorum apprimè calluerit, à quâ ſcientiâ quantum plerique illorum alieni ſint, pauci qui illos norunt ignorant, vix enim prima Grammaticæ elementa major pars illorum ita imbibit, ut quæ latinè ſcribuntur, intelligere poſſint, etiam in ſuo Breviario, quorum nomini lubens parco.

Undecimo prætexit, Richerium eo ipſo ab Parlamento Pariſienſi cum ſuo libro tacitè damnatum, quæ in ipſa Camera Cancellariæ diploma ſuæ provocationis ab abuſu repudiatum, nec ullus libellorum ſupplicum, magiſter aut ſecretarius repertus fuit, qui diploma illud vellet obſignare. Attexit, quoque, libellum ſupplicem quem Richerius Curiæ Parlamenti obtulit, repudiatum fuiſſe, & de prima februarij 1612. Senatum richerio imperaviſſe, ut quæcumque haberet exempla libelli ſui, ea in Parlamenti tabularium deferret; Cavillaris, ut aſſoles Bucheri, hæc enim ſunt argumenta legum Regni oppreſſarum & factionum quæ ſub Rege pupillo Bacchabantur. Ab Henrico IV. Superſtite hæc potuiſſe contingere exiſtimas? nam cum D. Nuncius Apoſtolicus, Cardinalis Perronius atque alij Prælati magnas turbas in ſacro Regis Conſiſtorio adverſus Richerium edidiſſent, & nuncius ſe confeſtim Lutetiâ Romam diſceſſurum, inſalutato Rege & Regina minitaretur, niſi Richerius Sindicatu abdicaretur. D. Concellarius Franciæ monuit omnes libellorum ſupplicum magiſtros & ſecretarios Regis, ut caverent diligenter ne diploma appellationis Richerij ſuis Syngraphis authorarent. Idemque primo Præſidi etiam mandatum ex parte Regis & Reginæ, ut ille mihi ipſi dolenter dixit: quæ omnia ad quæſtionem facti pertinent.

Decimo ubi Bucherius hæc argumenta contra Richerij appellationem in aciem explicavit, tranſit ad examen quarumdam propoſitionum libelli mei, quæ propoſitiones quoniam à Vallio fuſius exagitantur, illas infra cum Vallij & aliorum convitiatorum argumentis depellemus.

VIII. Proculdubio nulla unquam anteactis temporibus edita eſt Lucubratio, quæ tantis animorum motibus, factionibus, convitiorum calumniarum & Sycophantiarum plauſtris oppugnata fuerit, quam libellus Richerij: hocquæ Divinâ Providentiâ effectum arbitror, ut eo ipſo tempore quo jactabatur, abſolutam Papæ monarchiam libris Bellarmini & Annalibus Baronij ad ſummum perductam, atque antiquam Sorbonæ doctrinam funditus extirpatam, evulgatione exigui libelli triginta paginarum, ſic enim convitiatores nominant, reviviſceret adeo: ut per multi Doctores Theologi, aliique viri docti & pii, hac de cauſsâ exſtimulati fuerint, ad illius doctrinæ Veritatem ex monimentis conciliorum, hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, & libris Patrum antiquorum eruendam ac divulgandam, ſic enim Deus humana & terrena conſilia, ſæpe in bonum finem dirigit, quia ſolus ex malo bonum poteſt elicere: ita Tertulianus in Apologetico memorat, olim exquiſitiorem crudelitatem Ethnicorum in Chriſtianos, majorem fuiſſe illecebram, quâ homi-

Digitized by Google

nes ad Evangelium incenderentur. *Illa ipſa obſtinatio, quam exprobratis Chriſtianis magiſtra eſt (inquit) quis enim non contemplatione ejus concutitur ad requirendum, quid intus in re ſit, quis non ubi requiſivit accedit.* Hercle, ſi quieviſſent adverſarij, Richerius qui ſibi tantum & muſis ſtuduerat, nec quicquam amplius de hac controverſiâ ſcribere decreverat, etiam à ſcribendo ſuperſediſſet. Idemque etiam vir ornatiſſimus Simeo Vigorius, atque alij permulti qui poſtea ſequentur, feciſſent: ſiquidem maximo, naturæ & veritatis privilegio uno contrariorum in rerum natura exiſtente, ſtatim & aliud pariter contrarium exurgere oportet, ut docent Philoſophi. Quamobrem ſibi convitiatores hoc imputent, & diſcant ſi poſſunt, uti moderatione, cum præſertim in eâ verſentur causâ, quam dumtaxat ſolâ poteſtate abſolutâ & viâ facti valide defendere queunt. Unde tam crebro metus carceris, exilij, delationis Romam, & periculum mortis injectum eſt Richerio. Quem Deus ſua ſingulari gratiâ tanquam pupillam oculi conſervavit, & ſi placet, utque ſperat conſervare continuabit Amen.

Finis Libri Primi.

Digitized by Google

LIBER SECUNDUS.

CAPVT PRIMVM.

I. De methodo quâ Richerius libellum ſuum conſcripſit.

II. Eccleſiam aut Regnum Chriſti, aliquando ſumi pro omnibus fidelibus, aliquando pro ſolo ordine hierarchico, cui Dominus facultatem regendæ Eccleſiæ contulit.

III. Duo axiomata poſita in fronte libelli, de eccleſiaſticâ & politicâ poteſtate explicantur.

IV. Deus creando humanum genus, eidem collectivè atque individuè naturalem poteſtatem ſui tuendi, & conſequenter omnem juriſdictionem ad id neceſſariam ingeneravit.

V. Naturam ſui amantiſſimam, dotes ſibi ingenitas quantùm maximè poteſt congerere; in aliquod æternum atque invariabile principium, cujuſmodi eſt totum, reſpectu ſuarum partium.

VI. Quatuor cauſis eſſentialibus Eccleſiæ à priori demonſtratur, Chriſtum quoad intentionem & exequutionem priùs atque eſſentialiùs toti Eccleſiæ quàm uni Petro, claves detuliſſe, & Eccleſiam velut corpus connaturale Chriſti, ab eodem eſſentialiter informari & regi.

VII. Chriſtum, ut Sacerdos eſt in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech, legiſlator atque hominum redemptor, eſſe cauſam primariam efficientem Eccleſiæ.

VIII. Ordinem hierarchicum, ut Sacerdotio Chriſti donatum, eſſe cauſam efficientem ſecundariam Eccleſiæ, totamque juriſdictionem & poteſtatem clavium, à Chriſti Sacerdotio efficienter manare.

IX. Cardinalem Bellarminum docere poteſtatem juriſdictionis priùs toti ſuppoſito Eccleſiæ, quàm uni & ſoli Petro convenire.

Digitized by Google

X. Cùm Dominus per Spiritum ſanctum totam Eccleſiam velut corpus ſibi connaturale, non aliquod privatum membrum, diſtributivè & ſeorſim informet, idem eſſe dicere Papam eminere ſupra Concilium, quàm ſupra Chriſtum.

XI. Scholam Pariſienſem, quoties de Eccleſia comparatè ad Papam diſſerit, ſemper capere Eccleſiam pro Synodo generali legitimè congregata, quatenùs totum quoddam perfectum informatum à Chriſto conſtituit.

XII. De oculi ſimilitudine quâ officium Paſtorum Eccleſiæ adumbratur.

XIII. Hoc axioma, Deus & natura priùs in totum quàm in partem influit; ſolummodò intelligi de iis quæ dumtaxat naturam partis aut inſtrumenti habent; nequaquam verò de partibus quæ naturam totius potentialis aut motualis retinent.

XIV. Argumenta Vallii contra primum caput libelli de eccleſiaſtica & politica poteſtate, ejuſque infantia, dum hominem denominativè tantùm videre perhibet.

XV. Quod natura inter exequendum & deſignandum æquè in totum & in perfectum intendat, & propter materiæ, atque aliarum circumſtantiarum impedimenta, ſæpè à propoſito avocetur, cogaturque à partibus, non à toto ordinari.

XVI. Cauſam efficientem & finalem ſæpè in eum coincidere

XVII. In rebus moralibus eſſentiam intendi atque remiti, & magis ac minùs frequenter ſuſcipere.

XVIII. Vallium ſylogiſmum quatuor terminorum falſo adſcribere Richerio.

XIX. Contraque omnem ſpeciem veritatis aſſerere Richerium, & Vigerium docere claves datas à Chriſto Laïcis, bajulis & cerdonibus.

XX. Utrum ſi Chriſtus non elegiſſet Petrum in primatem, Eccleſia eundem potuiſſet cooptare primatem, ut placet Almaïno.

1. Libellus de Eccleſiaſticâ & politicâ poteſtate, in octodecim ſectiones aut numeros, diſtribuitur, quos in hac defenſione, capita vocabimus. Sic autem inter ſe cohærent; ut à primo capite, ſecundum à ſecundo, tertium, quartum à tertio, & ita conſequenter, dependeant. Cæterum hoc libro ſecundo, duo priora capita memorati libelli, accuratiſſimè explicabuntur. Quoniam ab aliis, tanquam à primis cauſis, & principiis eſſentialibus hujus controverſiæ reliqua omnia capita procedunt. Cum enim Richerius obſervaſſet quartâ & quintâ ſeſſione Conſtantienſis Concilij, Patres anteomnia certiſſimo & evidentiſſimo fundamento, rerum à ſe gerendarum, hoc præſtituiſſe principium,

Digitized by Google

videlicet, *Eccleſiam immediatè habere authoritatem à Chriſto*, & *Concilium generale legitimè congregatum, Eccleſiam univerſalem, propriè & perfectè repræſentare conſequenterque, Papam directivo & coactivo Eccleſiæ & Concilij univerſalis judicio, ſubjici.* Deinde vero, ſcholam Pariſienſem, in Cenſurâ octo propoſitionum fratris Joannis Sarrazin, eandem velut certiſſimam & potentiſſimam methodum tenuiſſe, idem pariter in libello de Eccleſiaſticâ & Politicâ poteſtate, ſibi faciendum duxit. Quocirca, primum de toto Eccleſiæ ſuppoſito generatim & collectivè ſumpto, ejuſque dotibus & proprietatibus; tum denique, de partibus ac miniſtris ejuſdem ſuppoſiti, ſeorſim & diſtributivè captis, & ad totum ſuppoſitum, cujus ſunt partes, organa & inſtrumenta relatis, ſummatim & compendioſè diſſeruit; propterea quod ei tum animus eſſet, cuidem viro ampliſſimo, & nonnullis Theologis amicis ſuis demonſtrare, quænam eſſent principia doctrinæ majorum ſcholæ Pariſienſis.

II. Ut autem ad futuram diſputationem iter nobis explanemus, initio lectorem præmonitum velim, diligenter obſervet ſicut Regum Poloniæ, verbi causâ (hinc enim lubentius exempla capio, quoniam hujus Regni ſicut & Eccleſiæ principatus electivus eſt, non hereditarius) duobus modis poteſt conſiderari; primum pro Rege & omnibus hominibus ambitu totius Regni Poloniæ contentis, deindè pro ipſo Rege & ſolis magiſtratibus, qui Regnum proportionatum gubernant. Similiter in Sacris Scripturis, Eccleſiam, quæ eſt Regnum Dei, plerumque pro univerſo cœtu fidelium Clericis & Laïcis conjunctim capi, & aliquando pro uno & ſolo ordine hierarchico, cui ſoli Chriſtus fecit poteſtatem regendæ Eccleſiæ. Prioris notionis exemplum, occurrit Lucæ 22. ***Ego diſpono vobis ſicut diſpoſuit mihi Pater meus Regnum &c. Item cap. 1. & 5. Apocalypſeos, & feciſti nos Regnum & Sacerdotes Deo & regnabimus ſuper terram &c.*** Ubi tò Regnum generatim de omnibus Chriſtianis, Clericis & Laïcis, intelligitur, qui Eccleſiam Chriſti conſtituunt. Item actorum 20. ***Attendite vobis & univerſo gregi, in quo vos Spiritus S. poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.*** Ait enim tò, Eccleſiam Dei; pro totâ Eccleſiâ Catholicâ ſumitur. Contra autem Matthæi 18. ***Dic Eccleſiæ, quæ Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & publicanus. Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis ſuper terram &c.*** Nomine Eccleſiæ ſolus ordo Hierarchicus, cui Dominus facultatem ligandi & ſolvendi tribuit, ſignificatur. Idem matth. 20. ***Iterum dico vobis quia auferetur à vobis Regnum Dei. per Regnum Dei.*** Viſibile Regimen Eccleſiæ, quod proprium eſt Sacerdotibus, & ablatum eſt Judæis, deſignatur, teſte S. Hieronymo cap. 31 commentariorum in Job. Porro juxta hanc duplicem Regni & Eccleſiæ Chriſti acceptionem, id eſt, ſive pro omnibus fidelibus, ſive pro ſolis Clericis, uſurpetur. ***Omnes quidem ſumus unum corpus, in Chriſto, alter alterius membra Roman. 12.*** De nobis invicem proportionatim ſolliciti, ne ſit Schiſma in corpore 1. Corinth. 12. hæc autem præmittenda cenſui, quia paſſim in hac defenſione nobis futura eſt diſputatio de Eccleſiâ, tanquam de toto. Profecto ſecundum utramque acceptionem, regnum Dei, quod animatur & vivificatur à Chriſto, capite eſſentiali & viſibili Eccleſiæ. Hic ergo, mere geometrarum ſua Theoremota ſibi concedi poſtulantium, lectorem rogo, mihi quoque mea præcepta tanquam certa, concedat. Atque tantiſper ſuum judicium ſuſpendat, quo ad illa propriis locis commodius explicavero; ne hic maligni obtrectatores in pro-

Digitized by Google

poſitionibus hiulcis & ſemiexplicatis hæreant, ſuaque ſolemnia, Hæreticus, Schiſmaticus, impoſtor, calumniator, &c. Occinant. Certè ut eorum quærelis occurrerem, ſæpè in meis Lucubrationibus, aliqua cum faſtidio, contra Logicæ regulas, quæ de unâ & eâdem re ſimul & ſemel agi volunt, iterare cogor.

III. Prima caput libri de Eccleſiaſticâ & Politicâ poteſtate, duo continent axiomata & unam ſimilitudinem ductam ab oculi natura, de quibus privatim dicendum eſt. Primum axioma eſt, *Deum & naturam, quæ ſunt cauſa univerſaliſſimæ, priùs atque immediatius toti ſuppoſito; quam alicui parti ſuppoſiti, quanquam nobiliſſimæ, ſuam perfectionem eſſentialiter largiri.* Hic autem nomine ſuppoſiti, totum quodcumque ſuis abſolutum numeris, intelligo, eique ſuam perfectionem eſſentialiter, priuſquam partibus conferri demonſtro; quia planè externum & accidentarium eſt cauſis univerſalibus, ut à ſingulis partibus, priuſquam à toto ordinentur, hoc enim accidit propter materiæ, & aliarum cauſarum ſecundarum imbecillitatem, ut fuſius in depulſione argumentorum Vallij oſtendetur. Et hæc de primo axiomate, quod ab ipſâ naturâ ducitur, & ab illo ſecundum axioma, tanquam ſpecies à genere, manat, ac jure Divino innoteſcit, ſicque concipitur. *Chriſtus Dominus fundando Eccleſiam Sacerdotalem aut Hierarchicum ordinem, prius atque immediatius ac eſſentialius, Claves aut juriſdictionem Eccleſiaſticam, toti Hierarchico ordini collectim & in commune, quam uni & ſoli Petro contulit: nam potentia agendi, principalius eſt in toto, quam in partibus, quæ ſunt inſtrumenta totius, principalius enim homo dicitur videre quam oculus. Quare cum Eccleſia incluſo etiam Papâ, ſit quoddam totum, & Papa ſit pars quadam atque inſtrumentum hujus totius, ſequitur principalius convenire ipſi Eccleſiæ ſummam poteſtatem Eccleſiaſticam, quam Papæ.* Notandumque in hoc axiomate, Eccleſiam capi pro Hierarchico ordine, totum quoddam perfectum conſtituente, quod totum Apoſtoli referebant, & ideo nomine totius ordinis Hierarchici; individuè, collectim & in commune, Claves habuerunt à Chriſto. Exquo fit, ut ordo hierarchicus, ſivè Eccleſia Sacerdotalis, Claves poſſideat Architextonicè quoad Dominium & proprietatem. Petrus autem, Paulus, Joannes, Andreas & alii Apoſtoli aut Epiſcopi, ſigillatim & diſtributivè ſumpti, quoad uſum dumtaxat, exercitium, exequutionem & miniſterium. Unde exurgit regimen Eccleſiæ, & conſtitutionem Canonum, eſſe Ariſtocraticum: contra vero exequutionem regiminis, Monarchicam, eoquod ejuſmodi executio, ſingularibus Prælatis proportionatim & reſpectivè competat. Si quidem Claves datæ ſunt individuè & conjunctim toti Eccleſiæ ſacerdotali, ut ab uno ſingulari Sacerdote exerceantur & exequutioni mandentur. En epitoma totius libelli de Eccleſiaſticâ & Politicâ poteſtate. Primum (inquam) axioma lege naturali, ſecundum jure Divino, demonſtratur. Deus enim ex æquo naturæ quam gratiæ author eſt, & jus naturale, nos quaſi manu ad Legis Divinæ cognitionem deducit: idque adeo, ut quoties Sacra Scriptura præter aut ſupra jus naturale nihil præcipit, ad juris naturalis normam intrepidè confugere, eamque ſequi debeamus. Joannes Major cap. 18. in Matthæum, *Quilibet ſequi tenetur modum, qui eſt lumini naturali conformior, niſi de oppoſito doceatur per Legem Divinam* (*inquit*) Quocirca ſicut jure naturali omnis perfecta ſocietas, priùs, immediatus ac eſſentialiter, poteſtatem habet ſe ipſam gubernandi habitu & in actu ſignato, antequam aliqui homines & magi-

Digitized by Google

ſtratus eam habeant poteſtatem Monarchicè, Ariſtocraticè aut Democraticè in actu exercito: pariter etiam Eccleſia aut Regnum Chriſti, pro ordine Hierarchico ſumptum, prius immediatius ac eſſentialius, habet à Chriſto facultatem ſeſe regendi, radicaliter, originaliter & in actu ſignato, quam ullus Prælatus ſingularis, ejuſmodi poteſtatem habeat in actu exercito. Itaque ſicut à Regno Poloniæ, verbi cauſa, efficienter, originaliter, radicaliter, virtualiter ac per dominium, poteſtas ſupremâ in Regem electum transfunditur, & Rex eſt membrum atque inſtrumentum totius Regni Poloniæ (hic enim de ſtatu electivo agitur) ita etiam Eccleſia Sacerdotalis collectim ſumpta, authoritatem in Papam & alios ſingulares Prælatos, quos deligit & ordinat, tranſmittit.

IV. Almainus cap. 1. & 7. de Eccleſiæ authoritate. *Sicut Deus creando humanum genus, indidit ei naturalem poteſtatem juriſdictionis ad finem naturalem, & non alicui ſuppoſito ſingulari, regulariter (hac enim poteſtas communicata eſt particularibus ſuppoſitis à communitate, qua ſunt velut communitatis miniſtri in exercitio illius poteſtatis) ita Chriſtus, regenerando Eccleſiam ad finem ſupernaturalem, ei illam poteſtatem poſitivam, ad illum finem communicavit, quam poſſet & etiam teneretur (cum non ſemper poſſit eſſe congregata) alicui ſuppoſito communicare, qui, ut miniſter Eccleſia, hanc poteſtatem Eccleſia exercere: & ſicut communitatem aliquando Deus prævenit, communicans alicui ſuppoſito civilem poteſtatem, ut Moyſi ſuper Populum Iſraël & Chiſtus Eccleſiam prævenit, communicando Eccleſiaſticam poteſtatem poſitivam Petro, ut vice Eccleſia eam exerceret, quam Eccleſia ei potuiſſet communicare, cum prius eſſet à Chriſto inſtituta, & Eccleſia collata.* Hæc Almaïnus, qui poteſtatem Eccleſiaſticam vocat poſitivam, quoniam nominatim & explicatè, ponitur & aſſeritur in ſcripturis Matthæi 18. dic Eccleſiæ. *Quicumque Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus. Amen dico vobis quacumque alligaveritis, &c.*

V. Horum autem axiomatum, hæc certa, evidens & neceſſaria, poteſt aſſignari ratio, nimirum, quod natura, ſui & æternitatis amantiſſima, ut ſe ipſam faciliùs & accuratiùs conſervet, tueatur & propaget, illas quantum fieri poteſt, in aliquod principium, maxime commune, generale, abſolutum, æternum & invariabile, congerat & recondat, ut dum neceſſe eſt, propagetur, & ex illo ac æterno principio, velut promo condo hauriatur, ac ſingularibus ſuppoſitis, quoad uſum & executionem communicetur. Porrò totum ad ſuas partes collatum, vim & rationem habere abſoluti, æterni atque invariabilis principij, nemo ambiget, qui ſciverit quamcumque partem nullomodo poſſe vigere & conſervari, niſi in toto & per totum, cujus eſt pars; adeo ut quælibet pars, ſuum eſſe, ſuam perfectionem & durationem, à toto mutuetur: quod eſt præſertim de toto politico intelligendum: quia non ita interitui obnoxium, ſicut partes ſigillatim & diviſim ſumptæ. D. Thomas. 22. quæſt. 64. art. 2. *Omnis pars ordinatur ad totum, ut imperfectum ad perfectum, & ideo omnis pars, eſt naturaliter propter totum.*

VI. Sed ut veritas hujus Doctrinæ ſolidiùs roboretur, duo illa axiomata, ex collatione cauſarum eſſentialium poteſtatis Eccleſiaſticæ confirmabimus; ut omnibus etiam pueris innoteſcat, quam partem S. Petrus & Pontifices Romani, in ejuſmodi cauſis, ſuper alios Epiſcopos & Sacerdotes, habere poſſint. Hic autem ſemper de Regno Chriſti & Eccleſiâ Sermonem habeo, tanquam de toto quodam pefrecto ſuiſque numeris abſoluto, juxta duplicem totius acceptionem ſuprà expli-

Digitized by Google

catam, ſimilitudine Regni Poloniæ. Neque opus eſt omnia de cauſis eſſentialibus Eccleſiæ recenſere, quæ axiomate XIV. Apologiæ diſputavi. Solummodo dicam, cauſam finalem, eſſe unitatem Eccleſiæ, & communicationem Sanctorum in vitam æternam, ope boni Regiminis Eccleſiæ Joan. 17. *hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum &c. Rogo ut omnes unum ſint, ſicut tu pater in me, & ſint conſummati in unum &c. Quam ad unitatem & communionem Sanctorum omnes Chriſtianos Epiſcopos & Sacerdotes, ex æquo non unum Petrum aut Papam vocari, etiam fœminæ norunt.* Materialis autem cauſa Eccleſiæ, omnes Chriſtiani univerſim & collectivè ſumpti, quatenus unum Corpus myſticum & politicum efficiunt in Chriſto; nam multi unum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra. Quare in genere cauſæ materialis, cuncti Chriſtiani, ex æquo ſunt membra in Chriſto, & commembra inter ſe, neque hac notione, Petrus aut Papa, rationem aut naturam capitis, ſed membri dumtaxat, & commembri corporis Eccleſiæ, ſub Chriſto poteſt obtinere, ita ut Chriſtus ex æquo ſit caput omnium Chriſtianorum, & in hoc genere cauſæ, priùs ad eſſe Chriſtianum, quam ad eſſe Papale, Epiſcopale aut Presbyterale, ſeſe determinet ac definiat: unde nemo poteſt eſſe Papa, Epiſcopus aut Presbyter, niſi baptiſatus. Cauſa formalis, eſt ipſemet Chriſtus, Deus homo, natura ſua viſibilis, quamquam actu non videatur, quia hæc actualis viſibilitas Chriſti, nihil ad eſſentiale & internum regimen Eccleſiæ neceſſaria eſt. Nam Eccleſia Chriſto, tanquam capiti ſuo eſſentiali, viſibili & connaturali; per gratiam & naturæ conformitatem, conjungitur; unde ab illo per Spiritum Sanctum animatur, vivificatur, informatur ac dirigitur, ſicut anima rationalis, totum corpus organicum pro varietate ac proportione organorum diverſorum, informat. Itaque quemadmodum anima, videt oculis, auribus auſcultat, lingua loquitur, cerebro ratiocinatur, *Pariter in Eccleſiâ diviſiones gratiarum ſunt, idem autem Spiritus; & diviſiones miniſtrationum ſunt, idem autem Dominus & diviſiones operationum ſunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus. Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus dividens ſingulis prout vult* 1. *corinth.* 12. & 4. *ad Epheſios, veritatem autem facientes, in charitate creſcamus in illo per omnia qui eſt Caput Chriſtus, ex quo totum corpus compactum & connexum per omnem juncturam ſubminiſtrationis, ſecundum operationem in menſuram uniuſcujuſque membri, augmentum corporis facit, in ædificationem ſui in charitate.* Quem ad locum Chryſoſthomus. *ſicut Spiritus qui deſcendit à cerebro ſentiendi facultatem, quæ eſt per nervos, non abſolutè dat omnibus, ſed pro convenientiâ & proportione uniuſcuiuſque membri, ei quidem quod plus poteſt ſuſcipere amplius, minus autem ei, quod minus, hoc autem eſt radix nempe Spiritus, ſic etiam Chriſtus, animabus enim, tanquam membris ei appenſis, ejus providentiæ & Chriſmatum ſuppeditatio, congruenter proportioni & convenientiæ, in menſurâ incrementum facit unius cujusque membri.* Cæterum ego poſt S. Thomam & Guillelmum Eſtium cap. 1. ad Epheſios, in hæc verba; *& ipſum dedit caput ſupra omnem Eccleſiam*, Item cap. 1. ad Coloſſenſes, *& ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ qui eſt principium primogenitus ex mortuis, ut ſit in omnibus ipſe primatum tenens.* Dixi Eccleſiam eſſe tanquam corpus connaturale Chriſti, quoniam Eccleſia per naturæ conformitatem Chriſto conjungitur, ut notatum eſt. In hoc genere cauſæ formalis, nullus quidem locus, Petro aut Papæ tanquam capiti eſſentiali Eccleſiæ proportionatim informa-

Digitized by Google

tur, animatur & vivificatur à Chriſto per ſpiritum ſanctum Eccleſiæ rectorem, qui omnia in omnibus operatur, dividens ſingulis prout vult, quandoquidem *neque qui plantat*, *Neque qui regat ſed qui incrementum dat Deus* 1. *corinth. cap.* 3. Hoc autem etiam, in ratione Regiminis Eccleſiæ, debere intelligi certum eſt: quia Eccleſia Sacerdotalis, etiam unum corpus efficit in Chriſto, cujus omnes Apoſtoli & diſcipuli, atque etiam Epiſcopi & preſbyteri, qui Apoſtolis & Diſcipulis ſucceſſerunt, ſicut proportionatim membra de ſe invicem ſollicita, ne ſit Schiſma in corpore, unde cum in ratione gubernationis, Dominus ſit caput eſſentiale ideo etiam omnia membra, non unicum & ſolum Papam informat, vivificat & dirigit. Ratio eſt, quoniam cuncta membra Charitate & neceſſitudine mutua, non abſoluto dominatu, inter ſeſe colligari voluit, ne unum alteri dicere poſſet, quod corpori Eccleſiæ non eſſet neceſſarium. 1. Corint. 12. Item ne reliquis membris, ullam occaſionem torpendi, aut ſeſe negligendi, atque ipſi Papæ cauſam ſuperbiendi, & alia membra opprimendi per Tyrannidem, præberet. Valeant igitur qui perſuadere volunt, Papam tanquam caput eſſentiale Eccleſiæ aliquid in Eccleſiam influere, & Concilium legitimè congregatum, ut Conſtantienſe & Baſileenſe, verbi cauſa, propter Papæ abſentiam, cui intereſſe noluit, eſſe Achephalum. Hercle quidem, Pontifex Romanus, ſecundum omnia genera cauſarum eſſentialium, poteſt dumtaxat habere rationem membri, non capitis Eccleſiæ, quod eſt apprimè notandum.

VII. Jam de cauſâ efficiente videamus, quæ duplex eſt primaria nimirum, interna ac eſſentialis Chriſtus Dominus, & ſecundaria æterna, miniſterialis atque inſtrumentalis, Ordo Hierarchicus. notandum que, Chriſtum ut Sacerdotem in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech, eſſe cauſam primariam efficientem Eccleſiæ, quam fundavit & proprio ſanguine acquiſivit. 5. ad Epheſios verſu. 25. & cap. 5. & 10. item 1. ad Coloſſenſes 18. Verum, ſi Eccleſiam conſideremus pro toto actu fidelium, aut pro ſolo ordine hierarchico, juxta duplicem notionem Regni Chriſti, ſuperius poſitam, nemini dubium eſſe poteſt, quin Chriſtus, ut cauſa efficiens Eccleſiæ, prius & immediatius in omnes fideles vel in totum Ordinem hierarchicum, collectim ſumptum agat, quam in aliquam partem, puta in S. Petrum aut Papam: Nam quotuſquiſque non videt, Chriſtum prius, immediatius pro tota Eccleſia ſponſa, quam pro uno & ſingulari homine, paſſum fuiſſe? An non quicquid Dominus ſingularibus largitur, & illis per & propter Eccleſiam ſponſam impartiri ſolet? Exquo fit, ut ipſemet Papa dum Miſſam celebrat, Sacramenta miniſtrat, cenſuras in aliquem diſtringit, indulgentias fundit &c. nihil quicquam rati & firmi gerat, niſi nomine, authoritate, virtute atque intentione Eccleſiæ cui Chriſtus Claves Architectonicè per Dominium & proprietatem contulit: & ideo Papa eſt filius, membrum atque Miniſter Eccleſiæ à quâ etiam Sacerdotium Chriſti, una cum poteſtate Clavium mutuatur: quam ob cauſam, ab illâ, tanquam à parente, peccatorum ſuorum remiſſionem, cæteraque Sacramenta petere & more aliorum hominum, hunc articulum fidei profiteri tenetur. *Credo ſanctam Eccleſiam Catholicam*, *Sanctorum Communionem*, *Remiſſionem peccatorum &c.*

VIII. Verum cauſa efficiens ſecundaria, inſtrumentalis & miniſterialis, Eccleſiæ,

Digitized by Google

eſt Ordo Hierarchicus collectivè ſumptus, quem Dominus inſtituit communicatione ſui Sacerdotij æterni. Cum enim authore Apoſtolo Hebræ 7. Poſito vel translato Sacerdotio ponatur quoque vel transferatur legum transferendarum authoritas; inſurgit à Sacerdotio Chriſti, communicato Eccleſiæ, velut à cauſâ efficiente phiſica, fonte & radice, totam juriſdictionem Eccleſiaſticam & poteſtatem Clavium atque omnem internum atque externum influxum Regiminis, Eccleſiæ dimanare, ut amplius capite ſequenti probatur. Cum ergo Dominus Noſter Sacerdotium ſuum toti Eccleſiæ Sacerdotali, quam Apoſtoli referebant, immediatè individuè & collectim, non autem uni & ſoli Petro, ſeorſim contulerit, atque amplius eidem Sacerdotio omnes Chriſtianos nomine dempto, abſolutè ſubdi voluerit, axiomate XVI. Apologiæ noſtræ, ſtatuendum eſt Juriſdictionem Eccleſiaſticam, etiam externam & ſupremam, immediatius atque eſſentialius toti Hierarchico Ordini collectim ſumpto, quam uni & ſoli Papæ ineſſe, continuoque Petrum & Papam, toti Eccleſiæ Sacerdotali eſſe ſubditos. Quidni enim, pars toti, & membrum corpori, atque effectus cauſæ ſuæ ſubjiceretur. Si quidem Papa, ſi ad totam Eccleſiam, collectim ſumptam referatur eſt tanquam pars, membrum atque effectus, quia Claves & Sacerdotium Chriſti, habet ab Eccleſiâ matre ſuâ.

IX. Proculdubio Bellarminus lib. 2. de Conciliorum authoritate cap. 19. ubi hæc argumenta Gerſonij diluere conatur, ſcilicet, *Totum virtute & mole, majus eſſe ſua parte, & propter quodque tale, & illud magis.* Collectionem hanc, jam alias à Franciſco victoria propoſitam, relectione 2, de Poteſtate Eccleſiæ, ſectione prima, ſolvere nititur. *At contra inſtant, ait, ſemper potentia agendi, principalius eſt in toto, quam in partibus, quæ ſunt inſtrumenta totius, principalius enim dicitur homo videre, quam oculus, quare cum Eccleſia, incluſo etiam Papâ ſit quoddam totum, & Papa ſit pars quædam & inſtrumentum hujus totius, ſequitur principalius convenire ipſi Eccleſiæ ſummam poteſtatem Eccleſiaſticam, quam Papæ. Hanc vero collectionem, Bellarminus duplici reſponſione fruſtra ſolvere tentat. Reſpondeo ait, aliud eſſe judicium de corpore Eccleſiæ, & de corporibus naturalibus. Nam in corporibus naturalibus, virtus procedit ab eſſentiâ ad potentias; ideo principalius dicitur totum agere, quam ulla pars ſeu potentia; at in corpore Eccleſiæ, virtus non procedit ab eſſentia ad potentias ſeu partes, ſed ab extrinſeco. Papa enim, qui eſt caput Eccleſiæ, non habet ab Eccleſiâ, ſed à Deo authoritatem, & ideo principale agens, non eſt Eccleſia, ſed Deus.* En prima reſponſio Bellarmini quæ non probat, ſed Sophiſticè ſupponit, Papam non habere ab Eccleſiâ virtutem & poteſtatem, quod eſt falſum: quoniam tota juriſdictio Eccleſiaſtica, efficienter & quaſi Phyſicè à Chriſti Sacerdotio communicato Eccleſiæ, ut propagaretur, ad poſteros, maneat. Ex quo inſurgit, Papam qui ab Eccleſiâ & Sacerdos & Epiſcopos ordinatur, unà etiam juriſdictionem ab Eccleſiâ dirivare, & quamquam prima authoritatis Eccleſiaſticæ inſtitutio & communicatio Chriſti Sacerdotij, ſit à Chriſto fundatore Eccleſiæ, tamen diſpenſatio & propagatio ejuſdem, eſt ab Eccleſiâ: deindè quæſtionis eſt, an Chriſtus dici poſſit extrinſecus aut externus Eccleſiæ, ut perſuadere vult Bellarminus aſſerens poteſtatem Eccleſiaſticam venire ab extrinſeco. Certè Chriſtus caput internum ac eſſentiale Eccleſiæ, neque in genere cauſæ formalis, neque etiam in genere cauſæ efficientis (quæ Philoſophis externa dicitur in rebus

Digitized by Google

naturalibus) poteſt ullomodo dici extrinſecus Eccleſiæ , cum polliceatur ſe perpetuo atque intrinſecè , Eccleſiæ ſponſæ , non uni & ſoli Petro , aut Papæ , adfuturum. Matthæi. 18. *Ubicumque duo vel tres congregati fuerint in nomine meo , ibi ſum in medio eorum , & cap. ultimo. ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi.* Profectò Bellarminus imbecillitatis ſuæ prioris reſponſionis ſibi conſcius , alteram profert , quâ argumentum quod labefactandum ſumpſit , omnino roborat : ſecundo dici poteſt (inquit) *Principale agens , in quolibet corpore , ſemper eſſe ipſum ſuppoſitum ; quod ſuſtentat & movet omnia membra porro ſuppoſitum corporis Eccleſiæ eſt Chriſtus , ut enim , cum dicimus , hoc eſt corpus Petri vel Pauli , illud Petri vel Pauli ſonat ſuppoſitum , ita cum dicimus Eccleſia eſt corpus Chriſti , illud Chriſti , ſonat ſuppoſitum & hocmodo concedimus , Papam eſſe inſtrumentum corporis Eccleſiæ , & quoddam minus ipſo toto , ut nimirum in toto Chriſtum ipſum , ut ſuppoſitum includimus.*

X. Hic obſervas Lector, Bellarminum tandem fateri Papam eſſe inſtrumentum ſeu Miniſtrum Eccleſiæ , quatenus Chriſtus , ut Eccleſiæ ſuppoſitum , in toto Eccleſiæ corpore includitur : Quo ſenſu, Eccleſiam & Concilium Generale legitimè congregatum, eſſe ſuprà Papam contendit , ſicque herbam victus porrigit , quoniam inductione factâ per omnia genera cauſarum eſſentialium Eccleſiæ, demonſtravimus Chriſtum ſeſe priùs, immediatiùs & eſſenſialiùs toti Eccleſiæ Collectim ſumptæ, quam parti addixiſſe : propterea quod Eccleſia eſt corpus connaturale Chriſti , & conſequenter à Chriſto informatur & vivificatur : ſicut Corpus organicum ab anima rationali , partes vero hujus corporis , per & propter totum animantur. Quare Matthæ. 18. *Unitati , non uni,* gratiam infallibilem pollicetur , *ubicumque fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum* quâ formulâ omnem ſingularitatem Monarchicam excludit. Itaque ſicut tò rationale , quia eſt de hominis eſſentia, ne quidem per animi actionem poteſt ab homine abſtrahi ; ſimiliter ſtante lege Evangelicâ , impoſſibile eſt Chriſtum non informare & vivificare Eccleſiam ſponſam, alioqui corpori ſuo connaturali deeſſet. Contra autem, eâdem lege Evangelicâ ſtante , poſſibile eſt Chriſtum, non informare & vivificare Petrum aut Papam, tam in ratione gratiæ ſanctificantis , quam in ratione regiminis Eccleſiæ ; hinc fit *ut Paulus Petrum reprehenderit , quod non rectè ambularet ad veritatem* Evangelij ; & Marcellinus Idolis Thurificaverit , Liberius Arrianiſmo ſubſcripſerit , & Honorius Monotheliſmum docuerit. Si quidem Petrus & Prælati , *ſeorſim* & diſtributivè ſumpti, ſunt inadæquatum & partiale, univerſa autem Eccleſia collectim ſumpta , eſt adæquatum & totale ſubjectum chariſmatum Chriſti : undè Doctor Chriſtianiſſimus de poteſtate Eccleſiaſticâ conſiderat 7. aſſerit , *Quærere an Papalis authoritas , eſt major quam Eccleſia vel è converſo redire in idem ac ſi peteretur , nonne totum eſt majus ſuâ parte , vel pars major ſuo toto* ; & Joannes Quintinus ad Calcem Commentarij in caput *Novit de judiciis :* ex hac Gerſon concluſione, dogmaticè infert, *Idem planè diſputare , utrum Papa ſit ſuprà Concilium , an verò ſit ſupra Chriſtum* ; ratio, & quidem certiſſima atque evidentiſſima hujus rei eſt , quod fide Catholicâ tenere debeamus, Chriſtum caput eſſentiale Eccleſiæ , totam Eccleſiam , ut Corpus ſibi per naturæ conformitatem adæquatè & totaliter unitum , gratiâ atque omnibus donis cæleſtibus , ad implendum numerum electorum neceſſariis , animare, vivificare & gubernare. Deindè Concilium univerſale legitimè congregatum , propriè

Digitized by Google

eminenter & Architectonicè, Catholicam Eccleſiam repræſentare, axiomate xxj. Apologiæ, habereque rationem totius & perfecti, atque per internum ac eſſentialem influxum Spiritus Sancti, dirigi & gubernari. Quare ſive Papa ad totam Eccleſiam, quæ numquam poteſt in unum conventum congregari, ſive ad Concilium generale legitimè congregatum, referatur, eſt ſolummodo pars, membrum, inſtrumentum, miniſter & caput miniſteriale.

XI. Proculdubio Doctores Pariſienſes cum de Eccleſiâ, comparatè ad Papam diſputant, ſemper Eccleſiam capiunt pro toto ſuis abſoluto numeris, quod à Chriſto capite informatur & dirigitur, juxta hoc Domini Oraculum, nunquam ſat is laudatum, ubicumque fuerint *duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* Matth. 18. Conſule axioma xvj. xviij. & xix. Apologiæ noſtræ, & apud te ſtatuito, Chriſtum in Eccleſiæ corpore, ut ſuppoſitum & caput eſſentiale, ſemper includi; atque Ordinem hierarchicum, collectivè ſumptum, quoniam eſt totale & adæquatum ſubjectum Sacerdotij Chriſti, cauſam efficientem, ſecundariam Eccleſiæ conſtituere: id enim toto hoc libro dogmaticè & analiticè demonſtrabitur.

XII. Explicatis duobus axiomatibus, ſupereſt de ſimilitudine oculi diſputemus, quam ad memorata axiomata illuſtranda & confirmanda, uſurpavimus. Certè Pontificis & Epiſcoporum Officium, nullâ re aliâ accuratiùs, quam oculi ſimulachro, poteſt adumbrari, quia Prælati & præpoſiti omnes, inſtar oculorum, qui perpetes agunt excubias, primi omnium membrorum corporis exſurgunt, atque ultimi quieſcunt, continuas Vigilias pro ſalute gregis, agere debent; in cujus rei hieroglyphicum, majores noſtri, cum prælatos ſui Officij communefacere vellent, ſapienter in pinnaculis & crepidinibus templorum, volubile Galli Gallinacei ſimulachrum, erigi voluerunt. Quandoquidem enim Epiſcopi ſunt *Lux Mundi;* *Matth.* 5. diligenter videre debent, *ne quod in eis Lumen eſt tenebræ fiant*, Luc. xj. hinc enim teſte Chryſoſtomo hom. 43. in Matthæum. *Accidit, ut Clerici quando mali ſint, non tam facile quam Laïci delinquentes, emendentur.*

Proculdubio antiqui Patres paſſim Epiſcopos & oculo & Lucernæ comparant. Gregorius Nazianzenus Epiſt. 30. inter S. Baſilij Epiſtolas, & Hilarius in Pſal. 130. Itaque *Apoſtoli*, ait *qui Eccleſiæ, id eſt Corporis Chriſti oculi ſunt, Lucidi & ſimplices eſſe jubentur, corpore toto lucido bis ſimplicibus manſuro.* Item can. Oves 6. quæſt. 1. *Epiſcopi oculi Eccleſiæ nominantur.* Denique Anaſtaſius Bibliothecarius, in Præfatione Synodi Octavæ, in æditione Romanâ Conciliorum generalium quinque ſedes Patriarchales, quinque ſedibus humani corporis, & ſedem Romanam oculo comparat, *deindè ait; quia cum Chriſtus in corpore ſuo, quod eſt Eccleſia, tot Patriarchales, quot in cujuſque mortali corpore ſenſus locaverit. Profecto nihil generalitati deeſt motui corporis, ſi omnes quinque ſenſus integræ communiſque fuerint ſanitatis: integras videlicet ſedes, quia Romana præcellit, non immerito viſui comparatur qui profecto cunctis ſenſibus præminet, acutiorque illis exiſtens & communionem ſicut nullus eorum, cum omnibus habens. Hæc ille, cui & Vallius penè conſentit pag. 2. Elenchi, ſummus Pontifex ait, eſt in Eccleſia, quod in homine oculus, unde oculus nunquam niſi cum evidenti periculo contrectatur. Item pag. 4. Quod in mundo ſol & in corpore oculus, hoc in Eccleſia ſupremus Pontifex.* Eadem & Cajetanus memo-

rat, cap, 5. & 17. Apologiæ *de comparata authoritate Papæ & conſilij*: Sed uterque toto errat Cælo, dum fingunt, ſicut homo non videt niſi per oculum, ita Eccleſiam non habere lumen & juriſdictionem ſpiritualem, niſi per Papam: nam Ordo Hierarchicus totus quantus oculus eſt, totus lumen & ſol mundi, quia eſt adæquatum & totale ſubjectum Sacerdotij Chriſti, cui Papa tanquam partiale ſubjectum ſubjicitur. Quare dum Cajetanus perhibet, Eccleſiam per Papam, velut per oculum illuminari, ludit æquivocatione vocis Eccleſia; ſi enim de Eccleſiâ, ſolum pro Laicis ſumpta loquatur, vera dicit, ſi unà ſacerdotalem Eccleſiam collectim ſumptam intelligit, falſum atque erroneum eſt, cum potius Papa à toto dirigi & illuminari debeat, & de facto illuminetur per Socerdotij Chriſti collationem quod ei confertur ab Eccleſia.

XIII. Cæterum dato, quod prius, immediatiùs ac eſſentialiùs, Claves toti ſuppoſito Eccleſiæ, quam ulli parti Eccleſiæ datæ ſint à Deo, permagnus error inde ſequi videtur, ſcilicet Claves & poteſtatem Eccleſiaſticam, prius, immediatiùs ac eſſentialibus toti ſuppoſito Eccleſiæ, quam uni Chriſto, qui tamen eas tanquam caput eſſentiale & forma Eccleſiæ, ſponſæ largitur, competere, idque hæreſim redolet. Sed reſpondeo illa duo axiomata ſuperius explicata, capi oportere de ſuppoſitio cujus partes ſuppoſitum conſtituuntes, habent tantummodo naturam & rationem partis atque inſtrumenti, & non totius virtualis ac potentialis, quia partes quæ totius potentialis & virtualis naturam obtinent, non modo eminenter, continet dotes, facultates & potentias ad agendum neceſſarias; verum etiam illas efficiunt & conſtituunt. Sic anima rationalis eſt tanquam totum potentiale quod facultatem intelligendi, ratiocinandi, volendi & reminiſcendi continet atque efficit. Similiter Pater familias, reſpectu familiæ: quare ſicut tota familia, eſſe, virtutem, motum atque operationem à Patre familias mutuatur: *Ita totum Eccleſiæ corpus, vitam atque augmentum capit à Chriſto, ſecundum operationem in menſuram uniuſcujuſque membri 5. ad Epheſios.* Quoniam Chriſtus *omnia in omnibus operatur*, & ut ait Auguſtinus libro de unitate Eccleſiæ, cap. 4. *Totus Chriſtus & Caput & corpus eſt*: Aut ut ſupra ait Bellarminus, *Eſt ſuppoſitum Eccleſiæ*. Unde quamquam dicatur caput Eccleſiæ, non tamen pars aut membrum dici poteſt, ſicut caput naturale corporis alicujus. Legendus eſt de Turrecremata lib. 2, de Eccleſia cap, 42. At vero Papa, ſive ad totam Eccleſiam ſumptam pro omnibus Chriſtianis, ſive ad ordinem Hierarchicum collectim ſumptum comparetur, eſt ſolummodo pars, membrum, inſtrumentum miniſter & caput miniſteriale; ſuamque virtutem & authoritatem habet à toto ſuppoſito, idque poſt hac, fuſius declarabitur.

XIV. Tranſeo ad argumenta Vallij, contra primum caput libelli de Eccleſiaſticâ & Politicâ poteſtate. Certe in Elencho ſuo & lib. De ſuprema poteſtate Papæ, abſque arte & judicio, quicquid in Buccam venit effutit (quæque habet tolerabiliora, ſuo certe Bellarmino accepta debet. Nihilominus ut famam eruditionis & alicujus lectionis inter homines ignaros mereatur, ingratus diſcipulus, numquam Bellarminum, perquem in hoc genere profecit & ſcribit, laudat. Ut igitur ad rem veniamus: primo pag. 12. Elenchi obtendit, ineptè dictum à me *Oculum eſſe per hominem, quia (inquit) ſimul ſunt oculus & homo: neque unus eſt altero prior aut poſte-*

Digitized by Google

rior : imò cum oculus ſit pars hominis , & partes totum ipſum , ſaltem ordine naturæ præcedant , potiùs homo erit per oculum & alias partes , quam ipſe per hominem. Deinde pag. 17. *Addit ſolum oculum eſſentialiter & immediatè : hominem verò tantum denominativè & mediantè , oculo videre.* Quæ redargutio planè inſulſa atque indigna eſt profeſſoris, Theologiæ : nam ſi de hac controverſia judicandum eſſet , quia oculus & homo ſimul ſunt , neque unus altero prior aut poſterior eſt : à pari liceret inferre , ſubſtantiam quæ ſine quantitate & aliis accidentibus non ſubſiſtit , natura priorem non eſſe accidentibus. Deinde quod venditat , partes ordine naturæ totum præcedere, conſequenter hominem potius eſſe per oculum & alias partes , quam contra &c. Lectorem fruſtratur æquivocatione vocis τὸ ordine naturæ.

XV. Etſi enim Ordo naturæ duobus modis conſideretur apud Philoſophos, nempe quoad intentionem & quoad exequutionem naturæ ; attamen rectè Philoſophantibus compertum eſt , priorem modum ſtrictè loquendo , mereri appellationem ordinis materiæ : quoniam eſt internus , eſſentialis per ſe & à nullis accidentibus aut circumſtantiis naturæ , temporis , vel aliis ejuſmodi externis impedimentis ac defectibus dependet , hacque viâ , certiſſimum eſt totum tanquam perfectum & ſuis numeris abſolutum , partes ſuas antecedere , imo etiam eas conſtituere , ut docet Philoſophus primo de Cælo cap. 2. & 1. Politic. cap. 2. affirmans *Perfectum natura , priùs eſſe imperfecto , ut civitatem domo & familia.* Poſterior modus cum ſit externus , & à defectu atque imbecillitate materiæ aliarumque circumſtantiarum & concauſarum dependeat , non mirum eſt, naturam generando pedetentim progredi, ac more urſorum , fœtus ſuos lambentium , partes ſigillatim efformare atque exequi , ac hominem , verbi cauſa , primum ex ſpermate coagulato fingere , deinde ex infantia in adoleſcentiam , tum ab adoleſcentia in ætatem virilem , quaſi perreptando ſenſim deducere , quæ ratio procedendi , omnino accidentaria eſt & præter intentionem ac propoſitum naturæ. profecto vulgare Axioma *Fruſtra fit per plura, quod poteſt fieri per pauciora , & æque bene* judicat naturam. Si inter exequendum & generandum , ſicut inter propoſitum ſuum deſignandum & concipiendum , æque libera ſuique juris eſſet : totum ipſum ſimul & ſemel perfectum abſolutumque eo modo producturam , quo illud intendit , & unica notione concipit. Præterea quod Vallius argutatur , oculum eſſentialiter , & hominem accidentaliter videre ; id demonſtrat illum aut neſcire , aut diſſimulare vim hujus Prononciati Philoſophorum , actiones ſunt ſuppoſitorum ; niſi forte & Ægyptiorum conſuetudine , nobis Ideam quamdam oculi ſeparatim exiſtentem adumbrat. Sanè animalia propriè & eſſentialiter , ſed oculorum organo vident , ſicut homo eſſentialiter , ſed plectro linguæ loquitur. Item pedibus quaſi admirabili Machinâ progreditur &c. Unde corruptis externis organis, ſemper in homine cæco, muto & claudo , internum ac eſſentiale principium à quo facultas videndi , loquendi & ambulandi oritur : ideò remanet , quod hæc facultas interna ſit , & ab anima rationali , tanquam à cauſa eſſentiali ſcaturiat , quare liberè & voluntariè exercetur. Ecquis obſecro , oculos linguam , & aures , ab hoc vel illo objecto & pedes ab hac aut illa progreſſione arcet , niſi homo? Conſule Redargutor ſcholam medicorum , & te docebit oculum voluntariè claudi & aperiri : at (inquis) homo denominativè videt , quidem,

Digitized by Google

etiam denominativè vult, intelligit, ratiocinatur? an propterea voluntas & ratiocinatio à cauſâ formali & interno principio, minus profluit; an Theologiæ profeſſor Regius ignorat, actiones quæ ab internis facultatibus manant, duobus modis poſſe conſiderari? primum ut à principiis eſſentialibus fluunt, quomodo ſunt eſſentiales ſuppoſito, ſecundo quatenus ab organis corruptibilibus exercentur; & ita quidem homo denominativè dicitur intelligens, volens, ratiocinans, reminiſcens ſicut & videns, loquens, ambulans, audiens. Quibus bene ponderatis, facilè eſt judicare de eſſentialis ac miniſterialis regiminis Eccleſiæ differentia. Cæterum Redargutori non gravatè ferre debes Richerium humano oculo, Papam comparaſſe, cum tu ipſe, non ſemel hac ſimilitudine uſus ſis, ut paulò antè monui, & tamen tu magnam indè ſodali tuo, apud imperitos, invidiam conflare voluiſti, eo quod Pontificem oculo, non capiti, compararet, cum tamen in libello de Eccleſiaſtica & Politica poteſtate, Papam caput miniſteriale Eccleſiæ, ſæpe appellari non ignorares.

XVI. Secundo pag. 12. Elenchi ait, efficientem & finalem cauſam, ſi Deum excipiamus, nunquam in unum coire, itane Magiſter? At in Phyſicis, ſubjectum eſt efficiens & finalis cauſa proprietatis, facultas volendi & intelligendi, per & propter animam rationalem, familia per & propter Patrem Familias, Rex Poloniæ, qui Electione creatur per & propter Regnum, ſicut Papa per & propter Eccleſiam exiſtit.

Tertio pag. 12. authorem criminatur, quaſi nomen capitis ei in Pontifice Romano diſpliceret. Quam calumniam, Petrus Cotonus in actione quam Montoloneo, adverſus Martilerium tribuit. pag. 488. ejuſdem actionis recoxit mihique dat improperio, ſed jam paulo ante, reſponſione ad primam redargutionem oſtendi authorem paſſim docere, Papam eſſe caput miniſteriale Eccleſiæ, de qua re uberius lib. 4. cap. 1.

XVII. Quarto pag. 14. Cavillatur authorem ſuis abuti vocibus, *eſſentialiùs & immediatiùs*; quoniam, ut ait, eſſentiæ ſimiles ſunt numeris, qui magis & minus reſpuunt. O væ grande Profeſſoris Theologiæ acumen, qui neſcit magnum eſſe diſcrimen poſitum, inter res naturales, Metaphyſicas, & morales, quarum hæ non illæ, magis & minus ſuſcipiunt, ut etiam pueris Philoſophiæ ſtudentibus exploratum eſt.

Porrò his vocibus ego de induſtria uſus ſum, ut omnem auſam convitiandi adverſariis præriperem, ne forſan dicere poſſent, Richerium negare, Papam claves poſſidere eſſentialiter. His enim formulis *eſſentialiùs & immediatiùs*, oſtendere volui, dato quod Papa immediatè ac eſſentialiter claves habeat, ſemper ſequi eſſe immediatiùs atque eſſentialiùs, in toto Eccleſiæ ſuppoſito; quoniam Eccleſia Papæ, ſicut Regnum Poloniæ Regi, quem cooptat, authoritatem confert. Itaque claves ſunt Architectonicè per dominium & poteſtatem in Eccleſia, in Papa verò quoad uſum, exequutionem & miniſterium dumtaxat.

XVIII. Quinto eâdem pagina Authori imperitiam logices exprobrat, quaſi ſyllogiſmum quatuor conſtantem terminis ita texuiſſet, *Deus & natura priùs, immediatiùs & eſſentialiùs ad totum quam ad partem intendunt; ſed Eccleſia eſt totum*, Pontifex,

Digitized by Google

verò pars, ergo priùs Eccleſiæ, quam Pontifici, claves datæ ſunt à Deo. Hercle, in meo libello principia quidem, nuſquam verò facies ſyllogiſmi apparet; neque ego collectionem quatuor conſtantem terminis, unquam texui; ut ſuggillat adverſarius, & ſi mihi propoſitum fuiſſet, ſylogiſmum integrum condere, ſic ego inſtruxiſſem. *Quicquid naturâ ſuâ inter deſignandum & exequendum priùs ad totum quam ad partem intendit, priùs quoque toti quam parti dotes conferre ſolet, ſed Chriſtus in deſignandâ & fundandâ Eccleſiâ, priùs ad totum ſuppoſitum, quam ad ullam partem ſuppoſiti intendit, ergo Chriſtus in deſignanda & fundanda Eccleſia, priùs toti Eccleſiæ, quam ulli parti dotes contulit.* Hic terminus, *totum* connotativè interpretativè, atque implicitè, pro Eccleſiâ collectim ſumptâ ponitur. Deindè hic alius terminus *pars*, deſignat Papam & alios Prælatos ſigillatim atque diſtributim Sumptas. Verum major & minor propoſitio hujus ſillogiſmi, ex diſputatione ſuperius habita de cauſis eſſentialibus poteſtatis Eccleſiaſticæ abundè confirmantur: infra autem amplius partim ſcripturæ, partim antiquorum Patrum & Doctorum Catholicorum teſtimoniis, id eſt conſenſu Catholico totius Eccleſiæ demonſtrabuntur. ſexto pag. 15. ſic odium Richerio conciliare nititur, *Regnum Galliæ eſt totum, Rex vero pars, eaque nobeliſſima, ergo prius, immediatius & eſſentialius, poteſtas data eſt Regno quam Regi.* Hinc enim Elenchiſtes futurum ſperabat, Magiſtratus Regios in Richerium commotum iri, ſicut hac aliâ cavillatione, Epiſcopos facile incenderat; *Deus & natura priùs ad totam diœceſim quam ad partem, nempe ad Epiſcopum intendunt, ergo priùs & immediatius juriſdictio defertur diœceſi quam Epiſcopo.* Quibus argumentis Cardinalis Perronius etiam uſus eſt, partim in ſacro Regis Conſiſtorio, ut periculum capitis crearet Richerio, partim inter Epiſcopos, ut eos ad Cenſuram libri de Eccleſiaſticâ & politicâ poteſtate, inflammaret. Verum hoc tertium argumentum coceruat Vallius; *Civitas eſt totum, Judex verò pars: ergo Rex priùs Civitati quam Judici, confert juriſdictionem.* Ad primum reſpondeo, adverſarium mutare ſtatum quæſtionis, quia ut nominatim docui axiomate & viij & xj. Apologiæ, regnum temporale à ſpirituali, & dominium à miniſterio; item electivus principatus, ab hereditario maximè diſcrepat. Ad ſecundum & tertium æquivocatione laborant; ſi enim Redargutor per Diœceſim totum Clerum, vel ordinem Eccleſiaſticum & per Civitatem ſtatum aliquem democraticum vel Ariſtocraticum intelligit, cui princeps aliquis poteſtatem fecerit ſibi creandi Judices & Magiſtratus, certum quidem eſt juriſdictionem priùs toti Civitati quam Judici convenire, idemque eſt judicium de Clero totius Diœceſis, qui Epiſcopum deligit, eique per electionem titulum Diœceſi materiam & juriſdictionem actualem confert.

Septimo dicendo tacenda loquitur pag. 17. & 18. *partes Corporis Myſtici, qualis eſt Eccleſia (inquit) ſunt ſuppoſita per ſe ſubſiſtentia quæ per ſe agere videmus, igitur propriè & per ſe, claves ſunt habituræ*, hoc autem perinde eſt, ac ſi quiſpiam à diviſis ad conjuncta ſic cavillaretur. Omnes Proreges & Magiſtratus Regni Franciæ ſunt ſuppoſita per ſe ſubſiſtentia, quos per ſe agere videmus; igitur propriâ, non Regiâ authoritate jus dicunt? quis tales ineptias in Regio Profeſſore Theologiæ non demiretur.

XIX. Octavo pag. 19. & 39. Elenchi, necnon libri de ſupremâ poteſtate Romani Pontificis quæſt. 3. cum nauſeâ inculcat, *doctrinam Richerij & Vigerij propendere in Lutheraniſmum & Anglicanum dogma, contenditque illas aſſerere, Claves datas Bajulis, Laicis*

Cerdo-

Cerdonibus Mulieribus & Laïcis omnibus, quæ ſicophantia tam craſſa atque ſupina, eſt, ut cum aliquando mirabundus in os Vallij objicerem, hæc niſi cum ſumma malitiâ aut imperitiâ, ſcribi à quoquam hominum potuiſſe, quando lectione libelli mei contrarium manifeſtè pateret, ille mihi reſponderit, quod ſcripſerat, ex his verbis cap. libelli mei collegiſſe; *quandoquidem tota Juriſdictio Eccleſiaſtica, primario propriè & eſſentialiter Eccleſiæ convenit, Romano autem Pontifici atque aliis Epiſcopis, inſtrumentaliter, miniſterialiter, & quoad exequutionem tantum, ſicut facultas videndi oculo.* Contra primum oppoſui, me ſcripſiſſe normam Synodi Conſtantienſis ſeſſione 4. & 5. ubi Eccleſia collectim conſideratur & confertur cum Papa; & aliis prælatis ſeorſim & diſtributim captis. Secundo dixi; de more eſſe omnibus ſcriptoribus, ut priora poſterius evolvant atque explicent, meque ita feciſſe, ut cap. 2. clauſulam hanc interpretatum fuiſſe, ita ut nomine Eccleſiæ, Ordinem hierarchicum ſumptum, & nomine Papæ atque Epiſcoporum, ipſum Pontificem & Epiſcopos ſigillatim & diſtributivè ſumptos, atque ad totam Eccleſiam comparatos deſignem; idque vallio demonſtravi; tum quia in argumento capitis ſecundi libelli de Eccleſiaſtica & Politica poteſtate, hæc ad verbum leguntur. *Chriſtus immediatè & per ſe, Claves, ſive juriſdictionem Ordini Hierarchico contulit, per immediatuam miſſionem omnium Apoſtolorum & diſcipulorum. Deindè in contextu ejuſdem capitis ſecundi. Enim verò cum Dominus noſter cap. 16 Matthæi verbo futuri temporis, Claves nomine totius Eccleſiæ B. Petro ſic deſpondiſſet, ego tibi dabo Claves &c. Tum demum eas ordini Hierarchico confert. Primum Matthæi 18. ubi Eccleſiam ſibi ſufficientem & architectonicam, ita conſtituit. Dic Eccleſiæ &c. Secundo per realem miſſionem &c. Quando igitur miſſio vera & realis eſt, collatio juriſdictionis Authore Apoſtolo 10. ad Romanos, quomodo prædicabunt niſi mittantur. Chriſtus autem omnes Apoſtolos atque diſcipulos, qui Epiſcopalem & Presbyteralem ordinem referebant, immediatè, individue & collectivè miſit, ſicut à Patre ſuo, ideſt, cum juſtâ & ſpirituali authoritate ad Eccleſiam gubernandam neceſſariâ miſſus fuerat: conſurgit totum ordinem hierarchicum, Epiſcopali & ſacerdotali ordine conſtantem, immediatè proportionatè tamen atque ſubordinatè ſuam poteſtatem & juriſdictionem, hoc eſt facultatem regendi Eccleſiam, à Chriſto derivari. Quemadmodum in Galliis, inferiores magiſtratus, quamquam ſubditi Parlamentis, æque tamen immediatè authoritatem ſuam à Rege Chriſtianiſſimo mutuantur, quam ipſa Parlamenta.* Hæc ibi ad quæ adverſarius nihil aliud mihi reſpondit, quam librum meum non ſatis amplè explicatum fuiſſe, ſed continuò ſubjeci, me valdè mirari hominem, qui quotidiano ſermone, præter exercitia ſpiritualia nihil aliud compararet, omneſque alios ad illa facienda invitaret, imò impelleret, tam manifeſtè contra primam regulam exercitorum Ignatij, quæ ad hunc modum concipitur peccare. *In primis ut per huiuſmodi exercitia, tam qui ea tradit, quam qui accipit juvari queat. Supponendum eſt Chriſtianum unumquemque pium, debere promptiore animo ſententiam, ſeu propoſitionem obſcuram alterius, in bonam trahere partem, quam damnare, ſi verò nulla eam ratione tutari poſſit, exquirat dicentis mentem, & ſi minus rectè ſentiat vel intelligat, concipiat benignè, hoc niſi ſufficiat, vias omnes opportunas tentet, quibus illum ſanum intellectu, ac ſecurum reddat ab errore.* Hæc Ignatius, piè quidem ac verè, cujus ſententiam auream, omnibus meis conviciatoribus, & præſertim Sirmundo, atque aliis ejuſdem ſodalibus æſtimandam, ut par eſt, relinquo. Pro

K

Digitized by Google

culdubio quamquam Richerius de Eccleſiâ loquutus fuiſſet, nullâ omnino factâ mentione ordinis Hierarchici, tamen nihilo magis culpandus, quam aut Patres conſtantienſes 4. & 5. ſeſſione, *Dum ſtatuunt Eccleſiam immediatè habere authoritatem à Chriſto*, aut facultas Theologiæ Pariſienſis cum in articulis contra Lutherum decernit, *Eccleſiam in fide & moribus errare non poſſe, & poteſtatem excommunicandi eſſe de jure divino immediatè à Chriſto Eccleſiæ conceſſam.* Amabo Valli dic ingenuè, an Doctores Sorbonici, nomine Eccleſiæ, Bajulos, Lanios, Cerdones & mulieres intellexerint? certè vel hinc planum redditur te non veritatem, ſed verborum portenta, convitia & calumnias quæſiviſſe, ut ſodalem tuum Sorbonicum, opibus potentiarum, ſub ætate pupullari Regis opprimeret. Quod autem pag. 20. Elenchi ex Sancto Bernardo falſo mihi affingis, tam Germanè tibi congruit, ut aqua aquæ, & ovum non, tam ſimile, quam hæc Vallio graphicè conveniant. *In Francia habemus novum de veteri Magiſtro Theologum, qui ab ineunte ætate, in arte dialecticâ luſit, & nunc in Scripturis Sanctis inſanit, olim damnata & ſopita dogmata, ſuſcitare conatur: inſuper & nova addit.* Hæc tua ſunt verba Vallij quibus te viciſſim munerari lubet, quoniam Diſciplinam Apoſtolicam, jus commune & Regimen Ariſtocraticum, octo primis generalibus Conciliis conſecratum, ac Synodo conſtantienſi & Baſileenſi, jure poſt Piminij recuperatum. Schiſmatis & Hæreſeos damnat, nihilque præter argutias & Elenchos Sophiſticos, convitia & calumnias effundis, atque uno verbo dicam, *emulationem Dei habes, ſed non ſecundum ſcientiam. Roman.* 10. Etenim numquam tibi abſre tuâ & comitatibus quibus quodam animi morbo ſemper impenſiſſimè faviſti, tantum fuit otij, ut illuſerio lectori antiquorum Patrum & conciliorum Eccleſiæ, in quibus planè hoſpes & infans es, impenderes. Quamobrem more Andabatarum paſſim cæco impetu ſine arte & acumine irruis, & quoties tibi bona & ſolida ratio hæret, ad ſolemne carmen confugis *Schiſmaticus, Hæreticus, perduellis, monarchomacus, & alia ejuſmodi verborum monſtra*, qui bus imperitis diſciplinæ Canonum Religionem faceſſis, ut eos proclivius terrefacias & in Richerium armes.

XX. Nono in Elencho & libro de ſupremâ poteſtate Papæ. quæſt. 5. ſub finem, petit, quiſnam Almaino Theologo Pariſienſi revelarit, Eccleſiam D. Petrum electurum, ſi Chriſtus illum non elegiſſet, atque Eccleſiam prævenisſet; quæ diſputatio explicabitur *lib.* 5. cap. 3. adverſus Cajetanum, qui occaſionem Almaino hoc aſſerendi prebuit, dum affirmat, *Reliquos Apoſtolos, Claves habituros à Petro, niſi Chriſtus eis dediſſet, Petrum præveniendo.* Contra autem, Almainus argumento ad hominem probat, S. Petrum habiturum Primatum ab Apoſtolis, qui Eccleſiam repreſentabant, niſi Chriſtus Apoſtolos in B. Petri Electione præveniſſet, idque dogmaticè colligit ex lege naturali, divinâ & praxi Eccleſiæ. Nam lege naturali conſtat, in ſtatu electivo, prius datum communitati, ut ſeipſum gubernet, quam alicui privatò & ſingulari homini, ut communitatem regat, quod ſatis confirmatum eſt ſuperius, explicatione duorum axiomatum Richerij. Lex autem Divina nos edocet, Chriſtum hac formulâ, *dic Eccleſiæ &c.* Eccleſiam conſtituiſſe ſibi ipſi Architectonicem, ac ei facultatem deligendi Summum Pontificem conceſſiſſe, antequam Petrum actu Primatum conſtitueret, Joannis ultimo. Hic & accedit uſus & praxis Eccleſiæ quia Vacante Sede, Eccleſia illum Pontificem ejuſdem authoritatis cum Petro deligit eique Primatum unà cum Sacerdotio Chriſti defert, ut infra amplius dicetur.

Digitized by Google

CAPUT SECUNDUM.

I. Novem Regulæ dogmaticæ ad benè & accuratè judicandum de omni doctrina. Prima eſt, omnia præcepta, dicta & facta Chriſti, cum declarationibus & geſtis Apoſtolorum, Evangelio contentis, nobis voluntatem Dei & jus divinum certiſſimè exhibere : ita ut nemini præter aut contra, aliquid excipere, opponere, aut fingere liceat.

II. Omnem legem, poteſtatem, doctrinam, Cenſuram, Bullas, humanaque inſtituta, nullam planè vim habere obligandi, aut aliquid legitimè efficiendi, niſi primæ cauſæ & voluntati divinæ omninò concordent, & de via ac ratione cognoſcendi, utrùm nec ne concordent.

III. Adverſarios contra Dei legem & voluntatem fingere & imaginari abſolutam monarchiam ab analogia Monarchiarum ſæcularium, & ſpirituale ac miniſteriale regnum Chriſti, in dominatum quemdam abſolutum transformare.

IV. Secunda regula duplex eſſe jus divinum, primarium ſcilicet, quod ſolâ lectione ſcripturarum, abſque ulla ratiocinatione intelligitur; & ſecundarium, quod ratiocinando innoteſcit.

V. Jus divinum ſecundarium in ſimplex & complexum dividitur.

VI. Complexum omnes capit tropos, metaphoras, parabolas &c. quæ tantò minùs habent juris divini, quantò plùs exigunt ratiocinationis, ut ſenſus genuinus eliciatur.

VII. Inter argumentandum & in dogmaticis, ſemper jus divinum primarium ſecundario, & ſecundarium ſimplex præponi debere complexo.

VIII. Tertia regula eſt Chriſtum triplici cumulatum eſſe poteſtate, nimirùm authoritatis, excellentiæ, & puri miniſterii, ſolamque poteſtatem ſpiritualem, miniſterialem, nudam omni dominatu & poteſtate abſolutè cogendi, reliquiſſe Eccleſiæ.

IX. Explicatio dogmatica hujus loci, Reges Gentium dominantur *eorum, vos autem non ſic, &c.*

X. Omnes textus Scripturæ ad jus clavium & poteſtatem Petro delatam ſpectantes, neceſſariò redigi oportere, ad ſolam poteſtatem ſpiritualem miniſterialem, & qua de cauſa Chriſtus ſola poteſtate miniſteriali Eccleſiam inſtruxerit,

Digitized by Google

XI. Argumenta adverſariorum ducta à proportione Monarchiarum aut regnorum temporalium, omninò naturæ & eſſentiæ poteſtatis ſpiritualis miniſterialis repugnare.

XII. Quarta Regula, in unoquoque genere unum dari, quod eſt cauſa atque exemplar cæterorum; Chriſti autem Sacerdotium id eſſe, ad quod velut ad cauſam efficientem phyſicam, poteſtas clavium & univerſa iuriſdictio eccleſiaſtica, ſicut effectus ad cauſam, & proprietates ad ſubiectum referuntur.

XIII. Juriſdictionem Eccleſiaſticam formaliter & in actu ſignato unà cum Sacerdotio Chriſti conferri, & ab eo eſſe inſeparabile, quoad habitum, ex eoque accidere ut nunquam primatus poſſit deficere in Eccleſia.

XIV. Error intolerandus Cardinalis de Turrecremota, aſſerentis Chriſtum non eſſe Sacerdotem niſi æquivocè.

XV. Quinta Regula, Chriſtum in Evangelio bis ſex loquendi formulis, poteſtatem aut juriſdictionem eccleſiaſticam deſignaſſe & contuliſſe, nimirùm immediatâ miſſione, facultate clavium ligandi & ſolvendi communicatione ſui Sacerdotii, poteſtate remittendi & retinendi peccata, ac paſcendi oves.

XVI. Chriſtum antequàm Petro aliquid privatim conferret, priùs individuè & in commune juriſdictionem eccleſiaſticam omnibus Apoſtolis, quàm Petro detuliſſe.

XVII. Quæcumque pluribus individuè & in commune dantur, ea in ſolidum & ex æquo, ab omnibus poſſideri, ita ut unus tantumdem habeat quantùm alius; idque nullo modo Primatui derogare.

XVIII. Poteſtatem eccleſiaſticam intenſivè & formaliter conſideratam, in indiviſibili conſiſtere.

XIX. Bellarminus fateri cogitur, æqualem fuiſſe in omnibus Apoſtolis poteſtatem & juriſdictionem.

XX. Commentum recentiorum de ordinaria poteſtate in Petro, & delegata in cæteris Apoſtolis exploditur, quoniam poteſtas eccleſiaſtica collata Apoſtolis quanta quanta ordinaria, & in ſolidum tranſmiſſa eſt ad poſteros, ut hodierna Eccleſia ejuſdem eſſet naturæ, virtutis atque effectûs in Epiſcopis quàm in Apoſtolis.

XXI. Omnes Epiſcopos hodiernos individuè, in commune & in ſolidum ſuccedere Apoſtolis, eorumque poteſtati eccleſiaſticæ, eamque ob cauſam Pariſienſem Epiſcopum æquè eſſe Petri quàm Andreæ, Pauli aut Joannis ſucceſſorem, idque non incommodare Primatui.

XXII. De Apoſtolatûs & Epiſcopatûs differentia, atque diœceſes

Digitized by Google

conſtituta, & limitibus certis diſtinctas, Epiſcopos fuiſſe œcumenicos & univerſales

XXIII. Jure divino omnes Apoſtolos, ſicut etiam hodie omnes Epiſcopos, honore, dignitate & poteſtate æquales eſſe inter ſe, idque non tollere Primatum Petri.

XXIV. Sexta Regula, quamquàm poteſtas eccleſiaſtica per actus & objecta, in poteſtatem ordinis & juriſdictionis, atque etiam in poteſtatem fori interni & externi diſtinguatur, attamen certiſſimum eſt utramque poteſtatem formaliter & in actu ſignato, unà cum ordine conferri, & ad actum reduci, per tituli & materiæ collationem.

XXV. Septima regula, inter legendum ſemper oportere dogmatica ab OEconomicis & Oratoriis diligenter ſecernere, & quâ methodo id conſequi valeamus.

XXVI. Octava, quando aliquis Scripturæ locus plures ſenſus differentes admittit, illum potiorem habendum qui magis dogmaticus eſt, & à pluribus omni exceptione majoribus approbatur.

XXVII. Nona regula, quoties in Conciliis diſcors invenitur ſententia, ſemper antiquioris Concilii majorem eſſe authoritatem.

I. QUando veritas, ut ait Tertullianus, nihil timet ne non cognoſcatur, ne (more Adverſariorum) meas probationes, Sophiſticis Elenchis tegere & involvere videar, hic ego initio diſputationis, certas evidentes ac indubitatas regulas defigere conſtitui, quarum magnam partem, conjeci in axiomata Apologiæ pro Eccleſiæ & concilij Authoritate. Porrò illarum ope omnibus pronum erit, de controverſiâ quam tractamus judicare. Si enim turpe eſt Juriſconſulto, ſine lege loqui, quanto magis Theologo abſque Sacræ ſcripturæ Conciliorum & Patrum authoritate. Prima autem regula eſt, Dominum in Evangelio ſuis præceptis, dictis, factis nec non etiam geſtis Apoſtolorum quæ ſunt Certiſſimæ juris & voluntatis Divinæ declarationes, nobis ſuam voluntatem & legem divinam conſecraſſe ac indicaſſe, ita ut præter aut contra ejuſmodi præcepta, dicta, facta & geſta, nemini cuiquam aliquid opponere cauſari aut excipere, & pro jure Divino venditare liceat.

II. Enim verò ſicut abſque motu atque influxu primæ & univerſaliſſimæ cauſæ efficientis, Dei nimirum, omnia alia entia, in nihilum abeunt, nullique ſunt uſui; ſimilter omnis poteſtas, lex, doctrina, cenſuræ, humana inſtituta, conſtitutiones, Bullæ, Decretales Pontificum &c. Nullam planè vim obtinent obligatoriam, niſi voluntati, poteſtati, legi, doctrinæ, & inſtitutis divinis, uſquequaque conconveniant. Legendus Auguſtinus *can. ego ſolis Scripturis diſp. 9. & can. omnia talia diſt.* 12. Ubi demonſtrat omnia quæ legi divinæ non quadrant, eſſe rejicienda;

Quarè Gerſonius, libello articulorum Theologicè compoſitorum, adverſùs Petrum de Luna. lib. 2. in probatione tertiæ concluſionis: Reſpondet, *quod Jura Pontificum, ſunt re-*

Digitized by Google

erenter gloſſanda & interpretanda. Conformiter ad invariabilem legem Chriſti; aut ſi quis vult illa tenere in ſuis terminis protervè & rigidè, nos cum omni libertate talia ſcripta negabimus eſſe vera, & per conſequens, nec Jura Canonica; quoniam nullum jus eſt cenſendum, quod Divinæ legi convincitur contraire. Gerſonio pariter aſſentitur Major Commentariis in cap. 28. Matthæi. Cæterum, via & ratio certiſſima indagandi, utrum leges, inſtituta, Cenſuræ & aliæ conſtitutiones humanæ, legi & voluntati divinæ conſentiant, petenda eſt à legis divinæ & naturalis cognitione; quarum Deus author eſt immediatus; ideoque percrebuit inter Theologos, gratiam nunquam deſtruere ſed perficere naturam.

III. Videat igitur lector, ne in ratione Regiminis Eccleſiæ & proportionis Clavium, quicquam adferatur, quod inſtitutis divinis, geſtis Apoſtolorum, & praxi Eccleſiæ Apoſtolicæ pugnet: ejuſmodi ſunt imaginationes & commenta recentiorum, ducta & conficta à proportione Monarchiarum ſecularium. Quandoquidem Adverſarij ex Regno ſpirituali & miniſteriali Chriſti, ad formam Regorum temporalium quemdam abſolutum dominatum aut principatum effingere moliantur; quaſi Eccleſia poteſtatem haberet à Chriſto, cogendi quæ imperat; certè pro omni reſponſione, hoc edictum Apoſtoli adverſariis poſſumus opponere. *Quod ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt hominibus & quod infirmum eſt Dei, certius eſt hominibus: animalis homo non percipit ea quæ ſunt Spiritus Dei, ſtultitia eſt illi & non poteſt intelligere, quia ſpiritualiter examinatur. 1. corinth. 1. & 3. O homo! tu quis es qui reſpondeas Deo? numquid dicit figmentum ei qui ſe finxit, quid me feciſti ſic? Roman: 9.* Hercle omnia validiora argumenta Curialium, præſertim ab epiſtolis clementis, Anacleti & aliorum Pontificum qui ante Synodum Nicænam vixerunt, aut etiam à Decretalibus & conſtitutionibus Romanorum Pontificum, quæ blandiente Cathedrâ, in propriâ causâ contra Canones & diſciplinam Apoſtolicam factæ, ac ſepè in rem judicatam, viâ facti, miſſæ ſunt, hauriuntur: ideoque apud æquos Judices nullius ponderis eſſe poſſunt.

IV. Secunda Regula eſt, duplex eſſe jus Divinum, primarium ſcilicet & ſecundarium, illud etiam jus Divinum, poſitivum à Theologis nominatur: propterea quod in Sacris Scripturis tam clarè & explicatè ponitur & aſſeritur, ut ſolà lectione cognitione terminorum quibus concipitur, abſque ullâ ratiocinatione intelligi poſſit, Hoc verò nominant jus Divinum ſecundarium, aut etiam jus Divinum naturale, quia ex jure Divino poſitivo & primario, per ratiocinationem & lumen naturale, tanquam concluſio, neceſſitudine conſequentiæ, ex principiis neceſſariis deducitur. Sed quoniam concluſio debiliorem partem perpetuo ſequitur, pro rato & indubitato habere debemus, concluſionem ex Sacris promptam litteris, tanto plus aut minus juris Divini eſſe participem, quando etiam plus aut minus, ratiocinatione indiget, ut exprimatur & cognoſcatur.

V. Quamobrem ad profectam hujus rei notitiam, jus Divinum ſecundarium bipartito, in ſimplex & complexum ſecabimus. Illud eſt, quod unica & ſimplici ratiocinatione, neceſſitate conſequentiæ colligitur, complexum autem, quod ut eliciatur, variam & multiplicem animi cogitationem deſiderat, unde multo minus juris Divini, quam jus Divinum ſecundarium poſſidet.

VI. Atque omnes metaphoras, allegorias, parabolas, comparationes, ſenſum Myſticum Scripturæ, atque alia ejuſmodi complectitur. Ex quibus concluſio, aut

Digitized by Google

clarus & evidens ſenſus, abſque varia, multiplici & forti concertatione mentis, erui non poteſt: idque Patres & Doctores Eccleſiæ, atque amplius ejuſmodi textus, minus eſſe dogmatibus conſtituendis idoneos, docent. Auguſtinus lib. de unitate Eccleſiæ cap. 5. adverſus Donatiſtas. *Hic & illa interim ſeparanda ſunt, quæ obſcurè ſunt poſita, & figurarum velaminibus involuta, & ſecundum nos, & ſecundum illos, poſſunt interpretari. Eſt quidem acutorum hominum dijudicare atque diſcernere, quis ea probabilius interpretetur, ſed nolumus in has ingeniorum contentiones, in ea causâ quam populus tenet, noſtram diſputationem committere &c. Sed apertè veritas, clamet & luceat, in obturatas aures irrumpat, diſſimulantium oculos feriat: nemo in eis latebris quærat falſæ ſuæ ſententiæ locum omnem conatum contradicendi confundat, omnem vontem impudentiæ eludat.* Quo teſtimonio claret, figuratis & parabolicis loquutionibus, dogmata conſtitui non poſſe. At Tract. 80. in Joan. ad hæc verba. *Ego ſum vitis vera & vos palmites.* Demonſtrat ſenſum germanum, *ex parabolis elici non poſſe.* Valida ratiocinatione. *Ego ſum vitis vera, ſecundum hoc dicit quod eſt caput Eccleſiæ noſque membra ejus, mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus; unius quippe naturæ ſunt vitis & palmites: propterea quod cum eſſet Deus cujus natura non ſumus, factus eſt homo; ut in illo eſſet vitis humana natura, cujus & nos palmites eſſe poſſemus &c. Sic enim dicitur vitis per ſimilitudinem non per proprietatem, quemadmodum dicitur Ovis, agnus, leo, Petra lapis Angularis.* S. Etiam Thomas 1. parte quæſt. 1. articulo 9. & 10 diſputans, *utrum Sacra Scriptura debeat uti metaphoris, & utrum ſub una litera, habeat plures ſenſus*; indicat ſenſum ſpiritualem Scripturæ, qui eſt ſecundarius, colligi ex ſenſu literali per ratiocinationem, & ideò literalem ſenſum, eſſe primarium. *Author Scripturæ Sacræ eſt Deus (inquit) in cujus poteſtate eſt, ut non ſolum voces ad ſignificationem accommodet; ſed etiam res ipſas: illa ergo prima ſignificatio qua voces ſignificant res, pertinet ad primum ſenſum, qui eſt ſenſus hiſtoricus vel literalis; illa verò ſignificitio, quâ res ſignificatæ per voces, iterum res alias ſignificant, dicitur ſenſus ſpiritualis, qui ſuper literam fundatur & eam ſupponit.* Pariſienſis Cancellarius 1. Parte operum de examine doctrinarum conſiderat. 6. Theologi docent (ait) *quod nec fidei, nec ſenſui literali ſcripturæ, ſubeſſe poteſt falſum, alioqui nihil authoritatis ad credendum nihil roboris ad perſuadendum ſibi ſubſiſteret. Eſt autem ſenſus literalis. Verum ille quem Spiritus Sanctus principaliter intendit, qui ex circumſtantiis literæ, cum cauſis dicendi & modis exponendi, magis patet. Undè generaliter in parabolicis loquutionibus ſenſus literalis, non qui per verba ſed per res & facta deſignatur, ut de lignis conſtituentibus ſibi Regem.* Quæ gerſonij ſententia nobis certam Regulam parat, qua ſenſum literalem ſcripturæ cognoſcamus; monetque, non modo ad ſenſum grammaticum, qui ſola notione vocum, vel ad logicum qui ratiocinando colligitur: ſed etiam ad omnes antecedentes, & conſequentes circumſtantias, diligenter attendi oportere, atque ſenſum parabolicum, non tam ex verbis, quam ex rebus atque effectis, multiplici & forti ratiocinatione iniri: ex quo inſurgit, ejuſmodi parabolas, ad jus Divinum ſecundarium complexum, neceſſario revocari: & conſequenter, multò minùs juris Divini obtinere, quam ſi unicâ & ſimplici cogitatione animi ſenſus germanus illarum eliceretur. Conſule VI. Axioma Apologiæ noſtræ cum obſervationibus.

VII. Et hac tota defenſione obſerva, utrùm textus ſcripturæ, quos ego vel alij ad ſuam ſententiam conſtituendam uſurpabunt, ad jus divinum poſitivum & prima-

Digitized by Google

rium, an verò ad jus divinum complexum pertineant, quia hoc totius diſputationis opere prætium eſt: ut enim jus Divinum poſitivum, juri Divino ſimplici, ita & jus Divinum ſimplex, juri divino complexo, conſtanter ac intrepidè præponi debet.

VIII. Tertia Regula eſt, & ſacras ſcripturas, & Patres utque Doctores Catholicos, Chriſtum ſub triplici notione nobis exhibere. Primum enim de illo ut Deo, deinde ut de Chriſto Deo & homine, tertio ut de puro homine, verba faciunt. Prima & ſecunda notio, ſunt velut duo extrema, quæ per Myſterium Incarnationis, in unum Chriſtum Deum atque hominem, coaluerunt: huic autem triplici notioni, triplex quoque genus poteſtatis aut actionis reſpondet. Prima vocatur poteſtas authoritatis, ſecunda excellentiæ; tertia puri miniſterij, de hac triplici poteſtate Theologi velitantur. 3. parte B. Thomæ quæſt. 63. Art. 3. & Turrecomata lib. 2. de Eccleſia cap. 9. ad ſeptimam concluſionem; notandumque duas priores ſpecies poteſtatis, ita eſſe Chriſto proprias ac eſſentiales, ut de facto omnibus creaturis incommunicabiles ſint, atque illarum intuitu, univerſas creaturas abſolutè, ſeu obedientiali poteſtate, Chriſto, tanquam Deo & generis humani redemptore, ſubjici. Quandoquidem ratione poteſtatis excellentiæ, Chriſtus ut Sacerdos in æternum ſecundum Ordinem Melchiſedech, omnem habet in cælo & in terrâ poteſtatem. eſt que legislator gratiæ & Sacramentorum author, animarum noſtrarum redemptor, & cauſa primaria efficiens Eccleſiæ. cap. 5. ad Epheſios. *Viri diligite uxores veſtras ſicut Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſemetipſum tradidit pro eâ, ut illam ſanctificaret, mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid ejuſmodi: ſed ut ſit ſancta & immaculata.* Item 1. ad Coleſſ. *& ipſe eſt caput Corporis Eccleſiæ*, &c. *Quia in ipſo complacuit omnem plenitudinem divinitatis inhabitare, & per eum reconciliari omnia: in ipſo pacificans per ſanguinem Crucis ejus, ſive quæ in terris, ſive quæ in Cælis ſunt.* & cap. 5. ad Hebræos *& conſummatus factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ, appellatus à Deo Pontifex juxta Ordinem Melchiſedech.* Quibus ex locis colligimus, Chriſtum velut Sacerdotem in æternum, ſibi Eccleſiam proprio ſanguine deſponſaſſe ac redemiſſe, & proindè clavem ſupremæ authoritatis poſſidere, ita ut ſi velit abſque miniſterio Sacramentornm, per abſolutam poteſtatem, homines ſalvare poſſit. Secus autem res habet, ſi ad poteſtatem miniſterialem, hoc eſt ad ſtatum humilitatis Chriſti attendamus; quem ultrò & ſpontè Dominus aſſumpſit, ut ſummam ſuam charitatem erga humanum genus oſtenderet, ac ſeſe in amorem noſtrum altiùs inſinuaret. Deindè faſtum, ſuperbiam & ſapientiam mundi conculcaret; nobiſque exemplum relinqueret ut illum imitaremur; Corinthi. 1. hercle quidem, cum Dominus in vim poteſtatis miniſterialis homines ſaluti ſuæ cum metu atque tremore cooperari vellet. cap. 2. ad Philippenſes, nobiſcum tanquam ex pacto & ſyngraphâ agit, haſque ſolemnes formulas, in contractibus uſurpari ſolitus, edicit, *hoc fac & vives, facio ut facias &c.*

IX. Porrò ſi ad naturam & eſſentiam, hujus poteſtatis miniſterialis attendamus, ab omni faſtu, mundanâ ſapientiâ, vi externâ, coactione temporali, à ſævis & ſanguine, abſolutoque imperio abhorret. Undè Lucæ 22. ſuborta inter Chriſti diſcipulos contentione, quis eorum videretur major, dixit eis, *Reges gentium dominantur eorum, vos autem non ſic, & qui præceſſor eſt, ſicut miniſtrator, ego autem in medio veſtrum ſum, ſicut qui*

Digitized by Google

qui miniſtrat, quo in ſenſu hæ tres voces, *dominantur*, *præceſſor*, *& miniſtrator*, planè atque apertè declarant, quidnam de poteſtate Eccleſiaſtica ſit tenendum, omnemque dubitandi occaſionem, præſertim Theologis, qui aliis debent prælucere, adimunt: Nam ſicut jam alias obſervavi, quemadmodum Dominatus & dominatio, abſolutum & planè Monarchicum Imperium cum poteſtate vitæ & necis importat (ſi quidem dominari, eſt abſolutè per vim externam cogere, uti Reges & politici Magiſtratus aſſolent, ita nomen Præceſſoris, ſolum primatum; & miniſtrator, unam & ſolam poteſtatem miniſterialem, nudam omni dominatu & facultate cogendi ac irrogandi pænas temporales ſignificat. Certè ut alias dixi, excommunicatio, ſi ut Theologos oportet, propriè loqui velimus, non eſt coactio & poſitiva, ſed excluſiva & negativa pœna. Argumentum autem certiſſimum, quod Eccleſia poteſtate, irrogandi, pœnas temporales careat, eſt quod eas nativis viribus, id eſt per poteſtatem quam habet à Chriſto cogere) & in rem judicatam, abſque brachio ſæculari mittere nequeat, ſcitamque eſt Galliæ Epiſcopos, ut D. Jonvilleus memorato olim petiiſſe à S. Ludovico, vellet juberetque ſententias excommunicationis latas ab Eccleſiâ, exequutioni mandari à politicis Magiſtratibus. Quibus accuratè ponderatis, facilè eſt videre, quamobrem Apoſtoli functionem & poteſtatem ſibi à Chriſto creditam, paſſim nomine miniſterij deſignent. Actorum 1. *& orantes dixerunt. Tu Domine qui corda noſti omnium, oſtende quem elegeris ex his duobus, unum accipere locum miniſterij ejus.* & cap. 6. *nos verò orationi & miniſterio verbi inſtantes erimus.* Item Epheſ. 4. *& ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Evangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterij, in ædificationem Corporis Chriſti.*

X. Itaque omnes textus Scripturæ, ad jus clavium & Eccleſiaſticam juriſdictionem ſpectantes, dogmaticè & neceſſario ad unam & ſolam poteſtatem miniſterialem ſpiritualem redigi debent, quæ poteſtas aut principatus miniſterialis Eccleſiæ, in animâ, tanquam in ſubjecto genuino verſatur, ut eam per actus hierarchicos, in Chriſti obſequium ſuaviter captivet. Undè Sanctus Chryſoſtomus Homilia. 1. in Epiſtolam ad Titum, negat poteſtatem Eccleſiaſticam verè dici poſſe principatum & Epiſcopum Principem, docetque quantum interſit *lege & canone* id eſt more ſæculi & Epiſcoporum regere; *omittam*, ait, *interim dicere poſſibile non eſſe hujuſmodi dici veraciter Principem, cui obſecro? quia in poteſtate ſubjectorum poſitum eſt obedire vel non. At ſi quis rei veritatem diligenter exploret, non ad principatum promovetur Epiſcopus, verum potius ad ſerviendum innumeris Dominis, qui contraria captant ſemper & dicunt. Item hom. 2. Nam is qui exteriore ac mundana poteſtate ſubnixus eſt, cum lege imperet ac neceſſario illi obtemperetur, meritò ſæpius contra ſubjectorum voluntatem atque ſententiam, dominatur. Porrò is qui volentibus atque hortantibus & gratias agentibus, præeſſe vult, ſi ea lege præſumit, ut conſilio proprio tantum omnia faciat, quaſi nemini rationem redditurus, Tyrannicè potius quam populariter hujuſmodi exercet officium.* Proculdubio cauſis eſſentialibus legis gratiæ, & poteſtatis Eccleſiaſticæ, penitus repugnat, Eccleſiæ unitatem, Catholicum conſenſum & Sanctorum Communionem, quæ finis eſt Regiminis Eccleſiæ, abſoluto & puræ Monarchico Imperio cogi, *Quoniam animi hominum, à ſolo interno principio efficaciter moventur, nequaquam vi externa coguntur.* Verum inter plurimas cauſas cur Deus ſolâ poteſtate miniſteriali Spirituali, non abſoluto & monarchio dominatu.

Digitized by Google

Eccleſiam donarit, hæc videtur eſſe præcipua, quod ſoli volentes, conſentientes & ſaluti ſuæ cooperantes, ſalvari poſſint; & timendum eſt, ne ſi fortè Pontifex humana infirmitate circumdatus in errorem laberetur, totam Eccleſiam ſuo errore contaminaret, ut S. Gregorius ſcribit de univerſali Epiſcopo: Et enim quæcumque morum mutationes in Principibus extiterunt, continuò etiam in populis ſequutæ ſunt. Et quales illi in Republicâ ſunt, talis & populus eſſe conſuevit: adeo ut qui mali ſunt, tantis quidem obſint, quantis præſunt. Hinc uſu evenit, ut hodiè cuncti Prælati Eccleſiæ, ad Romanæ Curiæ inſulas, ſplendorem & purpuram tantopere geſtiant, omniaque illis poſthabeant.

XI. Et ita confirmatum relinquitur regimen Eccleſiæ eſſe Ariſtocraticum, non purè & abſolutè Monarchicum, quia poteſtas planè Monarchica & abſoluta, poteſtati miniſteriali ſpirituali, ſicut Dominium & miniſterium eſſentialiter repugnat: ex quo inſurgit omnia argumenta adverſariorum, ducta à comparatione & proportione Monarchiarum temporalium, quæ abſolutè cogunt, quæ imperant, nullius omninò eſſe momenti, quia voluntati & legi divinæ adverſantur, contra primam Regulam.

XII. Quarta Regula in uno quoque genere rerum unum dari primum, quod eſt cauſa efficiens, exemplar & principium reliquorum omnium, quæ ſunt ejuſdem generis: & in lege Evangelicâ nihil occurrere, priùs, præſtantiùs, aut eminentiùs, æterno Chriſti Sacerdotio, ad quod velut ad cauſam efficientem phyſicam, omnes dotes, facultates & proprietates, ad poteſtatem clavium & juriſdictionem Eccleſiaſticam ſpectantes, referre poſſimus. Etenim poſito vel translato Sacerdotio, neceſſe eſt quoque & legis ac poteſtatis translationem vel conſtitutionem fieri. Hebræorum 7. Quocircà ſicut Dominus noſter Sacerdos in æternum ſecundum Ordinem Melchiſedech, eſt fons radix, origo & cauſa totius Juriſdictionis, Eccleſiaſticæ atque omnium Chariſmatum & Sacramentorum, pariter ejuſdem Sacerdotium, Ordini Hierarchico individuè & in communa creditum, eſt cauſa ſecundaria efficiens totius Juriſdictionis Eccleſiaſticæ.

XIII. Adeo quidem, ut omnia ad Regimen Eccleſiæ ſpectantia, ad Chriſti ſacerdotium & Epiſcopatum Sacerdotali Eccleſiæ communicatum, haud aliter referre debeamus, quam effectus ad cauſam, proprietates ad ſubjectum, potentia intelligendi volendi & reminiſcendi ad animum rationalem. Ex quo ſequitur, ejuſmodi dotes & proprietates, nullo modo ſeparabiles eſſe à Chriſti ſacerdotio, ſaltem formaliter quoad habitum & in actu ſignato; ac proindè facultatem prædicandi Evangelium, claudendi & aperiendi Cœlum, ligandi & ſolvendi, remittendi & retinendi peccata, paſcendi Oves Chriſti atque omnia alia exercendi, quæ ad actus Hierarchicos & Regimen Eccleſiæ ſpectant, deferri Papæ, Epiſcopis & Presbyteris, unà cum Epiſcopali & Presbytorali Ordine ſaltem formaliter, quo ad habitum & in actu ſignato, quæ poteſtas habitualis, tunc reducitur ad actum atque exercitium, quando materia, titulus & populus regendus, Pontifici, Epiſcopo & Presbyteris attribuitur. Et ita datur intelligi poteſtatem Eccleſiaſticam, etiam ſupremam, quam Papalem vocant, nunquam poſſe in Eccleſia deficere, propterea quod formaliter eminenter & architectonicè, eſt in Chriſti Sacerdotio credito Eccleſiæ Sacerdotali.

XIV. Verum quando Lex Moſaica eſt umbra futurorum bonorum & legis gratiæ

Digitized by Google

atque omnes Levitæ & ipſemet Pontifex maximus cum omnibus Sacrificiis & ritibus veteris Teſtamenti, erant dumtaxat Symbolum & figura Sacerdotij, Epiſcopatus, Pontificatus & Sacrificij Chriſti; valdè miror Cardinalem de Turrecremata hujus proloquij Philoſophorum adeò immemorem, *propter quod unum quodque tale*, & illud magis, ut dicere auderet, *Chriſtum tanquam æquivocè fuiſſe Sacerdotem & Epiſcopum* lib. 2. de Eccleſia cap. 30. quod certè abſque magnâ impietate dici nequit.

XV. Quinta Regula duobus conſtat membris, prius eſt Chriſtum ſex loquendi formulis, poteſtatem aut juriſdictionem Eccleſiaſticam, in ſacris ſcripturis deſignaſſe & contuliſſe, puta facultate claudendi & aperiendi Cœlum Matthæi 16. ligandi & ſolvendi. cap. 18 Immediatâ miſſione Apoſtolorum atque diſcipulorum (quæ Matthæi, & Lucæ 10. inchoatur, deindè Joannis 17. & 20. necnon Matthæi & Marci ultimo, cumulatè perficitur) communicatione Sacerdotij, Lucæ 22. *hoc facite in meam commemorationem*, item poteſtate remittendi atque retinendi peccata, Joannis 20. & paſcendi Oves Chriſti cap. ultimo.

XVI. Poſteriùs membrum eſt, Dominum antè & poſt reſurrectionem ſuam, illam poteſtatem individuè & in commune prius atque immediatiùs ſemper toti Eccleſiæ Sacerdotali, quam uni Petro contuliſſet, ſi caput ultimum Joannis excipias, qua de re capite ſequenti diſputabitur.

XVII. Cæterum. quæcumque pluribus individuè & in commune dantur, illa in ſolidum & ex æquo omnibus conveniunt; ita ut tantumdem unus, quantum alter & poſtremus, quam primus habeat, ſicut verbi gratia, patet ex Doctoratu Theologiæ & Jure Societatis Sorbonicæ, ſi quidem omnes in ſolidum & ex æquo, ſunt Theologiæ Doctores & Socij Sorbonici, idque non tollit aut imminuit jus & prerogativam Decani Theologiæ, vel Prioris aut ſenioris domus Sorbonicæ. Idemque pariter Judicandum de Apoſtolis, reſpectu Petri, & de Epiſcopis intuitu Papæ, quia omnes ex æquo & in ſolidum, jure Divino, Socerdotij Chriſti & poteſtatis Clavium, participes ſunt.

XVIII. Quandoquidem Sacerdotium Chriſti & poteſtas Clavium, ſi formaliter & intenſivè conſiderentur, conſiſtunt in indiviſibili, quæ duo clarè confirmantur à Bellarmino lib. 4. de Rom. Pontific. cap. 23. ubi textum Cypriani relatum in decreta. can. loquitur 24. quæſt. 1. ita interpretatur. *Vides (inquit) idem dari Apoſtolis per illa verba ego*

XIX. *Mitto vos Joannis* 20. *quod* Petro *fuerat promiſſum per illud, tibi dabo Claves, & poſteà exhibitum, per illud, paſce oves, meas, conſtat autem per illa tibi dabo Claves & per illud paſce oves intelligi juriſdictionem pleniſſimam, etiam exteriorem, quomodo hæc non impediunt primatum, alibi ſatis oſtendimus.*

XX. O magna vis veritatis, quam qui non ſequuntur, aliis tamen clarè demonſtrant, neque enim aliter poſſunt eludere, quam facto diſcrimine extraordinariæ & quaſi delegatæ poteſtatis in aliis Apoſtolis, & ordinariæ in ſolo Petro, quod purum & novum eſt commentum Turrecremotæ, Cajetani & Bellarmini, quoniam poteſtas collata Eccleſiæ in Apoſtolis, qui ordinem Hierarchicum referebant, quanta quanta ordinaria & ad Epiſcopos Apoſtolorum ſucceſſores, tranſmiſſa eſt in ſolidum.

XXI. Ex quo fit ut hodiernâ die poteſtas Eccleſiaſtica, ejuſdem planè ſit naturæ, ſpeciei, virtutis atque effectus in Epiſcopis, ſicut anteà in Apoſtolis, quia omnes

Digitized by Google

Epiſcopi, ex æquo Sacerdotij & Epiſcopatus Chriſti ac poteſtatis Eccleſiaſticæ, ſicut Apoſtoli, quibus individuè in commune & in ſolidum ſucceſſerunt, participes ſunt.

XXII. Hoc tantum diſcrepant, quod Apoſtoli teſtes ſint oculati geſtorum Chriſti, à quo immediatè facti Epiſcopi, miſſi ſunt in mundum Joannis 20. Matthæi & Marci ultimo. Item quod poteſtate condendorum librorum Canonicorum, & patrandorum miraculorum, donati fuerint à Chriſto. Contra autem Epiſcopi, creati, & miſſi fuerint ab Apoſtolis & Eccleſiâ. Quod autem aliqui addunt Apoſtolos miſſos cum poteſtate in univerſam Eccleſiam, Epiſcopos verò ad privatam Diœceſim regendam, aut fallunt, aut falluntur, quia ſi formaliter poteſtas Epiſcopalis conſideretur, eſt quidem Oecumenica & generalis, certumque eſt temporibus Apoſtolorum Epiſcopos miſſos cum poteſtate univerſali & Oecumenica. Actorum 20. *Attendite vobis & univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos, regere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit Sanguine Suo.* Quibus verbis Apoſtolus gregem univerſum, Epiſcopis commendat. Nam tunc temporis Epiſcopi erant Oecumenici, non autem certæ & particulari Eccleſiæ addicti, ut hodiè, propterea quod limites ac fines Epiſcopatuum nondum erant conſtituti, propter neceſſitatem publicandi Evangelij ubique terrarum: quocircà Canoniſtæ 7. *queſt.* 5. *can. novatianus*, *docent*, *initio naſcentis*, *Eccleſiæ*, *unicum dumtaxat fuiſſe Epiſcopatum qui poſt prædicatum Evangelium, in diverſas Diœceſes diſtributus ac diviſus eſt.* Quæ diſtributio Juris videtur naturalis, quatenus Populi uniuſcujuſque Provinciæ, ſibi tum demum peculiarem Epiſcopum ac Paſtorem delegerunt, à quo gubernarentur. Quod vero hic aut ille ſit Pariſienſis, Meldenſis aut Senonenſis Epiſcopus, verbi cauſa, hæc juri purè humano debet adſcribi, jure autem Divino, poteſtas Epiſcopalis formaliter & quo ad habitum, natura ſua eſt Oecumenica atque illimitata: & tamen jure naturali, ut dixi, materialiter ad hanc aut illam diœceſim, propter variarum diœceſeum inſtitutionem & diſtributionem, definita eſt. Hinc illa vox Innocentij III. *Ad eſſe Epiſcopi, aut ad poteſtatem Epiſcopalem nihil quicquam locum & diœceſim conferre cap. inter corporalia* §. cum quis Epiſcopus de translatione.

XXIII. Quibus cogitatè conſideratis, dignoſcimus omnes Apoſtolos, ſolo primatu excepto, *eſſe jure divino, inter ſe honore & poteſtate omnino æquales, idemque pariter tenendum de Papa & aliis Epiſcopis*, qui omnes individuè atque in ſolidum, poteſtati Apoſtolorum ſucceſſerunt. Quarè Pariſienſis Meldenſis aut Senonenſis Epiſcopus, verbi cauſâ, æque & in ſolidum, eſt Petri quam Pauli, Andreæ aut Joannis ſucceſſor: Propterea quod Epiſcopi individuè [inquam] in commune & in ſolidum poteſtati Apoſtolorum ſucceſſerunt; idque nullomodo derogat Primatui, cujus ſolius reſpectu, Papa ſigillatim & privatim ſuccedit B. Petro. hercle; S. Paulus 2. corinth. XI. V. 5. nominatim ait, *ſe nihil minus habere aut nulla re inferiorem eſſe, valde magnis & excellentibus Apoſtolis.* Nam Græca ita ſonant, ſicque â Chriſoſtomo interpretantur, homil. 25. in epiſtolam ſecundam ad Corinthios, ubi communis verſio habet, *exiſtimo nihil me minus feciſſe magnis Apoſtolis*, quorum nomine, *Petrum Jacobum & Joannem intelligit, quos Galatarum 2. Columnas vocat,*

XXIV. Sexta Regula, & ſi omnium Theologorum conſenſu certum ſit, pote-

Digitized by Google

ſtatem Eccleſiaſticam formaliter, objectivè & natura ſua, diſtingui in poteſtatem ordinis, & juriſdictionis, ſicut potentiæ apud Philoſophos per proprios actus, & objecta diſtinguuntur, attamen ex doctrinâ omnium Patrum Antiquorum, & plurium recentiorum, quos hoc lib. 2. enumerabimus comprobatur unà cum ordine Epiſcopali & Preſbyterali, poteſtatem utriuſque internæ atque externæ iuriſdictonis, ſcilicet, quoad habitum, formaliter & in actu ſignato conferri, eamque ob cauſam, ſi quis Epiſcopus aut præsbyter, vagè & abſolutè, abſque certo titulo diœceſi aut parœciæ ordinetur, nihil quicquam illis deeſt, ad formalem & habitalem juriſdictionem exercendam. Cujus rei, hæc certiſſima atque evidentiſſima poteſt reddi ratio, quod Chriſti Sacerdotio communicato Eccleſiæ, tota juriſdictio Eccleſiaſtica, etiam poteſtas Papalis, efficienter cauſaliter, ac eminenter inſit, quemadmodum probatum eſt ſuprà quartâ regula. Cæterum communis eſt doctrina Theologorum, poteſtatem ordinis ut vocant, occupari circa verum Chriſti Corpus, & poteſtatem juriſdictionis circa Corpus Chriſti myſticum, id eſt Eccleſiam, atque duplicem eſſe poteſtatem juriſdictionis, unam, quæ forum internum conſcientiæ aut pœnitentiæ, alterum quæ forum externum ratione Peccatorum externorum & publicorum reſpicit. Experientiâ autem conſtat, ejuſmodi poteſtates ordinis & duplicis juriſdictionis, ſeparatim & de facto exerceri.

XXV. Septima Regula in legendis Patrum & Doctorum ſcriptis, diligenter & conſideratè, debemus dogmatica ab Oeconomicis, vel oratoriis diſtinguere ac ſecernere, dogmatica verò, quæ cauſis eſſentialibus atque internis principiis, rerum quæ tractantur omninò congruunt. Oeconomica verò & oratoria, quæ locis, temporibus, perſonis atque aliis circumſtantiis accummodantur; ut ſæpè fit in concionibus, ſermonibus, orationibus atque aliis ejuſmodi tractatibus habitis coram populo, ubi Patres & Doctores figuratè, Oratoriè ad captum & gratiam Vulgi, per auxeſim, Hiperbolem & Mioſim loquuntur atque aliis ſimilibus Schematibus utuntur, quo hominum animos proclivius flectant, placent & impellant, perterrefaciant, & cauſæ quam manibus habent, inſerviant. Exquo accidit, ut hæc exiguam, aut non tantum fidem mereantur, quantum dogmatica, quæ ad normam veritatis rigidè conduntur. Certa autem ratio dogmatica ab Oratoriis ſecernendi eſt, ut diligenter attendamus, utrum quæ dicuntur, ſtrictè & propriè, ad aliquod principium & cauſam eſſentialem rei, qua de agitur, redigi valeant, ſic enim pro dogmaticis habenda ſunt; cavendumque maximè, ne in ejuſmodi analyſis effectum & proprietatem pro cauſa, & Symbolum aut figuram pro re ipſa, & non cauſam, pro cauſa uſurpemus: exempli gratiâ, Chriſtus ratione poteſtatis excellentiæ, eſt fundator Eccleſiæ & Sacramentorum, caput, petra & fundamentum eſſentiale; Eccleſia verò, quæ eſt ejus corpus connaturale totale, adæquatum ob Communicationem Sacerdotij, quod à Chriſto habuit, ut illud propagaret & communicaret ſingularibus Prælatis, eſt cauſa ſecundaria effectus, ad quem omnes dotes & Cariſmata, poſt Chriſtum referenda ſunt. Quocircà Petrus, Apoſtolus, Joannes & alij Apoſtoli aut Epiſcopi, ſigillatim & diſtributivè ſumpti, & ad totum Eccleſiæ Corpus collati, cum ſint tantum partes & membrum corporis Eccleſiæ, & ſubjectum partiale & inadæquatum Clavium & Sacerdotij Dominis, ſequitur poſſe dum-

Digitized by Google

taxat habere rationem partis, *& continuo*, ſecundum Thæologiæ Dogmaticæ regulas Eccleſia collectim ſumpta, habet rationem totius & perfecti; cui omnia Cariſmata, & dotes, quæ ſigillatim Petro & aliis Apoſtolis dantur, priùs, immediatiùs & architextonicè conveniunt.

XXVI. Octava Regula, quoties de uno & eodem loco ſcripturæ, multi ſenſus & differentes occurrunt, & dubitatur uter magis germanus & verus ſit, illum ſenſum perpetuò debemus Præponere aliis, qui magis eſt Dogmaticus, & à pluribus viris & Doctoribus, omni exceptione majoribus tenetur & approbatur, ut obſervat Joannes Major 4. ſentent. diſt. 24. quæſt. 3. poſt initium. Legendus Auguſtinus diſt. 13. cum omnia talia & diſt. 19. can. in Canonicis, ubi oſtendit, ea quæ conſenſum Catholicum & Sanctorum Communionem vindicant, eſſe conſtanter amplectenda ac retinenda.

XXVII. Nona & ultima. Quoties in geſtis Conciliorum diſcors ſententia invenitur, ſemper illius concilij ſententiam potius tenere debemus, cujus antiquior & potior extat authoritas *diſt. 5. can.* 28. *Domino* §. in fine autem & 33. *quæſt.* 2. *can. hoc ipſum* §. *in fine. Porrò Cardinalis* Cuſanus lib. 2. *de concordantia cap.* 3. rectè colligit *ex Can. Conqueſtus* 9. *quæſt.* 3. *& Can. hoc tantum* 18. & quæſt. 2. neminem teneri obedire Prælatis, niſi in conſeſſu à Canone, quoniam Eccleſia Canone, non abſolutâ poteſtate regitur, & hæc ſunt novem regulæ Dogmaticæ certiſſimæ ac evidentiſſimæ *per quas, & judicari & ſimul judicare volumus*, ut verbis Leonis IV. P. P. utamur diſt. 20. can. de libellis.

Digitized by Google

CAPUT TERTIUM.

I. Dogmatica explicatio locorum Scripturæ, quibus juriſdictio eccleſiaſtica immediatè & in commune ordini hierarchico defertur à Chriſto, & primùm hoc textu, dic Eccleſiæ, *quo ſupremum tribunal erigitur in Eccleſia, cui quidem omnes Chriſtiani nemine dempto ſubjiciuntur.*

II. Immediatam miſſionem Apoſtolorum & Diſcipulorum factam à Chriſto, ex more & conſuetudine Regum atque Principum, Oratores, Legatos & Proreges ſuos, cum juſta & neceſſaria poteſtate mittentium.

III. De diſcrimine miſſionis ante Paſſionem & poſt Paſſionem Chriſti.

IV. Sacerdotium Chriſti communicatum Eccleſiæ, eſſe velut animam, quæ Eccleſiam militantem illuminat, vel integrat & propagat, eamque ob cauſam Chriſtum Sacerdotes ſol terræ & lumen mundi appellat.

V. Quamquam Sacerdotium Chriſti intenſivè & formaliter & quoad habitum, totum ſit in toto ordine hierarchico, & totum in qualibet parte ordinis hierarchici, ſcilicet in Papa, Epiſcopis & Præsbyteris, nihilominùs per actus & objecta ſuæ adminiſtrationis, exercitii & exequutionis diſtinguitur.

VI. De genuino ſenſu hujus textûs : Attendite vobis & univerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos, &c. *act.* 20.

VII. Dogmaticè à Cypriano dictum, unum eſſe Epiſcopatum vel Sacerdotium in Eccleſia, cujus à ſingulis in ſolidum pars tenetur, & ab Hieronymo omnes Epiſcopos ejuſdem eſſe meriti atque Sacerdotii.

VIII. D. Hieronymum æqualitatem Epiſcoporum indè ducere, quod ſint ejuſdem Sacerdotii participes, atque omnes individuè ſucceſſerint Apoſtolis.

IX. Papalem, Epiſcopalem & Præsbyteralem dignitatem ac juriſdictionem eminenter & quoad habitum, ineſſe Chriſti Sacerdotio, atque unicuique actum & exercitium hujus poteſtatis proportionatim deferri, per ſacri ordinis & tituli collationem.

X. De facultate remittendi atque retinendi peccata Joan. 20. *quâ eadem planè poteſtas confertur Apoſtolis, quàm Petro Joannis ultimo ut author eſt Bellarminus.*

XI. An Chriſtus, Joan. 20. *lxxii. diſcipulos, qui tum præſentes, erant, ordinavit Sacerdotes.*

Digitized by Google

XII. Quando omnia ſacræ Scripturæ teſtimonia, quibus poteſtas Eccleſiaſtica individuè & in commune delata eſt Apoſtolis atque diſcipulis, nullis troporum aut figurarum integumentis involvitur, juris quidem eſſe divini primarii.

XIII. De locis Scripturæ, quibus Primatus Petro delatus eſt, & cur ad hanc Domini vocem : Quem dicunt homines eſſe filium hominis, *plurimi diſcipulorum reſponderint ; ad hanc verò interrogationem :* Vos autem quem me eſſe dicitis? *unus & ſolus Petrus reſponderit.*

XIV. Petrum tanquam deſignatum Primatem & natu majorem, pro omnibus ſociis Fidem Catholicam profeſſum.

XV. Fidei profeſſionem factam à diſcipulis, Mathæi 14. *eſſe ſynonymè cum illa quam Petrus profitetur, Mathæi* 16.

XVI. Cum germanus ſenſus, imò etiam Primatus Petri ex cap 16. *Mathæi, abſque varia, multiplici & forti ratiocinatione elici nequeat, id argumento eſt certiſſimo, hunc ſenſum parum eſſe validum, ut dogma Catholicum de abſoluta Papæ monarchia conſtituatur.*

XVII. Dogmatica hujus loci explicatio, Paſce oves meas, *& de natura Paſtoralis Officii à Chriſto inſtituti, conformiter ad poteſtatem miniſterialem ſpiritualem Eccleſiæ creditam.*

XVIII. Omnes Scripturæ locos, quibus primatus Petro defertur, ſecundùm omnes Theologiæ & dialecticæ regulas quantumvis molliatas, nihil aliud probare, quàm Primatum eſſe juris divini quoad inſtitutionem & eſſentiam ; naturam verò atque uſum primatûs ab antiquis Eccleſiæ Patribus, non ab hujus ævi obnoxiis ſcriptoribus, eſſe repetendam.

XIX. Quinque de cauſis Dominum juriſdictionem eccleſiaſticam toti credidiſſe Eccleſiæ collectim ſumptæ, non uni & ſoli Petro, primum ut cauſa ſecunda efficiens Eccleſiæ, ſuo etiam modo æterna eſſet atque invariabilis, ſecundò ut omnes Epiſcopi & Præsbyteri, immediatè ſuam derivarent authoritatem à Deo, non ab homine : tertiò ut Evangelium eſſet ſine ſumptu, faſtu, magnoque labore, atque omnibus aliis gentibus, æquè quàm Romanis pateret ; quartò ad evitandam tyrannidem & abſolutam monarchiam ; quintò ne poteſtas ligandi & ſolvendi, unis & ſolis bonis ac ſanctis Sacerdotibus credita putaretur.

Jam nobis eſt diſputandum de ſcripturæ locis, quibus Eccleſiaſtica juriſdictio ſignificatur, & Apoſtolis atque diſcipulis Sacerdotalem Eccleſiam repræſentantibus, individuè & in commune delertam à Chriſto exordiarque à cap. 16. Matthæi, ubi Dominus cum verbo futuri temporis, Petro figuram Eccleſiæ gerenti, Claves ita promiſiſſet, *tibi dabo Claves &c.* Aliquanto poſt. Matth.

Digitized by Google

18. eandem Petrum reſcire cupientem quoties fratri ſuo peccanti Indulgeret, ſic per anticipationem præoccupat,inſtruit ac ſupernum Eccleſiæ tribunal, ad quod homines, cum neceſſitas exigeret recurrerent, erigit: *ſi peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum, inter te & ipſum ſolum, ſi te audierit, lucratus eris fratrem tuum, ſi autem te non audierit, adhibe tecum unum vel duos, ut in ore duorum vel trium teſtium ſtet omne verbum. Quod ſi non audierit eos, dic Eccleſiæ, ſi autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & publicanus. Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in Cælo, & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in Cælo; iterum dico vobis, quia ſi duo ex vobis conſenſerint ſuper terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo qui in Cælis eſt, ubi enim ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum &c.* Quo in textu, Chriſtus Sacerdotalem alloquitur Eccleſiam, cui facultatem ligandi & ſolvendi, leges ſtatuendi, atque omnia neceſſaria obeundi, quæ ad Eccleſiæ regimen pertinent, ſuo quidem tempore, hoc eſt ſtatim poſt Reſurrectionem & Aſcenſionem exercendæ confert: hæc enim ſolummodo effectum ſortita ſunt poſt Pentecoſten, quando Apoſtoli ad Evangelij promulgationem ſe accinxerunt. Verum ſicut nota ſupremæ authoritatis cujuſcumque Reipublicæ temporalis, in eo verſatur, ut aliquos poſſit jure civitatis donare & privare, etiam per jus vitæ & necis, ſimiliter ſuprema & ultima Eccleſiæ Catholicæ authoritas, in eo conſiſtit, ut virtute Sacerdotij Chriſti bonos & Nefarios, jure Communionis Eccleſiaſticæ donare aut excludere valeat. Quamobrem excommunicatio, eſt tanquam ſpirituale exilium, quo Pervicaces, Eccleſiam audire nolentes plectuntur, ideoque omnes Patres & Doctores, qui locum hunc Matthæi explicant, docent Chriſtum hoc edicto, *dic Eccleſiæ &c.* Ultimum atque ſupremum Tribunal Eccleſiaſticum, & Eccleſiam ſibi Architectonicem ac ſufficientem inſtituiſſe. Ita S. Auguſtinus, Gerſonius Toſtatus, Almainus, Major & ipſe Maldonatus, quos infra explicabimus. Qui ergo Papam ab hac lege Catholicâ *dic Eccleſiæ &c.* eximere conantur. Perinde faciunt, ac ſi illum Sacerdotio Chriſti minimè ſubditum, eſſe contenderent. Cætera quæ ſpectant ad dogmaticam explicationem hujus oraculi, lector mutuabitur ab axiomate XVI. & XVII. Apologiæ noſtræ; ubi notavimus Patres octavi concilij generalis actione I. verſus finem, in literis Thomæ Metropolitæ Tyri, quas literas ſuo conſenſu comprobant, docere Apoſtolos effectos, à Chriſto Sacerdotes, Math. 18. his verbis, quæcunque alligaveritis. &c.

II. At immediata miſſio Apoſtolorum & diſcipulorum, facta quidem eſt à Domino, ex Regum & principum more ac inſtitutis, qui dum legatos, oratores, proreges aut procuratores ſuos, quopiam ablegant, ſemper juſtâ & neceſſariâ poteſtate, illos ad ſua negotia perfectè & cum honore tractanda & conficienda, muniant. *Quod enim dat eſſe, unà etiam dat conſequentia adeſſe*; & niſi ita Reges facerent, hercle, illos quos ad munus aliquod obeundum mitterent, ridendos quidem & contemnendos, omnibus propinarent. Hincque fit, ut Oratores & legati, ſuas facultates ante omnia, iis apud quos verſabuntur probandas tradant. Profecto nomen Apoſtolatus in ſuâ notione eſſentiali, vim hujus divinæ & authoritativæ miſſionis involvit, deſignaturque à S. Paulo cap. 10. ad Romanos. *Quomodo prædicabunt niſi mittantur?* id eſt neceſſaria authoritate & poteſtate non muniantur? quapropter ſtatuendum eſt,

Digitized by Google

Chriſtum ſapientiſſimum legislatorem, & Apoſtolos ac Patres Eccleſiæ Primitivæ Chriſti imitatores, numquam aliquos ad prædicandum Evangelium miſiſſe, abſque juſtâ & neceſſariâ juriſdictione, quæ eminenter ineſt Chriſti Sacerdotio. Quod autem Apoſtolus Roman. 10. ſolius prædicationis mentionem facit, nemo mirari debet, quoniam in Eccleſiâ primitivâ munus prædicandi Evangelium, tanquam omnium ſupremum & maximum, præſertim Apoſtolis & Epiſcopis, id eſt Principibus Sacerdotum, reſervabatur. Unde Apoſtoli duces & Miniſtri Verbi; Actorum 6. nominantur. *Nos verò orationi & miniſterio verbi inſtantes erimus* & cap. 14. v. 12. Paulus, quia magnus erat prædicator, Mercurius vocatur à gentilibus & cap. 1. I. ad Corinthios ait, *ſe miſſum ad prædicandum & Evangelizandum, non ad baptiſandum:* tum enim munus adminiſtrandorum Sacramentorum, presbyteris & diaconis relinquebatur.

III. Porrò miſſionis factæ à Domino, hæc occurrunt teſtimonia, Matth. 10. *hos duodecim miſit Jeſus, præcipiens eis & dicens &c. euntes autem prædicate &c.* Item Luc. 10. *deſignavit Dominus & alios ſeptuaginta duos, & miſit illos binos ante faciem ſuam in omnem Civitatem & locum quo erat ipſe venturus.* & Joan. 17, *ſicut tu me miſiſti in mundum, ita & ego eos miſi in mundum, & pro eis ſanctifico meipſum &c.* quæ omnes miſſiones paſſionem Domini præceſſerant, & facultatem aut poteſtatem habitualem, non actum atque exercitium plenarium poteſtatis conferunt, hoc enim poſt aſſentionem Chriſti, ſolummodo Apoſtoli conſequuti ſunt his verbis; *pax vobis, ſicut miſit me pater & ego mitto vos Joannis* 20. Item Matthæi & Marci ultimo. *Euntes in mundum univerſum docete omnes gentes, prædicate Evangelium omni creaturæ.* Itaque ejuſmodi miſſiones, ante Paſſionem inchoatæ., & poſt reſurrectionem completæ & perfectæ ſunt: hæcque omnia, *ſicut miſit me pater & ego mitto vos &c. ite docete omnes gentes &c.* Quamquam verbis, ab hac formulâ, *paſce Oves meas* diſcrepent, tamen reipſa atque effectu, idem planè ſignificant, ut paulò antè demonſtravi ex Bellarmino, cap. præcedenti regulâ quintâ. Certè Lyranus in hæc verba Matthæi ultimo. *Data eſt mihi* omnis poteſtas in Cœlo & in terra, &c. ait *Chriſtum, licet ab inſtanti ſuæ Conceptionis, haberet poteſtatem in Cœlo & in terra, authoritativè; tamen exequutivè non habuiſſe ante reſurrectionem ſuam; eamque exequutionem Apoſtolis & diſcipulis conferre*, juxta diſcrimen ſuperius regulâ quartâ, inter poteſtatem eſſentialem Chriſto tanquam Deo atque homini, & poteſtatem purè miniſterialem aſſignatam.

IV. Venio ad communicationem Sacerdotij Chriſti, à quo tanqnam à primo principio cauſâ & fonte, tota juriſdictio Ecclæſiaſtica, omniſque influxus externus & viſibilis Eccleſiæ ſcaturit. Ut autem quanta vis & energia ſit hujus divini myſterij, hic nobis conglutinandæ ſunt narrationes Evangeliſtarum, præſertim Joannis & Lucæ, quia certiſſimum eſt hiſtoriam quam B. Joannes cap. 17. recenſet, geſtam à Chriſto ſtatim atque Apoſtolos ordinavit Sacerdotes; ratio eſt: quia idem S. Joannes cap. 13. memorat, Judam proditorem, quamprimum ablutio pedum facta eſt, & Buccellam à Chriſto accepit, confeſtim ad Judæos ſeceſſiſſe, ut cum illis de Jeſu cônjiciendo in vincula, conſilium iniret. Itaque omnes ſermones quos Joannes cap. 14. 15. 16. & 17. conferit ſunt velut appendix hujus hiſtoriæ de qua S. Lucas cap. 22. hæc narrat. *Deſiderio deſideravi hoc Paſcha manducare vobiſcum antequam patiar, &c. hoc eſt Corpus meum quod pro vobis tradetur; hoc facite in meam commemorationem &c. Reges gentium*

Digitized by Google

dominantur eorum, vos autem non ſic, ſed qui major eſt in vobis, fiat ſicut minor, & qui præceſſor eſt, ſicut miniſtrator: & ego diſpono vobis ſicut diſpoſuit mihi pater meus regnum, ut edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo &c. Cui narrationi, hæc alia ex cap. 17. Joannis, quoniam genuinos effectus Sacerdotij Chriſti nobis declarat, adſuenda eſt. *Sanctifica eos in veritate ſermo tuus veritas eſt, ſicut me miſiſti in mundum, ita & ego miſi eos in mundum, & pro eis ſanctifico me ipſum, ut ſint & ipſi ſanctificati in veritate: non pro eis rogo tantum, ſed pro eis qui credituri ſunt per verbum eorum in me, ut omnes unum ſint, ſicut tu pater in me, & ego in te, & ipſi in nobis unum ſint, ut credat mundus, quia tu me miſiſti, & ego claritatem, quam tu dediſti mihi, dedi eis, ut ſint unum, ſicut & nos unum ſumus. Ego in eis & tu in me, ut ſint conſummati in unum. &c.* Porrò ex hac Evangeliorum concordantia, duo potiſſimum colligimus. Primo Chriſtum communicatione ſui Sacerdotij Apoſtolos velut preroges, legatos, Oeconomos, miniſtros, Procuratores, & Vicarios ſuos effeciſſe; *& ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi pater meus Regnum, &c.* Lucæ 22. & 2. Corinth. 5. pro Chriſto legatione *fungimur tanquam Deo exhortante per nos &c.*: Quæ legatio iis concordat, quæ paulò antè obſervavimus de immediata miſſione Apoſtolorum & diſcipulorum, cum juſtâ & neceſſariâ poteſtate regendi Eccleſiam. Alterum collectaneum eſt, Sacerdotium Chriſti eſſe velut animam & ſpiritum vivificantem Eccleſiam viſibilem, ita ut *ſanctificatio in veritate, clarificatio intima atque indiſſolubilis unio Eccleſiæ cum Chriſto ſponſo, ſanctorum communio & unitas huc referenda ſit. Rogo (inquit Dominus) ut ſint ipſi ſanctificati in veritate, ut omnes unum ſint, &c. Hæc autem ſunt effectus Sacerdotij Chriſti, quo Pater Filium & viciſſim Filius, Apoſtolos & Epiſcopos clarificari voluit: & ego claritatem quam tu dediſti mihi, dedi eis, ut ſint unum, ſicut & nos unum &c.*

Unde etiam Matthæi 5. *Chriſti diſcipuli Lumen & ſal mundi appellatur.* Certè Chriſti Sacerdotium in dies ſingulos, Eccleſiam militantem illuminat, vivificat, redintegrat & propagat. Cardinalis Cuſanus lib. 2. de concordantia cap. 10. Sacerdotium eſt, ut anima una in uno corpore fidelium, *Quæ membris communicat vivificationem, vegetationem & ſenſationem, & juxta graduationem membrorum quibus præſidet, gradum in præſidentia Sacerdotali ſortitur.* Item lib. 3. cap. 41. *conſideret Romanus Pontifex, ſi Sacerdotium eſt ut anima una, quæ eſt tota in toto, & in qualibet ejus parte, quod tunc exequutiones poteſtatum quo ad decretam provinciam, ſecundum plus & minus, quam ab extrinſeco dependeant, non diminuunt ſpiritualem poteſtatem in ſe: unde ſicut ipſa anima in pede hominis, non eſt major vel minor propter vitam quam pedi præſtat, ipſamet anima, quæ in capite vel in corde reſidet; ſic ipſe Papatus ſe habet ut anima in capite, & Patriarchatus ut anima in auribus vel oculis, & Archiepiſcopalis dignitas, ut anima in brachiis & Epiſcopalis ut in digitis, & ſic de ſingulis uſque ad pedes; qui in Republicâ plures deſignant: unde anima eis vitam præſtans, Curatum rectè figurat: una eſt ergo à Deo omnium ligandi & ſolvendi ac vivificandi poteſtas, licet illa ex parte membrorum, alia & alia major videatur.*

V. Quæ collectio Cuſani, nos docet Sacerdotium Chriſti, quod in indiviſibili conſiſtit, eſſe velut animam Eccleſiæ, totum in toto ordine Hierarchico, & totum in quolibet Sacerdote vel Epiſcopo, intenſivè quidem, formaliter & quo ad habitum: nihilominus quoad actum, exercitium, adminiſtrationem & exequutionem

Digitized by Google

differenter à Summo Pontifice, Epiſcopis & Presbyteris adminiſtrari; ſicut experimur animam rationalem pro diverſitate organorum, diverſas ſpecie & natura obire actiones in humano corpore: quæ actiones non ſe mutuo impediunt vel turbant, ſed potius juvant atque excitant. Cæterum dominus ad diverſas operas Sacerdotij ſui perficiendas, varietatem organizationis inſtituit, partim erectione primatus B. Petri, partim diſtinctione ordinis Hierarchici in Epiſcopos & Præsbyteros, quorum illi Apoſtolis, hi vero lxxij diſcipulis, jure Divino ſucceſſerunt, ut proprio dicetur loco; itaque in Chriſti Sacerdotio, ſicut in animâ rationali diverſæ potentiæ & facultates ut Primatus, Epiſcopatus & Presbyteratus, per diverſos actus atque objecta ſuæ adminiſtrationis & varij exercitij, cognoſcuntur & diſtinguuntur.

VI. Qui ergo ad hæc cogitatè attenderit, proclivè judicabit, quarè in ordine Romano de Confeſſoribus & Pontificibus dicatur, *tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.* Item cur Apoſtolus actor. 20. hæc enunciarit, *attendite vobis & univerſo gregi in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit Sanguine ſuo.* Senſus enim eſt, Epiſcopos immediatè ſuam ducere authoritatem à Deo, quia cum ordine Sacerdotali; conſortes Sacerdotij & Epiſcopatus Chriſti efficiuntur.

VII. Hinc pariter innoteſcit, rectè & dogmaticè dictum à S. Cypriano *unum eſſe Epiſcopatum vel ſacerdotium in totâ Eccleſiâ, cujus à ſingulis in ſolidum pars tenetur* can. loquitur diſt. 95. Jam enim oſtendi, Epiſcopatum aut Sacerdotium Chriſti in indiviſibili conſiſtere, ac totum eſſe in toto ordine Hierarchico, & totum in quolibet Epiſcopo atque præsbytero, formaliter & intenſivè, materialiter autem, quoad exercitium & adminiſtrationem, ſolummodo diſtingui. Iſtinc etiam magna lux Hieronimo accedit, aſſerenti omnes Epiſcopos ejuſdem eſſe meriti & Sacerdotij diſt. 93. can. legimus §. *ubicumque fuerat Epiſcopus, ſive Romæ, ſive Eugubij ſive Conſtantinopoli ſive Rhegij, ſive Alexandriæ, ſive Tanis, ejuſdem eſt meriti, ejuſdem eſt Sacerdotij, potentia divitiarum aut paupertatis humilitas, vel ſublimiorem vel inferiorem Epiſcopum, non facit. Cæterum omnes Apoſtolorum ſucceſſores ſunt.*

VIII. Qui locus tria notatu digna continet, primum omnes Epiſcopos ejuſdem eſſe meriti & ejuſdem Sacerdotij, quaſi diceret, omnes Epiſcopos Iure Divino ejuſdem eſſe meriti, poteſtatis, & juriſdictionis, quia ex æquo intenſivè & in ſolidum ſunt participes Cathedræ, Epiſcopatus & Sacerdotij Chriſti. Quam ob cauſam Cyprianus infra explicandus, omnes Apoſtolos *honore & poteſtate pares & æquales docet.* Alterum notabile eſt Hieronimum tres præcipuas & potentiſſimas ſedes Patriarchales, Romanam, Conſtantinopolitanam & Alexandrinam cum tribus Epiſcopis oppidorum obſcuriſſimorum Italiæ, Græciæ atque Ægypti comparare, ſi quidem Eugubium urbs eſt Italiæ ignobiliſſima Rhegium Thraciæ juxta Conſtantinopolim & Tanis Ægipti. Tertio pro alterâ causâ æqualitatis Epiſcoporum, Hieronimus obſervat Epiſcopos ſucceſſiſſe Apoſtolis. Cæterum (ait) *omnes Apoſtolorum ſucceſſores ſunt.* Quocircà Eugubinus Epiſcopus, verbi causâ, ſi ad naturam & poteſtatem Epiſcopalem attendas, æque & inſolidum eſt Petri ſucceſſor quam Papa, idque nihil derogat Primatui, ut capite præcedenti monuimus. Quæ cum ita ſint, claret, quo ſenſu Guilielmus Altiſſiodorenſis lib 4. ſentent. quæſt. 1. ſub finem,

Digitized by Google

tractans de Sacramento ordinis dixerit, *Quod ſi non eſſent in mundo niſi tres ſimplices Sacerdotes, oporteret quod aliquis illorum conſecraret alium in Epiſcopum & alium in Archiepiſcopum*: item planum evadit, cur omnes Theologi doceant in presbyteris & Epiſcopis, unum atque eundem eſſe ſpecie & natura ordinem & caracterem, ac ſolâ tantum extenſione & ampliatione adminiſtrationis, id eſt accidentariè non eſſentialiter, extenſivè non intenſivè diſtingui: Magiſter ſententiarum lib. 4. diſt. 24. §. L. S. Thomas in ſupplemento quæſt. 40. articulo 5. Gerſonius de Poteſtate Eccleſiaſtica conſiderat. 3. Certè hoc evidentiſſimo Principio bene conſtituto, multa illuſtrantur, quæ Curiæ Romanæ ſcriptores atramento ſuo, inſtar ſepiarum obſcurare moliuntur: cujuſmodi eſt illa quæſtio, quam Bellarminus poſt Cardinalem de Turrecremota involvit, ſcilicet *utrum ſolus Petrus à Chriſto ordinatus fuerit Epiſcopus, cæteri autem Apoſtoli à Petro*; de quâ amplius lib. 3. cap. 5. quæſt. 2. item *an omnes Epiſcopi æque & in ſolidum ſint gratia Dei Epiſcopi quam Papa*. Præterea hinc claret, rectè dictum ab Almaino, dato quod Chriſtus Petrum Primatem non delegiſſet, Eccleſiam illum potuiſſe deligere: ratio eſt, quoniam Chriſti Sacerdotio credito Eccleſiæ Primatum. Epiſcopatum, atque Presbyteratum formaliter ac eminenter ineſſe, docuimus: ita ut quoties neceſſitas exigit propagari queat.

IX. Hinc quoque non dicam probabile, ſed certum arbitror, poſtquam B. Petrus Joannis 1. v. 42. & Matth. 16. Primas ac princeps Apoſtolorum deſignatus eſt à Chriſto, tantumdem poteſtatis adeptum ſola conſequutione Sacerdotij Chriſti, quam ſi eidem Chriſtus loquutus non fuiſſet, Joannis ultimo *Paſce oves meas*. Jam enim non ſemel dixi, Papalem, Epiſcopalem, & Presbyteralem dignitatem, eminenter & quoad habitum ineſſe Chriſti Sacerdotio, & pro ratione organizationis ac diſpoſitionis, actus atque exercitium unicuique proportionatim & reſpectivè, per Sacri ordinis collationem & electionem ad Papatum, Epiſcopatum, aut Curioratum regendum deferri, nam diviſiones gratiarum ſunt, idem autem ſpiritus qui omnia operatur in omnibus, dividens ſingulis prout vult. cap. 12. ad Roman. & Prioris ad Corinthios. Hiſque de cauſis, omnes Patres antiquos quos cap. ultimo in Joannem, Maldonatus ſigillatim recenſet, docere opinor, Chriſtum ter interrogando Petrum, eique imperando ut ſuas paſceret Oves, nihil aliud demonſtrare voluiſſes quam labem trinæ abnegationis B. Petri delatam, & illum ad priſtinam dignitatem, unde excidiſſe videbatur reſtitui. Sed te obſecro lector, ad textus Cypriani & Hieronymi ſupra laudatos attende, & conſidera quantum adverſarij pænarum de nobis caperent, ſi quid ejuſmodi pro ſuæ monarchiæ confirmatione, ex monimentis Patrum promere valerent.

X. Sed pergamus, ad facultatem remittendi atque retinendi peccata collectim & individuè hierarchico ordini collatam 1. Joan 20. *pax vobis, ſicut miſit me pater & ego mitto vos; hæc cum dixiſſet inſufflavit & dixit eis, accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt*, quæ cum à Chriſto prolata fuerunt, S. Thomas Dydimus aberat, ut claret Evangelio Joannis: Itaque cum authore Bellarmino, Chriſtus ſupremam juriſdictionem Apoſtolis contulerit Ioannis 20. hac formulâ *ſicut miſit me pater & ego mitto vos*, ſequitur B. Thomam, quia tunc aberat, non fuiſſe Apoſtolum, quod eſt hæreticum. Quocircà verum eſt

Digitized by Google

quod dixi ſuperius, Apoſtolos cum adeptione Sacerdotij Chriſti, unà juriſdictionem gubernandæ Eccleſiæ neceſſariam, formaliter & quoad habitum conſequutos fuiſſe atque omnes dotes clavium ad Chriſti Sacerdotium, velut ad cauſam referri, & Ioannis 20 & Matthæi ac Marci ultimo habitualem poteſtatem mitti in rem; judicatam, eoquod proximè poſt Aſcenſionem exercenda foret. Porrò Chriſtus Ioannis 20. *ſicut miſit me Pater & ego mitto vos*, non tantum Apoſtolos, verum etiam diſcipulos alloquitur, ut facile inimus, & cap. 24. Lucæ. v. 33. cum enim duo diſcipuli *qui cognoverunt Dominum in fractione panis, confeſtim ab Caſtello Emmaus Hieroſolymam rediiſſent, atque undecim & eos qui cum illis erant, congregatos inveniſſent, dicentes quod ſurrexit Dominus vere & apparuit Simoni, & ipſi narrarent quæ geſta erant in viâ & quomodo cognoviſſent eum in fractione panis. Dum autem hæc loquerentur ſtetit Ieſus in medio eorum & dixit pax vobis, ego ſum nolite timere &c. quæ clauſula Evangelij Lucæ, huic alij reſpondet & concordat: Pax vobis ſicut miſit me* Pater & ego mitto vos Ioan. 20. ex quo relinquitur, omnes diſcipulos, qui tunc erant præſentes, reſpectivè & proportionatim in hujus poteſtatis conſortium veniſſe. De quâ ſic Bellarminus, jam ſuprà laudatus ex lib. 4 de Rom. Pontifice cap. 4 *vides*, ait, *idem dari Apoſtolis per illa verba ego mitto vos*; *Joan.* 20. *quod Petro fuerat promiſſum per illud, tibi dabo claves: & poſteà exhibitum per illud, paſce Oves meas. Conſtat autem per illa, tibi dabo claves, & per illud, paſce oves, intelligi juriſdictionem pleniſſimam etiam exteriorem, quomodo autem hæc non impediant Primatum Petri alibi ſatis oſtendimus.* hæc ille.

XI. Verum poteſt hic non inutilis excogitari quæſtio, an Dominus inſufflando in diſcipulos qui aderant, eiſque conferendo Spiritum Sanctum cum poteſtate remittendi & retinendi peccata, Joan. 20. illos Epiſcopos & Sacerdotes ordinarit: quoniam certum eſt lxxij non interfuiſſe cænæ Domini cum Apoſtolis ut Sacerdotio donarentur, lucæ 22. Quæ diſputatio non vana ac ſuperflua (inquam) ſi enim Patres primitivæ Eccleſiæ, ſola miſſione atque manuum impoſitione, abſque, alio ritu, Sacerdotes & Principes conſecrabant ut infrà probabitur, & Patres octavi concilij docent Chriſtum Matthæi. 18. inſtituiſſe Apoſtolos Sacerdotes, his verbis, *quæcumque alligaveritis, &c.* ut ſuprà notavimus, veriſſimè puto, Chriſtum ritu miſſionis, inſufflationis collationis Spiritus Sancti Ioan. 20. diſcipulos, qui tunc intererant, effeciſſe Sacerdotij & Epiſcopatus ſui participes, ita ut ordinatione nihil opus fuerit. Quæ à me dicuntur abſque probabilioris ſententiæ præjudicio, quam lubenter amplectar, undequaque affulſerit, & hactenus de teſtimoniis ſcripturæ, quibus poteſtas ordinis & juriſdictionis individuè & collatim data eſt Apoſtolis à Chriſto, antequam aliquid ſeorſim & privatim Petro conferretur.

XII. Quæ teſtimonia cum nullis figuris, methaphoris, allegoriis, parabolis aut ſenſu myſtico & implicato involvantur, ſed clariſſima ſint, adeo ut ſolâ lectione, abſque ulla aut ſaltem cum exiguâ admodum & levi inductione, animi ſenſus illorum omnibus innoteſcat, profectò ad jus divinum primarium poſitivum ſpectant, juxta ſecundam regulam capite præcedenti explicatam.

XIII. Ventum eſt ad locos qui uni & ſoli Petro qualificari creduntur, cum autem Dominus Matth. 16. Univerſos Apoſtolos & diſcipulos, qui ordinem Hiera-

Digitized by Google

chicum erant aliquando conflaturi, individuè & collectim, sic percontaretur: *Quem dicunt homines eſſe filium hominis*, atque diſcipuli, variè variorum hominum de Chriſto judicia & reſponſa audiviſſent, quid quiſque accepiſſet, ſigillatim declarat: alius enim dicit, quoſdam dicere Chriſtum eſſe Eliam, alius Jeremiam, alius Joannem Baptiſtam &c. Ex quo apparet hic evidentem & neceſſariam cauſam fuiſſe, cur plures ex diſcipulis ad hanc primam Chriſti interrogationem reſponderent: quoquoniam diverſas hominum opiniones, quas ex variorum ſermonibus hauſerant, Chriſto id petenti fideliter exponere tenebatur: quare unus unam, alius aliam opinionem refert: deindè verò Chriſtus tanquam bonus & diligens magiſter, cum experiri vellet, quantum diſcipuli in doctrinà Evangelica, quam illos edocuerat, profeciſſent, ſic eos affatur *at vos quem me eſſe dicitis?* quarè hic certa & manifeſta eſt ratio, cur unus tantum loquatur? nimirum, quia unica tantum eſt fides & ſententia Catholica de Chriſto, quam omnes diſcipuli identidem à Domino audierant.

XIV. Deindè quia ordo poſitus à Chriſto in ſua familia, honorque & reverentia Patris familias debita, minimè patiebatur ut omnes diſcipuli promiſcuè & conturbatè unà loquerentur, ideò Petrus tanquam major natu, & jam aliorum princeps & caput, Joannis 1. v. 42. deſignatus pro omnibus condiſcipulis & collegis, fidem Eccleſiæ, quam unà à Chriſto acceperant ſic profitetur; *tu es Chriſtus filius Dei vivi*: quandoquidem Petrus Eccleſiam *repræſentabat propter Primatum.*

XV. Certumque eſt alios diſcipulos eandem fidem profeſſuros, niſi Petrus pro omnibus loquutus fuiſſet, eoſque ſuo ardore & zelo antevertiſſet, ſicut Maldonatus poſt omnes antiquos Patres aſſerit, Matth. 14. v. 33. ubi rectè obſervat, fidei confeſſionem à Petro editam, Matthæi 16. ejuſdem eſſe prorſus naturæ cum eâ quam diſcipuli profitentur Matth. 14. idque fuſiùs infrà probabitur. At auditâ Petri confeſſiones, *Ieſus reſpondens, dixit Petro. Beatus es Simon Barjona, quia caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus qui eſt in Cœlis; & ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam, & tibi dabo claves Regni Cœlorum; & quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum in Cœlis, & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in Cœlis.*

XVI. Quo ex textu, ut genuinum ſenſum & Petri privatum dogmaticè colligamus, novem animi inductiones ad minus facere, ſicque ratiocinari neceſſe eſt. Primo enim quærendum, an Petrus ſuam unius, au totius Eccleſiæ Catholicæ fidem, nomine ejuſdem Eccleſiæ, hic profiteatur, quia certiſſimum eſt Chriſtum in hac fide totam Eccleſiam ſæpe informaſſe, cum hæc fuerit ſumma & ſcopus totius œconomicæ incarnationis Domini, nimirum ut *mundus univerſus Patrem cognoſceret & Jeſum Chriſtum filium, quem Pater miſit in mundum*, Joann. 7. adeo ut Petrus primus omnium hanc fidem non audierit aut perceperit à Chriſto, ut axiomate xiij apologiæ demonſtravi. Secundo diſputandum, an Dominus dixerit, tu es Petrus an Petra. Tertio quidnam imponendo nomen Petri aut Petræ filio Barjonæ, deſignare voluerit, hocque ut pateat, analogia & proprietas petræ, eſt conſideratè indaganda; & cum Petri geſtis diligenter conferenda, ut liqueat quo titulo ſoliditas, firmitas & robur fundamenti aut Petræ, poſſit Petro competere. Quarto quia Chriſtus

Digitized by Google

eſt Petra, fundamentum & caput eſſentiale Eccleſiæ, hinc colligi illum per quamdam metaphoram, & analogiam voluiſſe hæc nomina Petro attribuere, ita ut hic eſſet Petra ſecundaria, fundamentum & caput Symbolicum Eccleſiæ, ſicut Chriſtus eſt caput eſſentiale & Primaria Petra lapiſque Angularis Eccleſiæ. Quinto utrum hæc verba, *& ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*, capi debeant de Chriſto Petra genuina & de Primaria, aut de Perſonâ Petri ſingulariter aut etiam de fide quam Petrus confeſſus eſt, nam de hac re, inter Patres & doctores controvertitur. Sexto an ſolus Petrus ſit Petra & fundamentum Eccleſiæ, vel utrum hæc proprietas reliquis etiam Apoſtolis ex æquo conveniat, quoniam Ephes. 2. & Apocalyp. 21. fundamenta noncupantur. Septimo videndum, quarè Dominus dixerit, *ædificabo Eccleſiam meam* & non, ædificabo Eccleſiam meam aut tuam? & ſi enim notionem atque appellationem petræ ac fundamenti, Petro adſcribat, nihilominus ſibi ſoli poteſtatem ædificandi, ideò reſervat, quod ut ait Apoſtolus 1. Corinth. cap. 3. neque qui plantat eſt aliquid, neque qui regat, ſed qui incrementum dat Deus. Octavo cur etiam dictum ſit à Chriſto, *portas inferi numquam prævalituras adverſus Eccleſiam*; minimè vero non prævalituras adverſus Petrum: certe hic ſeptimus & octavus articulus clarè indicant, Petrum ſóla poteſtate miniſteriali Præditum, ac legibus à Chriſto poſitis ſtrictiſſimè obligari; & multo potiorem ac validiorem eſſe Eccleſiæ, quam unius Petri aut Papæ authoritatem, firmitatem, ac infallibilitatem, continuoque invictum & adamantinum robur ac ſoliditatem Petræ & fundamenti, potius Eccleſiæ Catholicæ, quam Papæ convenire: ſi quidem Chriſtus explicatè ait, ſe *Eccleſiam ædificaturum* & portas inferi non prævalituras contra illam, nec mirum certè, quandò ei tam intimè atque individuè unitur uſque ad conſummationem ſeculi. Mathæi ultimo. Unde cap. 3. prioris ad Timotheum, *Eccleſia eſt columna & firmamentum veritatis ſine maculâ & rugâ*, 5. ad Epheſios quod certè de Papa aut alio quocumque privato homine, dici non poteſt, ſcitumque eſt *Petrum à Paulo reprehenſum, quod non rectè ambularet* ad veritatem Evangelij galat. 2. Nono diſputandum quidnam hæc ſibi velint, *tibi dabo claves regni Cælorum*; quænam ſit proprietas atque effectus clavium; an cæteri Apoſtoli habeant claves ſicut Petrus, & utrum clavis Petri, ab aliorum Apoſtolorum clavibus diſtinguatur, ut Cajetano, Maldonato, atque aliis recentioribus placet. Cum igitur de his novem articulis, magna ſit inter antiquos Patres & Doctores Catholicos conſentio, atque ipſimet adverſarij violentis interpretationibus, quas in hoc caput 18. Matthæi congerunt, id plus ſatis declarent: hercle, id certiſſimo eſt argumento, memoratum caput 16. Matthæi, parum eſſe validum ad dogma Catholicum efficiendum, qualem eum Curiales comminiſcuntur. Quandoquidem hic textus planè metaphoricus & allogoricus eſt; utque oſtendi, germanus ſenſus indè extendi non poteſt, abſque multis exactiſſimis & ſæpiſſimè iteratis animi cogitationibus. Dicunt igitur homines obnoxij, quâ Logicæ aut Theologiæ normâ, ſua placita, quaſi fide Catholica tenenda, cum poteſtate abdicandorum Regum illinc exſculpere queant, & quâ confidentiâ, in Capite omnium controverſiarum, quæ de Religione Catholica ſcribuntur abſoluta infallibilis Monarchia Papæ, tanquam totius operis prætium defigant. Cum nullus ſit mortalium, qui poſt variam atque anxiam ratiocinationem quicquam aliud præter Petri Primatum,

ex

Digitized by Google

ex cap. 16. Mathæi exprimere valeat. Hercle, diverſæ ac differentes adverſariorum ipſorum opiniones, de quibus propriis locis dicetur, manifeſtè omnes illorum cavillationes produnt, & validè debellant, cùm ipſi inter ſeſe non ſemper cohæreant: quâ igitur fronte hæc ad fidei dogmata conſtituenda abſtrahunt?

XVII. Idem pariter & de hoc alio textu judicium, *Simon Joannis diligis me plus his? paſce agnos meos, paſce oves meas, Joan.* 21. Relictâ autem quæſtione, cur Dominus ter Petrum interrogat: primò ex his verbis, *paſce oves meas*, colligitur Chriſtum eſſe Dominum abſolutum gregis, quem ſanguinis ſui pretio redemit: ſecundò, Petrum Opilionem, Paſtorem ſecundarium, Vicarium & Miniſtrum ac OEconomum Chriſti conſtitui: tertiò, videndum an officium paſcendi oves Chriſti etiam ad alios Apoſtolos ex æquo pertineat, ut omnes Patres volunt: (quod non tollit Primatum) etſi non ex æquo, ut placet Curialibus, qua in re Petrus in paſcendi munere validè animi inductiones & comparationes tenendæ & retexendæ ſunt: quia docendum eſt hæc alia verba, ſicut, *miſit me Pater & ego mitto vos*: item, *euntes in mundum univerſum docete omnes gentes, &c.* non eamdem vim habere cum hac clauſula, *paſce oves meas*, contra quam ſtatuit Bellarminus lib. 4. de Rom. Pontifice cap. 23. de quo capite præcedenti dictum eſt numero 18. quartò cùm Evangelium ſit lex gratiæ & perfectæ libertatis ac manſuetudinis, nemoque invitus ſalvari poſſit, & ſola poteſtas miniſterialis ſpiritualis conceſſa ſit Eccleſiæ; indè colligitur hæc verba, *paſce oves meas*, nullo modo poſſe conducere ad abſolutam monarchiam Papæ roborandam; & contrarium eſſe legi divinæ & naturali, ut oves rationales Chriſti, tanquàm bruta animalia abſoluto & planè monarchico imperio gubernentur. Iſaiæ 40. ſicut, *Paſtor gregem ſuum paſcet, in brachio ſuo congregabit agnos, & in ſinu ſuo levabit, fœtas ipſe portabit, quæ his* aliis congruunt Joan. 10. *Ego ſum Paſtor bonus, & cognoſco oves meas, & cognoſcunt me meæ, &c.* Undè poſterioris ad Corinthios primo, non dominamur fidei veſtræ, ſed adjutores ſumus gaudii veſtri, ubi gloſſa, fides non patitur dominium, cùm ſit voluntatis, non neceſſitatis. Enim verò hominum animi ſolummodò moventur efficaciter à principio interno; utque voluntas captivetur in Chriſti obſequium, priùs intellectum illuminare oportet. Quamobrem totâ viâ errat Bellarminus 1. de Rom. Pontifice cap. 15. dum Paſtoribus Eccleſiæ virgam ferream arrogat, & in librorum ſuorum recognitione recenſens cap. 16. libri 4. de Rom. Pontifice (§. *tertius locus*) *auctoritatem imperandi regio more, colligit* ex his verbis, *paſce oves meas*. Jam enim obſervavi, atque iterùm inculco, Scripturæ textus qui uni & ſoli Petro privatim favere putantur, ſecundùm omnes Logicæ & Theologiæ regulas, etiam juxtà Juris normam, *quæ favores ampliare vult*; dumtaxat oſtendere Primatum juris eſſe divini quoad eſſentiam & inſtitutionem, unà cum iis quæ neceſſitate conſequentiæ ſequuntur Primatum; cujus naturam & poteſtatem, non ex obnoxiis Scriptoribus hujus ævi, ſed ex Eccleſiæ primitivæ Patribus & actis octo primorum Conciliorum Generalium haurire oportet. Conſtat autem ex memoratis Conciliis Epiſcopum Romanum pro Primate atque Principe Epiſcoporum ab omnibus agnitum.

XVIII. Deinde progreſſu temporis, in vim & conſequentiam Primatus, multa collegiſſe & præſcripſiſſe privilegia, & tandem ſcholaſticos qui de omnibus rebus

Digitized by Google

probabiliter ſecundùm Logicæ regulas diſputant; atque inter alios B. Thomam cum aſſeclis, *nomen & titulum Monarchiæ & capitis viſibilis Eccleſiæ inveniſſe, habitâ præſertim ratione uſus & praxis regiminis Eccleſiæ, quod poſt Gregorium VII. invaluit: hæc autem abſoluta Monarchiae placita, cum nimium quantum in totius Eccleſiæ ruinam atque oppreſſionem latè excreſcerent, illa Patres Conſtantienſes ad bonum & tolerabilem uſum ac ſenſum anno 1415. redegerunt.* Vide axioma XXXI. Apologiæ noſtræ, & conſtanter retine Chriſtum his oraculis, *tibi dabo Claves*, Math. 16. *paſce oves meas*, Joannis ultimo, contuliſſe Petro ejuſque ſucceſſoribus auctoritatem exequendi jus divinum, naturale & canonicum, cum facultate condendi leges & Canones in actu primo, de qua re infra lib. 4. cap. 7. Quod attinet ad locum hunc: *Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua, tu autem converſus, confirma fratres tuos*, Lucæ 22. infra lib. 4. cap. 5. dogmaticè explicabitur.

XIX. Concluſio hujus capitis eſt, Dominum quatuor de cauſis ſuum Sacerdotium aut juriſdictionem Eccleſiaſticam, toti ordini hierarchico collectim & individuè ſumpto, non uni & ſoli Petro ſeorſim contuliſſe. Primò, ut cauſa ſecunda efficiens Eccleſiæ aut poteſtatis Eccleſiaſticæ, ſuo etiam modo æterna, univerſalis, invariabilis & infallibilis eſſet ſicut & prima cauſa, quæ dotes, æternitatem dico, univerſalitatem, infallibilitatem, &c. nullo modo cadere poſſunt in B. Petrum aut alium hominem ſingularem: Petrus enim more aliorum eſt mortalis, & poſt Pentecoſten etiam errori obnoxius fuit, ut hæc verba Apoſtoli Galat. 2. declarant: *In faciem ei reſtiti, quia reprehenſibilis erat, quòd non rectè ambularet ad veritatem Evangelii*: quo de loco infra lib. 4. cap. 5. Cùm igitur natura æternitatis amantiſſima, ſui conſervationem ſupra modum deſideret, ut cap. 1. hujus libri probavimus, totus autem ordo hierarchicus collectim ſumptus, numquam moriatur aut pereat, ideò Chriſtus, qui naturam perficit, non deſtruit, priùs toti Eccleſiæ ſacerdotali, quàm alicui homini ſingulari, ſupremam juriſdictionem Eccleſiaſticam cum ſacerdotii ſui dipenſatione credidit, & hæc de prima cauſa.

Secunda eſt, quia Dominus voluit omnes Epiſcopos & Presbyteros in ſolidum, ex æquo & proportionatim ſuas regere Eccleſias, atque ſuam auctoritatem & juriſdictionem immediatè à Deo derivare; ita ut æquè eſſent Epiſcopi gratiâ Dei, quàm ipſemet Papa; atque etiam immediatâ Dei auctoritate, non poteſtate ſibi delegatâ à Pontifice Romano, ligarent & ſolverent peccata, cenſuras & leges Eccleſiaſticas conderent, omniaque alia munia Eccleſiaſtica obirent, ut jam ſuperiùs notavi.

Tertia cauſa, quoniam Deus voluit Evangelium eſſe ſine ſumptu, ſine faſtu, & magno labore, atque doctrinam Evangelicam, quæ à bonis præſertim paſtoribus pendet, univerſis Gentibus, Judæis, Græcis, Gallis, Germanis, Hiſpanis, &c. æquè facilem & expeditam eſſe, quàm Italis aut Romanis; ita ut cunctæ nationes, nullâ factâ peregrinatione aut terrarum externarum circumcurſatione, ſibi Paſtores neceſſarios ſuæ linguæ & nationis, quibus accuratiùs & faciliùs edocerentur, quoties opus eſſet, deligerent: ſicut non ita pridem in Galliis fiebat antè concordata Bononienſia. Hercle quidem quando Sacerdotium Chriſti eſt in toto ordine hierarchico, & in ſingulis partibus ordinis hierarchici, ſicut anima ra-

Digitized by Google

tionalis in toto corpore organico, & in qualibet parte corporis organici, atque Papalis, Epiſcopalis & Presbyteralis dignitas, eodem Sacerdotio eminenter ac formaliter continetur, & unà cum ordine Sacerdotali & Epiſcopali, quoad habitum defertur, ut ſupra probavimus, neceſſariò inſurgit, cæteras nationes, Gallos, Hiſpanos, Germanos, &c. tantumdem habere juris in Sacerdotio Chriſti, illudque ex æquo & in ſolidum poſſidere, quàm Italos & Romanos, quia, ut docet Cyprianus, *Cathedra & Epiſcopatus Chriſti unus eſt, cujus à ſingulis in ſolidum pars tenetur. diſt. 95. can. loquitur.* Itaque Gentes univerſæ jure divino & naturali Epiſcopos atque alios Paſtores neceſſarios ſibi cooptare poſſunt, conformiter ad quartum & ſextum Canonem Nicænum; quæ autem in contrarium à novis Doctoribus dicuntur, mera ſunt commenta, quibus ignaris Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ & Theologiæ illudunt.

Quarta fuit ad evitandam tyrannidem & abſolutam Monarchiam, & ne forſan abſolutus Monarcha ſuo errore, totam ad ſe pertraheret Eccleſiam, ut ſupra obſervavimus.

Quinta cauſa eſt, ne quis diceret poteſtatem ligandi & ſolvendi, ſolis Sanctis & bonis Sacerdotibus datam eſſe: quam rationem Guillelmus Pariſienſis libro de Sacramento Ordinis fusè tractat.

Digitized by Google

CAPUT QUARTUM.

I. Quâ viâ & ratione Patres antiqui catholicum conſenſum in doctrina aliqua enucleanda indagarent, & de Patribus qui docuerunt Eccleſiam fundari ſuper Confeſſionem fidei Petri, & Chriſtum priùs atque immediatiùs claves dediſſe unitati quàm uni.

II. Origenem ſecundum eſſe magiſtrum poſt Apoſtolos & cenſere quæcumque Petro ſeorſim dicta ſunt à Chriſto, Mathæi 16. *omnibus Apoſtolis eſſe communia.*

III. Origeni non tantùm Apoſtoli, verùm etiam omnes perfecti & fideles, ſunt petra atque fundamentum ſuper quod conſtituitur Eccleſia, quæ ſententia bonum habet ſenſum, fruſtraque à Bellarmino impugnatur, tanquàm unius Eraſmi propria.

IV. Turrecromatam, Cajetanum & alios recentiores, fruſtra laudare Origenem, eo quòd dixerit Petrum accepiſſe claves omnium Cælorum; reliquos autem Apoſtolos unius tantùm cæli, cùm hæc opinio planè erronea ſit.

V. Tertulliano omnes Apoſtoli, non ſolus Petrus eſt fundamentum Eccleſiæ.

VI. Cypriano, Eccleſia non modo ſuper Petrum & Apoſtolos fundatur, verum etiam, ſuper Epiſcopos tanquàm Sacerdotij Chriſti conſortes, & Petri aliorumque Epiſcoporum ſucceſſores.

VII. Eccleſiam in Epiſcopo & Clero atque omnibus ſtantibus, conſtitutam eſſe: adeo ut qui cum Epiſcopo non hæret, in Eccleſia non ſit.

VIII. Petrum pro omnibus loqui, atque Eccleſiæ nomine reſpondere, Math. 16.

IX. Cypriani teſtimonia pro Ariſtocratico regimine, ejuſque textus inſignis, neque aliundè hæreſes obortæ ſunt, aut nata ſchiſmata, &c. *analyticè explicatur, & à Cavillis Bellarmini, atque aliorum recentiorum vindicatur; tantùm enim abeſt ut Cornelio P. P. faveat, cùm potiùs eum perſtringat, & quaſi violandæ diſciplinæ inſimulet: at illo textu demonſtrat Cyprianus omnes Epiſcopos canonicè electos & præſidentes, ſuas debere in ſolidum Eccleſias gubernare.*

X. Analyſis textus Cypriani de unitate Eccleſiæ, quem Gratianus in

decretum ſuum conjecit, can. loquitur. 29. quæſt. 1. *quo docetur Chriſtum primario, deindè Eccleſiam poſt Chriſtum eſſe cauſam efficientem unitatis fidei & Sacramentorum, Petrum autem eſſe dumtaxat ſymbolum & figuram hujus unitatis.*

XI. Quare Chriſtus à Petro fecerit principium communicandarum clavium, & primatum atque unicum Epiſcopatum & Cathedram conſtituerit.

XII. Quidnam ſit Eccleſiam ſuper Petrum origine & ratione unitatis fundari apud Cyprianum.

XIII. Quo ſenſu Anacletus dixerit poſt Chriſtum à Petro ſacerdotalem ordinem cœpiſſe, & Innocentius I. à Sede Apoſtolica ipſum Epiſcopatum, totamque auctoritatem nominis hujus emerſiſſe, & Nicolaus I. per Petrum Apoſtolatus & Epiſcopatus in Chriſto cœpiſſe exordium.

XIV. Omnes Apoſtolos hoc fuiſſe, quod Petrus, pari conſortio honoris & poteſtatis præditos: ita ut auctoritate & juriſdictione æquales eſſent, quod non tollit Primatum.

XV. Cyprianum nomine unius Cathedræ, quam Chriſtus in tota Eccleſia Catholica conſtituit, oſtendere unicam eſſe ubique & individuam doctrinam Evangelicam & Apoſtolicam, huic fidei Petri reſpondentem: Tu es Chriſtus Filius Dei vivi.

XVI. Quid ſit Cypriano eſſe ubique unum Epiſcopatum & Sacerdotium, cujus à ſingulis in ſolidum pars tenetur, & de Cavillationibus Bellarmini, hunc textum corrumpentis, quaſi Cyprianus doceret Epiſcopatum hunc non ubique ſimilem eſſe corpori homogeneo, ſed heterogeneo.

XVII. Cur Eccleſia, non Papa, ſoli, fonti, radici & capiti comparetur à Cypriano, quem Bellarminus etiam hac in parte à genuino ſenſu violenter abducit.

XVIII. Patres Synodi Baſileenſis vindicati ab injurioſa reprehenſione Turrecromatæ illos tanquàm deliros arguentis, quòd ad hunc articulum Symboli Nicæni, Credo unam Sanctam, Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam, *genuflecterent.*

XIX. Qui Eccleſiæ adhæret errare non poteſt, ſecùs autem qui ſe fidei Papæ ſubjicit, quoniam illa, non hic, eſt infallibilis.

XX. Quartum, quintum & ſextum Canonem Nicænum praxim regiminis Ariſtocratici Eccleſiæ demonſtrare, ſicut & ſecundum atque tertium Canonem Synodi Conſtantinopolitanæ, & octavum Epheſini Concilii.

XXI. Auctore B. Hilario, Petri confeſſio eſt petra & fundamentum Eccleſiæ, tantaque in ſe ſuſtinet argumenta veritatis, quantas error, hæreſis & infidelitas poſſunt contra excire quæſtiones: cæteriſque Apoſto-

Digitized by Google

lis cum Petro communis eſt; unde ob illius fidei meritum, claves regni cælorum adepti ſunt.

XXII. An B. Petri fides Math. 16. alterius ſit naturæ & qualitatis à fide aliorum Apoſtolorum & Diſcipulorum, eamque ob cauſam ille donatus fuerit Primatu à Chriſto, ut quidam arbitrantur.

XXIII. Baſilio Chriſtus eſt petra & fundamentum propriè, Petrus autem tantùm metaphoricè & propter Chriſtum, idque teſtimonio eſt, locum hunc indigere ratiocinatione, ut intelligatur.

XXIV. Gregorius Nazianzenus & Nyſſenus confeſſionem Petri, petram & fundamentum Eccleſiæ vocant.

XXV. Hieronymus linguæ Syriacæ peritiſſimus, nominatim docet Chriſtum eſſe petram & fundamentum ſuper quod Eccleſia ædificatur, & à quo Petrus nomen ſortitus eſt; inſuper etiam Petrum nomine omnium Apoſtolorum & diſcipulorum Fidem catholicam profeſſum Math. 16. eique nomen petræ & fundamenti metaphoricè dumtaxat & impropriè convenire, & conſequenter Eccleſiam metaphoricè aedificari ſuper Petrum.

XXVI. Solum Chriſtum habere clavem abſolutae auctorita s, Eccleſiam verò puri miniſterii.

XXVII. Omnes Apoſtolos ex aequo eſſe petram, fundamentum & fortitudinem ſuper quam fundatur Eccleſia, Petrum autem deligi caput & principem illorum, ut omnis tollatur occaſio ſchiſmatis.

XXVIII. A quibuſnam primum nomen Capitis tributum ſit Petro, & quidnam ſignificet.

XXIX. Utrùm Petrus omnes Apoſtolos, atque ipſum B. Andræam ætate ſuperarit.

XXX. Quo ſenſu Hieronymus aſſeruerit, Petrum Apoſtolorum eſſe Principem, ſicut Platonem Philoſophorum.

XXXI. Ambroſio fidei confeſſio à Petro edita, eſt petra & fundamentum Eccleſiæ, & quam ob cauſam Petrus dicatur primus omnium, gentibus fidei fundamenta poſuiſſe.

XXXII. Ambroſius Petro tribuit primatum confeſſionis & fidei, non honoris atque ordinis; aitque illum per & pro cæteris Apoſtolis fidem edidiſſe, & quod Petro dicitur à Chriſto, omnibus dici.

XXXIII. Julius I. P. P. nominatim aſſerit communi Apoſtolorum conſenſu, Petrum electum in Primatem Can. dudum. 3. quæſt. 6. idque etiam Hieronymus & Chryſoſtomus confirmant, & quando & unde nomen Monarchiæ atque Monarchæ tributum ſit Pontifici.

XXXIV. Auctore Chryſoſtomo, Petrus tanquàm os, vertex & Coryphæus Apoſtolorum, fidem edidit pro omnibus Apoſtolis, & ſuper hanc

Digitized by Google

ſidei confeſſionem , id eſt ſupra Chriſtum , aedificatur Eccleſia.

XXXV. *Quid ſit Chryſoſtomo dic Eccleſiae , & ſedere ſuper Cathedram* Chriſti.

XXXVI. *Explicatur locus* Chryſoſtomi *pro abſoluta monarchia , decerptus ex homilia B. Ignatii Antiocheni Epiſcopi.*

XXXVII. *Iſidoro Peluſiotæ , confeſſio fidei à Petro edita eſt , nunquàm baſis & fundamentum in quod Chriſtus Eccleſiam ſuam exſtruxit.*

XXXVIII. *Ex omnibus Patribus Eccleſiæ nullum magis accuratè & dogmaticè de Clavium poteſtate diſſeruiſſe Auguſtino ; ſummam autem illius doctrinæ ad hæc capita redire.* 1. *Quòd Petri confeſſio ſit petra & fundamentum in quod ædificatur Eccleſia.* 2. *Quòd propter hanc fidei confeſſionem Petrus nominatus ſit petra à Chriſto , qui eſt petra & fundamentum eſſentiale Eccleſiae , ſicut à Chriſto Chriſtiani nuncupantur.* 3. *Quòd priùs , immediatiùs atque eſſentialiùs nomen & ratio petræ , firmitatis atque ſoliditatis fidei Eccleſiæ , quàm Petro conveniat ; quoniam illa tanquàm Sponſa Chriſti , columna & firmamentum veritatis , omnia Chariſmata & dotes divinas poſt Chriſtum Sponſum poſſidet ; quas dotes Petrus & alii Praelati ſingulariter & diſtributivè ſumpti , ſolummodò per & propter Eccleſiam adipiſcuntur.* 4. *Quòd Petrus claves acceperit à Chriſto , quatenùs univerſalem Eccleſiam referebat.* 5. *Quòd Dominus priùs atque immediatiùs claves unitati , quàm uni Petro crediderit.* 6. *Quòd Chriſtus Joan.* 20. *claves omnibus Apoſtolis contulerit.* 7. *Quòd Math.* 18. *his verbis ,* dic Eccleſiæ , &c. *omnes Chriſtianos atque ipſummet* Petrum *alloquatur , eumque ſupremo Eccleſiae tribunali ſubjecerit,*

XXXIX. *Auguſtinum immeritò reprehendi à Bellarmino , Maldonato , & aliis recentioribus tanquàm linguae Syriacae imperitum , eo quod dixerit Eccleſiam fundari ſupra petram* Chriſtum ; *cùm D. Hieronymus linguae Syriacae peritiſſimus , idem ſentiat cum Auguſtino.*

XL. *Quae dotes in Scripturis tribuuntur* Petro. *non habere illuſtrem intellectum , niſi ad Eccleſiam referantur , quam* Petrus *propter primatum ſuum repraeſentabat.*

XLI. Canon *quodcumque* 24. *quaeſt.* 1. *explicatur , & contra Vallium atque* Cajetanum *docetur , Eccleſiam non tantùm finaliter , verùm etiam formaliter & per excellentiam habere claves.*

XLII. *Auguſtinus facultatem retinendorum & remittendorum peccatorum rectè Sacramentum Eccleſiae nominat.*

XLIII. Petrum *ratione ſui* Primatûs , *figuratâ generalitate , Eccleſiam* Catholicam , *etiam laïcis comprehenſis , repraeſentaſſe , hocque nomine claves habuiſſe à* Chriſto ; *undè ordo hierarchicus , activè & for-*

Digitized by Google

maliter claves habet ut regat; laici vero fideles, paſſivè & materialiter, ut regantur. Vide numerum xlv.

XLIV. Quæ ſit mens Auguſtini, dum ait Eccleſiam id eſſe in Chriſto *per proprietatem, quod eſt Petrus in petra Chriſto per ſignificationem, & quod natura, ratio & nomen Petræ, fundamenti & ſoliditatis, prius Eccleſiæ, quàm uni Petra conveniat.*

XLV. Item quando ait: Chriſtus petra, Petrus, populus Chriſtia*nus, judicat Petrum materialiter & formaliter Eccleſiam* Catholicam *repræſentaſſe.*

XLVI. Homilia Auguſtini, quæ tempore Synodi Baſileenſis, in Octava feſti S. S. Apoſtolorum Petri & Pauli cantabatur, ex Breviario Romano abraſa eſt.

XLVII. Eccleſiam traditione à majoribus accepiſſe, Chriſtum Math. 18. *Sic loquutum Petro,* Dic Eccleſiæ, *&c. hocque Auguſtinum confirmare, & eam ob cauſam, in Evangelium feriæ tertiae, hebdomadis tertiæ Quadrageſimæ, hanc clauſulam ab omni hominum memoria inſertam,* Reſpiciens Jeſus in diſcipulos ſuos dixit Simoni Petro, ſi peccaverit in te frater tuus, &c. *tandem à Breviariorum Reformatoribus expunctam fuiſſe.*

XLVIII. D. Auguſtinus cum aliis Patribus Africanis, jus commune & regimen Ariſtocraticum adversùs Zozimi Papæ commonitorium vindicant.

XLIX. Cyrillus Alexandrinus, Emiſſenus & Caſſianus aſſerunt reliquos Apoſtolos in uno Petro, qui ordine major erat ac cæteris præerat, reſpondiſſe, fidem edidiſſe, columnas & robur veritatis fuiſſe, ac immediatè ſuum auctoritatem à Chriſto derivare.

L. Theodoretus hæc verba Apoſtoli; Superædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum, &c. *de doctrina Evangelica quam Apoſtoli prædicabant, interpretatur.*

LI. Primaſio Eccleſia in uno Petro, generali ſignificatione, accepit poteſtatem ligandi ſoluta, & ſolvendi ligata, &c.

LII. Leo magnus perhibet in fidei firmitate edita à Petro ædificari Eccleſiam; & contra hanc confeſſionem portas inferi non prævalituras, atque vim poteſtatis clavium etiam tranſmiſſam in alios Apoſtolos, & de praxi regiminis Ariſtocratici in Chalcedonenſi Concilio.

LIII. Felix III. & Gelaſius Papa diſertè docent Eccleſiam aedificatam ſupra confeſſionem Petri, & contra illam portas inferi numquàm praevalituras. Sacerdotes autem vicarii ſunt Chriſti *Auctore Hormiſdâ.*

LIV. Fidem

Digitized by Google

LIV. Fidem à Petro editam eſſe omnium Apoſtolorum, Doctorum & Epiſcoporum, qui per ordinum vices Apoſtolis & Diſcipulis Domini ſucceſſerunt, continuòque æternum eſſe fundamentum Eccleſiæ.

LV. Pelagius II. & Gregorius Magnus, dum ſuperbam Epiſcopi univerſalis appellationem detrectant, clarè indicant claves, non uni & ſoli Petro velut Monarchæ, ſed omnibus Apoſtolis immediatè datas à Chriſto.

LVI. De Epiſcopi univerſalis appellatione, undè & à quibus manârit, quòd numquàm ſynodicè decreta aut comprobata fuerit, & contra eam S. Gregorius ſe ſervum ſervorum Dei appellârit, atque omnem ſingularitatem monarchicam, ab Eccleſia excluſerit.

LVII. Dato quòd Petrus fuerit conſtitutus Eccleſiæ Monarcha, ſoluſque habuerit claves tanquàm Epiſcopus univerſalis, ſequitur mortuo aut errante Papâ, totam Eccleſiam errare, aut à ſtatu ſuo corruere.

LVIII. Argumenta Bellarmini & Cajetani in contrarium diſturbantur.

LIX. Bellarminus fatetur electiones eſſe juris divini.

LX. Dictum S. Thomæ Aquinatis & ſequacium examinatur, ſcilicet Papam ideò dici poſſe univerſalem Epiſcopum, quia plenam & immediatam habet auctoritatem in qualibet Eccleſia.

LXI. Auctore B. Gregorio, quamdiu Epiſcopi rectè & canonicè funguntur munere, Papam nihil juris habere in illos, & repugnari Canonibus Nicænis, Papam vocari univerſalem Epiſcopum.

LXII. Vallii argumenta de Epiſcopi & Patriarchæ univerſalis appellatione, deque influxu Papæ in Eccleſiam, & Leonem Magnum omnium primum hoc titulo uſum, quem ejus ſucceſſores jure repudiârunt.

LXIII. Quo ſenſu hodiè Papam canonicè Epiſcopum univerſalem nuncupare poſſimus.

LXIV. S. Gregorium explicatè docere poteſtatem Eccleſiaſticam purè miniſterialem eſſe, non abſolutam aut monarchicam, atque inſuper cæcam obedientiam damnare.

LXV. Vigerius à Vallii redargutione vindicatus, quòd dixerit Regem habere jus vitæ & necis in homines, ut abſolutè poſſit cogere.

LXVI. Gregorius Petri confeſſionem, vocat petram Eccleſiæ.

LXVII. Iſidorus Hiſpalenſis, Beda venerabilis, Adrianus I. & Nicolaus PP. verbum de verbo Auguſtini ſententiam ſequuntur, quòd Chriſtus ſit petra in qua fundatur Eccleſia, quòd Petrus nomine omnium diſcipulorum fidei confeſſionem ediderit, ſuper quam ædificatur Eccleſia, idemque etiam canit ordo Romanus in Collecta.

LXVIII. De praxi Juris communis & Ariſtocratici regiminis continuata uſque ad novum ſæculum poſt Chriſti Incarnationem.

Digitized by Google

I. QUando ipſa vis ratioque nominis declarat id eſſe Catholicum, quod ubique, quod ſemper, quod ab omnibus creditur, ut ait Vincentius Lirinenſis: eſtque in conteſſo apud omnes Eccleſiam primitivam duobus modis Sanctorum Communionem & Catholicam conſenſionem in doctrina perveſtigaſſe. Primò quidem in Eccleſia ſynodicè congregata: deindè in Patrum atque Doctorum libris retrò ab Apoſtolorum temporibus ad ſæculum uſque in quo vivebant ſuccenturiandis. Nos hâc regiâ viâ probare decrevimus, *Chriſtum prius atque immediatius unitati quàm uni claves dediſſe, ſeu quod eodem redit, claves unitati dediſſe, ut per unum miniſterialiter & in ordine ad regimen Ariſtocraticum exercerentur*, juxta explicationem locorum Scripturæ capite præcedenti expoſitam.

II. Initium verò demonſtrandi faciam ab Origene, quem Hieronymus cap. 7. in proverbia, meritò ſecundum Magiſtrum Eccleſiarum poſt Apoſtolos nominat. „ Ille ergò commentariis in cap. 16. Mathæi: " Petra eſt, quiſquis Chriſti diſ„ cipulus eſt, [*inquit*] *ex quo biberunt* de ſpirituali conſequente petra, & ſuper „ talem petram conſtituitur omnis eccleſiaſtica doctrina, & ſecundùm hanc vitæ „ inſtitutionem: in uno enim quoque perfecto habente congregationem eorum qui „ complent beatitudinem verborum, factorum & ſenſuum, eſtque à Deo, ædifi„ catur Eccleſia; quòd ſi ſuper unum illum Petrum tantùm exiſtimas ædificari to„ tam Eccleſiam, quid dicturus es de Joanne filio tonitrui & Apoſtolorum uno„ quoque, quin alioqui non audebimus dicere quòd adversùs Petrum unum non „ prævaliture ſint portæ inferorum, adversùs cæteros autem Apoſtolos ac perfec„ tos prævaliture ſint, ac non potiùs in omnibus ac ſingulis eorum, de quibus „ dictum eſt, fit illud quod dictum eſt, & portæ inferorum non prævalebunt „ adversùs eam? Item illud, ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, an „ verò ſoli Petro dantur à Chriſto claves regni Cælorum, nec alius Beatorum „ quiſquam eas accepturus? Quod ſi dictum hoc, tibi dabo claves regni Cælorum, „ cæteris quoque commune eſt, cur non ſimul & quæ priùs dicta ſunt omnium „ communia? Nam hoc & illud velut ad Petrum videtur dictum: quæcumqne „ ligaveris ſuper terram, erunt ligata & in cælis, & quæ ſequuntur. Cæterùm, „ in Evangelio Joannis, Servator dans Spiritum ſanctum Diſcipulis, per inſtitu„ tionem ait: Accipite Spiritum ſanctum, &c. Proindè multi dicunt Servatori, „ tu es Chriſtus Filius Dei vivi.

III. Hic textus Origenis ſex capita notabilia. Primùm, omnes diſcipulos Chriſti ſicut & Petrum, imò etiam omnes Fideles perfectos, eſſe petram atque fundamentum, ſuper quod Eccleſia conſtruitur, tùm ratione doctrinæ, tùm ratione bonorum morum ad beatitudinem neceſſariorum: nam Eccleſia eſt Congregatio Fidelium, quæ unum efficit corpus in Chriſto, ampliaturque & conſtringitur, quatenùs Fidelium & perfectorum numerus augetur vel minuitur; quarè Eccleſia, ut docet Cyprianus, eſt in Epiſcopo & Clero, omnibuſque ſtantibus. Quæ Origenis explicatio bonum & catholicum habet ſenſum; undè fruſtra à Bellarmino, quaſi unius Eraſmi eſſet propria excogitatur. Etſi enim Petrus & Apoſtoli cum Epiſcopis, qui Apoſtolis ſucceſſerunt, peculiari modo petra & fundamentum Eccleſiæ nuncupentur, quia ſunt lux & ſal mundi, tamen hoc non impedit, quominùs etiam in bono

Digitized by Google

ſenſu, omnes Fideles perfecti fundamentum Eccleſiæ pariter dicuntur. Secundò obſervat Origenes Chriſtum non dicere, quòd portæ inferorum non ſint prævaliture adversùs unum Petrum: ſed hoc etiam intelligi de omnibus Apoſtolis & perfectis, hoc eſt de tota Eccleſia Catholica collectim, non de ſingularibus diſtributivè ſumptis: & ita Origeni infallibilitas toti Eccleſiæ, non ſingularibus competit: *Nunc autem audebimus dicere, quod adverſus unum Petrum non prævalituræ ſint portæ inferorum, adverſus cæteros autem Apoſtolos ac perfectos, prævalituræ ſint, ac non potius in omnibus ac ſingulis eorum, de quibus dictum eſt, fit illud quod dictum eſt, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam?* Tertiò, probat ſimiliter hanc clauſulam, *& ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, ad omnes Apoſtolos pertinere, & conſequenter etiam nomen petræ ac fundamenti omnibus Apoſtolis, non ſoli Petro competere. Quartò, prætereà non uni Petro, ſed omnibus Apoſtolis dari claves regni Cælorum: *An verò ſoli Petro dantur à Chriſto claves regni Cælorum, nec alius Beatorum quiſquam eas accepturus?* Quintò, quaſi ex notiori ignotum probat, demonſtratque eo ipſo quod notum eſt, omnes Apoſtolos claves accepiſſe, atque hoc Chriſti effatum, *tibi dabo claves*, ad omnes Apoſtolos pertinere, ſequi cætera omnia quæ Mathæi 16. uni Petro promitti aut dici videntur, omnibus quoque Apoſtolis eſſe communia, ſicut miniſterium clavium, *quod ſi dictum hoc, tibi dabo claves regni Cælorum, cæteris quoque commune eſt, cur non ſimul, & quae prius dicta ſunt, & quae ſequuntur, velut ad Petrum dicta, ſunt omnium communia?* Quaſi diceret reliquos Apoſtolos ſicut & Petrum aperire & claudere Cælum, ligare & ſolvere in Cælo & in terra: item eſſe petram atque fundamentum Eccleſiæ, & Beatos eſſe ſicut & Petrum; hæc enim communis eſt doctrina omnium Patrum, eoque ipſo probatur à priori, quòd omnes Apoſtoli individuè & collectim ſumpti, pertineant ad cauſam efficientem ſecundariam Eccleſiæ, propter Chriſti Sacerdotium illis ex æquo communicatum. Sextò, probat hanc fidei confeſſionem, *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi*, omnibus Apoſtolis eſſe communem, quia edocti ſunt à Chriſto per illuminationem Spiritus ſancti, ac proindè multos dicere Salvatori, tu es Chriſtus Filius Dei vivi.

IV. Verùm Cardinalis de Turrecromata lib. 2. de Eccleſia Origenem tractatu ſexto in Mathæum docere, *quod Petro* quidem datæ ſint claves, non unius Cæli, ſed multorum Cælorum, Math. 16. ut quæcumque ligarent ſuper terram, eſſent *ligata, non tantum in uno Caelo, ſed in omnibus Caelis; ad eos autem qui multi ſunt ligatores & ſolutores in terra, Chriſtum Math. 18. dixiſſe ut ſolverent & alligarent, non in Caelis ſicut Petrus, ſed in uno Caelo; quia non tunc in tanta perfectione ſicut Petrus, ut alligent & ſolvant in omnibus Caelis.* Reſpondeo fruſtra hanc Origenis opinionem obtrudi, cùm neque dogmaticis, neque oratoriis & œconomicis regulis ullo modo conſentiat: ita ut qui illam pervicaciter defendere vellet, hæreticus haberetur. Cujus rei Maldonatum teſtem fero, quamquàm alioqui omnem animi dianoeam in abſoluta Papæ monarchia tuanda impendat; ſiquidem cap. 16. in Mathæum, benè quidem ſentit Origenes, dum ait, *plus Petro quàm caeteris Apoſtolis conceſſum fuiſſe, ſed veram ſolidamque ſententiam nimis ſubtiliter probando perdidit, aſſerendo Petrum in omnibus Cælis, alios verò Apoſtolos in uno tantum Cælo ſolvendi poteſtatem accepiſſe*: hæc Maldonatus, vide infra caput v. hujus libri numero 35. ampliùs ſub-

jungo iſtud Origenis figmentum, iis quæ paulò antè verè & dogmaticè docuit planè contradicere: nam clarè & nominatim oſtendit poteſtatem ligandi & ſolvendi, claudendi atque aperiendi Cælum, aliaque omnia Petro dicta & collata, etiam reliquis Apoſtolis eſſe communia. Intereà monendus Lector, qui ad Origenis lectionem animum appulerit, debere hujus proverbii antiquorum de Origene meminiſſe: ubi benè, nemo meliùs; ubi malè, nemo pejus Origene.

V. Tertullianus lib. 4. adversùs Marcionem de Apoſtolis loquens: *Lapides ſunt*, ait, *& fundamentum ſuper quos nos ædificamur, exſtructi ſecundum Paulum ſuper fundamentum Apoſtolorum, &c.* Quarè Eccleſias Aſiæ à S. Joanne ædificatas obſervat, & ita relinquitur cunctos Apoſtolos, non ſolum Petrum eſſe fundamenta Eccleſiæ. Idem in Scorpiaco cap. 10. perhibet *Dominum Petro, & per Petrum Eccleſiæ claves reliquiſſe.* Quod autem lib. de pudicitia cap. 21. memorat Chriſtum ſoli Petro, & non Eccleſiæ claves dediſſe, infra lib. 3. cap. 1. explicabitur.

VI. Cyprianus Tertulliano, ſicut diſcipulus Magiſtro, ſuccedet; nam in illius præſertim epiſtolis multa quidem certiſſima & evidentiſſima regiminis Ariſtocratici & veteris diſciplinæ extruit monimenta, in quibus recenſendis ego ſequar Pamelii editionem & numeros. Primùm epiſt. 27. ad lapſos, qui pacem ſibi à Paulo Martyre oblatam, inconſulto Cypriano, uſurparent, nominatim declarat quæ Petro dicta ſunt à Chriſto, Math. 16. etiam ad omnes Epiſcopos pertinere, tanquàm ad Succeſſores Apoſtolorum: adeò quidem ut ſuper illos Eccleſia fundetur & conſtituatur. " Dominus noſter, *ait*, cujus præcepta metuere & obſervare debemus, " Epiſcopi honorem & Eccleſiæ ſuæ rationem diſponens, in Evangelio loquitur, " & dicit Petro, Ego dico tibi, quia tu es Petrus & ſuper iſtam petram ædificabo " Eccleſiam meam, & portæ inferorum non vincent eam, & tibi dabo claves regni Cælorum, & quæ ligaveris ſuper terram, erunt ligata & in Cælo, &c. " Inde per temporum & ſucceſſionum vices, Epiſcoporum ordinatio & Eccleſiæ " ratio decurrit, ut Eccleſia ſuper Epiſcopos fundetur & conſtituatur, & omnis " actus Eccleſiæ per eoſdem Præpoſitos gubernetur. Cùm hoc itaque divinâ lege " fundatum ſit, miror quoſdam audaci temeritate ſic mihi ſcribere voluiſſe, quando Eccleſia in Epiſcopo & Clero & in omnibus ſtantibus ſit conſtituta. Qui locus Cypriani multa ſcitu digna habet. Et primò quidem nos manu ducit ad cognoſcendum dogmaticè quidnam ſit fundamentum, & petram in quam Chriſtus ædificat Eccleſiam. Cùm enim Dominus, tanquàm Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech, ſit Caput eſſentiale & cauſa primaria efficiens Eccleſiæ; atque Sacerdotii ſui communicatione hierarchicum ordinem, quem Apoſtoli referebant, velut cauſam efficientem ſecundariam Eccleſiæ conſtituerit, ut cap. 1. 2. & 3. hujus libri probavimus, inſurgit neceſſariò omnes Apoſtolos, qui claritatem, firmitatem & unitatem habent à Chriſti Sacerdotio ex æquo inter ſeſe, eſſe petram & fundamentum ſecundarium Eccleſiæ poſt Chriſtum; & conſequenter etiam Epiſcopos qui Apoſtolis ſucceſſerunt, vim atque rationem fundamenti obtinere. Quod Cyprianus ſic docet: *Dominus Epiſcopi honorem & Eccleſiæ ſuæ rationem diſponens in Evangelio loquitur, & dicit Petro, ego dico tibi, quia tu es Petrus, &c. & tibi dabo claves regni Cælorum, & quæ ligaveris ſuper terram, &c. & indè per temporum*

Digitized by Google

& ſucceſſionum vices , Epiſcoporum ordinatio & Eccleſiæ ratio decurrit ut Eccleſia ſuper Epiſcopos fundetur & conſtituatur , & omnis actus Eccleſiæ per eoſdem præpoſitos gubernetur.

VII. Hic audis ordinationem Epiſcoporum & Eccleſiæ rationem atque naturam decurrere & repeti ab illis promiſſis Domini factis Petro , *tu es Petrus* , & ſuper hanc petram tibi dabo claves regni Cælorum , & quæ ligaveris ſuper terram , &c. hæc enim ſunt effectus & dotes Sacerdotii Chriſti Eccleſiæ crediti, ac proindè Epiſcopi ſicut & Apoſtoli ex vi & naturâ ſuæ ordinationis , ſunt petra atque fundamentum Eccleſiæ. Nam (inquit Cyprianus) Eccleſia ſuper Epiſcopos fundatur *& conſtituitur , & omnis actus Eccleſiæ per eoſdem præpoſitos gubernatur ; adeò ut Eccleſia in Epiſcopo & Clero & omnibus ſtantibus conſtituta ſit.* Quem ad locum facit pariter epiſt. 69. ad Florentinum Pupianum hominem Laycum , qui Cypriano obſequebatur , ſeque ab illius communione ſecreverat.

VIII. *Loquitur Petrus ſuper quem ædificata fuerat Eccleſia , Eccleſiæ nomine docens & oſtendens , quia etſi contumax ac ſuperba obaudirent nolentium multitudo diſcedat , Eccleſia tamen à Chriſto non recedit ; & illi ſunt Eccleſia , plebs Sacerdoti adunata , & Paſtori grex adhærens : undè ſcire debes Epiſcopum in Eccleſia eſſe ; & ſi quis cum Epiſcopo non ſit , in Eccleſia non eſſe.* Hinc igitur liquet Eccleſiam fundari ſuper Petrum , alioſque Apoſtolos & Epiſcopos qui Apoſtolis ſucceſſerunt , nihil aliud eſſe quàm Evangelicæ doctrinæ quam prædicant, & actibus hierarchicis quos exercent tanquàm à Chriſti Sacerdotio ſcaturientibus firmiter, intimè, atque indiſſolubiliter adhæreſcere : quia per illos Chriſto capiti & fundamento primario ac eſſentiali unimur , clarificamur & in unum conſummamur. Hi enim ſunt nativi effectus divinæ hujus promiſſionis, Joan. 17. : *Non pro eis rogo tantum , ſed pro eis qui credituri ſunt per verbum eorum in me , ut omnes unum ſint , ſicut tu Pater in me & ego in te , ut & ipſi in nobis unum ſint , ut credat mundus , quia tu me miſiſti , & ego claritatem quam tu dediſti mihi , dedi eis , ut ſint conſummati in unum , &c.* Quibus illuſtrandis faciunt quæ Proſper Aquitanicus lib. 2. cap. 2. de vita contemplativa narrat de Sacerdotum vel Epiſcoporum officio : " Quos vocat Eccleſiarum Chriſti , poſt Apoſtolos fundatores , fidelis populi duces , veritatis aſſertores , pravæ doctrinæ hoſtes , omnibus bonis amabiles , & malè ſibi conſciis etiam ipſo viſu terribiles , vindices oppreſſorum , patres in Fide Catholica regeneratorum , prædicatores cæleſtium præmiorum , exempla bonorum operum , documenta virtutum & formam Fidelium : ipſi ſunt Eccleſiæ decus in quibus ampliùs fulget Eccleſia , ipſi columnæ firmiſſimæ, quibus in Chriſto fundatis , innititur omnis multitudo credentium , ipſi Januæ Civitatis æternæ , per quas omnes qui credunt , ingrediuntur ad Chriſtum ; ipſi Janitores , quibus claves datæ ſunt regni Cælorum, ipſi etiam diſpenſatores regiæ domus , quorum arbitrio in aula Regis æterni dividuntur gradus & officia ſingulorum , &c. "

IX. Porrò alterum quod in verbis Cypriani dignum obſervatione occurrit , eſt *Eccleſiam in Epiſcopo & Clero & omnibus ſtantibus conſtitutam.* Quæ clauſula quadrat omninò ſententiæ Origenis docentis Eccleſiam fundari ſuper omnes Fideles & perfectos. Si quidem activè fundatur ſuper Epiſcopos & orthodoxam doctrinam quam Epiſcopi evangeliſant , paſſivè autem ſuper populum & Fideles Laycos , qui doc-

Digitized by Google

trinâ illâ ſalutari imbuuntur, eamque ſuo etiam modo propugnant. *Nam ſicut Sacerdos debitor eſt ut veritatem quam audivit à Deo liberè prædicet, ſic Laycus debitor eſt ut veritatem quam audivit quidem à Sacerdotibus, probatam in Scripturis, fiducialiter defendat, xi. quæſt. 3. can. 86. nolite §. nam ſicut.* Tertium notabile dicitur ab hac periodo epiſtolæ ad Papianum, puta *Epiſcopum eſſe in Eccleſia, & Eccleſiam in Epiſcopo, & ſi qui* cum Epiſcopo non ſint, in Eccleſia non eſſe. Quæ verba indicant quonam ſenſu Cyprianus dicat epiſtolâ 55. ad Cornelium: *Non aliundè hæreſes oboriri aut naſci ſchiſmata, quàm inde quòd Sacerdoti Dei non obtemperetur, &c.* de qua re infra ampliùs.

Verùm epiſt. 3. Præsbyterorum & Diaconorum Rom. Eccleſiæ ad Cyprianum, hoc regiminis Ariſtocratici monimentum nobis exhibet, nempè firmum eſſe non poſſe decretum, quod non plurimorum videtur habuiſſe conſenſum, epiſt. autem 46. Cornelii ad Cyprianum: *Omni igitur actu de me perlato, placuit contrahi Præsbiterium*, ait Cornelius; adfuerunt etiam Epiſcopi quinque, qui hodie præſentes fuerunt, &c. His ita geſtis in Præsbyterium venerunt, Maximus, Urbanus, Sidonius, &c. Quem ad locum, nomine Præsbyterii, Pamelius intelligit Collegium, ſive, ut loquitur Hieronymus epiſt. ad Ruſticum, Senatum Cleri Romani, utpotè ſine quorum conſilio arduum nihil ſolebat agere Romanus Pontifex, &c. idque Ariſtocraticum regimen aſſerit.

Item epiſt. 55. ad Cornelium nominatim docet, unum Petrum pro omnibus Collegis ſuis loquutum, & non tam ſuâ unius privatâ, quàm communis Eccleſiæ voce reſpondiſſe. *Petrus ait, ſuper quem ædificata ab eodem Domino fuerat Eccleſia, unus pro omnibus loquens, & Eccleſiæ* voce reſpondens, ait, Domine, ad quem ibimus, &c.

Deindè ibidem, & jus commune & regimen Ariſtocraticum ſæpè vendicat, dum identidem *Collegium Sacerdotum, conſenſum Epiſcoporum, & florentiſſimum Clerum Romanæ Eccleſiæ, cum Cornelio præſidere docet*, propria ſunt verba, quæ infallibilem Monarchiam funditùs extirpant. Porrò Bellarminus lib. 2. de Rom. Pontifice cap. 16. ut iſtam Monarchiam ferruminet, clauſulam hujus epiſtolæ Cypriani ad Cornelium, clarè & affirmatè ſcriptam de omnibus Epiſcopis, canonicè à Clero & populo inſtitutis & gubernantibus, uni & ſoli Cornelio, violenter & contra mentem Cypriani addicit, contenditque Cyprianum his vocibus: *Neque aliundè hæreſes obortae ſunt aut natæ ſchiſmata, &c.* de Cornelio capi oportere, & *Cyprianum hæc dixiſſe propter ſchiſma Novatianorum qui non agnoſcebant Cornelium.* Quæ ſi alius à Bellarmino dixiſſet, profectò malè ab illo aut ejus ſodalibus acciperetur: quaſi nunquàm legiſſet Cyprianum, exque aliorum Commentariis ſaperet. Enim verò Cyprianus de Novatianis ibi nequaquàm agit, ſed de Fortunato Pſeudo-Epiſcopo in ſchiſmate electo, & Feliciſſimo Præsbytero, quorum ille Synodo Provinciali Africæ, hic verò à proprio Epiſcopo damnatus, poſt ſententiam Epiſcopi ſynodicè & canonicè comprobatam, ad Cornelium Papam ſeceſſerant, ut ad ejus communionem reciperentur; quod ne fieret à Cornelio Cyprianus cavet, hincque obiter captat occaſionem demonſtrandi cunctas hæreſes & ſchiſmata non aliundè naſci, quàm quòd ſeceſſio fiat ab Epiſcopis legitimè & canonicè præſidentibus, quos ſu-

pra docuit eſſe *petram & fundamentum Eccleſiæ poſt Apoſtolos, & Epiſcopum eſſe in Eccleſia, & Eccleſiam in Epiſcopo, & ſi quis cum Epiſcopo non ſit, in Eccleſia non eſſe, quia Eccleſia eſt Clerus & plebs Epiſcopo adunata : neque enim aliunde hæreſes obortæ ſunt aut nata ſchiſmata* (ait Cyprianus) *quàm inde quòd Sacerdoti Dei non obtemperetur : nec unus in Eccleſia ad tempus Sacerdos & ad tempus Judex vice Chriſti cogitatur, cui ſi ſecundùm Magiſteria divina obtemperaret fraternitas univerſa, nemo adverſum Sacerdotum Collegium quicquam moveret, nemo poſt divinum judicium, poſt populi ſuffragium, poſt Coepiſcoporum conſenſum, judicem ſe jam non Epiſcopi, ſed Dei faceret, nemo diſſidio unitatis Chriſti Eccleſiam ſcinderet.* Et aliquanto poſt, *nam cum ſtatutum omnibus nobis & æquum ſit pariter ac juſtum, ut uniuſcujuſque cauſa illic audiatur, ubi eſt crimen admiſſum & ſingulis Paſtoribus portio gregis ſit adſcripta, quam regat unuſquiſque & gubernet, rationem ſui actus Domino redditurus : oportet utique eos quibus præſumus non circumcurſare, nec Epiſcoporum concordiam cohærentem, ſuâ ſubdolâ & fallaci temeritate collidere, ſed agere illic cauſam ſuam, ubi & accuſatores habere, & teſtes ſui criminis poſſint : niſi ſi paucis deſperatis & perditis, minor videtur eſſe auctoritas Epiſcoporum in Africa conſtitutorum, qui jam de illis judicaverunt, &c.* Quo ex textu tria colligimus. Primùm, hæreſes & ſchiſmata indè naſci, quòd uni Sacerdoti & Epiſcopo ad tempus in Eccleſia conſtituto, ut nec vice Chriſti ſecundùm Magiſteria, id eſt, præcepta divina judicet, non obtemperaretur. Qui locus de omnibus (inquam) Epiſcopis legitimè electis, ſuaſque Eccleſias canonicè moderantibus, non de ſolo Cornelio intelligitur, ut ſolâ lectione epiſtolæ Cypriani liquet, ampliùſque confirmatur, aliâ ſimili periodo in epiſtola 69. ad Papianum hominem Laïcum, qui à Cypriani communione abſtinebat; *Inde enim ſchiſmata & hereſes obortæ ſunt & oriuntur* (inquit) *dum Epiſcopus qui unus eſt, & Eccleſiæ præeſt, ſuperbâ quorumdam præſumptione contemnitur, & homo dignatione Dei honoratus, indignus hominibus judicatur* : & aliquanto infra; *Unde ſcire debes, Papiane, Epiſcopum in Eccleſia eſſe & Eccleſiam in Epiſcopo, & ſi quis cum Epiſcopo non ſit, in Eccleſia non eſſe.* Secundò, elicimus Epiſcopos vice Dei & Chriſti conſtitutos, & conſequenter nihil eſſe abſurdi; *Quod Dei & Chriſti Vicarii, aut etiam vice Dei nominentur in poteſtate miniſteriali ſpirituali*, ut aliàs probavimus : ſunt enim in ſolidum & ex æquo Sacerdotii Domini participes, *omnis namque Pontifex ex hominibus aſſumptus pro hominibus conſtituitur in iis quæ ſunt ad Deum.* Hebræor 5. Undè Math. 18. *Ubicumque fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum; & Lucae* 10. : *Qui vos audit, me audit; & qui vos ſpernit, me ſpernit, ſpernit eum qui me miſit.* Quod eſt intelligendum, ſi Prælati conformiter ad Magiſteria, id eſt, præcepta divina præſint & præcipiant, ut docet Cyprianus. Tertium conſectarium ex antecedentibus derivatur, puta Judicium Synodale adversùs Fortunatum & Felicem, latum in Africa, retractari non poſſe, & continuò iſtos audiri non debere Romæ, quia omnes Epiſcopi in ſolidum ſunt participes Sacerdotii Chriſti, & proindè ſuas Eccleſias in ſolidum regunt : quod capi debet de diſciplina & politia, non de rebus ad Fidem ſpectantibus, quæ Catholica & communis eſt omnibus Eccleſiis, undè Catholico conſenſu ſanciri debent; contra autem negotia Provinciæ Synodus Provinciæ gubernat & definit can. 5. Nicæno & 2. Conſtantinopolitano. *Nemo poſt divinum Judicium*, dicit Cyprianus, *poſt populi ſuffragium, poſt*

Coepiſ-

Coepiſcoporum conſenſum, judicem ſe jam non Epiſcopi, ſed Dei faceret: nemo deſidio unitatis Chriſti Eccleſiam ſcinderet: nam cum ſtatutum ſit omnibus nobis, & æquum ſit pariter & juſtum, ut uniuſ cujuſque cauſa illic audiatur, ubi eſt crimen admiſſum; & ſingulis Paſtoribus portio gregis ſit adſcripta, quam regat unuſquiſque & gubernet, rationem ſui actus Domino redditurus: oportet eos, quibus præſumus, non circumcurſare, nec Epiſcoporum concordiam cohærentem, ſua ſubdolâ & fallaci temeritate collidere, ſed agere illic cauſam ſuam, ubi accuſatores habere & teſtes ſui criminis poſſint. Obſerva ſententiam canonicè latam in Felicem & Fortunatum vocari à Cypriano, *Dei Judicium*, juxta pollicitationem Domini Math. 18. & Lucæ 10. & conſequenter probat illos qui contra facerent, etiam Romæ, *non Epiſcopi, ſed Dei ſe facere Judices.* Quò ſpectant querelæ Patrum Africanorum in cauſa Apiarii de qua lib. 1. Hiſtoriæ noſtræ Conciliorum Generalium. Procul dubio cæcos eſſe oportet, qui hanc Cypriani Epiſtolam 55. ad Cornelium, Monarchiæ Romanæ conſtituendæ inſervire putant. An rogo quicquam poteſt tam infeſtum & contrarium dominatui, quàm jus commune & regimen Ariſtocraticum, quod hîc vindicatur à Cypriano.

X. At Bellarminus lib. 2. de Rom. Pontifice cap. 6. poſt Pamelium, oſtendit hunc locum, *neque enim aliundè hæreſes obortæ ſunt, aut nata ſchiſmata, &c.* Primatum manifeſtè munire & lucem capere ex lib. de unitate Eccleſiæ Cypriani, cujus meminit Gratianus 24. *quæſt.* 1. *can. loquitur.* Oppono nihilo magis Epiſcopi Primatum canonicè electo & præſidente diſputat, in libro autem de unitate Eccleſiæ ſic habet:

„ Loquitur Dominus ad Petrum, ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper illam „ petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non vincent eam, & tibi „ dabo claves regni cælorum, & quæ ligaveris ſuper terram erunt ligata & in cælis, & quæcumque ſolveris ſuper terram, erunt ſoluta & in cælis; & iterùm „ eidem poſt reſurrectionem ſuam dicit, paſce oves meas (ſuper illum unum ædificat Eccleſiam ſuam, & illi paſcendas mandat oves) & quamvis Apoſtolis „ omnibus poſt reſurrectionem ſuam, parem poteſtatem tribuat, & dicat, ſicut miſit me pater, & ego mitto vos; accipite Spiritum ſanctum; ſi cui remiſeritis „ peccata, remittentur illi; ſi cui tenueritis, tenebuntur: tamen ut unitatem „ manifeſtaret, unam Cathedram conſtituit, & unitatis ejuſdem originem ab uno „ incipientem, ſuâ auctoritate diſpoſuit: hoc erant utique cæteri Apoſtoli quod „ fuit Petrus, pari conſortio præditi & honoris & poteſtatis; ſed exordium ab unitate proficiſcitur: Primatus verò Petro datur, ut una Chriſti Eccleſia & Cathedra una monſtretur, & Paſtores ſunt omnes, ſed grex unus oſtenditur, qui ab „ Apoſtolis omnibus unanimi conſenſione paſcatur. Quam unam Eccleſiam, etiam „ in Cantico Canticorum Spiritus ſanctus ex perſona Domini deſignat, & dicit, „ una eſt columba mea, una eſt matri ſuæ electa genitrici ſuæ, hanc Eccleſiæ unitatem qui non tenet, tenere ſe fidem credit? Qui Eccleſiæ renititur & reſiſtit, „ qui Cathedram Petri ſuper quam fundata eſt Eccleſia deſerit, in Eccleſia ſe eſſe „ confidit? Quando & D. Apoſtolus Paulus hoc idem doceat, & Sacramentum „ unitatis oſtendat, *dicens*: Unum Corpus & unus Spiritus, una Spes, unum „ Baptiſma, unus Deus. Quam unitatem firmiter tenere & vindicare debemus, „ maximè Epiſcopi qui in Eccleſia præſidemus, ut Epiſcopatum quoque ipſum unum,

unum, atque indiviſum probemus. Nemo fraternitatem mendacio fallat, nemo "
fidei veritatem perfidâ prævaricatione corrumpat; Epiſcopatus unus eſt, cujus à "
ſingulis in ſolidum pars tenetur; Eccleſia quoque una eſt, quæ in multitudinem "
latiùs incremento fœcunditatis extenditur. Quando ſolis multi radii, ſed lumen "
unum; & rami arboris multi, ſed robur unum teneri radice fundatum; & cum "
de uno, rivi plurimi defluunt, numeroſitas licèt diffuſa videatur exundantis copiæ "
largitate, unitas tamen ſervatur in origine. Avelle radium ſolis à corpore, di- "
viſionem lucis unitas non capit; ab arbore frange ramum, fructus germinare "
non poterit; à fonte præcide rivum, præciſus areſcit: ſic & Eccleſia Domini "
luce perfusâ per orbem totum radios ſuos porrigit, unum tamen lumen eſt, "
quod ubique diffunditur, nec unitas corporis ſeparatur; ramos ſuos in univer- "
ſam terram copiâ ubertatis diffundit, unum tamen caput eſt & origo una, & una "
mater fœcunditatis ſucceſſibus copioſa, illius fœtu naſcimur, illius lacte nutri- "
mur, ſpiritu ejus animamur. Adulterari non poteſt Sponſa Chriſti, incorrupta "
eſt & pudica; unam domum novit, unius cubiculi ſanctitatem caſto pudore cu- "
ſtodit. Hæc nos Deo ſervat, hæc filios regno quos generavit, aſſignat. Quiſ- "
quis ab Eccleſia ſegregatus adulteræ jungitur, à promiſſis Eccleſiæ ſeparatur. Nec "
perveniet ad Chriſti præmia, qui relinquit Eccleſiam Chriſti, alienus eſt, pro- "
fanus eſt, hoſtis eſt; habere jam non poteſt Deum patrem, qui Eccleſiam non "
habet matrem, &c." Ex quo textu multa occurrunt animadvertenda, quorum analyſim ad quinque articulos redigemus. Primùm, S. Martyr ex communi Aphoriſmo Medicorum, contraria contrariis curantur, ut propoſito ſuo & libri ſui œconomiæ ſerviret, ac ſchiſmati Novitianorum mederetur, qui poſt Cornelium Romæ electum, Novatum Epiſcopum adulterum, ut loquitur Cyprianus elegerant; oſtendit Deum omnia in unitatem, tanquàm matricem & radicem Eccleſiæ Catholicæ concluſiſſe, hocque Sacramentum unitatis vocat, quoniam genuina eſt nota, quâ dignoſcatur à conventiculis Sathanæ, utque mundus credat Chriſtum miſſum eſſe à Patre, Joan. 17. v. 20. quam in rem intra adversùs Bellarminum diſputabimus. lib. 3. cap. 5. numero 13. His ergò de cauſis Cyprianus demonſtrat *unum eſſe Deum, unum Dominum noſtrum Jeſum-Chriſtum, unam Fidem, unum Baptiſma, unam Cathedram, unicum Epiſcopatum & unicum Primatum in Eccleſia: Nam*, ut ait epiſt. 52. ad Antonianum, *quiſquis poſt Epiſcopum canonicè electum, jam alium fieri voluerit, foris fiat neceſſe eſt, nec habeat Eccleſiaſticam Ordinationem, qui Eccleſiæ non tenet unitatem, & cum poſt primum ſecundus eſſe non poſſit, quiſquis poſt unum, qui ſolus eſſe debet, factus eſt, non jam ſecundus ille, ſed nullus eſt.* Secundò indicat Cyprianus longè aliud haberi cauſam eſſe efficientem, & eſſe ſymbolum aut figuram unitatis, quia priùs uni & ſoli Chriſto per excellentiam; deindè ſecundario poſt Chriſtum Sacerdotali Eccleſiæ, ſivè ordini hierarchico, ob Sacerdotium Chriſti ei adæquatè & totaliter collatum competit. Petro autem & ſingularibus Epiſcopis, diſtributim ſumptis ſolummodo competit, ut ſint figura & ſymbolum hujus intimæ unitatis: Papæ quidem reſpectu totius Eccleſiæ univerſalis, propter ſuum Primatum, Epiſcopis verò ſingularibus intuitu ſuæ privatæ diœceſis. Nam quòd Papa eſt toti Eccleſiæ propter Primatum, id ipſum eſt Epiſcopus Pariſienſis ſuæ Eccleſiæ & diœceſi, verbi

Digitized by Google

cauſâ, & ob eam rem Patres Nicæni vetant plures uno Epiſcopo eſſe in unaquaque Eccleſia, can. 8. Et quemadmodum B. Hieronymus lib. 1. contra Jovinianum perhibet, *inter duodecim Petrum electum eſſe, ut capite conſtituto, ſchiſmatis tolleretur occaſio*, ſic epiſt. 85. ad Evagrium conſerta in decretum, *Gratiani diſt.* 95. *can. legimus*, *docet unum Epiſcopum electum eſſe, qui cæteris præponeretur Presbyteris in ſchiſmatis remedium, ne unuſquiſque ad ſe Chriſti Eccleſiam trahens, eam rumperet, &c.*

XI. Profectò Cyprianus explicatè ait Chriſtum ideò ab uno Petro feciſſe principium communicandarum clavium, & unam Cathedram, unicum Epiſcopatum conſtituiſſe, ac Primatum Petro detuliſſe, ut demonſtraret unicam eſſe Eccleſiam, & unicum gregem, qui ab omnibus Apoſtolis unanimi conſenſione paſceretur. Undè inſurgit Petrum fuiſſe ſymbolum, figuram & hieroglyphicum, non centrum aut cauſam efficientem unitatis Eccleſiæ, quæ Catholico Eccleſiarum conſenſu aut Ariſtocratico regimine, non abſoluto & purè monarchico dominatu ſanciri debet. Attende ad verba Cypriani obſecro: *Primatus verò Petro datur, ut una Chriſti Eccleſia & Cathedra una monſtretur, & Paſtores ſunt omnes, ſed grex unus oſtenditur, qui ab Apoſtolis omnibus unanimi conſenſu paſcatur.* Hîc obſervas Primatum demonſtrare, non efficere unam Eccleſiam aut Cathedram. Item oſtendere gregem unicum ab Apoſtolis omnibus unanimi conſenſu paſcendum; hic autem conſenſus ſynodicè iniri ſolitus erat, ut Acta Apoſtolorum & octo primorum Conciliorum Generalium declarant. Quocircà quæcumque à Cypriano pro unitate Eccleſiæ adversùs ſchiſmata ſcribuntur, hâc notione capi debent, ut omnia ſynodicè conſtituantur, quod paſſim omnibus ejus epiſtolis probatur. De hac unitate etiam agit epiſt. 40. ad plebem univerſam contra turbas Feliciſſimi. *Deus unus eſt & Chriſtus unus eſt, & una Eccleſia, & Cathedra una, ſuper Petrum Domini voce fundata; aliud altare conſtitui, aut Sacerdotium novum fieri, præter unum altare & unum Sacerdotium non poteſt, quiſquis alibi collegerit, ſpargit.* Item epiſt. 46. Cornelii ad Cyprianum, ubi narrat poſtquàm Novatus ab urbe diſceſſit, illos qui à ſchiſmate Novati, ad unitatem Eccleſiæ redibant, hâc uſos formulâ: *Nec ignoramus Deum unum eſſe, unum Spiritum ſanctum, unum Epiſcopum in Catholica Eccleſia eſſe debere.* Certè Eccleſia Catholica regulariter in una diœceſi duos non capit Epiſcopos, ut ex Concilio Nicæno jam oſtendimus. Item epiſt. 70. ad Januarium, *unum Baptiſma, unus Spiritus ſanctus, una Eccleſia à Chriſto Domino ſuper Petrum origine & ratione unitatis fundata*, & 55. ad Cornelium aſſerit *à Petri Cathedra & Eccleſia* principali unitatem Sacerdotalem exortam.

XII. Cæterùm Eccleſiam ſuper Petrum origine & ratione unitatis fundari, aut à Petri Cathedra & Eccleſia principali unitatem Sacerdotalem exortam, alluſio eſt ad Chriſti inſtitutum, qui in conferendis clavibus & poteſtate eccleſiaſtica, originem & principium eas promittendi fecit à Petro Math. 16. *tibi dabo claves regni Cælorum, &c.* ut indicaret ſe potiùs unitati, quàm uni, atque in finem unitatis & Communionis Sanctorum claves dediſſe, quemadmodum S. Auguſtinus cum permultis Patribus paſſim interpretantur. Communis certè eſt Theologorum ſententia, finem omnium actuum hierarchicorum eſſe charitatem, pacem & unionem Eccleſiæ. Quapropter ſi extra & contra unitatem ac pacem Eccleſiæ, poteſtas clavium uſurpetur & exerceatur, ut Cyprianus de Novatianis probat, ſuo effectu ac fine legitimo & Ca-

Digitized by Google

nonico orbatur, ut hæc verba oſtendunt: *Quamvis Apoſtolis omnibus poſt reſurrectionem ſuam parem poteſtatem tribuat, & dicat, ſicut miſit me Pater, & ego mitto vos, accipite Spiritum ſanctum, ſi cui remiſeritis peccata, &c. tamen ut unitatem manifeſtaret, unam Cathedram conſtituit, & unitatis ejuſdem originem ab uno incipientem, ſuâ auctoritate diſpoſuit. Hoc erant utique Apoſtoli, quod Petrus, pari conſortio præditi honoris & poteſtatis; ſed exordium ab unitate proficiſcitur, Primatus verò Petro datur, ut una Chriſti Eccleſia, & Cathedra una monſtretur, & Paſtores ſunt omnes, ſed grex unus oſtenditur, qui ab Apoſtolis omnibus unanimi conſenſione paſcatur.*

XII. Quem ad ſenſum capienda quæ leguntur in epiſtola quam Anacleto tribuunt, conjecta in corpus Canonicum *can. novo diſt.* 21. ubi dicitur, *poſt Chriſtum Dominum à Petro Sacerdotalem cœpiſſe Ordinem.* Quæ clauſula alludit ad hæc verba Cypriani, *à Petri Cathedra & Eccleſia principali unitatem Sacerdotalem exortam.* His pariter concordat Innocentius I. epiſt. 91. inter Auguſtini epiſtolas, dum ait, *à Sede Apoſtolica ipſum Epiſcopatum & totam auctoritatem nominis hujus emerſiſſe.* Item epiſt. ejuſdem Innocentii 93. *quoties Fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres & Epiſcopos noſtros non niſi ad Petrum, id eſt ſui nominis & honoris auctorem referre debere.* Auctor autem nominis & honoris Petri eſt ipſe Chriſtus; undè hic locus parùm juvat cauſam adverſariorum. Item Nicolaus I. epiſt. 40. ad Carolum Calvum, & 42. ad Galliæ Epiſcopos, ad textum Cypriani reſpexit, dum aſſerit, *per Petrum Apoſtolatus & Epiſcopatus in Chriſto cœpiſſe exordium.* Qui omnes & conſimiles loci Pontificum in ſua cauſa, niſi de ſymbolo & figura unitatis Fidei, doctrinæ Evangelicæ, Sacerdotii & Epiſcopatus Chriſti, atque etiam de unitate quæ eſt finis poteſtatis clavium, ſtrictè capiantur, nullo modo conſiſtere queant, quia ſacris Scripturis planè contradicunt; quibus edocemur Chriſtum individuè & in commune omnes miſiſſe Apoſtolos, eoſque Sacerdotio ſuo effeciſſe participes, Lucæ 22. *Hoc facite in meam commemorationem.* Item pervagatiſſimum eſt alios Apoſtolos à Petro, habuiſſe à Domino poteſtatem inſtituendi Epiſcopos, ſicut & Petrum. Quarè B. Paulus Timotheum ordinavit: quâ igitur ratione à Petro poſt Chriſtum Ordo Sacerdotalis cœpit, ut teſtatur Anacletus? aut per Petrum Apoſtolatus & Epiſcopatus in Chriſto cœpit exordium, ut Nicolaus perhibet. Herclè, quando omnes Apoſtoli, excepto Primatu, & honore & poteſtate ſunt pares, & ex æquo fundamenta Eccleſiæ, falſum eſt ſuper unum Petrum ædificatam Eccleſiam: & iis planè repugnat, quæ ipſemet Cyprianus paulò antè docuit numero 7. videlicet, *Eccleſiam fundari ſuper Epiſcopos qui Apoſtolis ſucceſſerunt.* Sanè antiquiores editiones operum Cypriani, ut Morellii, Item codices manuſcripti, hâc carent formulâ, *ſuper illum unum ædificat Eccleſiam ſuam, &c.* quâ ſublata, aut parentheſi incluſa, ſenſus Cypriani integer & concinnus remanet, multique arbitrantur eſſe gloſſema Gratiani, apud quem omnium primo repertum eſt, & deinc in contextum Cypriani irrepſit. Certum eſt autem Gratianum innumeros locos Patrum & ſententias antiquorum Canonum interpolaſſe, ut eos ad ſuam privatam opinionem perverteret, maximè verò ad abſolutam Papæ Monarchiam roborandam, propter quam ſuum decretum inſcripſit: *Concordantia diſcordantium Canonum*; nemoque neſcit, mandato Gregorii XIII. Gratiani collectionem recognitam, multaſque illius farragines ſuo genuino nitori fuiſſe

reſtitutas. Ut ut ſit, ego libenter aſſentior Pamelio, & memoratam clauſulam, ut nativam Cypriani amplector, *ſuper illum unum ædificat Eccleſiam*, planè allegoricus eſt, de quo ſecundùm omnes Theologiæ & Logicæ regulas, nihil quicquam præter Primatum Petri dogmaticè colligi poteſt, de quo Catholici nullam Curiæ Romanæ litem movent; imò verò laborant ut ſartas tectas tanquam unitati & ordini conſtituendo perneceſſarias retineatur. Adi Cardinalem Cuſanum lib. 2. de concordantia cap. 16. de quo agetur capite ſequenti.

XIV. Tertius articulus Analyſeos Cypriani eſt, *cæteros Apoſtolos hoc fuiſſe quod Petrus, pari conſortio præditos honoris & poteſtatis, quæ clauſula fermè verbum de verbo extat in epiſtola Anacleti, & diſt. 21. can. in novo §. cæteri verò Apoſtoli.* De hoc autem Cypriani teſtimonio Bellarminus jam alias laudatus a me lib. 4. de Rom. Pontifice cap. 23. *Vides*, ait, *idem dari Apoſtolis per illa verba, ego mitto vos quod Petro fuerat promiſſum per illud dabo tibi claves, & poſtea exhibitum per illud paſce oves meas: conſtat autem per illa tibi dabo claves, & per illud paſce oves meas, intelligi juriſdictionem pleniſſimam etiam exteriorem, quomodò autem hæc non impediant Primatum Petri alibi ſatis oſtenſum eſt.* Hæc Bellarminus cui ut concedo par conſortium honoris & poteſtatis delatum Apoſtolis, non derogare Primatui; ita contendo abſolutam monarchiam penitùs abrogare, atque regimen ariſtocraticum & jus commune aſſerere. De Primatu diſſeruimus axiomate xxxi. apologiæ, & infra hoc libro cap. 6.

XV. Quartus articulus Analyſeos, Chriſtum in totâ Eccleſiâ Catholicâ unicam cathedram & unicum indiviſum inſtituiſſe ſacerdotium aut epiſcopatum. Porrò nomine cathedræ Patres, Chryſoſtomus, Hieronymus, Beda Anſelmus &c. ſuper caput 23. Mathæi Evangelicam doctrinam intelligunt, ut infra oſtendetur. Certe ſicut hæc fides Eccleſiæ *tu es Chriſtus Filius Dei vivi*; una et individua eſt ubique, ſic & doctrina Evangelica, cujus unicæ doctrinæ, Petri Cathedra eſt ſymbolum & figura, ut paulo ante de Primatu dicebamus. Hujus autem unicæ doctrinæ Cathedræ & ſacerdotii; aut Epiſcopatus Chriſti, Cyprianus demonſtrat novatianos nullo modò eſſe participes, quia totus orbis Chriſtianus ab illis ut doctrinæ, vitæ conſortio, ſic Epiſcopatu ſejunctus eſt. Per Epiſcopatum verò Eccleſiaſticam poteſtatem ſignificat, quæ ubique inter Catholicos una & individua ejuſdem virtutis eſt. *Nemo fraternitatem mendacio fallat, nemo fidei veritatem perfida prævaricatione corrumpat, Epiſcopatus unus eſt, cujus à ſingulis in ſolidum pars tenetur, Eccleſia quoque una eſt &c.* ait Cyprianus. Quandoquidem Epiſcopatus au ſacerdotium Chriſti eſt tanquam anima vivificans Eccleſiam, totum in toto ordine hierarchico & totum in uno quoque Epiſcopo & Presbytero.

XVI. Ad hæc Bellarminus lib. 2. de Rom. Pontifice cap. 16. Epiſcopatus (inquit) " unus eſt eo modo quo multi arboris rami ſunt una arbor, multi rivi una „ aqua, & multi radii una lux, ut ibidem Cyprianus dicit: ſicut ergo in ramis, „ rivis & radiis unitas eſt, ratione capitis, id eſt radicis, fontis, ſolis, licet rami „ ipſi, rivi & radii multiplicentur: ita etiam Eccleſia eſt una, & Epiſcopatus unus „ in radice & capite, quamvis multæ ſint particulares Eccleſiæ, multique parti„ culares Epiſcopatus unius igitur magni Epiſcopatus ab Epiſcopis ſingulis in ſoli„ dum pars tenetur: Sed non æqualis, neque eodem modo, nam Petrus & ejus

Digitized by Google

ſucceſſores tenent eam partem quæ eſt veluti caput & radix & fons: Cæteri te- "
nent alias partes quæ ſunt veluti rami & rivi: eſt enim ipſe Epiſcopatus ſimilis "
corpori heterogeneo, nemo homogeneo: ex quo ſequitur ut non eodem modo "
ſinguli Epiſcopi teneant partem hujus Epiſcopatus: Nam ſicut radix licet ſit pars, "
ut etiam eſt ramus, tamen ſuſtentat & regit ramos, & omnia quæ ſunt in ramis "
ſunt etiam virtualiter in radice, non è contrario, ita etiam licet Eccleſia Romana "
& Epiſcopatus Romanus ſit pars Eccleſiæ univerſæ, & Epiſcopatus univerſalis, "
ſicut eſt Eccleſia Tuſculana, & ejus Epiſcopatus, tamen Eccleſia Romana regit "
Tuſculanam, non contra. Itaque ex Sententia Cypriani recte colligitur non eſſe "
Papam Romanum Solum Epiſcopum omnium Eccleſiarum, ſunt enim alii veri "
Epiſcopi, qui partem ſuam regendam ſuſceperunt Eccleſiæ univerſalis. Non tamen "
rectè colligitur non eſſe Romanum Pontificem caput & Paſtorem Epiſcoporum "
omnium; & proinde etiam Eccleſiæ univerſæ, quandoquidem pars, quæ ipſi "
regenda commiſſa eſt, eum locum habet in Eccleſia quem habet radix in arbore, "
caput in corpore & fons in aquarum rivulis. " Quæ collectio Bellarmini tot penè Cavellationibus quot verbis refertur, totaque ad præſentem Curiæ Romanæ Dominatum, non ad doctrinam Evangelicam compoſita eſt. Quandoquidem fingit Papam id eſſe in Eccleſia, quod eſt radix in arbore, fons in rivulis, ſol in radiis, idque non tantùm contra mentem Cypriani, Verùm etiam contra veritatem. De Cypriano poſtea, jam de veritate inquiramus. Procul dubio Eccleſia Socerdotali collectim ſumpta poſt Chriſtum ideo cauſa eſt efficiens Eccleſiæ, quia Sacerdotium Chriſti Architectonice poſſidet, illudque tribuit & confert Papæ, Epiſcopis & Presbyteris, atque unà etiam poteſtatem & juriſdictionem Eccleſiaſticam ad Chriſtianos regendos neceſſariam. Ex quo fit ut S. Hieronymus diſt. 95. can. legimus de quo ſupra cap. 3. clarè doceat *omnes Epiſcopos æquales eſſe quia ex æquo ſunt ejuſdem Sacerdotii Chriſti participes; adeo ut poteſtas Eugubini æqualis ſit poteſtatis, Romani Epiſcopi jure divino, quod non tollit aut imminuit Primatum.* Quo circa valde fallit Bellarminus dum perſuadere vult hunc unicum Epiſcopatum aut Sacerdotium, cujus meminit Cyprianus non eſſe ſimilem homogeneo ſed heterogeneo corpori, imo verò ſi formaliter, quoad habitum & in actu ſignato conſideretur, idem eſt ſynomine in omnibus Epiſcopis & Sacerdotibus, diſtinguitur autem quoad actum, exercitium & adminiſtrationem juxta varietatem atque differentiam organizationis ut de animâ rationali corpus organizatum informante dictum eſt ſupra, quæ tota eſt in toto & tota in qualibet parte corporis humani: idque quia neceſſarium ſæpius inculcandum eſt.

XVII. Quintus articulus Analyſeos declarat ſenſum Cypriani contra effugia Bellarmini, ſcilicet Eccleſiam collectim ſumptam, non unum Papam, ſoli, radici arboris, fonti, & capiti comparari, quia Secundum Chriſtum Eccleſia eſt cauſa efficiens omnium chariſmatum propter Sacerdotium Chriſti, quod inquam architectonicè poſſidet, ut illud diſpenſet & conferat quibus opus eſt ad vivificandam & propagandam Eccleſiam per actus Hierarchicos: *Epiſcopatus unus eſt*, ait Cyprianus, *cujus à ſingulis in ſolidum pars tenetur, Eccleſia quoque una eſt, quæ in multitudinem latius incremento fœcunditatis extenditur. Quomodo ſolis multi radii, ſed lumen unum, & rami arboris multi, Sed robur unum tenaci radice fundatum &c. Sic & Eccleſia Domini perfuſa*

Digitized by Google

per totum orbem, radios ſuos porrigit, unum tamen lumen eſt, quod ubique diffunditur, nec unitas corporis ſeparatur, ramos ſuos in univerſam terram copia ubertatis extendit, profluentes largiter rivos latius expandit, unum tamen caput eſt & origo una, & una mater facunditatis ſucceſſibus copioſa, illius fœtu naſcimur, illius lacte nutrimur, Spiritu ejus animamur &c. Audis Lector Eccleſiam ſponſam Chriſti atque omnium fidelium matrem nos procreare in vitam, nos ſuo lacte nutrire & ſpiritu animare, ac vivificare, quæ quidem dotes nequaquam Pontifici Romano poſſunt competere, cum ille ab Eccleſia matre ſua & ſpiritum & animam hauriat ejus que ſpiritu animetur lacte nutriatur, peccatorum remiſſionem & ſacramenta capiat &c. Quare hunc articulum fidei more aliorum hominum profitetur: Credo ſanctam Eccleſiam Catholicam, ſanctorum communionem, remiſſionem peccatorum &c. Quid ergo Bellarminus hic comminiſcitur Papam Soli, Fonti, & radici arboris conferri? quem pariter in ſcopum alliſit 4. de Rom. Pontifice cap. 24. *Quatuor ſimilitudines quibus utitur S. Cyprianus de unitate Eccleſiæ probant Epiſcopos omnes a Papa Juriſdictionem accipere, quia ſedem Petri comparat capiti, radici, fonti, ſoli, nam in omni corpore virtus membrorum derivatur à capite, in omnibus arboribus virtus ramorum oritur à radice,* in omnibus rivis aqua fluit ex fonte, omnium denique radiorum ſolarium lux eſt à ſole.

XVIII. Hæc Bellarminus quem Vallius clauſis oculis ſequitur, in quem diſputavimus lib. 1. cap. 1. ad quartum argumentum, & quoniam in Eccleſiæ Sponſæ Chriſti dotibus verſamur, tacitus hic non poſſum Cardinalis Turrecrematæ audaciam præterire, qui quidem lib. 1. cap. 20. de Eccleſia Patres Baſileenſes tanquam deliros redarguit, quod genufectetent ad hujus clauſulæ Symboli Nicæni pronunciationem. *Credo unam Sanctam Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam. Quod ſi Reges & Imperatores coram Pontificibus æquiſſimis procumbunt ad pedum oſcula illosque propter poteſtatem Eccleſiaſticam formaliter conſideratam qua donati, ſunt a Deo, cultu dulia abſque ulla adulatione aut errore venerantur,* ut docet Gerſonius de poteſtate Eccleſiaſtica conſiderat. 11. quis nos jure reprehendat, ſi ad Eccleſiæ Catholicæ commemorationem quæ tota pulchra eſt, ſine maculâ & rugâ, quæque omnium noſtrum eſt communis parens, cujus ſpiritu animamur, lacte nutrimur & à peccatis abſolvimur, genuflectamus. Certè propter quod unum quodque tale & illud magis. Jam non ſemel docui placuiſſe Chriſto nobis omnia chariſmata per & propter Eccleſiam ſponſam erogare, idque adeo ut quæ Papa facit vim & robur tantum habeant ſi modò juxta propoſitum & intentionem Eccleſiæ Canonibus conſecratam peraguntur. Lege Almainum lib. de Eccleſiæ auctoritate cap. 7. ante medium.

XIX. Equidem Antonius de Rozellis lib. 3. Monarchiæ cap. 1. verſus finem notat, " quod ſi aliquis opinaretur quidpiam hæreticum motus naturali ratione,
„ talem non eſſe hæreticum, ſi hoc ipſum non defenderet, ſed determinationi Ec-
„ cleſiæ univerſalis ſubjiceret, ut Innocentius notat de Summa Trinitate cap. 2. in
„ fine. Ratio eſt (inquit) quia errare Eccleſia non poteſt, ſecus autem ſi credu-
„ litati Papæ vel ejus opinioni incertæ ſubjiceret, quia tunc non defenderetur ab
„ hæreſi; ratio quia Papa homo eſt & peccare poteſt, & ejus ſententia non eſt cer-
„ ta ſed Eccleſiæ univerſalis bonorum fidelium ſententia ſemper eſt vera; & ideo
„ talis hæreticus non foret.

Digitized by Google

XX. Hic ego aliquot Nicæni Concilii Canones formam Ariſtocratici regiminis Eccleſiæ Apoſtolicæ continentes exſcribam. Siquidem Patres Nicæni ejuſmodi Canonibus diſciplinam ab Apoſtolorum temporibus ad ſua uſque tempora ſervatam complexi ſunt Canon. IV. ad viam & rationem eligendorum Epiſcoporum ſpectat, atque oſtendit *ſtatum Eccleſiæ electivum non hæreditarium*, præbe aures Lector. *Epiſcopum oportet maximè quidem ab omnibus qui ſunt in Provincia conſtitui, ſi autem hoc ſit difficile vel propter urgentem neceſſitatem, vel viæ longitudinem tres omnino eundem in locum congregatos, abſentibus quoque ſuffragium ferentibus, ſcriptiſque aſſentientibus, tunc electionem fieri; eorum autem quæ fiunt confirmationem in una quaque Provincia à Metropolitano fieri*; hicque notabis Lector jus eligendi eſſe argumentum certiſſimum regiminis Ariſtocratici Eccleſiæ; de electionibus infra cap. 7. can. v. ſic habet: " De iis " qui à communione ſegregati ſunt, ſive Clericorum, ſive Laïcorum ſint ordinis, " ab Epiſcopis qui ſunt in unaquaque Provincia valeat ſententia ſecundùm Canonem, qui pronunciat eos qui ab aliis ejecti ſunt, non eſſe ab aliis admittendos. " Examinetur autem numquid vel puſillanimitate, vel contentione, vel aliquâ " ejuſmodi Epiſcopi acerbitate, Congregatione pulſi ſint; ut ergò convenientem " examinationem accipiat, rectè habere viſum eſt, ut ſingulis annis in unaquaque " Provincia Epiſcopi in eundem locum communiter conveniant, ejuſmodi quæſtiones examinentur: Et ſic quos Epiſcopum offendiſſe conſtiterit, juſtè eſſe à Congregatione ſeparatos, apud omnes videantur, donec Epiſcoporum Congregationi videatur pro iis humaniorem proferre ſententiam. Synodi autem fiant una " quidem antè Quadrageſimam, ut omnibus animi ſordibus ſublatis purum munus Deo offeratur: ſecunda autem Autumni tempore. " Quo Canone jus commune aſſeritur, ita ut unuſquiſque ſuo ſtet & cadat Epiſcopo, atque Provinciali Synodo, ut aliàs ampliùs probabitur.

Canon VI. " Antiqui mores ſerventur, qui ſunt in Ægypto, Lydia & Pentapoli, ut Alexandrinus Epiſcopus horum omnium habeat poteſtatem quandoquidem & Epiſcopo Romano hoc eſt conſuetum. Similiter & in Antiochia, & in " aliis Provinciis ſua privilegia ac ſuæ dignitates & authoritates Eccleſiis ſerventur. " Illud autem eſt omninò manifeſtum, quòd ſi quis abſque Metropolitani ſententia " factus ſit Epiſcopus, eum magna Synodus definivit non eſſe Epiſcopum; quòd " ſi quidem communi omnium electioni, quæ & rationi conſentanea & ex regula " Eccleſiaſtica facta eſt, duo vel tres propter ſuam, quâ delectantur contentionem " contradicant, vincant plurium ſuffragia. " At quinam ſit ſenſus & praxis horum Canonum Nicænorum repetes ex lib. 1. Hiſtoriæ noſtræ Conciliorum Generalium, nec non *ex diſt. 65. can. mos antiquus*, ubi gloſſa docet nominatim *Patriarcham Alexandrinum pari jure & modo Ægyptum, Lybiam & Pentapolim gubernaſſe, quo Papa Eccleſias Occidentis ſuo Patriarchatui ſubditas*: & ita de Aliis Patriarchis. Ex quo relinquitur illis ſæculis abſolutam Monarchiam Curialium incognitam fuiſſe, & Romanam Eccleſiam ſumptam pro Eccleſia particulari, non univerſali ut hodiè.

Huc pariter accurrunt Canones Synodi Conſtantinopolitanæ ſub Damaſo Papa. Nam can. 2. ita legit: " Epiſcopi ad Eccleſias, quæ ſunt ultra ſuam diœceſim ſuoſque limites ne accedant, nec Eccleſias confundant; ſed ſecundùm Cano- "

Digitized by Google

„ nes Alexandriæ Epiſocpi Orientem ſolum adminiſtrent , ſervatis privilegiis ac „ præeminentiis quæ ſunt in Nicæni Concilii Canonibus, Antiochenæ Eccleſiæ tri- „ buta , & Aſianæ diœceſis Epiſcopi , quæ ſunt in ſola Aſiana adminiſtrent , & „ Thraciæ Epiſcopi , &c. Thraciam tantùm regant & Pontanæ Pontanam , non „ vocati autem Epiſcopi ultra diœceſim non tranſeant ad ordinationem , vel „ aliquam aliam adminiſtrationem Eccleſiaſticam : ſervato autem præſcripto de „ diœceſibus Canone , clarum eſt quod unamquamque Provinciam Provinciæ Sy- „ nodus adminiſtrabit , ſecundum ea quæ fuerint Nicææ definita : Quæ autem in „ barbaris ſunt gentibus , Dei Eccleſias adminiſtrare oportet , ſecundùm Patrum „ quæ ſervata eſt conſuetudinem. “ Quæ regula Patrum Conſtantinopolitanorum lata eſt pro explicatione quinti & ſexti Canonis Nicæni. At tertius Canon ita concipitur. : *Conſtantinopolitanus Epiſcopus habeat priores honoris partes poſt Romanum Epiſcopum , eo quòd ſit ipſa nova Roma* ; de quo Canone & 28. Canone Synodi Chalcedonenſis lege librum Hiſtoriæ noſtræ Conciliorum Generalium.

Adgregandus eſt octavus Canon primæ Synodi Epheſinæ relatus in Nomocanonem Photii à Gentiano Herveto translatum , quo quidem Canone illi coguntur in ordinem , qui contra regulas in aliorum Epiſcoporum jura involant , atque uſitatam conſuetudinem, quæ vim habet Canonis , violant : “ Rem præ- „ ter leges Eccleſiaſticas & ſanctorum Patrum Canones innovatam , & omnium „ libertatem affingentem , renunciavit nobis imprimis Pius Epiſcopus Rhegi- „ nus , & qui cum eo ſunt Cypriorum Provinciæ Epiſcopi religioſiſſimi Zeno „ & Evagrius. Quamobrem quoniam communes morbi majori medicinâ opus „ habent, ut qui majus etiam damnum afferant, & maxime ſi neque antiqua con- „ ſuetudo conſequuta eſt, ut Antiochenæ Civitatis Epiſcopus in Cypro ordinationes „ faciat, quemadmodum & libellis & propriis viribus nos docuerunt viri religio- „ ſiſſimi, qui ad Sanctam Synodum acceſſerunt; iis qui ſacroſanctis Cypri Eccle- „ ſiis præſunt, fraudi & probro non erit, nec ulla vis aut impedimentum eis affe- „ retur, ſi ſecundum Sanctorum Patrum Canones & antiquam conſuetudinem per „ ſe Religioſiſſimorum Epiſcoporum electiones fiant. Idem autem & in aliis diœ- „ ceſibus , & quæ ſunt ubique provinciis ſervabitur, ut nullos Religioſiſſimorum „ Epiſcoporum Provinciam aliam, quæ non multis retro annis , & ab initio ſub „ ſua vel eorum, qui illum præceſſerunt manu fuerit, invadat. Sed & ſi quis in- „ vaſerit, & ſibi per vim ſubmiſerit, eam reddat, ne Sanctorum Patrum Cano- „ nes tranſiliantur ; ne ſub Sacerdotalis muneris prætexta , ſæcularis poteſtatis fa- „ ſtus ſubeat, nec libertatem paulatim imprudentes amittamus, quam nobis proprio „ ſanguine dedit Dominus Jeſus omnium hominum liberator. Sanctæ ergo & uni- „ verſali Synodo viſum eſt, ut unicuique Provinciæ & inviolata ſerventur jura, „ quæ ab initio & multis retrò annis habet ſecundùm conſuetudinem , quæ jam „ olim ſervata eſt , poteſtatem habente unoquoque Metropolitano actorum exem- „ plaria ad ſuam ſecuritatem accipere ; ſi quis autem Conſtitutionem aliquam iis „ quæ nunc definita ſunt repugnantem attulerit , eam quoque eſſe irritam viſum „ eſt toti ſanctæ & univerſali Synodo. “ S. Athanaſius in quæſtionibus ſacræ Scripturæ quæſt. 44. *Homo quidam domum ſuam ædificavit ſuper petram : quis ille homo ? Sanctus*

Digitized by Google

Sanctus Petrus , Petra *Chriſtus* , *Domus Fides* , *ventus Diabolus* , *&c.*

XXI. D. Hilarius lib. 2. de Trinitate poſt medium de profeſſione fidei à Petro edita , in hunc modum diſputat : *Unum igitur hoc eſt immobile fundamentum* , *una hæc eſt felix fidei petra* , *Petri ore confeſſa* ; *tu es Filius Dei vivi* , *tanta in ſe ſuſtinens argumenta veritatis* , *quanta perverſitatum quæſtiones & infidelitatis calumniæ movebuntur.* Item lib. 6. de Trinitate versùs finem : *ſuper hanc igitur confeſſionis petram Eccleſiæ ædificatio eſt* , *&c. hæc fides Eccleſiæ fundamentum eſt* , *per hanc fidem infirmæ adversùs eam ſunt portæ inferorum* , *hæc fides regni cæleſtis habet claves* , *hæc fides quæ in terris ſolverit aut ligaverit* , *& ligata ſunt in cælis & ſoluta.* Obſervas, Lector, fidem à Petro editam, eſſe fundamentum & petram ſuper quam Eccleſia conſtituitur ; eamque ob rem Chriſtum dixiſſe, portas inferorum numquàm prævalituras adversùs Eccleſiam , propter illam fidem quæ tanta in ſe ſuſtinet argumenta veritatis , quantas hæreſis aut infidelitas poſſunt in contrarium excire quæſtiones , quas omnes diſſipat , idque ipſum eſt , quod Dominus Math. 7. perhibet : *Omnis qui audit verba mea & facit ea* , *aſſimilabitur viro ſapienti* , *qui ædificavit domum ſuam ſupra petram* , *& deſcendit pluvia* , *& venerunt flumina* , *& flaverunt venti* , *& irruerunt in domum illam* , *& non cecidit* , *fundata enim erat ſuper petram* , *&c.* Hinc ergò conſpicuum redditur , Petrum non aliam ob cauſam dici petram & fundamentum Eccleſiæ , quàm quòd ejuſmodi fidem ediderit & publicârit ; quæ petra eſt , contra quam portæ inferi non ſunt prævalituræ. Quam fidei profeſſionem cæteris Apoſtolis cum Petro eſſe communem , idem Epiſcopus Pictavienſis docet eodem lib. de Trinitate paulò antè clauſulam quam exſcripſimus ; ſic enim de Apoſtolis in commune loquitur : Vos , ô Sancti & beati viri , *ob fidei veſtræ meritum* , *claves regni Cælorum ſortiti* , *& ligandi atque ſolvendi in cælo & in terra jus adepti* , *geſta per Dominum noſtrum Jeſum-Chriſtum Dei Filium vidératis.* Item , *Hæc fides regni cæleſtis habet claves* , *hæc fides quæ in terris ſolverit aut ligaverit* , *& ligata ſunt in Cælis & ſoluta.* Quæ omnia, excepto Primatu , ex æquo pertinent ad omnes Apoſtolos , qui propter fidei ſuæ meritum claves regni Cælorum habuerint à Chriſto.

XXII. Sed cauſantur adverſarii eundem Hilarium Canone 14. in Mathæum , perhibere *S. Petrum Fide Catholicâ anteiviſſe ceteros Apoſtolos* , *atque ignorantibus aliis* , *primum reſpondiſſe* , *tu es Chriſtus Filius Dei vivi.* In quam pariter opinionem Chryſoſtomus abiit enarratione in cap. 16. Mathæi & homil. 55. in Mathæum, cum Euthymio , quos Janſenius æmulatur cap. 66. concordantiæ in Evangelia, ubi contendit fidem à Petro editam Math. 16. eminentioris fuiſſe fidei , quàm fidem Nathanael & B. Andrææ Joan. 1. aut aliorum diſcipulorum , Math. 14. v. 33. Nam putat Janſenius cæteros Chriſti diſcipulos ſolummodò Chriſtum pro Meſſia & filio adoptivo agnoviſſe , non autem ejuſdem naturæ & ſubſtantiæ cum patre , neque aliam hujuſce aſſertionis cauſam aſſignat, quàm quòd Chriſtus Math. 14. hanc confeſſionem diſcipulorum, *verè filius Dei es* , nullo præmio donarit : hoc enim Petro reſervatum putat, ob fidei ſuæ excellentiam. At præter illa quæ Axiomate xiij. Apologiæ obſervavi, ampliandum arbitror , Dominum millies docuiſſe diſcipulos, ſe filium eſſe Dei, quia hic ſumma & ſcopus erat Incarnationis Dominicæ. Unde Joan. 3. v. 16. & cap. 5. v. 26. *ſicut enim Pater habet vitam in ſemetipſo* , *ſic dedit*

Digitized by Google

& Filio habere vitam in ſemetipſo. Equidem Toſtatus de quo infra, rectè memorat Dominum *aliorum diſcipulorum corda retinuiſſe, quando Petrus ſolus reſpondit, tu es Chriſtus Filius Dei vivi.* Et Maldonatus in caput 1. Joannis & 14. Mathæi perhibet, Petrum pro omnibus reſpondiſſe, cæteroſque Apoſtolos eandem fidem Synonimos proteſſuros, niſi Petrus pro toto Collegio eam edidiſſet. Cæterum rationes quæ Janſenium, poſt Hilarium movent, nullius ſunt momenti Axiomate xiij. Apologiæ docui, illique hic Canon Auguſtini opponendus, diſt. 9. can. *Ego ſolis eis ſcriptorum qui jam Canonici appellantur didici, hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum ſcribendo erraſſe audeam credere, ac ſi aliquid in eis oſtendero, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud quàm mendoſum eſſe codicem, vel interpretem non aſſequutum eſſe quod dictum eſt, vel me minimè intellexiſſe non ambigam. Alios autem ita lego, ut quantalibet ſanctitate doctrinâque polleant, non ideo verum putem, quia ipſi ita ſenſerunt, ſed quia mihi per alios authores, vel Canonicas, vel probabiles rationes, quod à verò non abhorreant perſuadere potuerunt.* Senſus ergo eſt, tantum fidei habendum Teſtimonio Hilarii, Chryſoſtomi &c. quantùm conformes ſunt ſcripturæ & probabilibus rationibus. Superaddi poteſt Hilarium dogmaticè congruenterque ad ſcripturas & Catholico ſenſu Patrum docere, *claves datas omnibus Apoſtolis propter ſuæ fidei meritum.* Ergo quæ habet Canone 14. in Mathæum, non tam dogmaticè, quam oratoriè & per auxeſim capienda ſunt. Nam ibidem in laudes & zelum Petri excurrit, atque inter alia memorat, quòd à paſſione & morte ſubeunda, Chriſtum avocare voluerit, & gladium in eos diſtrinxerit, qui manus volebant injicere in Dominum, &c. Idem etiam eſt de Chryſoſtomo indictum, qui paſſim in ſuis operibus multa oratoriè, ut concionatoribus mos eſt, amplificat aut extenuat. Quare hi & ſimiles textus ad normam regulæ 2. capitis 2. hujus libri intelligendi ſunt.

XXIII. D. Baſilius de pœnitentiâ, *Petrus dixerat jam antea & beatus pronunciatus fuerat. Dixerat, tu es Filius Dei excelſi, & viciſſim audierat ſe eſſe petram, non tamen erat petra, ut Chriſtus; ut Petrus erat petra, nam Chriſtus vere eſt immobilis petra, Petrus vero propter petram; Axiomata namque ſua, Jeſus largitur aliis, largitur autem ea non evacuatus, ſed nihilominus habens, lux eſt, vos eſtis lux mundi, Petra eſt & petram fecit, quæ ſua ſunt largitur ſuis ſervis.* Quæ ſententia convincit ex hujuſmodi metaphoris, *tu es Petrus & ſuper hanc petram,* nativum ſenſum abſque multiplici collectione animi non poſſe dici; & continuo Petrum analogicè tantùm & metaphoricè, dici Petrum aut petram; ac proindè hæc nullo modo poſſe conducere, ut abſolutè infallibilis Monarchia inter fidei dogmata aſſeratur, juxta regulas cap. 2. explicatas.

XXIV. Gregorius Nazianzenus de moderatione ſervandâ in diſputationibus, *Petrus petra vocatur, atque Eccleſia fundamenta fidei ſuæ credita habet.* Gregorius Nyſſenus *diſputans quonammodo Chriſtus ſit vita petra, & quare lapis, petra quidem vita ait tanquam fons & radix & principium & cauſa, & exitii expers & æternus; Petra vero fidei tanquam fundamentum, ut ipſe Dominus ait ad Principem Apoſtolorum, tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, ſuper confeſſionem videlicet Chriſti, quia dixerat tu es Chriſtus Filius Dei viventis.* Hîc ergo obſervas & Gregorium Nazianzenum & Nicænum, docere confeſſionem Petri eſſe & appellari fundamentum Eccleſiæ.

Digitized by Google

XXV. S. Hieronymus lib. 1. Commentariorum in Mathæum cap. 7. explicans hæc verba, " Omnis qui audit verba mea hæc, & facit ea, aſſimilabitur viro ſapienti qui ædificavit domum ſuam ſupra petram &c. Super hanc petram Dominus " fundavit Eccleſiam : Ab hac petra, Apoſtolus Petrus ſortitus eſt nomen; Super " hujuſmodi petram non inveniuntur ſerpentis veſtigia, de hac & propheta loquitur " confidenter. Statuit ſupra petram pedes meos Pſal. 39. fundamentum quod Apo- " ſtolus Architectus poſuit, unus eſt Dominus noſter Jeſus-Chriſtus; ſuper hoc fun- " damentum ſtabile & firmum & per ſe robuſtâ mole fundatum, ædificatur Chri- " ſti Eccleſia, &c. " Quibus planè conformia ſunt, quæ idem habet Hierony- " mus cap. 1. in Abdiam. Et ita patet Chriſtum velut cauſam primariam efficientem, eſſe petram ſuper quam ædificatur & fundatur Eccleſia, ac proindè Maldonatum, Bellarminum, atque alios nuperos Interpretes, falli aut fallere maximè, quando perſuadere volunt S. Auguſtinum linguæ Syriacæ & Hebraicæ imperitiâ hunc textum, *& ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, interpretatum de Chriſto primaria petra : Cum B. Hieronymus linguæ Syriacæ & Hebraicæ peritiſſimus, idem doceat cum Auguſtino, de quo ſtatim diſputabimus. Idem Hieronymus 3. lib. Commentariorum in Mathæum cap. 16. *Cum dixiſſet Dominus, quem dicunt homines eſſe Filium Hominis? vos autem quem me eſſe dicitis? illis quia homines ſunt, humana opinantibus, vos qui eſtis dii, quem me eſſe exiſtimatis? Petrus ex perſona omnium Apoſtolorum profitetur, tu es Filius Dei vivi.* Et aliquantò poſt : *Sicut ipſe lumen Apoſtolis donavit, ut lumen mundi appellarentur, cæteraque ex Domino ſortiti ſunt vocabula. Ita & Simoni, quia credebat in petram Chriſtum, Petri largitus eſt nomen, ac ſecundum metaphoram petra, rectè dicitur, ædificabo Eccleſiam meam ſuper te.* Item aliquantò poſt, *ædificabo* (inquit) *ſuper te Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam, & tibi dabo claves regni cælorum, omnia de futuro, quæ ſi ſtatim dediſſet ei, nunquam in eo pravæ confeſſionis error inveniſſet locum.* Porrò in hoc textu quinque veniunt obſervanda. Imprimis S. Petrum nomine omnium Apoſtolorum & diſcipulorum, qui totum ordinem hierarchicum referebant, Fidem Catholicam profiteri; ita enim hæc verba declarant : *vos qui eſtis dii, quem me eſſe exiſtimatis? Petrus in perſona omnium Apoſtolorum profitetur, &c.* quocircà hæc non eſt unius Petri, ſed publica & communis totius Eccleſiæ confeſſio. Prætereà notat Hieronymus, nomen petræ impropriè, metaphoricè & ſecundariò poſt & propter Chriſtum, Petro attribui. *Nam & Simoni qui credebat in petram Chriſtum, Petri largitus eſt nomen, ac ſecundum metaphoram petra, rectè dicitur, ædificabo Eccleſiam meam ſuper te.* Ait tertiò juxta eandem metaphoram, Petrum dici fundamentum & petram Eccleſiæ, ac Eccleſiam ſuper illum, tanquàm ſuper primum & Principem eorum qui crediderunt in petram Chriſtum, conſequenterque etiam Eccleſiam ædificari ſuper Petrum, ratione hujus fidei editæ; hæc enim ratiocinando colligimus. Quarè lib. 1. contra Jovinianum docet, Eccleſiam *ex æquo fundari ſuper omnes Apoſtolos*, id eſt, ſuper fidem & doctrinam quam prædicabant & profitebantur; quo de loco ampliùs infra. Quartò ſubjungit Hironymus, Chriſtum verbis de futuro, & claves & Primatum Petro ſpondere, nam illas poſteà actu contulit Joan 20. *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos, &c.* Item Mathæi & Marci ultimo, *Euntes in mundum univer-*

ſum prædicate Evangelium omni creaturæ, *&* *Joan.* 21. *paſce agnos meos*, *paſce oves meas.* Quintò quod infert, ſi Math. 16. Dominus his verbis de præſenti detuliſſet claves Petro, eum nuſquam in pravæ confeſſionis errorem lapſurum, meo judicio non ita verum, ut de eo non poſſit meritò ambigi, cùm præſertim doceamur Chriſtum juxta viam ordinariam, ſoli Eccleſiæ Sponſæ collectim & indiviſim, non autem privatis hominibus, gratiam & donum infallibilitatis contuliſſe, & S. Petrum poſt acceptas verbis de præſenti claves, atque effuſionem Spiritus ſancti in omnes Apoſtolos die S. Pentecoſtes, nihilominùs à B. Paulo reprehenſum, quòd non rectè ambularet ad veritatem Evangelii.

„ XXVI. Eodem commentario Hieronymi in Mathæum ait hæc verba: “ Et „ tibi dabo claves regni Cælorum, &c. iſtum locum Epiſcopi & Presbyteri non „ intelligentes, aliquid ſibi de Phariſæorum aſſumunt ſupercilio, ut vel damnent „ innocentes, vel ſolvere ſe noxios arbitrentur. Cùm apud Deum non ſententia „ Sacerdotum, ſed reorum vita quæratur. Legimus in Levitico de leproſis, ubi „ jubentur ut oſtendant ſe Sacerdotibus, & ſi lepram habuerint, tum à Sacerdote „ immundi fiant, non quo habeant notitiam leproſi & non leproſi, & poſſint diſ„ cernere qui mundus, quive immundus ſit, quomodò ergò ibi leproſum Sacer„ dos mundum vel immundum facit, ſic & hìc alligat vel ſolvit Epiſcopus & Preſ„ byter, non eos qui inſontes ſunt vel noxii, ſed pro officio ſuo, cùm peccatorum „ audierit varietates, ſcit qui ligandus ſit, quive ſolvendus. “ Quem locum habes apud Gratianum *xi. quæſt.* 3. *can. quomodo*, probatque unum & ſolum Chriſtum habere claves authoritatis (ut in ſcholis loquimur) quia ſolus claudit & nemo aperit, aperit & nemo claudit, Apocalypſ. 3. Eccleſiam verò donatam ſolummodò clavibus puri miniſterii; ita ut ſolvat aut liget, poſito quòd aliquis ſit noxius & pœnitens. Profectò in manuali Eccleſiæ Pariſienſis, quo præſcribitur forma & ritus adminiſtrandæ Extremæ-Unctionis, hæc ſolemnis extat Oratio: *Dominus Jeſus-Chriſtus, qui dixit diſcipulis ſuis, quæcumque ligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cælis, de quorum numero, quamvis indignos nos eſſe voluit, ipſe te abſolvat per miniſterium noſtrum ab omnibus peccatis tuis, quæcumque cogitatione, loquutione, operatione negligenter egiſti, &c.* Equidem qui ad naturam poteſtatis miniſterialis Eccleſiaſticæ, quam Hieronymus accuratè exprimit, attenderit, non dubium eſt quin Prælatorum hodiernorum confidentiam demiretur, quaſi enim haberent clavem abſoluti dominii in homines, ſuâ poteſtate abutuntur; cujus rei exemplum in me ſtatutum eſt, quoniam ipſe Pariſienſis Epiſcopus unus ex libelli mei cenſoribus (*ac proindè in cauſa non judex*) cum me vellet percellere, & ad libelli mei ejurationem invitare anno 1619. quibuſdam ignaris præsbyteris Collegii noſtri Cardinalitii interdixit, ne me audirent de confeſſione & abſolverent, prætextu quòd libellum de Eccleſiaſtica & politica poteſtate nollem explicare: hic enim color, interdicto huic ſtatuendo, affectus eſt. Verùm poſtquàm dixi me paratiſſimum eſſe omnes & ſingulas propoſitiones memorati libelli in bonum & Catholicum ſenſum interpretari, hoc mihi pernegatum eſt. Quam ob cauſam ego Magiſtro Rolando Hebert Pariſienſis Eccleſiæ Pœnitentiario, die duodecimâ Martii 1620. coram Magiſtro Philippo Gamachio dixi, quando eſſet de Pariſienſis Epiſcopi conſilio hunc debere monere, ut ſuâ

Digitized by Google

poteſtate ſecundùm Canones uteretur, & ſi me etiam in extrema vitæ periodo, per abſolutum dominatum, Sacramentis Eccleſiæ privaret, non tamen re Sacramenti, quæ à Deo ſolo confertur, privare poſſe, hoc me ſemper fuiſſe, eſſe, ac perpetuo fore animo, ut tanquàm Eccleſiæ Catholicæ, Apoſtolicæ & Romanæ filius, animam efflarem, atque permultos vitæ innocenter peractæ, ut Chriſtianum & Catholicum oportet, Chriſto benè juvante atque propitio, teſtes habiturum.

XXVII. Sed revertor ad Hieronymum lib. *contra Jovinianum circa medium*; *at dicis, ſupra Petrum fundatur Eccleſia, licet id ipſum in alio loco ſuper omnes Apoſtolos fiat, & cuncti claves regni cælorum accipiant, & ex æquo ſuper eos Eccleſia fortitudo ſolidetur, tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut capite conſtituto, ſchiſmatis tollatur occaſio, ſed cur non Joannes electus eſt virgo, ætati delatum eſt, quia Petrus ſenior erat, ne adhuc adoleſcens & penè puer, progreſſæ ætatis hominibus præferretur &c.* Hæc autem nos quatuor docent primum, omnes Apoſtolos ex æquo & in ſolidum eſſe fundamenta Eccleſiæ, *licèt, ait Hieronymus, id ipſum in alio loco ſuper omnes Apoſtolos fiat, & ex æquo ſuper eos Eccleſiæ fortitudo ſolidetur, alludit verò ad* 2. *caput epiſtolæ ad Epheſios, ſuperædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Jeſu, nec non ad caput* 12. *Apocalypſ. & murus civitatis habens fundamenta duodecim, & in ipſis duodecim, nomina duodecim Apoſtolorum Agni* : Quocircà quæſt. 8. ad Hebidiam aſſerit, *Prophetas à petrâ Chriſto, cum Apoſtolis petræ vocabulum accepiſſe.* Verùm quod Hieronymus perhibet, ex æquo ſuper Apoſtolos Eccleſiæ fortitudinem ſolidari, id æquipollet huic clauſulæ Cypriani, *hoc erant utique cæteri Apoſtoli, quod fuit Petrus, pari conſortio præditi honoris, & poteſtatis.* Quæ omnia clarè oſtendunt, Patres antiquos in eâ fuiſſe ſententiâ, ut tenerent Petrum, exceptâ Primatu, nihil jure divino habuiſſe ſuper alios Apoſtolos, quod etiam de Epiſcopis & Papâ hodie ſimiliter tenendum; cum enim omnes Apoſtoli ex æquo fuerint vicarii atque proreges Chriſti; Petrus autem tantùm fuerit Decanus, non ut Dominus Collegii Apoſtolici, inſurgit regimen inter illos fuiſſe Ariſtocraticum. Unde Eccleſia canit in præfatione miſſæ S. S. Apoſtolorum. *Te Domine ſuppliciter exorare, ut gregem tuum Paſtor aeterne non deſeras, ſed per beatos Apoſtolos tuos continuâ protectione cuſtodias, quos operis tui Vicarios eidem contuliſti praeeſſe Paſtores* : Secundò Hieronymus perhibet cunctos Apoſtolos claves regni Cælorum accepiſſe cum Petro his verbis, *licet cuncti claves regni Caelorum accipiant.* Tertiò notat Petrum caput & Primatem aliorum electum, quoniam Apoſtoli ſæpè inter ſe de Primatu velitati erant, ideoque inter illos capite conſtituto, omnis occaſio ſchiſmatis ſublata eſt.

XXVIII. Porrò obſervatione dignum, nomen capitis Petro & Epiſcopis Romanis primò tributum à S. Baſilio, Optato & Hieronymo, nihilque aliud ſignificare, quàm *primum & anteſignanum, os, verticem & Coryphaeum Collegii Apoſtolorum*, minime verò, quòd aliquid juriſdictionis & authoritatis in alios influat, ut novi doctores fabulantur. Unde etiam perſuadere volunt, *Papam eſſe caput viſibile, eſſentiale* & abſolutam Monarchiam Eccleſiæ. Quod eſt falſum atque erroneum, quia omnes Apoſtoli ex æquo & in ſolidum ſunt conſortes ſacerdotii & Epiſcopatus Chriſti, & ex æquo ſuper illos fortitudo atque firmitas Eccleſiæ ſolidatur. Lege axioma XV. & XXXI. Apologiæ noſtræ verùm ad hanc Petri electionem, cujus meminit

Hieronymus, ea quoque faciunt, quæ idem refert lib. contra Luciferianos circà medium de dignitate Epiſcopali diſputans, *Eccleſia ſalus* (*ait*) *in ſummi Sacerdotis dignitate pendet, cui ſi non exors quædam & ab hominibus eminens detur poteſtas, tot in Eccleſiis efficientur ſchiſmata, quot Sacerdotes; inde venit, ut ſine Chriſmate & Epiſcopi juſſione, neque Presbyter, neque Diaconus, jus habeat baptiſandi, quod frequenter, ſi tamen neceſſitas cogit, ſcimus etiam Laicis licere.* Quo teſtimonio edocemur, undenam poteſtatis differentia, inter Epiſcopos hodie uſitata emerſerit, ita ut alii aliis majores ſint, quoniam jure divino & ratione Sacerdotii Chriſti, cujus ſunt in ſolidum conſortes, penitùs inter ſe æquales ſunt, ſicut erant Apoſtoli.

XXIX. Quartò obſervat unam ex cauſis propter quas S. Petrus in caput & Primatem aliorum electus ſit, fuiſſe, quòd ætate alios antecelleret; non me fugit B. Epiphanium perhibere S. Andræam majorem natu fuiſſe Petro; credamus, imò verò opinor magis auſcultandum Hieronymo tanquàm antiquiori, &c. Verùm nihil cauſæ video, quarè potiùs Epiphanio quàm Hieronymo tanquàm antiquiori, & maximo polyhiſtori quem nihil eorum latuit, quæ fas eſt mortalibus ſcire, præſertim in iis quæ ad notitiam antiquitatis Eccleſiaſticæ ſpectant, nam doctus erat ad miraculum.

XXX. At verò congruenter ad antecedentia, & hoc aliud teſtimonium Hieronymi ex priore dialogo contra Pelagianos, capi oportere. Certum eſt, ut Plato, inquit, *Princeps Philoſophorum, ita Petrus Apoſtolorum fuit, ſuper quem Eccleſia Domini ſtabili mole fundata eſt.* Certè nemo abſque hæreſi dicere poteſt Petrum alios Apoſtolos edocuiſſe Evangelium, ſicut Plato Ariſtotelem, permultoſque alios in Philoſophia erudivit, cùm Fide Catholicâ tenendum ſit cunctos Apoſtolos immediatè inſtitutos & edoctos à Domino, ut teſtes eſſent oculati geſtorum Chriſti, Actorum 1. *Accipietis virtutem ſupervenientis Spiritus ſancti in vos, & eritis mihi teſtes in Hieruſalem, & in omni Iudæa & Samaria uſque ad ultimum terræ.* An non etiam hæreſis eſſet dicere, Paulum aliquid accepiſſe à Petro, cùm ipſe diſertè aſſerat, *ſe à Petro aut ab iis qui columnæ videbantur, nihil didiciſſe*: Galat. 2. Senſus ergò Hieronymi eſt, ſicut Plato non Monarcha inter Philoſophos, ſed primus Philoſophorum extitit; ita & Petrum anteſignanum atque verticem fuiſſe Apoſtolorum. At quâ ratione in Petrum ſtabili mole fundata ſit Eccleſia ſciatis liquet ex eodem Hieronymo ſupra, ubi aſſerit Petrum Apoſtolorum fidem profeſſum, & reſponſa etiam atque promiſſa, à Chriſto nomine omnium collegarum habuiſſe.

XXXI. D. Ambroſius cap. 2. Commentariorum in epiſtolam ad Epheſios explicans hunc textum, ſuperædificati ſupra fundamentum Apoſtolorum, &c. *Prophetæ* (inquit) *diſpoſuerunt, Apoſtoli fundamenta jecerunt. Unde dicit Dominus ad Petrum, ſuper iſtam petram ædificabo Eccleſiam meam, hoc eſt in Catholicæ Fidei confeſſione, ſtatuo Fideles ad vitam.* Obſerva fidem Catholicam à Petro editam, vocari petram & fundamentum Eccleſiæ, & Apoſtolos venire in conſortium hujus nominis, propter doctrinam Evangelicam quam profeſſi ſunt, de qua ſimiliter Prophetæ multa prædixerunt. Huc & accurrit ejuſdem Ambroſii ſententia ſermone 47. quæ legitur *diſt.* 50. *can. fidelior* §. *Petra enim dicitur, eo quòd primus in nationibus fidei fundamenta poſuerit, & tanquam ſaxum immobile totius corporis Chriſtianitatis compagem molemque contineat*

Digitized by Google

Iſtinc verò elucefcit quod jam multocies dixi, locum hunc, *tu es Petrus*, & ſuper hanc petram, &c. anxiâ animi cogitatione indigere ut nativus eruatur, Petrus verò propterea quod Cornelium Centurionem Evangelium edocuit, Actor. 10. primus omnium dicitur in nationibus fidei fundamenta poſuiſſe.

XXXII. Idem lib. de Incarnationis Dominicæ Sacramento. *Petrus ubi audivit, vos autem quem me eſſe dicitis, ſtatim loci non immemor ſui Primatum egit. Primatum confeſſionis, utique non honoris; Primatum fidei, non ordinis, &c. hic eſt Petrus, qui reſpondit pro cæteris Apoſtolis, imo pro cæteris, & ideo fundamentum dicitur, quia novit non ſolum proprium, ſed etiam commune ſervare.* Patet igitur Petrum nomine omnium Apoſtolorum Fidem Catholicam profeſſum tanquam Primatem, & propter hanc fidei profeſſionem, petram & fundamentum nuncupari. Idem commentar. in Pſalmum 28. ſub finem: " Dominus quod antè erat Judicii ſui dedit Apoſtolis " peccata remittendi æquitatem, ne citò ſolvenda, diu ligata manerent; denique " audi dicentem, tibi dabo claves regni Cælorum, & quodcumque ligaveris ſuper terram erit ligatum & in cælis. Hoc Novatianus non audivit, ſed Eccleſia Dei " audivit, ideò ille in lapſu, nos in remiſſione, ille in pœnitentia, nos in gratia quod " Petro dicitur, Apoſtolis dicitur: non poteſtatem uſurpamus, ſed ſervimus " imperio. " Hinc ergò claret in Petro omnes Apoſtolos claves accepiſſe. "

XXXIII. Julius I. P. P. " Canone dudum 3. quæſt. 65. quoniam aſſerit " Apoſtolos eorumque ſucceſſores, voluiſſe ſanctam Romanam Eccleſiam Primatem omnium Eccleſiarum. *Quem ad locum gloſſa*, ergò Concilia dederunt Primatum Romanæ Eccleſiæ, quod verum eſt ſecundariò, ſed ipſe Chriſtus principaliter. " Hæc ibi: ratio autem hujus ſententiæ indè ducitur, quòd Chriſtus Petrum Principem Apoſtolorum inſtituerit, ne tamen contra legem naturæ, invitis Epiſcopum & Primatem dediſſe videretur, illum quoque ab aliis Apoſtolis cooptari voluit, *can. in novo diſt.* 21. §. *Cæteri vero Apoſtoli cum eodem pari conſortio honorem & poteſtatem acceperunt, ipſumque Principem eorum eſſe voluerunt.* Item can. *Sacroſancta diſt.* 22. §. *Et licet omnes eſſent Apoſtoli, Petro tamen à Domino conceſſum eſt, & ipſi inter ſe voluerunt idipſum, ut reliquis omnibus praeeſſet Apoſtolis.* Quibus & concordat Hieronymus ſupra laudatus, contra Jovinianum lib. 1. *Inter duodecim unus eligitur, ut capite conſtituto, ſchiſmatis tollatur occaſio.* Accedit & Chryſoſtomus homil. 51. in Mathæum: *Ubique Primatum Petro præbent, & in concionibus eum anteponunt, quamvis cæteris rudior videretur.* Quæ Patrum teſtimonia clariſſimè Petri Primatum vendicant. Dehinc verò nomen Monarchiæ ad analogiam Monarchiarum temporalium, eſt inventum à Scholaſticis.

XXXIV. D. Chryſoſtomus homil. 2. in Pſalmum 50. Audi *quid Chriſtus dicat Petro columnæ [inquam] illi & baſi, ac propterea Petro appellato, quia ſaxea fide præditus erat.* Item homil. 55. in Mathæum. *Petrus omnium Apoſtolorum os, vertex conſortii totius*, cùm omnes interrogati eſſent, ipſe ſolus reſpondet, & aliquantò poſt, in hæc verba, *& ego dico tibi quia tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, id eſt fidem & confeſſionem, aut ſuper fidem confeſſionis.* Eadem pariter memorat in enarratione capitis 16. in Mathæum & in caput 1. epiſtolæ ad Galatas. *Itaque cùm Petro dixiſſet, beatus es Simon Barjona, promiſiſſetque futurum ut Eccleſiæ fundamenta ſuper illius*

Digitized by Google

profeſſionem jaceret, haud multò poſt dicit eidem, vade poſt me ſatana, &c. Item ſermone de Pentecoſte in fine tomi 3. ubi de Apoſtolis verba facit. *Etenim Vinitores erant & Piſcatores, & Turres, & Columnæ, & Medici, & Duces, & Doctores, & Portus & Gubernatores, & Paſtores, & Athletæ, & Pugnatores, & Coronas geſtantes. Columnæ quidem quia virtute ſuâ Eccleſiæ robur ſunt. Fundamentum autem, quia in confeſſione ipſorum fundata eſt Eccleſia, dicente domino, tu es Petrus & ſuper hanc petram ſundabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſùs eam; ſuper hanc petram, non dixit ſuper Petrum, non enim ſuper hominem, ſed ſuper fidem ædificavit Eccleſiam ſuam. Quid autem erat fides? Tu es Chriſtus Filius Dei vivi. Petram vocavit Eccleſiam fluctus ſuſcipientem & non titubantem, etenim Eccleſia tot ſuſcipit tentationes, non tamen vincitur. Quid eſt ſuper petram? hoc eſt ſuper confeſſionem, ſuper ſermones pietatis, &c. confeſſionem autem pietatis, neque dæmones, neque ulla creatura vincere poteſt. Teſtantur Martyres quorum latera videbantur, ſed fides non frangebatur.* Hîc vides Chryſoſtomum nominatim dicere, Eccleſiam non fundari ſuper Petrum hominem, ſed ſuper ejus confeſſionem, *tu es Chriſtus Filius Dei vivi, atque Eccleſiam vocari petram fluctus diſſipantem, &c.* Quandoquidem communis eſt omnium Patrum, præſertim Hieronymi atque Auguſtini ſententia dogmatica quidem: quâ igitur fide, imò quâ fronte, Bellarminus & Maldonatus eam ut Lutheri & Calvini peculiarem ſuggillant?

Idem Chryſoſtomus homil. 61. in caput 18. Mathæi, exponens hæc verba, *Si autem eos non audierit, dic Eccleſiæ præſulibus, ſcilicet & Præſidentibus.* Item cap. 18. enarrationis in Mathæum, *dic Eccleſiæ, hoc eſt, pluribus.* Cæterùm, quinam hi ſunt Præſules atque præſidentes, aut plures quibus peccatum fratris denunciari oportet, praxis Eccleſiæ demonſtrat v. Can. Nicæno, ubi præcipitur, bis annuatim haberi Synodos Provinciales ad univerſas Eccleſiæ controverſias dirimendas, idque Ariſtocraticum Eccleſiæ regimen comprobat, ut jam monui. Et ne tam vetera repetamus, lege Gabrielem Biel, lectione 75. in Canonem Miſſæ ad Calcem, ubi explicat quodnam ſit, *dic Eccleſiæ.*

XXXV. Idem homil. 86. ex cap. 20. in Joannem. *Sicut miſit me pater, & ego mitto vos, quarè hoc dicit? eorum animos erigit, & ſuam proponit auctoritatem, ſi quidem ſuum eis erat relicturus miniſterium; quemadmodum enim Rex mittens præfectos, ut in carcerem reos intrudant, & ut liberent, poteſtatem præbet; ita Jeſus diſcipulos dimittens, hâc munit auctoritate. Et aliquantò inferiùs, ſuper Cathedram Moſis ſederunt Scribæ & Phariſæi, omnia quæcumque dixerint vobis ut faciatis, facite, nunc non eſt dicendum ſuper Cathedram Moſis, ſed ſuper Cathedram Chriſti ſederunt ſacerdotes, ejus enim acceperunt doctrinam. Quare Paulus inquit, pro Chriſto legatione fungimur. Tanquàm Chriſto exhortante per nos;* qui locus Chriſoſtomi duo nos docet, alterum eſt, Chriſtum Joan. 20. omnibus Apoſtolis claves, aut poteſtatem Eccleſiaſticam omnibus indiviſim & in commune contuliſſe, illos mittendo more Principum politicorum, qui Magiſtratus & Proreges cum auctoritate neceſſariâ mittunt, ut alios ſontium carcere liberent, alios verò in exilium & vincula detrudant, &c. Secundò narrat cunctos Apoſtolos qui domini doctrinam acceperunt, ſedere, non quidem in Petri, ſed in Chriſti Cathedra, quæ ſicut Epiſcopatus & Sacerdotium Domini, una & indiviſa ubique eſt; nomine autem Cathedræ, Evangelicam doctrinam, ſicut per Cathedram Moſis, doctrinam legis

Digitized by Google

legis Moſaicæ intelligit, quemadmodùm & Hieronymus ſupra, quem Beda & Anſelmus in capite 23. Mathæi ſequuntur. Hinc diſcimus Cathedram legis gratiæ, in tribunal abſolutum præcipiendi & ſtatuendi quæcumque voluerint ſacerdotes minimè mutandam eſſe : cùm hi conformiter ad legem Dei, docere & non auſterè imperare debeant. Janſenius cap. 120. concordantiæ ſuæ. *Non eſt illis obediendum quando contra Cathedram aliquid vel præcipiunt, vel docent : Nam non dicit Dominus omnia quæcumque docuerint vos, ſed quæcumque dixerint, ſive ſcilicet docendo ex ipſa lege, ſive jubendo.* Maldonatus cap. 23 in Mathæum v. 3. *Cùm jubet ſervare ac facere quæ Scribæ & Phariſæi, dum in Cathedra Moſis ſedent, dicunt, non de ipſorum, ſed de legis ac Moſis doctrina loquitur, perindè enim eſt ac ſi dicat, omnia quæ lex & Moſes vobis dixerint.* Conſule cap. 5. libri 3. numero 24.

XXXVI. Verùm idem Chryſoſtomus tom. 5. operum elegantiſſimam homiliam de S. Ignatii Patriarchæ Antiocheni laudibus concinnit, atque amplificationibus Rhetoricis exundantem exhibet; in qua narrat, *B. Petrum totius orbis Doctorem præfectum, eique Chriſtum claves Cælorum dediſſe, atque ejus ſocietati & arbitrio cuncta permiſiſſe. Contextus Græcus* ῷ πάντα ἄγειν καὶ φέρειν ἐπέτρεψε *idque ſpeciem quamdam* proverbii habet, quod latinè reddemus, *ut omnia pro ſuo arbitratu & abſoluto imperio ſtatueret.* Quo ex proverbiali loco *Antonius Lavalæus*, Cuſtos & Capitaneus Caſtelli atque nemoris Gergobinenſis pag. 236. libri cujuſdam gallici, quem *Iter regium veræ Eccleſiæ inſcripſit*, occaſionem captavit me tùm impugnandi, cùm omnes paſſim in me certatim calumnias effutirent, eo quòd ſcripſiſſem *Eccleſiæ regimen eſſe Ariſtocraticum.* Contendit autem Lavalæus ex hac Chryſoſtomi clauſula, *Petri poteſtatem in ſpiritualibus eſſe omninò monarchicam, ſicut Franciæ Regis in temporalibus*, verbi gratiâ : Sed procul dubio homo venuſtulus qui Gallicè ſcripturiendo Theologiam ediſcere laborat, hoc adagio ulciſcendus eſt, *ne ſutor ultra crepidam*; quandoquidem legendo Chryſoſtomum, dogmatica ab oratoriis ideò ſecernere nequivit, quia per captum ingenii in cauſas eſſentiales poteſtatis Eccleſiaſticæ penetrare, atque uſum regiminis Eccleſiæ primitivæ, cognoſcere non poſſet. Quòd ſi cuncta B. Petro examinis ſui arbitrio ſciſcere licuit, ut homo militaris eruditionis ariolatur : certè B. Paulus graviter contra jus divinum peccavit, dum S. Petro ob unicum Canonem Concilii Hieroſolymitani de legalium obſervatione perperàm acceptum, in facie totius Eccleſiæ reſtitit, eumque ad veritatem Evangelii minùs rectè ambulare pronunciavit. Galat. 2. Quòd ſi Apoſtolus ibidem demonſtrat minimè licitum Petro Canones Conciliorum pro ſuo arbitratu laxare aut interpretari; quantò minùs eidem fas eſt, quæcumque vult ſtatuere, ut homo audaculus, ex Chryſoſtomo perperàm intellecto, perſuadere vult.

XXXVII. B. Iſidorus Peluſiota lib. 1. epiſt. 235. ad Serenum : " Non ea de cauſa Chriſtus qui pectus ipſum penetrat, diſcipulos ſuos percontatur, quem me dicunt homines eſſe? quòd variam hominum de ſe opinionem ignoraret : ſed hâc ratione certam omnibus confeſſionem traderet, quem ab eo inſpiratus Petrus, tanquam baſim ac fundamentum fecit, ſuper quo Dominus Eccleſiam ſuam extruxit. " Hîc attende Iſidorum perhibere confeſſionem fidei à Petro editam, eſſe velut baſim & fundamentum in quod Eccleſia ædificatur à Chriſto.

XXXVIII. Verùm S. Auguſtinus inter omnes antiquos, plus operæ atque olei

Digitized by Google

in hac enodanda controverſia impendit; quia inter Eccleſiæ primitivæ Doctores, omnium maximè Theologus habetur, eumque locum inter Patres, quem S. Joannes inter Evangeliſtas, obtinet, quandoquidem evolvendis & conſtituendis dogmaticis quæſtionibus, & acutiſſimus & ſolertiſſimus eſt. Porrò duplicem tradit expoſitionem hujus loci; *tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam:* quarum unam alteri poſthabuit, lib. 1. Retractationum cap. 1. tom. 1. operum: *Dixi in quodam loco de Apoſtolo* Petro, ait, *quòd in illo, tanquàm in petra, fundata ſit* Eccleſia, *qui ſenſus etiam cantatur ore multorum in verſibus Beatiſſimi Ambroſii, ubi de gallo gallinaceo ait, hoc ipſa petra Eccleſiæ canente culpam diluit, ſed ſcio me poſteà ſic expoſuiſſe, quod à Domino dictum eſt, tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, ut ſuper hunc intelligeretur, quem confeſſus eſt* Petrus, *dicens, tu es Chriſtus Filius Dei vivi, ac ſi* Petrus *ab hac petra appellatus, perſonam Eccleſiæ figuraret; quæ ſuprà hanc petram ædificatur & accepit claves regni cælorum: non enim dictum eſt illi, tu es petra, ſed tu es Petrus; petra autem erat Chriſtus quem confeſſus eſt Simon, ſicut eum tota* Eccleſia *confitetur.* Harum autem duarum ſententiarum, quæ ſit probabilior eligat Lector.

XXXIX. Tametſi autem Auguſtinus liberum permittat Lectori, ut alterutram illarum opinionum amplectatur, nihilominùs priorem, de qua ſemel quodam in loco ſe mentionem feciſſe narrat, velut minùs dogmaticam retractat; quâ de causâ Auguſtinum immeritò reprehendunt Janſenius, Maldonatus, Bellarminus & alii recentiores, cavillantes Eccleſiæ Africanæ lumen, ex linguæ Syriacæ & Chaldaïcæ imperitiâ hæc dixiſſe; ſupra enim oſtendi Hieronymum linguarum Orientalium peritiſſimum, cum Auguſtino ſentire, & Chryſoſtomum alioſque Patres, per petram Chriſtum interpretari, ac utramque ſententiam paſſim amplecti, eam verò, quam Auguſtinus hìc præponit, planè dogmaticam eſſe; ideò liquet, quòd nullo negotio ad cauſam primariam efficientem Eccleſiæ, nempè ad Chriſtum ipſum, aut ad confeſſionem de Chriſto, petra, vel etiam ad cauſam ſecundariam efficientem, id eſt, ad ordinem hierarchicum Sacerdotio Chriſti donatum, referri valeat: Nam, ut ſupra docuimus, Sacerdotium Chriſti eſt tanquam anima quæ Eccleſiam informat, vivificat & propagat; contra autem alia opinio de perſona Petri, pro petra & fundamento Eccleſiæ, effectum quidem pro cauſa, & ſymbolum pro veritate nobis obtrudit: ac ſi Petrus eſſet caput & petra eſſentialis Eccleſiæ. Profectò cùm hæc verba, *tu es Cephas aut petra, & ſuper hanc Cepham aut petram allegorica ſint*, nullus inde quicquam aliud elicere poteſt, quàm Petrum eſſe velut primum fundamentum metaphoricum Eccleſiæ, & Decanum Collegii Apoſtolorum, nam de fide eſt illos omnes in ratione poteſtatis clavium, quæ à participatione Sacerdotii Chriſti profluit, æquales eſſe, ut ſuprà ex Bellarmino, & deinceps Catholico omnium Patrum conſenſu probavimus. Quamobrem concludendum eſt Tò *tu es petra & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*: ſi de perſona Petri ſeorſim, & non de confeſſione fidei, quam Petrus emiſit, reduplicativè capiantur, allegoricè quidem & & oratoriè, non dogmaticè capi debere, & conſequenter nulli uſui eſſe ad conſtituendum dogma Catholicum.

XL. Idem Auguſtinus commentariis in pſalmum 108. *Sicut enim quædam dicuntur quæ ad Apoſtolum Petrum pertinere videntur, nec tamen illuſtrem habent intellectum, niſi*

eùm referuntur ad Eccleſiam, cujus ille agnoſcitur in figura geſtaſſe perſonam, propter primatum quem in diſcipulis habuit, ſicut eſt, tibi dabo claves regni cœlorum. Audis Auguſtinum liquidò demonſtrare favores Petro delatos à Chriſto, ſuo genuino atque illuſtri carere intellectu, niſi ad totum ordinem Hierarchicum referantur, cujus ordinis Petrus perſonam & figuram ſuſtinebat, *propter primatum quem habuit in diſcipulis,* inquit Auguſtinus. Quam clauſulam velim Lector, cùm his magnificis inſcriptionibus Librorum Vallii conferre, minimè gravetur: *Elenchus pro ſuprema Romani Pontificis in Eccleſiam auctoritate.* Quòd ſi Redargutor Auguſtinum non legerat, ſaltem eum pudere debebat tam peregrinum eſſe in propria patria, ut neſciret Facultatem Pariſienſem, cui nomen dedit, retroactis ante ſæculis ſemper tenuiſſe Papam Eccleſiæ univerſali ſubjici, & totum majus eſſe ſuâ parte, ac proinde aliud eſſe, Petrum habere primatum in Eccleſia, & in Eccleſiam; ſicque memini olim antiquiores ſcholæ noſtræ Doctores dixiſſe, *ſolum Chriſtum eſſe caput Eccleſiæ, Petrum verò caput in Eccleſia*, de qua infrà. Idem tractatu 7. in caput. 1. Joannis ad hunc locum, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus; magnum (inquit) quia mutavit nomen, & fecit de Simone Petrum, Petrus autem petra, petra verò Eccleſia, ergo in Petri nomine figurata eſt Eccleſia, & quis ſecurus, niſi qui ædificat ſuper Eccleſiam?

XLI. Idem tractatu 7. in caput. 6. Joannis, ubi de Petri reſponſione diſſerit, *reſpondet Petrus pro omnibus, unus pro multis, unitas pro univerſis.* Quibus adde & caput 17. & 18. lib. 2. de Baptiſmo contra Donatiſtas. Item tractatu 50. ſuper caput 12. Joannis. " Si in Petro non eſſet Eccleſiæ Sacramentum, non ei diceret Dominus, tibi dabo claves regni cœlorum, quæcumque ſolveris in terra, ſoluta erunt in cœlo. Si hoc Petro tantùm dictum eſt, non facit hoc Eccleſia, ſi autem in Eccleſia fit, ut quæ in terra ligantur, in cœlo ligentur, & quæ ſolvuntur in terra, ſolvantur in cœlo, quia cùm excommunicat Eccleſia, in cœlo ligatur excommunicatus; cùm reconciliatur ab Eccleſia, in cœlo ſolvitur reconciliatus; ſi hoc ergo in Eccleſia fit, Petrus quando claves accepit, Eccleſiam ſanctam ſignificavit. " Quam Auguſtini collectionem Gratianus per compendium conjecit in ſuum decretum 24. *quæſt.* 1. *can. quodcumque*, eſtque à me hic Canon laudatus cap. 2. libelli de Eccleſiaſtica & politica poteſtate, impugnaturque à Vallio pag. 26. Elenchi, & libro de ſuprema poteſtate parte 1. quæſt. 9. circa medium, ſed tam inverecundè, ut nihil ſuprà. Enim verò fingit Richerium nomine Eccleſiæ Laicos fideles, non ordinem Hierarchicum intelligere, ampliùſque contendit Auguſtinum, quando aſſerit claves datas Eccleſiæ, innuere ſolummodò *claves eſſe propter Eccleſiam, vel ſolùm intrà Eccleſiam*, quam cavillationem mutuatur à Cajetano, in quem Almainus Doctor Pariſienſis ſic agit lib. de Eccleſiæ auctoritate cap. 7. " Nam dicere claves datas propter Eccleſiam finaliter, & non ei datas eſſe formaliter & manifeſtè, eſt contra Auguſtinum dicentem in eodem capite, ſi hoc tantùm Petro dictum eſt, puta, quodcumque ligaveris, &c. non hoc facit Eccleſia, ubi pro inconvenienti Auguſtinus infert, quòd Eccleſia non ligat & non ſolvit, dato quòd uni & ſoli Petro collatæ fuerint claves. " Hæc Almainus, qui pro Corollario & appendice hujus ſuæ concluſionis aſſerit, Papam nulla in Eccleſia obire munia aut myſteria, niſi nomine, & auctoritate & intentione Eccleſiæ, quam repræſentat. Ut cùm ſolvit aut ligat à

Digitized by Google

peccatis, excommunicat, Miſſam celebrat, beneficia confert, &c. Idque argumento eſt certiſſimo claves architectonicè, hoc eſt per dominium & proprietatem, ineſſe Eccleſiæ Sacerdotali collectim ſumptæ, Petro autem & ſingularibus Prælatis, miniſterialiter tantùm quoad executionem, uſum & exercitium, regendum ac definiendum per Eccleſiam. Cæterùm & Cajetanus & Vallius hîc lectorem æquivocatione nominis Eccleſiæ ludificantur, quaſi de Eccleſia pro cœtu Laïcorum Fidelium, & non pro ordine hierarchico ageretur; an non hæreſis eſt dicere Eccleſiam Sacerdotalem carere poteſtate ligandi & ſolvendi?

XLII. Verùm notatione dignum occurrit, Auguſtinum hîc facultatem remittendorum & retinendorum peccatorum, appellare Sacramentum Eccleſiæ, appoſitè quidem, quia Chriſtus mortalitatem noſtram induit, ut Eccleſiam hoc myſterio, quo Angelos ipſos ſuperamus, locupletaret: hic enim eſt finis Evangelii vel boni nuncii, hoc quidem fidei articulo conſecrati, *Credo ſanctam Eccleſiam Catholicam, Sanctorum Communionem, remiſſionem peccatorum.* Quo Myſterio nihil majus aut auguſtius eſt in Eccleſia poſt Euchariſtiæ Sacramentum. Undè Dominus, quando ſic Paralyticum affatur: *Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua*, Pharisæi ringebant Math. 9. Verùm inductione à majori ad minus, infert Auguſtinus poteſtatem remittendi atque retinendi peccata eſſe in Eccleſia, quoniam Petrus peccata remittit. *Si in Petro non eſſet Eccleſiæ Sacramentum, non ei diceret Dominus, tibi dabo claves regni Cælorum, &c. Nam propter quod unumquodque tale, & illud magis*, quaſi diceret, ideò Petrus peccata remittit, quia Eccleſia ligat & ſolvit. *Si hoc ergo in Eccleſia fit, Petrus quando claves accepit, Eccleſiam ſanctam ſignificavit.* Certè quæcumque Petrus à Chriſto, illa tanquàm ſymbolum, figura & Miniſter Eccleſiæ obtinuit. Quandoquidem partes & organa virtute totius ſuppoſiti agunt; manus, verbi gratia, vel oculus virtute ac impulſu hominis, quia actiones ſunt ſuppoſitorum. Supra autem cap. 1. hujus libri docuimus Eccleſiam Sacerdotalem collectim ſumptam, eſſe totum reſpectu Petri & aliorum Apoſtolorum ac Epiſcoporum ſigillatim ſumptorum. Quarè paulò antè Auguſtinus dicebat, dotes quæ tribuuntur Petro, ſuo carere illuſtri intellectu, niſi prius ad Eccleſiam referantur.

Item tractatu 118. in caput 19. Joannis, æmulatione Cypriani lib. de unitate Eccleſiæ, hieroglyphico veſtis inconſutilis, ſic Eccleſiæ unitatem commendat. " Inconſutilis, autem, ait, ne aliquando diſſuatur, & ad unum pervenit, quia in unum omnes colligit, ſicut in Apoſtolis, cùm eſſet etiam ipſe numerus duodenarius, id eſt, quadripartitus in ternos, & omnes eſſent interrogati, ſolus Petrus reſpondit, tu es Chriſtus Filius Dei vivi; & ei dicitur, dabo tibi claves regni Cælorum, tanquàm ligandi & ſolvendi ſolus acceperit poteſtatem, cùm & illud unus pro omnibus dixerit, & hoc cum omnibus tanquàm perſonam gerens ipſius unitatis acceperit, ideò unus pro omnibus, quia unitas eſt in omnibus. " Obſervas Auguſtinum oſtendere, quamquàm claves in commune omnibus Apoſtolis competerent, tamen uni & ſoli Petro omnium perſonam gerenti collatas à Domino, ut doceret extra unitatem Eccleſiæ & Sanctorum Communionem benè concordem, claves ſuo fine atque effectu genuino carere, quoniam inſtitutæ ſunt ad pacem & unionem ſanciendam, non ad turbas & diſcordias, aut bella ferenda Math. 18. Amen

Digitized by Google

dico vobis, quæcumque alligaveritis, &c. Iterùm dico vobis, quià ſi duo ex vobis conſenſerint, &c. Ubi enim ſunt duo vel tres in nomine meo, &c. Conſule xvi. axioma Apologiæ noſtræ.

Idem tractatu 124. de cap. 21. Joannis. " Petrus Apoſtolus propter Apoſtolatûs ſui Primatum, gerebat, figuratâ generalitate, perſonam Eccleſiæ. Quod enim ad ipſum propriè pertinet, naturâ unus homo erat, gratiâ unus idemque primus Apoſtolorum; ſed quando ei dictum eſt, tibi dabo claves regni Cælorum, & quodcumque ligaveris ſuper terram erit ligatum & in Cælis, &c. Univerſam ſignificabat Eccleſiam, quæ in hoc ſæculo diverſis tentationibus velut imbribus, fluminibus & tempeſtatibus quatitur, & non cadit, quoniam fundata eſt ſupra petram, unde Petrus nomen accepit, non enim à Petro petra, ſed Petrus à petra, ſicut non Chriſtus à Chriſtiano, ſed Chriſtianus à Chriſto vocatur; ideò quippe, ait Dominus, ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam; petra enim erat Chriſtus, ſuper quod fundamentum etiam ipſe ædificatus eſt Petrus. Fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter id quod poſitum eſt, quòd eſt Chriſtus Jeſus. Eccleſia ergo, quæ fundatur in Chriſto, claves ab eo regni cælorum accepit in Petro, id eſt, poteſtatem ligandi ſolvendique peccata. Quod enim eſt per proprietatem in Chriſto Eccleſia, hoc eſt per ſignificationem Petrus in petra, quâ ſignificatione intelligitur Chriſtus petra, Petrus Eccleſia. Hæc igitur Eccleſia, quam ſignificabat Petrus, quamdiu degit in malis, amando & ſequendo Chriſtum liberatur à malo, magis autem ſequitur in eis qui certant pro veritate uſque ad mortem. "

XLIII. Profectò nihil certius magiſque dogmaticum hâc ſententiâ Auguſtini, quam tamen Neoterici Doctores impugnare, & Auguſtinum Chaldaicæ & Syriacæ linguæ imperitiâ poſtulare audent. Veritas autem ex Analyſi magis explendeſcet. *Primò aſſerit Petrum figuratâ generalitate perſonam Eccleſiæ figuraſſe, propter Primatum ſcilicet quem gerebat in diſcipulis.* Notandumque nomine Eccleſiæ, non tantùm Clericos, verùm etiam omnes fideles Laicos complecti, ita ut ſenſus ſit, Hierarchicum ordinem, quem Apoſtoli referebant, activè & formaliter habuiſſe claves à Chriſto, ut regant Eccleſiam, Laicos verò materialiter & paſſivè dumtaxat ut regantur, & ligentur aut abſolvantur à peccatis: quâ in Eccleſiæ acceptione permulti alii Patres cum Auguſtino conſentiunt, quos propriis locis exhibebimus. Cardinalis Cuſanus hoc illuſtrat ſimilitudine animæ rationalis quæ ſecundum motivam & ſenſitivam partem educitur de potentiâ materiæ, & juxtà partem rationalem à Deo originem capit. Secundò alludere videtur Auguſtinus ad parabolam Domini Math. 7. *Omnis qui audit verba mea hæc & facit ea; aſſimilabitur viro ſapienti, qui ædificavit domum ſuam ſuprà petram, & deſcendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, &c. Ait enim Eccleſiam, quæ in hoc ſæculo diverſis tentationibus velut imbribus, fluminibus & tempeſtatibus quatitur, non cadere, quoniam fundata eſt ſupra petram, unde Petrus nomen accepit, &c.* Tertiò, demonſtrat Petrum nomen à petra Chriſto, ſuper quem ædificatur Eccleſia, traxiſſe. *Ideò quippè, ait Dominus, ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, petra enim erat Chriſtus, ſuper quod fundamentum etiam ipſe ædificatus eſt Petrus: fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Jeſus.* Jam aliàs monui, hanc clauſulam, *tu es petra & ſuper hanc petram ædificavo Eccleſiam meam*, ſi dogmaticè capiantur, neceſſariò per reduplicationem de cau-

Digitized by Google

ſa primaria vel ſecundaria efficiente Eccleſiæ, hoc eſt, vel de Chriſto ipſo, vel de fide Eccleſiæ Catholicæ quam Petrus edidit, capi debere, & alioqui locum eſſe oratorium & allegoricum dogmatibus figendis planè ineptum. Quartò notat Eccleſiam ſponſam Chriſti, quæ in Chriſto petra & fundamento eſſentiali ædificatur, claves regni Cælorum ab eodem Chriſto accepiſſe in perſona Petri, quando ei dictum eſt, tibi dabo claves, quodcumque ſolveris, &c.

XLIV. Ex quo inducit Auguſtinus Tò tibi dabo claves, ex æquo ad omnes Apoſtolos pertinere, rationem ſubjungit, quia Petrus, id eſt in Chriſto per ſignificationem & repræſentationem ſolùm, quod ipſa Eccleſia Sponſa eſt in eodem Chriſto per eminentiam & proprietatem, *quod enim per proprietatem Eccleſia in Chriſto eſt, per ſignificationem Petrus in petra Chriſto.* Quaſi diceret, Eccleſiam architectonicè & per proprietatem, Sacerdotium Domini cum omnibus dotibus inde manantibus poſſidere, Petrum verò quatenùs miniſter eſt, membrum & filius Eccleſiæ, idque ſolummodò per & propter Eccleſiam, quia ut dictum eſt, complacuit Chriſto ſingulis dare quidquid confert per & propter Eccleſiam Sponſam chariſſimam. Vide quæ de cauſis eſſentialibus Eccleſiæ ſupra cap. 1. & infra cap. 5. libri V. diſputavimus. *Quomodo Petrus per & propter Eccleſiam exiſtat*; quocirca ſicut Eccleſia primariò & architectonicè claves poſſidet ſecundùm Chriſtum; Petrus autem miniſterialiter quoad exercitium, ac per & propter Eccleſiam; ita vis atque effectus & nomen petræ; id eſt firmitatis, ſoliditatis & infallibilitatis priùs atque eſſentialiùs Eccleſiæ, quàm Petro convenit, quia Petrus his dotibus fruitur tantummodò ut membrum, miniſter & Eccleſiæ filius: unde Math. 16. *Portæ inferi non prævalebunt adversùs Eccleſiam.* Et Joan. 17. Chriſtus ſeipſum pro tota Eccleſia collectim ſumpta ſanctificavit, ut omnes ſanctificati eſſent in veritate & clarificarentur omnes, unumque eſſent & conſummarentur in unum. Quare cap. 3. prioris ad Timothæum, *Eccleſia eſt columna & firmamentum veritatis*: cujus fides numquam deficit, eamque ob cauſam, omnes Chriſtiani, atque adeò ipſe B. Petrus more aliorum hunc fidei articulum profitebatur. *Credo ſanctam Eccleſiam Catholicam, Sanctorum communionem, remiſſionem peccatorum.* Quintò Auguſtinus eos conſolatur, qui pro veritate certant uſque ad mortem, *aitque magis ſequi Chriſtum & liberatum iri à malis.* O bone Jeſu, qui es prima veritas mundo revelata, & propter quam veniſti in mundum, da nobis, obſecro, ut ſine odio vel gratia cujuſquam, pro Catholica veritate regiminis Ariſtocratici, Eccleſiæ & diſciplinæ Apoſtolicæ, quam novi Theologi ſchiſmatis atque hæreſeos damnare non horrent, uſque ad mortem conſtanter decertemus, nec ullis minis, periculis & terroribus mortis, ſæpiùs nobis injectis commoveamur; effice inſuper Domine, ne in tentationem inducamur, & à malo jugiter liberemur.

XLV. Idem Auguſtinus tomo 10. ſermone 13. de verbis Domini, *interrogante & dicente Domino, vos autem quem me eſſe dicitis? Reſpondit* Petrus, *tu es Chriſtus Filius Dei vivi, unus pro multis dedit reſponſum, unitas in multis, tum ei dominus ait, Beatus es Simon Barjona, quia non revelavit tibi caro & ſanguis, ſed Pater meus qui eſt in Cælis, deinde addidit, & ego dico tibi, tanquàm diceret, quia tu dixiſti mihi, tu es Chriſtus Filius Dei vivi, & ego dico tibi, tu es* Petrus. *Hoc autem nomen ei, ut Petrus appellaretur à Domino impoſitum eſt, & hoc ut eâ figurâ ſignificaret Eccleſiam, quia enim Chriſtus petra, Petrus po-*

Digitized by Google

pulus Chriſtianus, petra enim principale nomen eſt, ideò Petrus à petra, non petra à Petro; quomodo non à Chriſtiano Chriſtus, ſed à Chriſto Chriſtianus vocatur : tu es ergo (inquit) Petrus & ſuper hanc petram quam confeſſus es, ſuper hanc petram quam cognoviſti, dicens, tu es Chriſtus Filius Dei vivi, ædificabo Eccleſiam meam; ſuper me ædificabo te, non me ſuper te.

Hic locus ſex continet notabilia : primùm, claves datas unitati in Petro, idque eſt teſtimonium, fidem editam à Petro non eſſe unius Petri, ſed totius Eccleſiæ Catholicæ; nam cùm Dominus cunctos diſcipulos interrogâſſet, Petrus, qui figuram Eccleſiæ gerebat, pro omnibus reſpondit, *unus pro multis, unitas in multis*; *ſic ſupra, ideò unus pro omnibus, quia unitas eſt in omnibus.* Hæc maligni Sycophantæ audiant, qui me culpare hæreſeos auſi ſunt, quòd dixerim *claves priùs unitati, quàm uni collatas.* Secundò demonſtrat, quoniam Petrus dixerat Domino, *tu es Chriſtus Filius Dei vivi*, Chriſtum viciſſim alluſione factâ ad Petri reſponſionem, eum voluiſſe præmio afficere, ſervatâ quodammodò eâdem formulâ reſponſionis Petri; quia, inquit Auguſtinus, *tu dixiſti mihi : tu es Chriſtus Filius Dei vivi, & ego dico tibi, tu es Petrus, & ſuper hanc petram, &c.* Tertiò notat Petri agnomen, ideò Simoni inditum, quia eſſet ſymbolum & figura Eccleſiæ, ſicut viciſſim Eccleſia eſt figura & corpus Chriſti: Nam, ut ſupra docuit, *Eccleſia eſt per proprietatem & veritatem in Chriſto, quod Petrus eſt ſolummodò per repræſentationem.* Quartò, Chriſtum eſſe petram eſſentialem à qua Petrus nomen trahit, & Petrum populum Chriſtianum, hoc eſt, totam Eccleſiam Catholicam ſignificare & repræſentare. Enim verò cùm firmitas hujus confeſſionis factæ à Petro, *tu es Chriſtus Filius Dei vivi, &c.* magis propria & intima ſit toti Eccleſiæ, quàm uni Petro, hicque illam nomine Eccleſiæ Catholicæ ediderit, eamque ob rem nomen petræ ſortitus ſit, inſurgit nomen petræ, id eſt, robur, infallibilitatem atque firmitatem fidei potiùs Eccleſiæ quàm Petro deberi, cùm Eccleſiæ inſit per proprietatem, Petro autem per ſolam Eccleſiæ repræſentationem; qua de cauſa Eccleſia eſt petra poſt Chriſtum, & Simon petra quatenùs Eccleſiam repræſentat, ſicque à primo ad ultimum innoteſcit, quarè Auguſtinus dicat, Petrum populum Chriſtianum, id eſt, totam Eccleſiam Catholicam ſignificare; ſupra enim ex eodem obſervavimus claves à Chriſto toti delatas Eccleſiæ, Laïcis etiam comprehenſis, & ita quidem ut ordo hierarchicus eas formaliter & activè poſſideat, Laïci autem paſſivè & materialiter. Quamobrem Petrus formaliter & materialiter hîc ab Auguſtino ſumitur pro Eccleſia. Quintò, docet vocabulum petræ genuinum ac proprium eſſe Chriſto, neque in hac ſignificatione primaria cuiquam alteri poſſe competere. Nam ſicut à Chriſto Chriſtianus, ſic à Petra Chriſto Petrus nuncupatur. Sextò, concludit Eccleſiam ædificari ſuper Petrum, nihil aliud eſſe, quàm ſuper confeſſionem à Petro editam fundari : Tu es (inquit) Petrus & ſuper hanc Petram quam cognoviſti, dicens, *tu es Chriſtus Filius Dei vivi*, ædificabo Eccleſiam meam, ſuper me ædificabo, &c.

XLVI. Antonius de Rozellis in ſua Monarchia parte 2. cap. 1. docet hanc Auguſtini homiliam, ſuo tempore legi ſolitam in Eccleſia, in Octavis S. S. Petri & Pauli, ex quo inimus homines obnoxios, ut faciliùs ſuam imaginariam Monarchiam fulcirent, ſermonem hunc Auguſtini ex officio abraſiſſe, quia decretis & actis Synodalibus Baſileenſis Concilii favebat; illo enim tempore de Rozellis opus ſuum lu-

Digitized by Google

cubravit : ſed amabo, quidnam hâc Auguſtini ſententiâ verius, certius, magis dogmaticum & Catholicum ? communi enim Patrum conſenſu roboratur, & tamen hodierni Doctores, eam velut hæreticam atque unius Calvini peculiarem vexant. Quòd ſi reprehendenda, quia Calvinus eam poſt innumeros Patres amplectitur, pari argumento efficiemus Catholicos ſeſe communi aëre, luce ſolis, & aquâ ſequanæ, quâ Calviniſtæ nobiſcum fruuntur, privare : & quoniam illi per vias publicas incedunt, nos per tecta, tegulas atque ædificiorum ſtillicidia, more felium ac ſimiarum, debere perreptare. Vide cap. 2. libri num. 8. Hercle ſatis eſt conſcientiæ noſtræ, ſi ea, in quibus ſectarii pravè ſentiunt, deſpuamus ; & cætera, quibus nobiſcum tanquàm Eccleſiæ Catholicæ propria utuntur, illis tanquàm injuſtis poſſeſſoribus è manibus extorqueamus, eaque in libertatem Catholicam aſſeramus. Cujuſmodi hæc eſt omnium antiquorum vox, Petrum dici fundamentum & petram Eccleſiæ, propter confeſſionem fidei, quam nomine totius Eccleſiæ profeſſus eſt.

Idem ſermone 108. de diverſis, in Feſto SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, quaſi per compendium ea refert quæcumque alibi de Primatu & poteſtate clavium ſparſim diſſeruit. Quare hic locus nobis inſtar aliorum omnium eſſe poteſt. Auſculta, „ Lector : “ Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, ſuper hoc quod dixiſti, „ tu es Chriſtus Filius Dei vivi, ædificabo Eccleſiam meam, tu enim Petrus à petra, „ non à Petro petra, ſed à petra Petrus : quomodò à Chriſto Chriſtianus; vis noſſe „ de qua petra Petrus dicatur ? Paulum audi, Nolo enim vos ignorare fratres, quia „ Patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes per mare tranſierunt, & omnes „ in Moyſe baptiſati ſunt in nube & in mari ; & omnes eundem cibum ſpiritua- „ lem manducaverunt, & omnes eundem potum ſpiritualem biberunt, bibebant enim „ de ſpiritali ſequente eos petra, petra autem erat Chriſtus. Ecce unde Petrus. „ Dominus Jeſus diſcipulos ſuos ante paſſionem ſuam, ſicut noſtis, elegit, quos Apo- „ ſtolos appellavit; inter hos penè ubique ſolus Petrus totius Eccleſiæ meruit geſtare „ perſonam, propter ipſam perſonam, quam totius Eccleſiæ ſolus geſtabat, audire me- „ ruit, tibi dabo claves regni cælorum; has enim claves non homo unus, ſed unitas „ accepit Eccleſiæ. Hinc ergò Petri excellentia prædicatur ; quia ipſius univerſita- „ tis & unitatis Eccleſiæ figuram geſſit, quando ei dictum eſt, tibi trado claves re- „ gni Cælorum ; Audite in alio loco quid dicat Dominus omnibus Apoſtolis ſuis, „ Accipite Spiritum ſanctum, & continuò, ſi cui dimiſeritis peccata, dimittentur „ ei ; ſi cui tenueritis, tenebuntur, hoc ad claves petinet, de quibus dictum eſt, „ quæ ſolveritis in terra, ſoluta erunt in Cælo, &c. Sed hoc Petro dixit, ut „ ſciatis, quia Petrus univerſæ Eccleſiæ perſonam tunc gerebat; audi quid ipſi di- „ catur, quid omnibus Fidelibus Sanctis, ſi peccaverit in te frater tuus, corripe illum „ inter te & ipſum ſolum; ſi te non audierit, adhibe tecum unum vel duos, &c. “ Quamquàm hic textus Auguſtini lucem capiat ab antecedentibus, verumtamen illius analyſim, ne cuiquam aqua hæreat, contexam. Primùm, nos docet confeſſionem fidei à Petro editam, *tu es Chriſtus Filius Dei vivi*, eſſe petram & fundamentum ſuper quod ædificatur Eccleſia, *ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*; ſuper hoc quod dixiſti; tu es Chriſtus filius Dei vivi, &c. Secundò, claret ejuſmodi confeſſionem eſſe petram Eccleſiæ, à quâ Petrus ſuam mutuatur appellationem; ſicut à

Chriſto

Digitized by Google

Chriſto Chriſtianus nuncupatur, undè cùm Eccleſia priùs ac intimiùs ſit petra, quàm Petrus, certè analogia & ſimilitudo petræ, id eſt robur atque firmitas fidei & infallibilitas, priùs atque eſſentialiùs toti Eccleſiæ Catholicæ, quàm uni Petro competit. Tertiò, monet Chriſtum veram, eſſentialem & primariam eſſe petram, & fundamentum Eccleſiæ, quod verbis Apoſtoli cap. 10. prioris ad Corinthios comprobat, *petra autem* erat Chriſtus, &c. Quartò, Petrum claves accepiſſe ut perſonam univerſalis Eccleſiæ referebat, ac proindè univerſitatem, totumque populum Chriſtianum repreſentativè in Petro extitiſſe. *Dominus elegit diſcipulos ante paſſionem ſuam quos Apoſtolos appellavit: Inter hos penè ubique ſolus Petrus totius Eccleſiæ meruit geſtare perſonam, &c.* Enimverò Petrus materialiter ut Chriſtianus opus habens ſanctificari Eccleſiæ Sacramentis, omnes Laicos fideles repræſentat. Deinde formaliter conſideratus ut Paſtor Eccleſiæ, totum ordinem hierarchicum refert. Quintò, perhibet claves priùs atque immediatiùs unitati, quàm uni & ſoli Petro conferri. *Has enim claves non homo unus, ſed unitas accepit Eccleſia, hinc ergò Petri excellentia prædicatur, quia ipſius univerſitatis & unitatis Eccleſiæ figuram geſſit, quando ei dictum eſt, tibi trado quod omnibus traditum eſt, &c.* Sextò, Joannis 20. claves traditas toti ordini hierarchico, *audite quod Dominus dicat omnibus Apoſtolis ſuis, accipite ſpiritum ſanctum: ſi cui dimiſeritis peccata, dimittentur ei, &c. Hoc* (inquit Auguſtinus) *ad claves pertinet, de quibus dictum eſt, quæ ſolveritis* in terra, &c. Septimò, notat hoc Chriſti effatum, *ſi peccaverit in te frater tuus, dic Eccleſiæ,* &c. Math. 18. etiam de Petro atque omnibus fidelibus univerſim nemine dempto dici; ratio eſt, quia Petrus etiam ut Paſtor ſalutem & ſanctificationem quærere debet in Chriſti Sacerdotio. Conſule axioma XVI. apologiæ noſtræ: ſed hoc Petro dixit, ut ſciatis (inquit Auguſtinus) *quia Petrus univerſæ Eccleſiæ perſonam tunc gerebat, audi quid ipſi dicatur, quid omnibus fidelibus ſanctis; ſi peccaverit in te frater tuus, corripe illum inter te & ipſum ſolum, ſi te non audierit, adhibe tecum unum vel duo, &c.* Et ita patet Auguſtinum non revocaſſe in dubium, quia Epiſcopus Romanus more aliorum fidelium, cenſuris Eccleſiæ eſſet obnoxius, à quibus Neoterici obnoxii, Papam, id eſt, abſolutum Monarcham Eccleſiæ, contra jus divinum & naturale liberum aſſerunt.

XLVII. Procul dubio ſeries contextus capitis 18. Mathæi liquidò confirmat, Dominum Petro tanquàm figuram Eccleſiæ gerenti loquutum, eamque conſtantem fuiſſe totius Eccleſiæ traditionem, Evangelium tertiæ feriæ hebdomadis tertiæ quadrageſimæ docet, cujus Evangelii tale eſt exordium, *Reſpiciens Jeſus in diſcipulos ſuos, dixit Simoni Petro: ſi peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipſum ſolum, &c.* Sic enim ante nuperam Breviariorum & Miſſalium reformationem à Jeſuitis procuratam legebatur, etiam in ipſo Ordine Romano, & nunc hodie Pariſienſi, aliiſque Diœceſibus, quæ Romanum Ordinem integrum non ſervant, extat. Porrò emendatores Breviarii Romani, qui illam avitam & catholicam traditionem expunxerunt, illud Evangelium quadrageſimale ſic interpolarunt, ut, cùm perſuadere vellent Chriſtum orationem ſuam nequaquàm ad Petrum velut figuram Eccleſiæ geſtantem, & fraternæ correctioni ac cenſuris Eccleſiaſticis ſubjectum direxiſſe, ſolœciſmum commiſerint, quoniam à ſermone plurali ad ſingularem ſic Evangelium detorquent. *In illo tempore dixit Jeſus diſcipulis ſuis, ſi peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te, &c.* Quòd ſi quis objiciat hæc verba: *Reſpiciens Jeſus in diſcipulos ſuos, dixit Simoni Petro,*

Digitized by Google

nequaquàm reperiri in Evangelio, fatebor id quidem, ſed contendam illa verba ſicut & multa alia quotidianis Evangeliis, imò etiam Canoni Miſſæ inſerta, pertinere ad Harmoniam & expoſitionem Evangelii, atque retroactis ſæculis hæc velut Apoſtolicam traditionem recepta, ut claret ex ſuperiori teſtimonio Auguſtini jam laudati, necnon ex epiſtola 118. ad Januarium relata in corpus Canonicum diſt. 22. can. *Illa autem quæ non ſcripta ſed tradita cuſtodimus, quæ quidem toto orbe terrarum obſervantur, datur intelligi vel ab ipſis Apoſtolis, vel plenariis Conciliis commendata atque ſtatuta retineri.* Procul dubio hinc, necnon ex Antonii de Rozellis teſtimonio ſupra memorato colligimus, Reformatores Breviarii multis in rebus, quæ ſua ſunt, non quæ Jeſu-Chriſti quæſiviſſe, quod pariter confirmari poteſt fabellâ Lepræ Conſtantini & balnei ex Puerorum Innocentium ſanguine, cujus extat mentio in Officio S. Silveſtri ultimâ Decembris. At verò ad Auguſtinum redeo ſermone 15. de Sanctis, ſi modò hæc concio non eſt Ambroſii, quia Ambroſius eadem planè habet 47. ſermone de fide Petri, laudaturque *can. fidelior, diſt.* 50. *Petrus petra dicitur, eo quòd primus Nationibus Fidei fundamenta poſuerit, & tanquàm ſaxum immobile totius operis Chriſtiani compagem molemque contineat, petra ergò pro devotione Petrus dicitur, & petra pro virtute Dominus nuncupatur: ſicut ait Apoſtolus, bibebant autem de ſpiritali conſequente eos petra, petra autem erat Chriſtus. Rectè conſortium meretur nominis, qui conſortium meretur & operis. In eâdem domo enim Petrus fundamentum ponit, Petrus plantat, Dominus incrementat, Dominus irriguum ſubminiſtrat.*

Idem Auguſtinus ſermone 20. de Sanctis: *Amen dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Dignus certè, ait, qui ædificandis in Domo Dei lapis eſt ad fundamentum, columna ad ſuſtentandum, clavis ad regnum.* Qui textus minùs eſt dogmaticus, & illa ipſa eſt opinio quam Auguſtinus in libris retractationum recantat, ut ſupra monui.

Idem lib. 7. de Baptiſmo cap. 51. citaturque 24. quæſt. 1. can. *Omnibus conſideratis, puto me non temerè dicere, alios ita eſſe in domo Dei, ut ipſi etiam ſint eadem domus Dei quæ dicitur ædificari ſuper petram, quæ unica columba appellatur, quæ Sponſa pulchra, ſine macula & ruga, &c. Quæ domus etiam claves accepit, ac poteſtatem ſolvendi & ligandi; hanc domum ſi quis corripientem corrigentemque contempſerit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus.* Vides Auguſtinum appellatione domus ſignificare Eccleſiam, quod verò ait *alios eſſe ita in domo Dei, ut ipſi etiam ſint eadem domus Dei*, intelligit ordinem hierarchicum ſuper quem ædificatur Eccleſia, & cui datæ ſunt claves à Chriſto. Quarè ſupra ex Cypriano dicebamus, *Eccleſiam ſuper Epiſcopum conſtitui*, & nihil aliud eſſe Eccleſiam, *quàm populum Chriſtianum Epiſcopo ſuo adunatum, &c.*

XLVIII. Idem Auguſtinus cum tota Eccleſia Africana in ſexta Synodo Carthaginenſi, illuſtre ac perenne monimentum pro Ariſtocratici regiminis libertate, & juris communis vindiciis, adversùs Zozimi P. P. commonitorium erexerunt. De quo vide quæ axiomate XXX. Apologiæ & lib. priore Hiſtoriæ noſtræ Conciliorum Generalium diſſeruimus.

XLIX. D. Cyrillus Alexandrinus lib. 4. commentar. in Joannem cap. 28. de Petri reſponſione, *per unum qui præerat, omnes reſpondent: ſanctam profectò ſanctiſque congruentem diſciplinam optimè conſervantes, & poſterioribus prudentiæ atque modeſtiæ laudabi-*

Digitized by Google

lia prabentes exempla. Decet enim non omnes confusè, nec proſilientes imprudenter, quaſi raptata in oratione, ſed cedere iis, qui & conſilio & ordine præpoſiti ſunt. Propterea Paulus quoque ait: Prophetæ duo aut tres & viciſſim loquentur: opus igitur erat divinitùs comprobata prudentia ſoli reſponſionem committere illi qui ordine major erat. Idem lib. 12. cap. 64. *& quando Salvator diſcipulos interrogavit, dicens: quem me dicunt homines eſſe, quum iterùm poſt reſponſionem ab iis quæreretur; vos autem quem me eſſe dicitis, ut Princeps, Caputque cæterorum, primus exclamavit, tu es Chriſtus Filius Dei vivi.* Ex his duobus teſtimoniis duo colligimus. Primò, Petrum tanquàm os, verticem, principem & caput aliorum, nomine omnium confeſſionem fidei emiſiſſe, & continuò hanc fidem eſſe Eccleſiæ, non ſolius Petri; ſiquidem disertè Cyrillus notat indecens valdè fuiſſe omnes diſcipulos ſimul & conturbatè loqui, eamque ob rem Petrum tanquàm Principem familiæ reſpondiſſe, per unum qui præerat, omnes reſpondent, (inquit) quocircà Cyrilli ſicut & Auguſtini, omniumque aliorum Patrum, hac in parte, eadem eſt ſententia. Alterum collectaneum eſt, *reſponſionem illi commiſſam, qui ordine major erat*: cui non abſimile eſt Ambroſii dictum ſupra, ſcilicet, *Petrum habuiſſe primatum confeſſionis, non honoris inter Apoſtolos*: Nam, ut ſupra ex Cypriano notavi, *omnes erant honore & poteſtate pares, atque ex æquo fundamenta Eccleſiæ Hieronymo*, quod non derogat primatui. Idem Cyrillus lib. 12. in Joanem cap. 55. explicatè aſſerit, Eccleſiam immediatè ſuam à Chriſto auctoritatem derivare, *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos; ordinavit his verbis orbis Doctores (inquit) & divinorum Myſteriorum Miniſtros, quos ut luminaria ad illuſtrationem non Judæorum regionis ſolummodò miſit, ſed univerſum terrarum orbem illuminare juſſit. Columna enim & robur veritatis diſcipuli ſunt, quos ita dicit mittere, ſicut à Patre miſſus eſt, ut etiam Apoſtolatûs dignitatem oſtenderet, & magnitudinem poteſtatis eorum aperiret, & ſimul monſtraret, quam viam in ſtudiis ſuis, vitaque ſua ſequi eos oporteret. Ut hinc intelligant vocandos eſſe peccatores ad pœnitentiam, curandos corpore ſimul atque ſpiritu malè habentes, & diſpenſatione rerum, non ſuam, ſed ejus qui miſit voluntatem faciendam, mundumque prædicationibus & doctrinâ Fidei ſalvandum.* Hìc duo præſertim nos edocet: Alterum, Apoſtolos eſſe columnas, fundamenta, lumina & Doctores Eccleſiæ poſt Chriſtum, qui eoſdem miſit, ſicut à Patre ſuo miſſus fuerat, quod eſt dogmaticè & neceſſariò intelligendum de poteſtate miniſteriali, ut ſupra diſputavimus. Alterum eſt, Prælatos meminiſſe debere, ſe ideò miſſos à Chriſto, non ut ſuam, ſed Chriſti voluntatem implerent; quemadmodùm Chriſtus non propriam, ſed Patris voluntatem perfecit. A quo propoſito, quàm Curiales Epiſcopi aberrent, cæcis etiam notum eſt; & hinc tot ſchiſmata atque hæreſes, quas illi ferro & igne exſcindere, non medicamine ſuaviſſimo Legis Evangelicæ ſanare perperàm moliuntur. Quòd ſi aliquis objiciat, Cyrillum 4. de Trinitate ſtatim *docere Petrum per agnominationem vocari petram à Chriſto, hocque nihil aliud quàm inconcuſſam & firmiſſimam diſcipuli fidem judicare, in qua Chriſti Eccleſia fundata eſt & fundata eſſet, ut non laberetur, & eſſet inexpugnabilis inferorum portis in perpetuum manens.* Reſpondebis hæc ipſa capi oportere juxta ſuperiorem ejuſdem Cyrilli ſententiam, quòd Petrus pro omnibus Collegis ſuis reſponderit, atque in eorum fide ex æquo fundata ſit Eccleſia, conformiter ad ſententiam omnium Patrum, unde Chriſtus nequaquàm dicit portas inferorum non prævalituras contra fidem unius Petri, ſed con-

S 2

Digitized by Google

tra Eccleſiam collectivè ſumptam, *id eſt, contra fidem totius Eccleſiæ Catholicæ, quam Apoſtoli repræſentabant.* Hæc enim verba Cyrilli niſi ad hunc ſenſum capiantur, ſuo genuino intellectu privabuntur, eruntque oratoriè, non dogmaticè explicanda.

Inter ejuſdem Cyrilli operâ, aliquot extant Pauli Emiſſeni homiliæ, in quarum una hæc de Petri confeſſione leguntur. Quem me eſſe dicitis? *Confeſtim Petrus Coriphæus & os Apoſtolorum, tu es* (inquit) *filius Dei viventis*, & ita relinquitur Petrum pro omnibus Apoſtolis fidem profeſſum, quoniam ejus ore omnes fidem profiterentur, erat enim aliorum os, Coriphæus, dux & princeps. Caſſianus lib. 3. de Incarnatione, *interroganti Domino Jeſu-Chriſto, quem eum crederent, quem confiterentur eſſe diſcipuli, reſpondet primus Apoſtolorum* Petrus, *unus utique pro omnibus, idem enim unius habuit reſponſio, quod habebat omnium fides; ſed primum docuit reſpondere, ut idem eſſet ordo reſponſionis qui erat honoris; & ipſe antecederet confeſſione, qui antecedebat ætate*; nihil clarius hâc Caſſiani ſententiâ, quæ D. Petro tribuit primatum honoris atque ætatis, ſicut Hieronymus, eamque ob cauſam fidem pro aliis omnibus emiſiſſe narrat.

L. Theodoretus cap. 2. ad Epheſios, hunc explicans locum, *ſuperædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum præpoſuit Apoſtolos Prophetis, quoniam prædicationem per illos accepimus* (inquit.) Et ita patet Tò fundamentum Apoſtolorum, intelligi de doctrina Evangelica quam Apoſtoli prædicarunt & profeſſi ſunt. Et continuò rectè dictum â Cypriano Eccleſiam fundari ſupra Epiſcopos, qui ſucceſſerunt Apoſtolis.

LI. Primaſius D. Auguſtini diſcipulus lib. 3. in Apocalypſim, *In Eccleſia ſanctam novimus victoriâ Chriſti ſalutem, poſtquàm cognitam etiam accepit poteſtatem ligandi ſoluta, & ſolvendi ligata, cum in uno Petro generali ſignificatione omnes audiunt, quæ ligaveris ſuper terram, erunt ligata in Cælis, & quæ ſolveris, ſoluta.*

LII. S. Leo Magnus ſermone 2. in natali Apoſtolorum Petri & Pauli, cujus habes compendium in Romano Breviario, homiliâ Feſti Cathedræ S. Petri Antiochiæ xxij Februarii. *Sicut pater meus tibi manifeſtavit divinitatem meam (inquit) ita & ego notam tibi facio excellentiam tuam, quia tu es* Petrus, *id eſt, cùm ego ſim inviolabilis petra, ego lapis angularis qui facio utraque unum, tamen tu quoque petra, quia meâ virtute ſolidaris, ut quæ mihi poteſtate ſunt propria, ſint tibi mecum participatione communia, ſupra hanc petram ædificabo* Eccleſiam *meam, &c. ſuper hanc (inquit) fortitudinem æternum exſtruam Templum, & Eccleſiæ mea Cælo inferenda ſublimitas, in hujus fidei firmitate conſurget, hanc confeſſionem portæ inferi non tenebunt, mortis vincula non ligabunt, vox enim iſta vox vitæ eſt. Et ſicut Confeſſores ſuos in Eccleſia provehit, ita negatores ad inferna demergit. Propter quod dicitur B. Petro Apoſtolo, tibi dabo claves regni Cælorum, &c. Tranſivit quidem in Apoſtolos alios vis iſtius poteſtatis, ſed non fruſtra uni commendatur, quod omnibus intimatur. Petro enim ſingulariter hoc creditur, quia cunctis Eccleſiæ Rectoribus Petri forma proponitur. Manet ergo Petri privilegium, ubicumque ex ipſius æquitate fertur judicium*: Idem ſermone 3. in Anniverſario die ſuæ aſſumptionis ad Pontificatum. *Tranſivit quidem etiam in alios Apoſtolos vis poteſtatis illius, & ad omnes Eccleſiæ Principes decreti hujus conſtitutio commeavit, ſed non fruſtra uni commendatur quod omnibus intimatur. Petro enim ideò hoc ſingulariter creditur, quia cunctis Eccleſiæ Rectoribus Petri forma proponitur. Manet ergo Petri privilegium, ubi ex ipſius æquitate fertur judicium.* Audis Leonem Magnum, permulta hic oratoriè dicere, nihilominùs hæc dogmaticè aſſerere, primò confeſſionem

Digitized by Google

Petri, atque ejuſdem confeſſionis firmitatem, eſſe petram & fundamentum Eccleſiæ; *Super hanc fortitudinem æternam exſtruam Templum, & Eccleſiæ mea cælo inferenda ſublimitas, in hujus fidei firmitate conſurget: hanc confeſſionom portæ inferi non* tenebunt, mortis vincula non ligabunt, &c. Secundò, docet, *propter hanc confeſſionem Petrum habuiſſe claves, propter quod dicitur B. Petro Apoſtolo, tibi dabo claves regni cælorum, &c.* Tertiò, claves omnibus datas Apoſtolis, *tranſivit quidem in Apoſtolos alios vis iſtius poteſtatis, ſed non fruſtra uni commendatur, quod omnibus intimatur, &c.* Cæterum non me latet Leonem multos alios habere textus, quos blandiente Cathedrâ effudit; ex quibus Turrecremata atque alii recentiores, ſuam abſolutam monarchiam ridiculè conglutinant, de quibus lib. 3. agetur ex profeſſo.

LIII. Felix P. P. III. epiſt. 3. ad Zenonem Auguſtum, *Petrus*, ait, *immutabilem & immaculatam fidem in Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Dei Filium unigenitum primus exponens, à Salvatore ipſo Beatus eſt dictus, nam cùm ipſe dixiſſet ad Dominum, tu es Chriſtus Filius Dei vivi, ab ipſo audire meruit, Beatus es Simon Barjona, quia caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus qui eſt in cælis, & ſuper iſta confeſſione ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſùs eam*: Hæc audiant novi Theologi, hancque ſententiam Luthero adſcribere deſinant, cùm Leoni Magno, Felici III. permultiſque aliis Pontificibus propria ſit. Gelaſius P. P. in commonitorio ad Fauſtum magiſtrum, *cogitantes Chriſti vocem non eſſe ſuperfluam, quæ confeſſioni B. Petri Apoſtoli inferni portas numquàm prævalituras aſſerit.* Quam clauſulam ad verbum quoque epiſt. 1. ad Euphemianum iterat.

Hormiſda epiſt. 25. ad Epiſcopos per Hiſpaniam conſtitutos, *in Sacerdotibus ordinandis, quæ ſunt à patribus præſcripta & definita cogitetis: quia ſicut eſt caput Eccleſiæ Chriſtus, Chriſti autem Vicarii Sacerdotes, ſic & in eligendis his curam oportet eſſe perſpicuam.* Nota Chriſtum eſſe caput Eccleſiæ, & Sacerdotes Vicarios Chriſti.

LIV. In fine tomi 2. epiſtolarum Pontificum Romæ editarum, extat deprecatio & ſupplicatio Clericorum Hieroſolymitanorum, Antiochenorum & ſecundæ Syriæ ad Juſtinianum Cæſarem, quâ deprecatione ſtatim initio demonſtrant: « Beatos Apoſtolos, & eorum qui per ordinem fuerunt diſcipulos & ſapientes, Eccleſiæ Doctores, « ſalutarem aquam fidei haurientes, omnem ſanctam Dei Eccleſiam irrigâſſe, quæ in « petra ſummi Apoſtolorum ſubnixa, rectam & inflexibilem confeſſionem cuſtodiens, « fiducialiter cum eo ad unigenitum Filium Dei exclamat omni tempore, dicens: « tu es Chriſtus Filius Dei vivi, hancque ſalutarem confeſſionem à ſanctis quatuor « ſynodis ſuſceptam, &c. « Obſervas hanc fidei confeſſionem, *tu es Chriſtus Filius Dei vivi*, à Petro editam, eſſe fidem omnium Apoſtolorum & eorum qui per ordinum vices, diſcipuli Apoſtolorum atque Doctores Eccleſiæ extiterant, continuòque ſempiternum eſſe fundamentum Eccleſiæ, contra quod portæ inferi & artes diaboli nunquàm prævalebunt.

LV. Pelagius II. P. P. *diſt. 99. can. Nullus* eo ipſo quòd nomen Epiſcopi univerſalis animoſè repudiat, monarchiam damnat, « Nullus Patriarcharum univerſitatis « vocabulo unquàm utatur, quia ſi unus Patriarcha univerſalis dicitur, Patriarcharum « nomen cæteris derogatur. Sed abſit hoc, abſit à fidelis cujuſquam mente hoc ſibi velle « quempiam accipere, undè honorem fratrum ſuorum imminuere ex quantulacumque « parte videatur.

Digitized by Google

At S. Gregorius hoc ipſum nomen ambitioſum & faſtuoſum, multò ardentiùs & animoſiùs diverſis in locis condemnat. Primùm lib. 4. epiſt. 32. ad Mauritium „ Imperatorem, " Univerſa ergo Eccleſia, quod abſit, à ſtatu ſuo corruit, quando „ is qui appellatur Univerſalis cadit; ſed abſit à cordibus Chriſtianorum nomen il- „ lud blaſphemiæ, in quo omnium Sacerdotum honor adimitur, dum ab uno ſibi „ dementer arrogatur. Certè pro B. Petri Apoſtolorum Principis honore per vene- „ randam Chalcedonenſem ſynodum, Romano oblatum eſt, ſed nullus eorum un- „ quàm hoc ſingularitatis vocabulum aſſumpſit, nec uti conſenſit, &c "

„ Item lib. eodem 4. epiſt. 34. ad Conſtantiam Auguſtam, " Triſte tamen valdè „ eſt, ut patienter feratur, quatenùs deſpectis omnibus, prædictus frater & Coëpiſ- „ copus meus, ſolus conetur appellari Epiſcopus; ſed in hac ejus ſuperbia, quid „ aliud niſi propinqua jam Antichriſti eſſe tempora deſignatur, quia illum videlicet imi- „ tatur, qui ſpretis in ſociali gaudio Angelorum legionibus, ad culmen conatus eſt „ ſingularitatis erumpere, " de Joanne Patriarcha Conſtantinopolitano agit, qui ſe œcumenicum aut univerſalem Epiſcopum vocitabat.

„ Ibidem epiſt. 36. ad Eulogium Alexandrinum Epiſcopum, " Sicut veneranda ve- „ ſtra Sanctitas novit, mihi per ſanctam Chalcedonenſem Synodum Pontifici ſedis „ Apoſtolicæ, cui Deo diſponente deſervio, hoc univerſitatis nomen oblatum eſt, „ ſed nullus unquam deceſſorum meorum, hoc tam prophano vocabulo uti conſen- „ ſit, quia videlicet, ſi unus Patriarcha univerſalis dicitur, Patriarcharum nomen „ cæteris derogatur, ſed hoc abſit à Chriſtiana mente, id ſibi quempiam arripere, „ undè fratrum ſuorum honorem imminuere ex quantulacumque parte videatur. „ *Addit ſub finem epiſtolæ*; Epiſcopus Conſtantinopolitanus jactantiam ſumpſit, ita „ ut univerſa ſibi tentet adſcribere, & omnia quæ ſoli uni capiti cohærent, videlicet „ Chriſto, per elationem pompatici ſermonis, ejuſdem Chriſti ſibi ſtudeat membra „ ſubjugare. *Et aliquantò poſt*; Favente Domino omnibus viribus concurrendum at- „ que providendum, ne unius veneno ſermonis, viventia in Chriſti corpore mem- „ bra moriantur. Si enim hoc dici licenter permittitur, honor Patriarcharum om- „ nium negatur, & cùm fortaſſè is in errore perit, qui univerſalis dicitur, nullus „ jam Epiſcopus remanſiſſe in ſtatu veritatis invenitur. Oportet ergo ut conſtanter „ ac ſine præjudicio ſervetis, ſicut accepiſtis Eccleſias, & nihil ſibi in nobis hæc ten- „ tatio diabolicæ uſurpationis adſcribat. State fortes, ſtate ſecuri, ſcripta cum uni- „ verſalis nominis falſitate, nec dare unquàm, nec recipere præſumatis. "

„ Eodem lib. 4. epiſt. 38. ad Joannem Conſtantinopolitanum Epiſcopum. " Cer- „ tè Petrus Apoſtolus primum membrum ſanctæ & univerſalis Eccleſiæ eſt, Paulus, „ Andræas, Joannes, quid aliud quàm ſingularum ſunt plebium capita, & tamen „ ſub uno capite omnes membra ſunt Eccleſiæ; atque, ut cuncta brevi cingulo lo- „ quutionis aſtringam, ſancti antè legem, ſancti ſub lege, ſancti ſub gratia omnes „ hi perficientes Corpus Chriſti in membris ſunt Eccleſiæ conſtituti, ut nemo ſe un- „ quàm univerſalem vocare voluit, &c. Num quidnam ſicut veſtra æternitas ſoler- „ ter invigilet, ne ſe eorum verbis fallendum præbeat; tantò enim majores hoſtes „ credendi ſunt, quantò magis laudibus adulantur. " Et aliquantò poſt, oſtendit hæc ſuperba vocabula ab adulatoribus excogitata, ut eos, quibuſcum verſantur,

Digitized by Google

corrumpant. *Rex ſuperbiæ propè eſt*, (*inquit*) *& quod dici nefas eſt*, *Sacerdotum ei præparatur exercitus*; *quia cervici militant elationis*, *qui poſiti fuerant ut ibi cervicem præberent humilitatis*. Sic enim legitur in prima editione epiſtolarum Gregorii, quam Lazarus Soardus edidit Venetiis anno 1505. cum privilegio Julii II. P. P. & Ducis Venetiarum; anteà enim epiſtolæ Gregorii Magni numquàm typis efformatæ fuerant. Quam lectionem plures codices manuſcripti quos vidi, & ipſemet Bellarminus confirmant lib. 3. de Rom. Pontifice cap. 13. quodque S. Gregorius Sacerdotum exercitum Antichriſto præparari memorat. Hoc Bellarminus perhibet intelligi oportere ex Sacerdotibus malis & ſuperbis. Verùm pro hac genuina lectione omnes editiones quæ deinceps, poſt Soardi editionem, ubique terrarum factæ ſunt, *ita legunt*, *quod dici nefas eſt Sacerdotum ei præparatus exitus*. Sed nullo germano ſenſu, ſi ad B. Gregorii mentem oſtendamus, ut hinc diſcamus quanti referat antiquiores editiones librorum, novis editionibus anteferre, & eas cum codicibus manuſcriptis comparare.

Idem lib. 6. epiſt. 24. ad Anaſtaſium Antiochenum Epiſcopum, de Synodica epiſtola Cyriaci Conſtantinopolitani Patriarchæ, qui Joanni, de quo anteà ſucceſſerat, hanc narrationem inſtruit: " Et quidem in ſuſcipienda fratris & conſacerdotis noſtri Cyriaci Synodica epiſtola, dignum non fuit ut pro cauſa prophani vocabuli moras facerem, &c. & ut de honoris veſtri injuria taceam, ſi unus Epiſcopus vocatur univerſalis, univerſa Eccleſia corruit, ſi unus univerſus cadit. " Item epiſt. 30. ejuſdem libri ad Mauritium Cæſarem, qui S. Gregorio ſcripſerat, ob frivolum & inane nomen non debere ſcandalum & diſſidium generari inter Romanam & Conſtantinopolitanam Sedem. " Ego autem fidenter dico, ait Gregorius, quia quiſquis ſe univerſalem Sacerdotem vocat, vel vocari deſiderat, in elatione ſua Antichriſtum præcurrit; quâ ſuperbiendo ſe cæteris præponit, nec diſpari ſuperbiâ ad errorem ducitur; quia ſicut perverſus ille Deus videri vult ſuper omnes homines, ita quiſquis iſte eſt, qui ſolus Sacerdos appellari appetit, ſuper cæteros Sacerdotes ſe extollit, &c. "

Idem lib. 7. epiſt. 30. ad Eulogium Alexandrinum, qui S. Gregorium OEcumenici Epiſcopi titulo donârat. " Ego non verbis quæro proſperari, ſed moribus; nec honorem eſſe deputo, in quo fratres meos honorem ſuum perdere cognoſco. Meus namque honor, honor eſt univerſalis Eccleſiæ. Meus honor eſt fratrum meorum ſolidus vigor. Tunc ergò verè honoratus ſum, cùm ſingulis quibuſque honor debitus non negatur; ſi enim univerſalem me Papam Veſtra Sanctitas dicit, negat ſe hoc eſſe quod me fatetur univerſalem. " Qui textus Gregorii legitur diſt. 99. can. *Ecce*.

LVI. Porrò ut ſenſus harum collectionum, quas ex Gregorii Magni epiſtolis collegimus, planus evadat, quatuor obſervanda ſunt. Primùm, aliquot Presbyteros & Diaconos Alexandrinæ Eccleſiæ, quos Dioſcorus Alexandrinus Epiſcopus malè & contra Canones acceperat, petiiſſe à Leone Magno & Patribus Synodi Chalcedonenſis, ſibi injuriarum illatarum rationem fieri adversùs Dioſcorum, eamque ob cauſam, literas ſcripſiſſe ad Leonem Magnum, quæ actione tertiâ Synodi Chalcedonenſis leguntur, quibus in literis vocant Leonem Archiepiſcopum OEcumenicum

Digitized by Google

aut univerſalem. Itaque hoc nomen ambitioſum, primùm ab illis inventum, & B. Leoni tributum, nequaquàm verò à Patribus deliberantibus, aut aliquid ſynodicè ſtatuentibus uſurpatum, vel cuiquam tributum eſt. Lege librum hiſtoriæ noſtræ Conciliorum generalium. Secundò, notandum Epiſcopos Conſtantinopolitanos, neſcio quâ vanitate & ambitione, hanc ſuperbam appellationem ſibi omnium primos arrogare auſos, atque Imperatores Conſtantinopolitanos hanc foviſſe & propugnaſſe ambitionem, ut ex epiſtolis Gregorii Magni ad Mauricium Cæſarem ejuſque conjugem liquet. Quam ſuperbam appellationem, non ſatis fuit S. Gregorio ſcriptis impugnare, niſi etiam ipſo facto & titulo planè contrario damnaret. Hinc enim occaſionem captavit ſe in epiſtolis ſuis decretalibus inſcribendi & nuncupandi ſervum ſervorum Dei, quem titulum ejus poſteri, quamvis plerique ab humilitate S. Gregorii longè abeſſent, mordicùs retinuerunt: pleroſque dico ſanctitatem Gregorii non æmulatos, & inter alios Sabinianum ejus Succeſſorem, qui geſta S. Gregorii adeò exoſa habuit, ut parùm abfuerit, quin omnes illius libros igne aboleri juſſerit, teſte Platinâ. Quod autem nonnulli dicunt, Damaſum P. P. inventorem hujus formulæ *ſervus ſervorum Dei*, id nullo auctore probo & locupleti; ſed ſcriptis Apocryphis probare queunt. Tertiò, etiam atque etiam Lectorem interpello ad ſebuentia verba Gregorii attendat, atque ſi poteſt, cum abſolutæ monarchiæ placitis concordet, *ſed nullus meorum deceſſorum unquàm hoc ſingularitatis vocabulum aſſumpſit.* Item *quid aliud niſi jam propinqua Antichriſti eſſe tempora deſignatur, quia illum imitatur, qui ſpretis in ſociali gaudio Angelorum legionibus, ad culmen conatus eſt ſingularitatis erumpere, quiſquis ſe univerſalem Sacerdotem vocat, vel vocari deſiderat, in elatione ſua Antichriſtum præcurrit, quia ſuperbiendo ſe cæteris præponit, nec diſpari ſuperbiâ ad errorem ducitur, &c.* Deus bone, ſi ſanctiſſimus Pontifex *nomina ſingularitatis* ab Eccleſia quæ charitatem, multorum collectionem & communionem Sanctorum ſuaviſſimè initam eſſentialiter ſignificat, penitùs exturbanda & velut Antichriſto propria, ideò damnanda cenſet, quia humilitati & poteſtati miniſteriali ſpirituali, quam Chriſtus aſſumpſit, planè adverſantur: quâ fronte novi doctores ſuam abſolutam infallibilem monarchiam, ut jure divino conſtitutam, venditant? *Quid enim tam unicum, ſingulare & privatum, quàm iſte potentatus atque abſoluta infallibilis monarchiæ dominatus, qui omnem charitatem, pacem & dilectionem legis Evangelicæ extinguit.* Quamobrem vel hinc claret, Gregorium repudiando nomen Patriarchæ atque Epiſcopi univerſalis, eo quòd ſingularitatem in Eccleſiam inveheret, unà oſtendiſſe ſe Monarcham non eſſe, ac funditus abſolutæ monarchiæ dogmata, tanquam legi gratiæ infeſtiſſima, damnaſſe.

LVII. Quartò, ut B. Thomas, Turrecremata, Cajetanus, Bellarminus, & alii recentiores perhibent, tota juriſdictio Eccleſiaſtica à Papa in omnes Epiſcopos profluit, quemadmodum unguentum effuſum in caput Aaronis, in ejuſdem barbam atque oram veſtimenti ejus deſcendit, aut ſicut politica poteſtas à Rege Franciæ in ſuos Proreges & Magiſtratus proportionatim manat: certè neceſſe eſt, Papâ abſoluto Monarchâ & capite eſſentiali mortuo, univerſam Eccleſiam à ſuo ſtatu corruere, nec non etiam, dato quòd Pontifex labatur in aliquem errorem, totam Eccleſiam labi; *univerſa ergo Eccleſia, quod abſit,* (inquit Gregorius) *à ſuo ſtatu corruit, quando is qui appellatur univerſalis cadit.* Item, *& cùm fortaſſè in errore perit qui univerſalis dicitur,*

Digitized by Google

citur, nullus jam Epiſcopus remanſiſſe in ſtatu veritatis invenitur. Quod argumentum Patres Baſileenſes epiſtolâ Synodicâ, cujus initium eſt, *Cogitanti huic ſacra Synodo, &c.* ſic urgent. *Si Papa eſſet majoris auctoritatis quàm tota Eccleſia*, errante *Pontifice*, *ſicut ſæpè contingit & contingere poteſt, tota erraſſet Eccleſia.* Quibus duobus incommodis de morte atque errore abſoluti infallibilis Monarchæ, Bellarminus obviàm ire conatur, lib. 4. de Rom. Pontifice à primo capite ad quartum, ubi fingit *Papam ut Papam, quatenùs docet aut reſpondet ex Cathedrâ, eſſe infallibilem.* Deindè cap. *6.* ejuſdem libri contendit *piè* credi poſſe ſummum Pontificem etiam ut particularem perſonam errare non poſſe; quæ mera ſunt commenta, quibus ignaris Theologiæ & Hiſtoriæ Scholaſticæ illuditur. Nam ſi Hilarius ſcripſit Anathematiſmos adversùs Liberium P. P. velut Arrianum, & Hieronymus in continuatione Chronici Euſebii nominatim docet, *Liberium P. P. victum tædio exilii, hæreticæ pravitati Arrianorum ſubſcripſiſſe.* Quod etiam B. Athanaſius comprobat. Omitto inſuper Anathema dictum Honorio tanquàm Monothelitæ in ſexta, ſeptima & octava Synodo generali; neque argumenta, quæ pro Honorio profert Bellarminus, ullius ſunt ponderis, ut lib. priore Hiſtoriæ Conciliorum generalium demonſtravimus.

LVIII. Quod verò ad incommoda, quæ ex morte abſoluti Monarchæ emergunt, idem Bellarminus lib. 1. de Rom. Pontifice cap. 12. circa medium narrat poſt Cajetanum, ſcilicet, *quòd, mortuo Pontifice, claves aut ſuprema juriſdictio non pereat, nec tamen formaliter in Eccleſia remaneat, niſi quatenùs communicata ſunt inferioribus miniſtris Chriſti; & in electione Pontificis dari à Chriſto, non novâ traditione, ſed antiquâ inſtitutione; quemadmodum ſi Rex aliquis, cum Proregem Provinciæ imponit, ſimul ediceret placere ſibi, ut eo mortuo populus Provinciæ alium eligeret, qui eâdem poteſtate, quâ prior, frueretur.* Hæc Bellarminus Elencho à petitione Principis, quaſi uni & ſoli Petro collatæ eſſent claves à Chriſto, ut deinceps aliis communicarentur, ſicut poteſtas politica communicatur à Rege ſuis Proregibus atque Officiariis. Quod eſt falſum & erroneum: quoniam, ut ſæpè dicendum eſt, Sacerdotio Chriſti communicato Eccleſiæ, poteſtas Papalis, Epiſcopalis & Sacerdotalis eminenter & formaliter ineſt, atque habitu & in actu ſignato defertur per ordinis Epiſcopalis atque Presbyteralis collationem; deindè in actum & exercitium atque exequutionem mittitur per materiæ & tituli collationem, quando aliquis deligitur ad Papatum, Epiſcopatum & Presbyteratum exercendum. Undè impoſſibile eſt, quin claves & ſuprema juriſdictio ſemper integra remaneat in Eccleſia; quamdiu Sacerdotalis ordo eſſet remanebit, adeò ut ſi ex hypotheſi unicus tantùm eſſet Epiſcopus vel Sacerdos in mundo, ille revera ordinem hierarchicum referret; poſſetque Papatum, Epiſcopalem & Sacerdotalem ordinem propagare abſque novo miraculo. Cauſa eſt, quoniam Sacerdotium Chriſti formaliter totum & totaliter eſt in toto ordine hierarchico, & totum & totaliter in quolibet Sacerdote & Epiſcopo, diverſaſque obit actiones ratione diſpoſitionis vel organizationis Primatûs, Epiſcopatûs & Presbyteratûs. Quocircà omnes Epiſcopi jure divino ſunt poteſtate æquales & Succeſſores Apoſtolorum, ut ſupra docuimus. Prætereà meminiſſe debuerat Bellarminus hæc ipſa quæ narrat. cum iis pugnare, quæ lib. 4. cap. 23. de Rom. Pontifice aſſerit. Scilicet, *eandem datam Apoſtolis poteſtatem his verbis*, ſicut miſit me pater, & ego mitto vos, *Joan.* 20. quàm Petro his aliis verbis, *tibi dabo claves regni Cælorum*, & paſce oves meas, Joan. 21.

Digitized by Google

Accedit Primatum nihil aliud dicere, quàm primum gradum Sacerdotii Chriſti, atque exercitium Primatûs deferri per electionem, aut conſenſum Eccleſiæ, dum aliquem cooptat in Sedem & locum Petri. Tertiò, quidnam eſt, *claves, mortuo Pontifice, non perire, & tamen non remanere formaliter in Eccleſia*, ut ait Bellarminus? An non hæc pugnantia ſunt? nam, dato quòd Eccleſia duos, tres aut plures annos, ſicut interdùm accidit, vacaret Pontifice, tamdiu Eccleſia à ſuo ſtatu corrueret, ut ait S. Gregorius; neque toto illo tempore poſſent creari Epiſcopi, ſi, ut fingunt adulatores, Epiſcopalis Juriſdictio ſolùm conferretur à Papa. Hæc enim neceſſariò inſurgunt, poſito quòd Papa ſit Caput eſſentiale & Monarcha abſolutus Eccleſiæ, ut Vallius poſt ſuos Magiſtros Jeſuitas fabulatur. Quartò, quod ait Bellarminus, claves tantùm remanere quatenùs ſunt communicatæ inferioribus Miniſtris, puta Epiſcopis & Presbyteris, merum eſt commentum, quia, ut dixi, Sacerdotium Chriſti & poteſtas clavium ejuſdem eſt ſpeciei & naturæ atque effectus formaliter & quoad exercitium, adminiſtrationem & exequutionem. Quintò, dicere claves manere in manibus Chriſti, & non reverà ac formaliter eſſe in Eccleſia, atque unà cum ordine Epiſcopali & Sacerdotali minimè conferri; hoc quidem eſt multiplicare miracula abſque neceſſitate, quod tam puerile & ridiculum eſt in Theologia, quàm qui entia nova fingeret in Philoſophia; quæ omnia ab hoc falſo, imaginario atque erroneo principio ſcaturiunt, puta *Chriſtum conſtituiſſe Petrum Monarcham Eccleſiæ, eique uni & ſoli ſupremam juriſdictionem contuliſſe.* Quod commentum qui planè negârit adverſariis, eos penitùs exarmârit: ita ut longiùs progredi non poſſint: numquàm enim ex his locis allegoricis, tu es Petrus & ſuper hanc petram, &c. paſce oves meas, &c. ſuam Monarchiam Mathematicam & imaginariam exſtruent.

LIX. Sextò, dum Bellarminus perhibet *claves in electione Pontificis dari à Chriſto, non novâ traditione, ſed antiquâ inſtitutione*, confirmat quidem electiones juris eſſe divini, hinc enim ſequitur inſtitutas eſſe à Chriſto, tanquàm medium neceſſarium ad obtinendas claves à Deo, & conſequenter non debuiſſe tantas tragœdias in Richerium excitari, quòd aſſeruiſſet ſacras electiones juris eſſe divini. Septimò, comparatio Bellarmini de Rege aliquo Proregem alicui Provinciæ imponente, &c. plùs nocet illius cauſæ, quàm favet: quia hoc argumento eſt Proregem, mediante populo eligente, ſuam auctoritatem mutuari à Rege, cùm Prorex nullas à Rege, ſed à populo tantùm literas de ſua cooptatione accipiat. Sed valeant argumenta parabolica, quando in Theologia dogmatica nullius ſunt ponderis. Cæterùm, ut ad Analyſim noſtram nos referamus; ambitio Epiſcoporum Conſtantinopolitanorum, fulta patrocinio Imperatorum, in cauſa fuit, ut ſibi contra Canones nomen Epiſcopi Œcumenici arrogarent: idque tum demùm ſalivam movit Romanis Pontificibus qui B. Gregorio ſucceſſerunt, ut ea quæ ante non audebant aſſumerent.

LX. Turrecremata in opuſculo, quo placita S. Thomæ de abſoluta Papæ monarchia colligit, quæſt. 5. memorat eumdem Thomam tractatu contra impugnantes religionem, docere B. Gregorium *non ideò prohibuiſſe ſe nominari univerſalem Pontificem, quòd non habeat auctoritatem immediatam & plenam in qualicumque Eccleſia, ſed quia non præficitur cuilibet particulari Eccleſiæ ut proprius & ſpecialis Rector & Epiſcopus illius Eccleſiæ, quia ſic ceſſarent omnium aliorum Pontificum poteſtates.* Quam reſponſionem Bel-

Digitized by Google

larminus & recentiores paſſim ſequuntur : ſed mera eſt argutia, quæ ad veritatem & ſententiam Gregorii collata, nullo modo poteſt ſubſiſtere, quoniam Patriarchæ Conſtantinopolitani non eo ſenſu, neque eâ intentione ſe OEcumenicos vocabant, quòd præficerentur cuilibet Eccleſiæ particulari, neque etiam S. Gregorius dicit eo ſenſu titulum univerſalis Epiſcopi oblatum Leoni Magno à Synodo Chalcedonenſi; igitur alio ſenſu, quàm cavillantur; *iſtum ſuperbum titulum ſingularitatis* reſpuit Magnus Gregorius. Profectò veritas eſt, cunctos Epiſcopos intenſivè, formaliter & quoad habitum eſſe univerſales & poteſtate æquales jure divino, materialiter autem quoad exercitium & ratione hujus vel illius tituli Diœceſis & adminiſtrationis, unum alio eſſe majorem, prout Diœceſis eſt amplior vel anguſtior. Quæ Diœceſeum diſtributio & definitio juris eſt poſitivi, ut ſupra docuimus cap. 2. num. 22. & hinc fit ut ſecundùm jus divinum omnes Epiſcopi in ſolidum ſuas regant Eccleſias, adeò ut, quamdiu benè ſuo munere funguntur, Epiſcopus Romanus nihil ſupra illos habeat juris.

LXI. D. Gregorius lib. 7. epiſt. 64. Indict. 2. *Cùm culpa non exigit, omnes ſecundùm rationem humilitatis æquales ſunt, ratio eſt, quia, ut idem docet lib. 1. epiſt. 24. Prælati vitiis, non perſonis dominantur. Æquales enim vobis ſumus in quo vos ſtare cognoſcimus; quaſi Prælatum ſe Paulus eſſe fratribus neſciebat, cùm diceret, nos autem ſervos veſtros per Chriſtum, ſed cùm culpam, quæ corrigi debuiſſet, invenit, illicò ſe Magiſtrum eſſe recoluit, &c.* Igitur ſecundùm jus divinum, & quamdiù Epiſcopi volunt de ſe humiliter, ut par eſt miniſtros Chriſti, ſentire, æquales ſunt poteſtate; at ubi aliquid emendandum occurrit, tum in ſeſe invicem jus habent admonitionis & correctionis in Synodo, ex quinto Canone Concilii Nicæni. Deindè Epiſcopus Romanus ratione Primatûs, univerſos Chriſtianos ad juris divini, naturalis & Canonici obſervationem cogere poteſt, de qua re aliàs. Jam de ſententia Gregorii videamus. Cùm enim ejus ſæculo cæteri Patriarchæ plenariè & in ſolidum ſuas gubernarent Eccleſias, ſicut Romanus Patriarcha ſuam regebat, nec alter in alterius fines falcem injicere auderet, ut lectione ſexti Canonis Nicænæ Synodi patet, ex eo colligimus nullum Epiſcopum aut Patriarcham potuiſſe appellari Univerſalem ſecundùm Canones; Canones autem numquàm juri divino derogant, & ſi derogarent, non regulæ, ſed corruptelæ haberentur. Quo igitur jure *Papa habet auctoritatem immediatam & plenam in qualicunque Eccleſia*, ut Turrecremata atque alii ex S. Thoma perſuadere nituntur? vel quâ ratione *Ordinarius Ordinariorum dici poteſt*, cùm hoc juri divino & Canonico planè repugnet? Id autem ex falſo manat principio, nimirùm Papam eſſe abſolutum Eccleſiæ Monarcham.

LXII. Vallius lib. de ſuprema poteſtate parte 1. quæſt. 7. poſt medium aſſerit, *Nomen Patriarchæ univerſalis proprium eſſe quarto modo Pontifici, quatenùs, remanentibus aliis partibus Eccleſiæ integris, ipſe cæteris ſupereminet, & in eas pro directione & regimine influit. Nam (inquit) cura univerſalis gregis ei ex commiſſione & inſtitutione Chriſti incumbit.* Hocque ſenſu nomen univerſalis Epiſcopi uſurpatum eſſe putat à Sixto I. Papa Martyre, & à Victore, quem Tertullianus vocat Epiſcopum Epiſcoporum, & à Leone I. epiſt. 54. ad Martianum ſubjungit *nomen univerſalis non ita uſurpandum, quaſi reliqui totius orbis Epiſcopi ſint Romani Pontificis Vicarii, aut ad nutum ejus ſuas Ec-*

Digitized by Google

cleſias regant, hoc enim ſenſu nomen univerſalis Epiſcopi nulli nequidem Pontifici convenit, quippè cùm non obſtante illius in univerſam Eccleſiam poteſtate, alii Epiſcopi ſemper ſint Optimates, & in ſolidum ſuas Eccleſias teneant; & nomen univerſalis hoc ſenſu uſurpatum carpit D. Gregorius tanquàm faſtum & ſuperbiam præ ſe ferens : hæc ille. Undè liquet quantùm adverſarii ſint diſtricti in vindicandis titulis imaginariis, quæ Romano Pontifici contra Canones arrogare volunt. Primùm, quòd Redargutor oſtendit, *Papam in Eccleſias pro regimine & directione influere, &c. fallit æquivocatione vocis influere*, quoniam influxus uni & ſoli Chriſto capiti eſſentiali competit, ut diſputatum eſt axiomate xv. apologiæ noſtræ. Quòd ſi Vallius per influxum, miniſterium externum intelligat, ei concedimus hoc modo, id eſt, impropriè & æquivocè, Papam influere : & quando Eccleſiæ regimen eſt Ariſtocraticum, cæteros etiam Epiſcopos ſuo modo poſſe in Papam influere, eumque errantem corrigere, juxta diſciplinam quinto Canone Nicæno præſcriptam, & factum B. Pauli erga B. Petrum Galat. 2. Præterea, quòd Vallius memorat Sixtum I. P. P. & Martyrem nomen Epiſcopi univerſalis uſurpâſſe : ei repono epiſtolam, quæ Sixto tribuitur, non eſſe Sixti; aliàs enim oſtendetur epiſtolas, quæ Pontificibus tribuuntur antè Synodum Nicænam, eſſe adulterinas. Procul dubio hæc epiſtola utitur verſione communi Bibliorum, quam omnes Hieronymo adſcribunt, qui centum circiter annis poſt Sixtum vixit. Tertiò, Tertullianus quidem Victorem P. P. Epiſcopum Epiſcoporum nominat, ſed fallitur Vallius, dum putat Tertullianum verba hæc ex Victoris P. P. edicto contra Montaniſtas referre; eſt enim inventum Tertulliani iratiſſimi contra Victorem & Romanam Eccleſiam, quia Montaniſtas damnârat : ille enim librum de pudicitia ſcripſit, cùm eſſet hæreſi Montaniſtarum inquinatus, utque perſuaderet injuriâ & per ſuperbiam Montaniſtas damnari, ideò Victorem Epiſcopum Epiſcoporum quaſi faſtuosè indigetat. Quartò, fateor Leonem Magnum primum omnium hoc uſum vocabulo, quod S. Gregorius velut profanum & ſcandaloſum damnat. Sed adnecto facta dictaque Pontificum in ſuâ cauſa, ad normam Legis divinæ, naturalis & Canonicæ examinari oportere; & quamquàm B. Leo hoc nomen uſurpârit, tamen ejus Succeſſores hoc titulo jure uti noluiſſe, ut patet ex Pelagio & Gregorio Magno, atque aliis ejuſdem Succeſſoribus.

LXIII. Quòd ſi quiſpiam objiciat, ex mente D. Gregorii nullo modo cuiquam licere ſibi Epiſcopi univerſalis nomen adſcribere, Reſpondebis ita quidem eſſe ad ſenſum quem damnat Gregorius, quaſi Papa abſolutus eſſet infallibilis Monarcha Eccleſiæ; *hoc enim eſt elatione pompatici ſermonis univerſa Chriſti membra ſibi velle ſubjugare*, ut vir ſanctiſſimus loquitur. Id autem quis non videt fieri, dato quòd omnes Epiſcopi ſuam juriſdictionem à Papa, non ab Eccleſia derivent, ut adulatores hodierni perſuadere conantur? At verò dum Patres Conſtantienſes decernunt Papam habere poteſtatem ſuper Eccleſias particulares, & tamen judicio directivo & coactivo Concilii Generalis ſubjici; liquidò demonſtrat quâ ratione poſſit canonicè dici & haberi univerſalis Epiſcopus, nimirùm ut jus divinum, naturale & Canonicum erga omnes particulares Eccleſias mandet exequutioni : atque, ſi res poſtulat, Canones aut leges condat in actu primo, hâc enim ratione jus commune & regimen Ariſtocraticum ſartum-tectum ſemper retinetur, atque abſoluta Monar-

Digitized by Google

chia profligatur. Porrò quod S. Gregorius ſupra dixit, *Paulum*, *Andræam*, *Joannem*, *&c. eſſe ſingularium plebium capita*, *& Petrum primum membrum ſanctæ univerſalis Eccleſiæ*, in eam partem capitur à Baronio, ut indè ſuam Monarchiam figere annitatur; quære de illo loco infra lib. 3. necnon etiam quid ſit Papam eſſe caput fidei.

LXIV. Neque hîc eſt premendum ſilentio S. Gregorium homiliâ 26. in Evangelia, quam Gratianus conjicit in ſuam collectionem xi. quæſt. 3. can. ipſe ligandi, explicatè docere, Eccleſiaſticam poteſtatem miniſterialem eſſe, non abſolutam aut purè monarchicam. Sæpè (inquit) *in ligandis ac ſolvendis ſubditis Paſtor ſuæ voluntatis motus, non autem cauſarum merita ſequitur, undè fit ut ipſe hâc ligandi & ſolvendi poteſtate ſe privet, qui hanc pro ſuis voluntatibus exercet; unde rectè per Prophetam dicitur, Ezechielis 13. Mortificabant animas quæ non moriuntur, & vivificabant animas quæ non vivunt.* His agglutinandus Canon *admonendi ex eodem Gregorio eâdem cauſâ xi. quæſt. 7. Admonendi ſunt ſubditi, ne plus quàm expedit ſint ſubditi, ne cùm ſtudent plus quàm neceſſe eſt hominibus ſubjici, compellantur vitia eorum venerari.* Quas præceptiones nemo cum cæca aut deſpotica obedientia recentiorum maritare poteſt, qui quidem homines inſtar baculi aut rei ſenſus expertis, à ſuis Prælatis regi atque moneri debere perhibent. Sanè omnia imperata juri divino & naturali debent concordare, alioqui pro injuſtis habenda ſunt. Hic fortè opponet aliquis, Severum Sulpitium in dialogis de *virtutibus Monachorum Orientalium referre Monachis ejuſmodi ſummum jus eſſe; ſub Abbatis imperio vivere, nihil arbitrio ſuo agere, per omnia ad nutum illius poteſtatemque pendere, ac præcipuam ibi virtutem & primam eſſe obedientiam, & Abbatem quemdam cuidam Monacho initiando præcepiſſe ut ſeſe in fornacem ignis ardentis dederet præcipitem, idque Monachum feciſſe, atque obedientiam ſuperâſſe naturam ignis.* Item alii Monacho imperaviſſe, *ut virgulam aridam tamdiu irrigaret, quoad vireſceret, & virgulam poſt tertium annum floruiſſe*: atque alia ejuſmodi. Reſpondeo aliud eſſe genus obedientiæ illorum, qui ſe voto alicui præpoſito obſtrinxerunt, & Chriſtianorum erga Papam aut Prælatos ſuos. Secundò, genus vitæ Monachorum, de quibus agit Sulpitius, eorumque geſta prorsùs miraculoſa & angelica, ac privato impulſu & monitu Dei facta eſſe: & continuo indè regulam conſtitui non poſſe, niſi ab illis qui hoc vitæ genus imitarentur. A quo quidem longiſſimè illi aberrant, qui tantoperè cæcam obedientiam indè inculcant. Nam Monachi Thebaïdis non quæ ſua ſunt, ſed quæ Chriſti unicè quærebant. At hodierni cæcæ obedientiæ inculcatores eam commendant atque inculcant omnibus, ut ſuum mundanum dominatum ſuper Chriſtianos altiùs & faciliùs erigant, nemoque ad eorum politica myſteria attendere audeat. Eamque ob cauſam non modò cæcos, ſed & elingues nos facere conantur; idque in tanta luce meridiana qui non vident, planè cæci ſunt. Certè Benedictus Arrias Montanus vir doctiſſimus & piiſſimus, primo crepuſculo quo ejuſmodi Myſteria micare cœperunt, illa quidem apprimè cognovit, & ita detexit in diſputatione *de varia Hebraïcorum librorum lectione*, quam præmiſit verſioni Bibliorum Xantis Paguini. *Horum autem* (inquit) *nos vel artes fallunt, nec gregem prodere, aut cognomen indicare juvat. Utuntur quidem illi magno & incredibili ad ſuas agendas res myſterio: ſed quod facilè iis, qui ſimpliciùs apertiùſque agere volunt, pelluceat,*

Digitized by Google

quod non poſt multos annos tandem aperiendum eſt virtute illius, qui illuſtrabit abſcondita cordis & occulta tenebrarum, tunc laus erit unicuique ſecundùm opera ſua.

LXV. Sed ad rem revertamur. Cùm vir Ornatiſſimus Vigorius locum de poteſtate miniſteriali Eccleſiæ tractaret, diceretque Regem habere poteſtatem abſolutam vitæ & necis in ſubditos, Papam verò nequaquàm poteſtate abſolutâ vitæ & necis ſpiritualis in Chriſtianos pollere, Vallius lib. de ſupremâ poteſtate Papæ parte 1. quæſt. 2. versùs finem, magnas inde turbas contra Vigorium concitavit, *tanquàm regibus injurioſum, & veræ ac perfectioris monarchiæ hoſtem, quique Reges heriliter ſubditis imperare, ac dominari, & vitæ ac necis poteſtatem in ſubditos habere auſus ſit affirmare.* Sed illudit aut illuditur, nec ad diſcrimen aut naturam utriuſque poteſtatis attendit: duobus enim modis utraque conſiderari debet: nimirum & in ordine ad Deum & in ordine ad populum: priori modo utraque exerceri debet conformiter ad jus divinum & naturale, ut vim, robur & meritum ſuum ſortiatur apud Deum, quam in rem lege III. & V. axioma apologiæ noſtræ, cum obſervationibus: at poſteriori modo longè diſpar eſt ratio politicæ & Eccleſiaſticæ poteſtatis. Siquidem Princeps politicus, quoniam temporalibus & corporibus imperat, vimque externam cohibet, & ſontes atque inſontes revera exilio & vitâ multare poteſt, ideoque abſolutum vitæ & necis in homines imperium habere dicitur, quia in vitæ civilis commercio utplurimùm ſubitanei ac repentini motus excitantur, quibus eſt omninò impoſſibile mederi abſque poteſtate abſoluta, ſecus autem res ſe habet in poteſtate Eccleſiaſtica; cùm enim ejus finis ſit communio ſanctorum in vitam æternam, & animas hominum habeat pro ſubjecto & materia, animæ autem ab interno principio dumtaxat moveantur, non abſoluto & purè monarchico imperio cogantur, relinquitur neceſſariò, neque Papam, neque Eccleſiam poſſe ullum Chriſtianum communione vel ſocietate Eccleſiaſticâ abſoluto imperio donare, aut privare: quia poteſtas Eccleſiaſtica purè miniſterialis eſt, omni dominatu & abſoluto imperio expers. Vide axioma XIV. apologiæ noſtræ.

LXVI. Sed redeo ad S. Gregorium lib. 3. epiſt. 33. ad Reginam Longobardorum; *in vera fide perſiſtite*, ait, & vitam veſtram *in petra Eccleſiæ, hoc eſt, in confeſſione B. Petri Apoſtolorum Principis ſolidate.* Item lib. 28. cap. 6. exponens caput 38. Job. *Cùm in ſacro eloquio non fundamenta, ſed ſingulari numero fundamentum dicitur, nullus alius niſi ipſe Dominus deſignatur, per cujus divinitatis potentiam nutantia infirmitatis noſtra corda ſolidantur. De quo & Paulus ait, fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter id quod poſitum eſt, Chriſtus Jeſus ipſe quippe fundamentum fundamentorum eſt, quia & origo eſt inchoantium, & conſtantia robuſtorum.* Hîc obſervas confeſſionem à Petro editam, eſſe petram & fundamentum genuinum Eccleſiæ.

LXVII. Iſidorus Hiſpalenſis lib. 7. originum cap. de Apoſtolis eadem prorſus narrat, quæ ſuprà ex Auguſtino excerpſimus. *Petrus à petra nomen accepit, hoc eſt, à Chriſto (inquit) ſuper quem fundata eſt Eccleſia; non enim à Petro petra, ſed Petrus à petra nomen ſortitus eſt: ſicut non Chriſtus à Chriſtiano, ſed Chriſtianus à Chriſto; ideòque ait Dominus, tu es Petrus & ſuper hanc petram, &c. quia dixerat Petrus, tu es Chriſtus filius Dei vivi. Deinde Dominus, ſuper hanc petram quam confeſſus es, ædificabo Eccleſiam meam; petra enim erat Chriſtus, ſuper quod fundamentum etiam ipſe ædificatus eſt Petrus,*

Digitized by Google

Cephas dicitur, eo quòd in capite ſit conſtitutus Apoſtolorum, κεφαλὴ enim Græcè caput dicitur, & ipſum nomen in Petro Syrum eſt. Hæc Iſidorus. Verùm Cephas nomen eſt Syriacum non Græcum, ac petram aut ſaxum ſignificat, ut eſt auctor Hieronymus 2. ad Galathas.

Beda commentariis in cap. 16. Mathæi : *Metaphoricè Petro dicitur, ſuper hanc petram, id eſt ſalvatorem, quem confeſſus es, ædificatur Eccleſia, qui fideli confeſſori ſui nominis participium donavit.* Et aliquantò poſt ad hæc verba, *quodcumque ligaveris, &c. hæc poteſtas ſine dubio cunctis datur Apoſtolis, quibus ab eo poſt reſurrectionem dicitur generaliter, accipite Spiritum ſanctum; necnon Epiſcopis & Presbyteris, & omni Eccleſiæ idem officium committitur.* Item cap. 18. in Mathæum ad hæc verba, *quæcumque alligaveritis, &c. poteſtatem tribuit Apoſtolis, ut ſciant qui à talibus condemnantur, humanam ſententiam divinâ roborari.* Prætereà commentariis in cap. 21. Joannis verbum de verbo ea refert, quæ ſuprà ex tractatu 124. Auguſtini in Joannem exſcripſi. Deindè homiliâ in Vigilia S. Andrææ explicans hunc textum “ Tu vocaberis Cephas; “
vocatur autem Petrus ob firmitatem fidei, vocatur Petrus ob invincibile robur “
mentis : vocatur Petrus, quia illi ſolidiſſimæ petræ, de qua Apoſtolus ait, Petra “
autem erat Chriſtus, unicâ devotione adhæſit; hinc eſt enim quòd eadem Petra, “
videlicet Chriſtus, cum interrogaret diſcipulos ſuos quem eum dicerent eſſe, ac “
Petrus reſponderet dicens, tu es Chriſtus filius Dei vivi, continuò puram ejus “
confeſſionem, juxta utriuſque nominis ſignificantiam, dignâ remuneratione donavit, “
&c. Tu es (inquit) Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam; tu “
es Petrus & ſuper hanc petram, à qua tu nomen accepiſti, hoc eſt, ſuper meipſum, “
ædificabo Eccleſiam meam ; ſuper hanc fidei profeſſionem, quam tu confeſſus “
es, ædificabō Eccleſiam meam : à cujus ſocietate confeſſionis quiſque deviaverit, “
quamvis ſibi magna videatur agere, ad ædificium Eccleſiæ meæ non pertinet. “
Petrus igitur à firma Petra, videlicet Chriſto, quem ardenter amavit, nomen ac- “
cepit, &c. ” Hæc Bedæ ſententia clarior eſt, quàm ut Analyſi explicari mereatur. Verùm commentariis in cap. 21. Apocalypſeos in hæc verba, *habens fundamenta duodecim, & ipſis nomina duodecim Apoſtolorum Agni &c. Notandum, ait, fundamenta, cùm pluraliter dicuntur, doctores vel virtutes Eccleſiæ, cùm verò ſingulariter, ipſum ſignificare Dominum, qui eſt fundamentum fundamentorum.* Quæ omnia planè conſentiunt doctrinæ Auguſtini & Gregorii Magni in caput 18. Job. ſuprà laudatum.

Adrianus I. P. P. epiſt. 1. ad Conſtantinum & Irenem Auguſtos, ſtatim poſt initium, *Petro collata ſunt claves regni cælorum, iſto itaque tam præcelſo prælatus honore, promeruit confiteri fidem, ſupra quam fundatur Eccleſia Chriſti : beatam confeſſionem, beatitudo ſequuta eſt præmiorum.* Idem epiſt. 4. ad Præſidentes Eccleſiis Galliciæ & Hiſpaniarum aliquantò poſt exordium. Quid enim “ ſtabilius, quidve clarius & omni reli- “
gione devotius, quàm B. Petri primi Paſtoris Eccleſiæ, felici confeſſione prolatæ “
fidei tenere fundamentum : fundamentum (inquit Magiſter gentium) aliud ne- “
mo poteſt ponere præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Jeſus : hujus “
nimirum fundamenti immobilis ſoliditatem, B. Petrus non carne & ſanguine, “
ſed Patre revelante de cælo, confitendum declaravit; cùm refutatis quorumdam “
opinionibus, quid in diſcipulorum animis fides operaretur cunctorum, cognitor “

Digitized by Google

„ exploraret, ſolus pro ſe & pro omnibus & pro unitate teſtimonium fidei perhibuit,„ dicens : Tu es Chriſtus filius Dei vivi, qui mox confeſſionis præmium nullâ interveniente morâ adeptus, & cæli janitor, & ligandi ſolvendique arbiter factus eſt animarum, ſtatimque Dominus, & ego dico tibi, quia tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, ſuper hanc (inquit) petram, quam confeſſus es, & aquâ vocabuli, ſortitus es dignitatem, ſuper hanc ſoliditatem fidei Eccleſiam meam ædificabo; & idcircò portæ inferi, id eſt hæretici, non prævalebunt adverſùs eam, &c. O quàm benè fidei ejus immobiliter perſiſtente muro, omnium hæreticorum fluxa ſunt machinamenta deſtructa ! Num quidnam dixit Petrus, tu es Chriſtus, qui propter nos factus es filius hominis & per adoptionem factus es filius Dei? abſit hoc, nec Petrus confeſſus eſt, nec ſancta Eccleſia ſuper firmam fundata petram, id eſt fidei fundamentum, quod Chriſtus eſt, confitetur : quam Chriſtus protegit & defendit : & Petrus Chriſti auxilio fultus gubernat; ſed unâ voce cum Petro Chriſtum Dei Filium confitetur : quia unus eſt Chriſtus Dei hominiſque Filius, non per gratiam adoptionis, ſed propriâ filii dignitate.

Quæ Adriani P. P. doctrina clara & omnibus antiquis Patribus communis eſt, quatuorque potiſſimùm docet. Primò, Chriſtum eſſe petram & fundamentum eſſentiale, in quod Eccleſia ædificatur cap. 3. prioris ad Corinthios, *nemo poteſt aliud fundamentum ponere præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus, &c.* Secundò, unum Petrum pro ſe & pro omnibus hanc fidem profeſſum, *tu es Chriſtus filius Dei vivi*; ex quo habemus eſſe totius Eccleſiæ, non unius Petri fidem. Tertiò, confeſſionem hanc eſſe petram & fundamentum, ſuper quod ſecundariò ædificatur Eccleſia, *ſuper hanc petram, ait, quam confeſſus es, &c.* Quartò, Petrum hoc nomen ſortitum ob firmitatem & ſoliditatem æternam hujus confeſſionis, contra quam portæ inferi, id eſt hæretici, non prævalebunt, &c. Reliqua ex ſe ſatis perſpicua ſunt.

Nicolaus I. P. P. epiſtolâ 2. ad Imperatorem Michaëlem initio. *Petrus denique à firmitate petræ, quæ Chriſtus eſt, ſtructuram univerſalis Eccleſiæ inconcuſſam & Fidei robore ſolidatam, ita precibus ſuis munire non ceſſat.* Item epiſtolâ 6. in principio. *Deus verus homo ligandi atque ſolvendi in cælo & in terra poteſtatem tribuit B. Petro, & januas regni cæleſtis reſerandas conceſſit, ſupra ſoliditatem fidei ſuam ſanctam dignatus eſt ſtabilire Eccleſiam, &c.* His concordat ordo Romanus in collecta pervigilii Feſti S. S. Apoſtolorum Petri & Pauli die 27. Julii : *Præſta quæſumus, omnipotens Deus, ut nullis nos permittas perturbationibus concuti, quos in Apoſtolicâ confeſſionis petra ſolidâſti, &c.* Ubi vides confeſſionem de Chriſto Petra, appellari fundamentum, in quod ſolidantur atque ædificantur Fideles ſeu Eccleſia.

Verùm locus eſt percelebris de poteſtate miniſteriali clavium in Epiſtola Niconis ad Encliſtium, quæ legitur ſub finem nomo-canonis Photii in hæc verba : *Vide* (inquit) *quid facis, ô Sacerdos, quæ inferiùs ligas, ea eſſe ſuperiùs in rationes referenda exiſtima; non eſt à ratione reddenda liberum vinculum; ſi injuſtè ligaveris, in judicio Angelorum oſtenſurus es, nam irâ & animi perturbatione vinculum intuleris; num ut teipſum ulciſceris. Deus enim eum, qui injuſtè alligatus eſt, defendit, & ulciſcitur; qui itaque Dei gregrem ſincerè paſcit, os Dei vocatus eſt; dicit enim, ſi quod eſt pretioſum, ab eo quod eſt nullius pretii, ſeparaveris, eris ut os meum.*

LXVIII. Quod

Digitized by Google

LXVIII. Quoad praxim regiminis Ariſtocratici Eccleſiæ, ſine ulla aut cum exigua offenſione per octingentos ampliùs annos continuatam, Lector eam ex hiſtoria Conciliorum Generalium repetet: & quoniam ſupra mentionem fecimus quatuor primorum, Nicæni videlicèt, Conſtantinopolitani, Epheſini & Chalcedonenſis Conciliorum; adeat geſta quintæ, ſextæ, ſeptimæ & Octavæ Synodi univerſalis, lib. 1. Hiſtoriæ noſtræ Conciliorum Generalium. Hoc autem erit exitus Capitis quarti hujus libri, quo felicia Eccleſiæ tempora continentur, in quibus jus commune & Canonica Eccleſiæ libertas viguit, eſtque partim Generalibus, partim Provincialibus Synodis liberrimè definita & conſtituta, quia tunc nomen Monarchiæ nondum in Eccleſia introductum fuerat.

Digitized by Google

CAPUT QUINTUM.

I. De Catholico Patrum & Doctorum conſenſu ab anno milleſimo poſt Chriſtum incarnatum ad hodierna tempora, & Theophilactum perhibere confeſſionem Petri eſſe fundamentum credentium, ejuſque claves omnibus datas Apoſtolis à Chriſto.

II. Omnes Apoſtolos immediatè factos Epiſcopos à Domino, & de commento Turrecrematæ perſuadere valentis ſolum Petrum ordinatum Epiſcopum à Chriſto, deindè Petrum alios Apoſtolos conſecraſſe Epiſcopos.

III. Donum clavium etiam fuiſſe cæterorum Apoſtolorum, teſte Eutymio.

IV. Anſelmus Cantuarienſis Epiſcopus magnâ parte ſequitur Auguſtinum, docetque cæteros Apoſtolos exarſiſſe etiam deſiderio reſpondendi ad interrogationem Domini: ſed unum Petrum confeſſionem edidiſſe pro omnibus, ut oſtenderetur claves extra unitatem debito uſu carere.

V. Tria eſſe neceſſaria ad uſum canonicum clavium, poteſtatem diſcernendi per ſcientiam, quam ſoli docti & prudentes habent, auctoritatem decernendi & definiendi poteſtativè; quæ ſolis ineſt prælatis, & ut hæc omnia fiant in Eccleſiæ unitate atque in finem unitatis.

VI. Gratianus aſſerit claves omnibus Apoſtolis in commune datas, & Petrum pro omnibus & præ omnibus eas accepiſſe, illoſque qui ab unitate ſunt alieni, poſſe quidem execrari, non conſecrare: gloſſâ de ſolo Chriſto hæc verba interpretatur. Et ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.

VII. S. Bernardum docere Dominium & Miniſterium tanquàm contraria inter ſeſe opponi: atque ſolam poteſtatem miniſterialem ſpiritualem Eccleſiæ relictam à Chriſto, conſequenterque abſolutam damnare monarchiam.

VIII. Magiſter ſententiarum & Innocentius III. P. P. explicatè oſtendunt, claves conceſſas omnibus Apoſtolis, & Epiſcopis illorum ſucceſſoribus.

IX. Gloſſa ordinaria interlinearis & Lyranus, magnâ parte Auguſtini & Anſelmi ſententiam exſcribunt.

X. S. Thomas Aquinas in caput. 2. ad Epheſios duplex eſſe fundamentum Eccleſiæ aſſerit, primarium & eſſentiale, Chriſtum Lapidem angula-

Digitized by Google

larem; ſecundarium & à primo dependens, omnes Apoſtolos vel doctrinam Evangelicam, quam prædicabant Apoſtoli: quarè ſi Petrus ſumatur pro petrâ & fundamento Eccleſiæ, ſemper reduplicativè de Chriſto primo fundamento capi debet.

XI. Idem Thomas in catenâ perhibet in Petro datam omnibus Apoſtolis, necnon Epiſcopis atque Presbyteris poteſtatem clavium.

XII. Magiſter Joannes de Pariſiis nominatim ait, omnes Apoſtolos & honore & poteſtate æquales; ac immediatè ſuam auctoritatem derivare à Chriſto; atque Epiſcopos jure divino naturali tantùm habere poteſtatis in ſua Diœceſi, quantùm Papam ſuper omnes Eccleſias ubique diſperſas, & ſimplices Presbyteros ex hoc Chriſti oraculo, dic Eccleſiæ, &c. *perfectam obtinere poteſtatem hierarchiſandi & corrigendi in foro exteriori, poteſtatem verò Eccleſiaſticam eſſe dumtaxat miniſterialem non abſolutam.*

XIII. Durandus à S. Portiano contendit omnes Presbyteros ex vi ordinis habere poteſtatem utendi clavibus, aut juriſdictione neceſſariâ ad ligandum & ſolvendum, eoque jure divino uti poſſe, in quemlibet, ſed jure Eccleſiaſtico hanc vagam & habitualem poteſtatem redigi ad certas parochias & Diœceſes. Item Joan. 20. datas omnibus claves in commune, & Petrum eas pro omnibus accepiſſe, & fidem edidiſſe.

XIV. In primo Concilio Piſano ſecundùm omnes cauſas eſſentiales poteſtatis Eccleſiaſticæ, declarari Eccleſiam eſſe ſupra Papam: & de cenſurâ ſcholæ Pariſienſis contra fratrem Joannem de Porello.

XV. Conſtantienſi & Baſileenſi Concilio definiri, Eccleſiam immediatè habere auctoritatem à Chriſto, & Concilium generale legitimè congregatum, propriè Eccleſiam Catholicam repræſentare, eique Papam in certis caſibus directivè & coactivè ſubeſſe.

XVI. Octo propoſitionibus cenſuræ adversùs Joannem Sarrazin Dominicanum, demonſtratur, quænam ſit ſcholæ Pariſienſis doctrina de clavium, Papæ, Epiſcoporum, atque Presbyterorum auctoritate conformiter ad ſententiam Patrum Eccleſiæ primitivæ.

XVII. Cardinali Alliaceno Epiſcopi & Presbyteri immediatè auctoritatem ſuam hauriunt à Chriſto; atque poteſtas Eccleſiaſtica ſicut & bona Eccleſiis collata per dominium & proprietatem communitati, non privatis aut ſingularibus hominibus credita eſt; ex quo inſurgit poteſtatem Eccleſiaſticam multò eſſe eminentiùs in Eccleſia collectivè ſumpta, quàm in Papa. Vide numerum 26. infra.

XVIII. Cardinalis Turrecrematæ futiles argutiæ contra Alliacenum propulſantur.

XIX. Eccleſiam internè, eſſentialiter & abſolutè Chriſto ſubordinari:

Digitized by Google

Papam autem ſecundùm quid externè, accidentario & miniſterialiter tantùm.

XX. Gerſonio Chriſtus ſupremum Eccleſiæ tribunal Math. 18. his verbis, dic Eccleſiæ, *erexit, cui quidem Papam quoad directionem & correctionem ſubmiſit, priùſque atque immediatiùs Eccleſiæ quàm Petro, unitati quàm uni, claves contulit. Quarè plenitudo poteſtatis intenſivè & extenſivè major eſt in Eccleſia quàm in Papa.*

XXI. Poteſtatem Eccleſiaſticam radicaliter fundari in poteſtate ordinis Sacerdotalis, quoniam ineſt Sacerdotio Chriſti, tanquàm cauſæ efficienti phyſicæ: ſiquidem neceſſariò poteſtas ſequitur Sacerdotium, unde translato Sacerdotio, fit quoque legis tranſlatio.

XXII. Si aliquis non Sacerdos deligatur in Papam, quamvis ex electione aliquid videatur habere juriſdictionis, tamen antequàm fuerit Sacerdos & Epiſcopus, non habet plenitudinem Eccleſiaſticæ poteſtatis, tàm ordinis, quàm juriſdictionis.

XXIII. Idem penitùs eſſe, uti clavibus in ædificationem, & eas in finem unitatis impendere; Eccleſiam verò illas multò eminentiùs atque ampliùs poſſidere; quàm Papam: cùm eas non modò conferat, verùm etiam eidem & collegio Cardinalium (quod datum eſt Pontifici pro conſilio ariſtocratico) medium virtutis ideò præſcribat, quod nulli errori ſit obnoxia, quapropter reſolutionem omnium dubiorum & controverſiarum debere fieri in Concilio generali, in quo eſt infallibilis ſapientia.

XXIV. Curatos jure divino ex ſtatu ordinario, pollere auctoritate actus hierarchicos primariò & eſſentialiter obeundi: & Eccleſiam claves radicaliter poſſidere; Papam verò quoad exequutionem & exercitium.

XXV. Quiſnam ſit ſenſus horum verborum Gerſonii, poteſtatem Eccleſiaſticam eſſe in Papa tanquàm in fonte, & fontalem habere poteſtatem, ac de Thomæ Valdenſis ſententia.

XXVI. Toſtato Abulenſi Epiſcopo poteſtas Eccleſiaſtica habitu, originaliter, virtualiter, radicaliter & per proprietatem, ineſt Eccleſiæ collectim ſumptæ, Prælatis verò ſingularibus, ut eam ab Eccleſiæ communitate derivent, & miniſterialiter exerceant, atque diſpenſent, quarè hi claves tantummodò poſſident quoad uſum, miniſterium & exercitium.

XXVII. Petrum & alios Apoſtolos non ſpeciatim & privato, ſed totius Eccleſiæ nomine claves poſſidere, exercere & diſpenſare, eamque ob cauſam, ſingulares Prælatos non poſſe ſibi canonicè ſucceſſores deligere, quia hoc ad totam Eccleſiam, cujus ſunt claves, pertinet.

XXVIII. Claves ideò numquàm poſſe in Eccleſia deficere, quia hæc illas originaliter & radicaliter poſſidet.

XXIX. Sede Epiſcopali vacante totam juriſdictionem Epiſcopalem reſidere in capitulo, quod illam confert Epiſcopo quem deligit.

Digitized by Google

XXX. Cardinales nomine totius Eccleſiæ cooptare Papam, eique actu & reverà claves aut juriſdictionem conferre, ſi modo canonicè illum deligant; aliàs, non.

XXXI. Chriſtum ideò voluiſſe fidem toti Eccleſiæ communem ab uno Petro profiteri, quod unitatem fidei commendaret, & quæ promittuntur Petro, omnibus Apoſtolis eſſe communia.

XXXII. Quâ notione caput, petra & fundamentum Eccleſiæ appelletur; & quidnam ſit ædificare Eccleſiam. Item de duplici fide Petri, quarum una in paſſione Chriſti defecit, altera verò nunquam deliquium paſſa eſt, neque patietur.

XXXIII. Toſtatus perhibet claves aut juriſdictionem Eccleſiaſticam, habitu & in actu ſignato, unà cum ordine conferri; exercitium verò aut juriſdictionem actualem, quando datur materia Presbytero.

XXXIV. De variis acceptationibus hujus formulæ, dic Eccleſiæ, *& peccatum Papæ denunciari oportere univerſali, non particulari Eccleſiæ.*

XXXV. Quomodò juriſdictio Eccleſiaſtica conferatur, & Papam formaliter & materialiter illam à totâ Eccleſiâ Catholicâ, id eſt à clero & populo accipere.

XXXVI. *Chriſtum hâc voce,* dic Eccleſiæ, *erexiſſe univerſale Concilium tanquàm ſupremum Eccleſiæ tribunal, cui Papa jure divino ſubjectus eſt.*

XXXVII. *Cardinali Cuſano Sacerdotium Chriſti eſt tanquàm anima Eccleſiæ, eandem Eccleſiam informans, vivificans & propagans, totum quidem in toto ordine hierarchico, & totum in quolibet Presbytero atque Epiſcopo formaliter, intenſivè & quoad habitum. Verumtamen extenſivè, materialiter, quoad exercitium, adminiſtrationem & exequutionem differt in Papa, Epiſcopis & Presbyteris, & undenam hæc differentia oriatur, & quomodò Papæ, Epiſcopis atque Presbyteris differenter conferatur juriſdictio.*

XXXVIII. *Cenſura ſcholæ Pariſienſis quâ jus commune vindicatur contra articulos fratris Joannis Angeli Franciſcani.*

XXXIX. *Contumelioſa Suaris in ſcholam Pariſienſem accuſatio depellitur.*

XL. *Schola Pariſienſis Vallii opinionem ſcandali, blaſphemiæ & hæreſeos damnat, quâ perhibet Papam totum jus Canonicum vel partem juris Canonici abrogare.*

XLI. *Teſte Almaïno claves datæ ſunt Eccleſiæ in commune Math.* 18. Dic Eccleſiæ, &c. *hicque Eccleſia non ſignificat aliquod ſuppoſitum ſingulare aut individuum, ſed ſuppoſitum juris, cui non tantùm finaliter, ſed reverà formaliter atque efficienter claves priùs & immediatiùs datæ ſunt quàm ulli ſuppoſito ſingulari.*

XLII. *Addit Papam obligari ad præceptum confitendi peccata die S. Paſchæ, atque omnes Sacerdotes vi ordinationis & conſecrationis ſuæ præditos eſſe poteſtate abſolvendi quēlibet, idem quoque ſentit Joannes major cum Almaïno.*

Digitized by Google

XLIII. Schola Pariſienſis in articulis contra Lutherum qui à ſingulis Baccalaureus obſignantur, definit Eccleſiam immediatè ſuam colligere auctoritatem à Chriſto, & Concilium generale legitimè congregatum univerſalem Eccleſiam repræſentare, atque in fidei & morum determinatione nullo modo errare poſſe.

XLIV. Joannes Echius tenet cum Auguſtino claves unitati, non uni datas, & Petrum, quando illas accepit, perſonam Eccleſiæ ſuſtinuiſſe, ſicut Imperator gerit perſonam Germaniæ.

XLV. Franciſcus à victoria Dominicanus perhibet omnes Apoſtolos honoris & poteſtatis plenitudine æquales fuiſſe, & ob eam cauſam gloſſatorem juris Canonici reprehendit, quòd textum Cypriani ad ſolam ordinis & conſecrationis dignitatem detorſerit, unde efficit Apoſtolos potuiſſe ubique locorum & gentium conſtituere Epiſcopos, qui non eſſent habituri ſuam poteſtatem à Petro aut à Papa, atque omnes Epiſcopos pollere auctoritate condendi leges pro regimine ſuæ Provinciæ. Concilium in fide atque moribus errare non poſſe, quam in rem hunc textum laudat. Ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua. *Attexit Concilium generale poſſe congregari ſine Papa & contra Papam: & etiam Patres congregatos poſſe decretum irritans ad coërcendam poteſtatem Papæ condere, & Papam ejuſmodi decretum tranſgredi non poſſe abſque peccato.*

XLVI. Periculoſa quidem Victoriani opinio, dum tempora naſcentis & fundandæ Eccleſiæ, non diſtinguit à temporibus Eccleſiæ jam fundatæ, putatque unumquemque Epiſcopum ſibi poſſe legitimè ſucceſſorem cooptare, & quando & quo in caſu licitum ſit.

XLVII. Joannes Vignerius Dominicanus aſſerit fidem particularem Papæ poſſe deficere; Eccleſiam verò eſſe infallibilem; conformiter ad hanc vocem Chriſti, ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua, *& Concilium eſſe ſupra Papam.*

XLVIII. Alphonſus Caſtrenſis Franciſcanus docet unà cum ordine ſacerdotali & Epiſcopali juriſdictionem formaliter & quoad habitum conferri.

XLIX. Juriſdictionem Eccleſiaſticam duobus modis poſſe conſiderari activè nimirum & paſſivè, formaliter & materialiter, in actu ſignato & exercito.

L. Judicium interpretandi ſcripturas & definiendi controverſias, eſſe penes Eccleſiam Catholicam, & Concilium generale Eccleſiam repræſentans.

LI. Apud Navarrum cum poteſtate ordinis, etiam habitu & formaliter confertur poteſtas juriſdictionis, & ſuprema poteſtas Eccleſiaſtica, his verbis inſtituitur à Domino, dic Eccleſiæ, quæcumque alligaveritis.

LII. Navarrum tenuiſſe Concilium eſſe ſupra Papam, contra quam

Digitized by Google

gloſsator quidam Navarri perſuadere vult.

LIII. Guillando & Arboreo confeſſionem fidei à Petro omnium Apoſtolorum nomine editam, eſſe petram atque fundamentum ſuper quod Eccleſia ædificatur; & claves datas toti Eccleſiæ in commune & de genuino ſenſu horum verborum, dic Eccleſiæ.

LIV. Gropperus docet, claves in Petro datas omnibus Apoſtolis & toti Eccleſiæ, atque Iſidorus, Clarius & Pererius, Eccleſiam ædificari ſuper petram Chriſtum & ſoliditatem fidei quam Petrus edidit.

LV. Janſenio Apoſtoli his verbis: ſicut miſit me Pater & ego mitto vos, *pares & Vicarii Chriſti effecti ſunt; idemque docet Toletus.*

LVI. Chriſtus teſtimonio Maldonati ſupremum Eccleſiæ tribunal conſtruxit, Math. 18. dic Eccleſiæ.

LVII. Bellarminus nominatim aſſerit Joan. 20. *eandem planè poteſtatem conferri Apoſtolis quàm quæ Petro promiſſa eſt, Math.* 16. *& collata his verbis. Paſce oves meas. Joannis ultimo.*

LVIII. Gabriel Vaſqueſius tenet Epiſcopos immediatè ſuam juriſdictionem derivare à Chriſto, non à Papa, idemque pariter ſentit Becanus.

LIX. Petrus Ramon Dominicanus Hiſpanus, docet Petrum ratione Primatus ei ad unitatem retinendam conceſſi, dici ſecundarium Eccleſiæ fundamentum poſt Chriſtum, atque omnes Apoſtolos ex æquo habuiſſe claves tanquàm poteſtate & juriſdictione pares, atque locum hunc, ego rogavi pro te Petre, *intelligi non de fide privatâ Petri aut Pontificum, ſed de fide Catholicâ quæ infallibilis eſt, non autem Papa.*

I. QUamquàm ab anno circiter milleſimo poſt Chriſtum natum regimen Ariſtocraticum ſenſim contabuerit, & abſoluta Monarchia cœperit increbreſcere, nihilominùs etiam inter privilegiatos atque homines Curiæ Romanæ addictiſſimos (adeò magnum eſt veritatis privilegium) numquàm Doctores Catholici defuerunt, qui Apoſtolicam doctrinam de poteſtate miniſteriali ſpirituali Eccleſiæ toti Hierarchico ordini individuè & collectim attributa, aſſererent. In hoc autem capite conſenſum Catholicum Eccleſiæ ab anno milleſimo ad ſexcenteſimum atque milleſimum annum, ut ſuprà exhibebimus: Principium ducam à Theophylacto perpetuo Chryſoſtomi imitatore commentariis in caput 16. Mathæi. *Remuneratur Petrum Dominus, mercedem illi dans magnam, quòd ſuper eum ædificavit Eccleſiam. Quia enim confeſſus erat eum Dei filium Petrus, dixit, quòd hæc confeſſio quam confeſſus eſt, fundamentum erit futurum credentium, ita ut omnis homo extructurus fidei domum, hoc jacturus ſit fundamentum. Nam licèt innumeras condamus virtutes, non habeamus autem fundamentum rectam confeſſionem, inutiliter ædificamus.* Item aliquantò poſt. *Habent enim* (Apoſtoli) *poteſtatem remittendi & ligandi, qui ſicut Petrus Epiſcopatus gratiam aſſecuti ſunt: quando? cum dixit, quorumcumque remiſeritis peccata, remittuntur. Etenim tùm dixit: Dabo, futurum tempus ſignat, hoc eſt poſt reſurrectionem.* In his duobus lo-

Digitized by Google

cis Theophylactus tria notanda excurrunt, primò, confeſſionem à Petro editam, eſſe futurum fundamentum, & petram in quam ædificanda erat Eccleſia, ſecundò, omnes Apoſtolos accepiſſe claves à Chriſto, vel poteſtatem ligandi & ſolvendi peccata.

II. Tertiò, omnes etiam ſicut Petrum creatos; immediatè Epiſcopos à Chriſto Joan. 20. quod eſt notandum contra Turrecrematam, qui lib. 2. de Eccleſiâ cap. 32. laborat perſuadere ſolum Petrum immediatè factum Epiſcopum à Domino, cæteros verò Apoſtolos mediante Petro, quod gratis & ridiculè dicitur. Vera autem ſententia eſt, Chriſti Sacerdotio Papalem, Epiſcopalem & Presbyteralem dignitatem ineſſe, atque unà cum ordine conferri formaliter & quoad habitum. Undè B. Thomas, & Judas cum aliis Apoſtolis in cœnâ Domini facti ſunt Epiſcopi per adoptionem Sacerdotii Chriſti; ideòque Actorum 1. Petrus narrationem habet coram totâ Eccleſiâ de aliquo in Judæ locum ſufficiendo. Quod autem narrat Theophylactus Joannis 20. Apoſtolos creatos fuiſſe Epiſcopos, hoc eſt intelligendum ſicut cap. 3. docuimus, videlicet Chriſtum poſt ſuam reſurrectionem omnia Chariſmata & dotes, quas antè dederat aut pollicitus fuerat, confirmaſſe, ut è veſtigio tranſirent in exercitium & actum: Anteà enim dederat poteſtatem Apoſtolis, ſed non actum atque exercitium plenarium, hoc enim ſolummodò obtinuerunt poſt reſurrectionem Domini.

III. Theophylacto Euthymium tanquàm alterum Chryſoſtomi æmulum ſubjiciam, cap. autem 16. in Mathæum, *dabo tibi claves regni cælorum, videlicet* (inquit) *ut ad illud introducas, ſiquidem clavigeri eſt introducere: atqui donum hoc cæterorum etiam fuit Apoſtolorum; ſed primùm huic datum eſt, quia primus hic filium Dei legitimum eſſe Chriſtum faſſus eſt.*

IV. D. Anſelmus Cantuarienſis Archiepiſcopus in cap. 16. Mathæi. " Reſpondens Jeſus. Quamvis eadem voluntas eſſet omnium Apoſtolorum, tamen Petrus pro omnibus reſpondit, tu es Chriſtus filius Dei vivi, &c. deindè tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus, poſſumus dicere hoc nomen tùm ei eſſe promiſſum Joan. 1. modò autem eſſe completum; & ideò tunc dictum eſt tu vocaberis Cephas, modò autem, tu es Petrus ob fortitudinem fidei & tuæ confeſſionis. Petrus dico dictus à me Petra, & ſuper hanc petram, id eſt ſuper me, ædificabo Eccleſiam meam, quaſi dicat, ſic es Petrus à me petra, ut tamen mihi reſervetur fundamenti dignitas, ſed tu cui ego ut amatori & confeſſori meo participium mei nominis dedi, ſuper me fundamentum mundos lapides ordinabis, & reprobos removebis, &c. claves autem regni cælorum, ipſam diſcernendi ſcientiam & potentiam nominat; potentiam quâ liget vel ſolvat, diſcretionem quâ dignos vel indignos diſcernat. Qui enim aliquid indignè ſolvit vel ligat, ut ait Gregorius, propriâ poteſtate ſe privat; ſi ſcientiam diſcernendi habet, nec tamen potentiam ſuſcepit ligandi atque ſolvendi, neminem ligat vel ſolvit; ſi autem poteſtatem accepit, nec tamen benè diſcernit, ſi quem ligat vel ſolvit, quamvis in conſpectu hominum, tamen in conſpectu Dei, qui ligatur immeritò vel ſolvitur, nec ligatus nec ſolutus habetur; & ideò quod ſequitur ita exponendum eſt, quodcumque ligaveris, ſubaudi, his clavibus, id eſt ex potentiâ & diſ-

cretione

Digitized by Google

cretione ſuper terram; erit ligatum & in cælis &c. Notandum eſt; quòd hæc " poteſtas non ſolùm Petro data eſt, ſed ſicut Petrus unus pro omnibus reſpondit, " ſic in Petro omnibus hanc poteſtatem dedit, undè poſt paſſionem dictum eſt, " quorum remiſeritis peccata &c. nec ſolis Apoſtolis, ſed etiam omnibus Epiſcopis " & Presbyteris hæc poteſtas conceſſa eſt. Sed ideò quaſi uni Petro eam conceſſit, " ſpecialiter ut ad unitatem nos invitaret: ideò enim eum Principem Apoſtolo- " rum inſtituit, ut Eccleſia quaſi unum principalem Vicarium Chriſti haberet, ad " quem diverſa Eccleſiæ membra recurrerent, ſi fortè inter ſe diſſentirent; quo- " niam ſi diverſa eſſent capita in Eccleſia, unitatis vinculum rumperetur per diver- " ſa ſchiſmata. „ Hic locus Anſelmi conformis eſt doctrinæ Patrum, & maximè Auguſtini & Bedæ. Primò docet Petrum pro omnibus reſpondiſſe, & ob fortitudinem fidei, quam edidit, petram aut Petrum agnominatum, ſecundò petram ſupra quam ædificatur Eccleſia eſſe Chriſtum ipſum, *& ſuper hanc petram, id eſt, ſuper me ædificabo Eccleſiam meam, quaſi dicat, ſic es Petrus à me petra, ut tamen mihi reſervetur fundamenti dignitas.* Quo igitur ore hæc ſententiæ Calvini propria eſſe criminantur? An Anſelmus cum omnibus Patribus antiquis Calviniſta?

V. Tertiò notat poteſtatem clavium duo dicere, ſcientiam vel poteſtatem diſcernendi, & poteſtatem decernendi aut definiendi, quod alii *Judicium diſcretionis & definitionis appellant*, quorum prius eſt tanquàm dux & regula poſterioris; ita ut poteſtas definiendi nulla & irrita ſit abſque juſta & canonica poteſtate diſcernendi prævia: *Si poteſtatem quis accipit, nec tamen benè diſcernit, ſi quem ligat vel ſolvit, quamvis in conſpectu hominum, tamen in conſpectu Dei, qui ligatur immeritò vel ſolvitur, nec ligatus nec ſolutus habetur. Et ideò quod ſequitur ita exponendum eſt, quodcumque ligaveris, ſubaudi, his clavibus, id eſt, ex potentia & diſcretione ſuper terram, erit ligatum & in cælis, &c.* Adeundus Gratianus diſt. 20. cap. 1. §. ſed aliud eſt cauſis *terminum imponere.* Quartò, obſervat hanc fidem, *tu es Chriſtus Filius Dei vivi*, editam à Petro nomine omnium Apoſtolorum, quia unus Petrus pro omnibus reſpondit. Quintò, poteſtatem clavium omnibus Apoſtolis communem eſſe, & in Petro omnibus datam: ideòque eam confirmari poſt Chriſti reſurrectionem. Joan. 20. *Quorum remiſeritis peccata, &c.* Sextò, non ſolis Apoſtolis, ſed etiam omnibus Epiſcopis & Presbyteris collatam. Septimò, Chriſtum *quaſi uni Petro eam conceſſiſſe ſpecialiter, ut ad unitatem nos invitaret; & ad Petrum tanquàm principalem Vicarium Chriſti Eccleſiæ membra recurrerent, ſi fortè inter ſe diſſentirent.* Senſuſque eſt Petrum eſſe figuram unitatis. Idem Anſelmus in cap. 18. Mathæi: *Si peccaverit in te frater tuus, &c. dic toti Eccleſiæ, ut majorem erubeſcentiam patiatur. Poſt hæc omnia ſequitur excommunicatio; quæ tantùm fieri debet per os Eccleſiæ, id eſt, per Sacerdotem, Sacerdote enim excommunicante, totum Corpus Eccleſiæ operatur. Propterea confirmat ſententiam excommunicationis, dicens: quæcumque alligaveritis, &c. & non ſolùm de excommunicatione, ſed etiam de omni petitione quæ fiet à conſentientibus in unitate Eccleſiæ, dat confirmationem, dicens: iterùm dico vobis, quia ſi duo ex vobis conſenſerint ſuper terram, vel pœnitentem recipiendo, vel ſuperbum abjiciendo, vel de alia re quam petierint, quæ non ſit contraria unitati Eccleſiæ, fiet illis à patre meo qui in cælis eſt: ubi enim ſunt duo, &c. quaſi dicat, ideò rata eſt ſententia conſentientium, quia Deus habitat cum eis.* Hæc ille. Anteà quidem duo

Digitized by Google

notavit eſſe neceſſaria ad exercitium & exequutionem poteſtatis Eccleſiaſticæ ; *poteſtatem diſcernendi & decernendi.* Nunc tertiam addit conditionem, nimirùm, *ut duæ illæ priores conditiones fiant in Eccleſia unitate & in finem unitatis*: ex quo inimus Communionem Sanctorum vel unitatem Eccleſiæ eſſe finem poteſtatis Eccleſiaſticæ, eâque ſecluſâ nihil oportere fieri in Eccleſia. Rectè quidem, quoniam Eccleſia in ſua notione eſſentiali multorum communionem, unitatem & collectionem ſignificat.

VI. Quarè Gratianus 24. quæſt. 1. in notis ad Canonem Audivimus §. *Undè cùm omnibus diſcipulis parem ligandi atque ſolvendi poteſtatem Dominus daret Petro pro omnibus & præ omnibus, claves regni Cælorum ſe daturum promiſit, dicens : tibi dabo claves regni cælorum. Quicumque ergo ab unitate Eccleſiæ, quæ per Petrum intelligitur, fuerit alienus execrari poteſt, conſecrare non valet.* Hìc obiter me veritas effari cogit, multos eſſe qui clavium auctoritatem non modò abſque ſcientia & diſcretione, verùm etiam contra unitatem explicant, ac diviſiones ſerunt, ut faciliùs imperent, & voti ſui compotes efficiantur : idque eſt, ut Gratiani verbis utar, execrari non conſecrare. Verùm abſolutæ Monarchiæ Patronos etiam atque etiam rogo, oſtendant abſoluta Gregorii VII. imperia, quibus totam Eccleſiam cæde & populationibus deformavit, his legibus de unitate & pace Eccleſiæ ſervanda concordare; de qua re aliàs. Sed me ad Anſelmum refero, qui cap. 2. ad Epheſios in hunc locum: *Superædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum, id eſt, ſuper fidem Chriſti ſuper quam primò fundati ſunt Apoſtoli & Prophetæ. Chriſtus enim fundamentum eſt totius divini Templi vel divinæ Civitatis, quia ex eo vel ex ejus fide & gratia inchoant omnia bona & ipſe totum ſpiritale portat ædificium : ipſe eſt ergo fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, quia ſuper illum incumbunt & firmi permanent Apoſtoli & Prophetæ, qui totam deindè fabricam ſancti ædificii portant: ipſe eſt fundamentum, id eſt, fides ejus eſt prima firmitas & initium ac ſubtentaculum omnis ædificii virtutum, ac bonorum, ſuper quam fidei firmitatem innitentes, ſuperædificati eſtis in bonis operibus &c.* Hinc ergo datur intelligi Chriſtum ipſum eſſe genuinum fundamentum Eccleſiæ, atque Apoſtolos & Prophetas fundamenta Eccleſiæ Metaphoricè appellari, quatenus fidem in Chriſtum habuerunt, eamque primi mundo prædicarunt.

VII. D. Bernardus libris de conſideratione ad Eugenium, ſicut Primatum Eccleſiæ Romanæ corroborat, ſic abſolutam monarchiam quæ ſuo ſæculo potiſſimùm ſub Gregorio VII. altas egerat radices, manifeſtè damnat; ut autem aculeatas reprehenſiones, quas adverſùm ambitionem Curiæ Romanæ inſtruebat, emolliret, multa quidem per ſchematiſmum diſputat, ſchematiſmus autem figura eſt, quâ oratores aut viri prudentes ad inſtruendam veritatem & reprehendendos magnates uti conſueverunt, cùm minimè licitum eſt apertè virtutem profiteri. Certè S. Bernardus ut more remigum averſo vultu quò intendit perveniat, faciliùſque perſuadeat, fingit ſe multa concedere quæ tamen Pontifici planè denegat, cujuſmodi ea ſunt, quæ abſolutum præ ſe ferunt imperium. Hoc autem in libris de conſideratione, qui non obſervant, hanc eruditiſſimam lucubrationem ad Eugenium tanquàm ad aliquem religioſum D. Bernardi, & non ad Pontificem maximum ſcriptam comminiſcuntur; parum oculati ſunt. Quæ autem collectanea hìc exſcribam, ea ex Gerardi Voſſii recenſione Romæ & Coloniæ Agrippinæ editâ expro-

Digitized by Google

mam : in qua ſectiones hujus operis diſcrepant ab vulgari diſtinctione capitum, quæ in D. Bernardi operibus legitur. Itaque lib. 2. ut demonſtret ſolam poteſtatem miniſterialem Apoſtolis creditam, ſic cap. 4. & 5. diſſerit. " Factum te ſuperiorem diſſimulare nequimus : ſed enim adquid omnimodis attendendum, non enim ad dominandum opinor. Nam & Propheta cùm ſimiliter levaretur audivit ; ut evellas & deſtruas & diſſipes & ædifices & plantes. Quid horum factum ſonat? Ruſticani magis ſudoris ſchemate quodam labor ſpiritualis expreſſus eſt, & nos igitur ut multum ſentiamus de nobis vel vobis impoſitum ſenſerimus miniſterium, non dominium datum. Deindè ſequitur : ſi ſapis eris contentus menſurâ quam tibi menſus eſt Deus : Nam quod amplius eſt, à malo eſt. Diſce exemplo Prophetico præſidere non tam ad imperitandum quàm ad factitandum quod tempus requirit. Diſce ſarculo tibi opus eſſe, non ſceptro, ut opus facias Prophetæ : & quidem ille non regnaturus aſcendit, ſed extirpaturus. Item paulò poſt. Blanditur Cathedra? ſpecula eſt. Indè denique ſuperintendis, ſonans tibi Epiſcopi nomine, non dominium ſed officium. Nec locus eſt otio, ubi ſedula urget ſollicitudo omnium Eccleſiarum. Nam quid tibi aliud dimiſit ſanctus Apoſtolus? quod habeo (inquit) hoc tibi do, &c. nec enim tibi ille dare quod non habuit, potuit : quod habuit, hoc dedit, ſollicitudinem, ut dixi, ſuper omnes Eccleſias, numquid dominationem? audi ipſum non dominantem in clero, ſed formâ facti gregis. Et ne dictum ſolâ humilitate putes, non etiam veritate, vox Domini eſt in Evangelio. Reges gentium dominantur eorum &c. & infert vos autem non ſic. Planum eſt Apoſtolis interdicitur dominatus. J. ergo & tu & tibi uſurpare aude, aut dominans Apoſtolatum, aut Apoſtolicus dominatum. Planè ab alterutro prohiberis, ſi utrumque ſimul habere prohiberis. Si utrumque ſimul habere voles, perdes utrumque, alioquin non te exceptum illorum numero putes, de quibus queritur Deus, ipſi regnaverunt & non ex me, principes extiterunt, ergo non cognovi. Jam ſi regnare ſine Deo juvat, habes gloriam ſed non apud Deum. Qui major eſt veſtrûm, fiat ſicut junior, & qui præceſſor eſt, ſicut qui miniſtrat. Forma Apoſtolica hîc eſt, Dominatus interdicitur, indicitur miniſtratio : quæ & commendatur ipſius exemplo legislatoris : ego autem in medio veſtrûm ſum tanquàm qui miniſtrat. „ Hæc ſi S. Bernardus de poteſtate miniſteriali Eccleſiæ, quæ ab omni abſolutâ aut planè monarchicâ authoritate eſſentialiter abhorret, *præſidetque non tam ad imperitandum quàm ad factitandum quod tempus requirit* : quaſi diceret nullam planè habere facultatem cogendi quod præcipit, quia ut aliàs dixi, excommunicatio gladius Eccleſiæ non cogit, ſed tantùm hominem pervicacem Eccleſiaſticâ communione excludit : Nam coactio ab externo principio, quod ſoli politicæ poteſtati proprium eſt, manat. Quàm vellem fautores abſolutæ monarchiæ ad hoc Bernardi diaſyrticum ut par eſt attenderent : *ipſi regnaverunt ſed non ex me, Principes extiterunt & ego non cognovi eos,* jam ſi regnare ſine Deo juvat, habes gloriam, ſed non apud Deum. Certè qui contra jus divinum, naturale & canonicum regnat, ſine Deo quidem regnat. Verùm toto hoc opere demonſtrabitur abſolutam infallibilem monarchiam recentiorum eſſe ejuſmodi; intereadum Lector conſulat noſtram apologiam.

Digitized by Google

„ Idem Bernardus lib. 3. de conſideratione cap. 3. " Murmur loquor & querimoniam Eccleſiarum, truncari ſe clamitant ac demembrari, vel nullæ vel paucæ admodùm ſunt quæ plagam iſtam aut non doleant, aut timeant. Quæris quam? Subtrahuntur Abbates Epiſcopis, Epiſcopi Archiepiſcopis, Archiepiſcopi Patriarchis ſeu Primatibus: bonane ſpecies hæc? Nimirùm ſi excuſari queat vel opus, ſic factitando probatis vos habere plenitudinem poteſtatis, ſed juſtitiæ non ita. Facitis hoc quia poteſtis, ſed utrùm & debeatis quæſtio eſt. Honorum ac dignitatum gradus & ordines quibuſcumque ſuos ſervare poſiti eſtis, non invidere, ut quidam veſtrorum ait. Cui honorem, honorem, &c. At quomodò non indecens tibi voluntate pro lege uti: & quia non eſt ad quem appelleris, poteſtatem exercere, negligere rationem? Tunc major Domino tuo, qui ait, non veni facere voluntatem meam, & non veni legem ſolvere, ſed adimplere. Item cap. 14. Erras, ſi ut ſummam, ita & ſolam inſtitutam à Deo veſtram Apoſtolicam poteſtatem exiſtimas. Si hoc ſentis, diſſentis ab eo qui ait: non eſt poteſtas niſi à Deo. Proindè quod ſequitur, qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit, & ſi principaliter pro te facit, non tamen ſingulariter. Denique idem ait: omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit; non ait ſublimiori tanquàm in uno; ſed ſublimioribus tanquàm in multis. Non ergò tua ſola poteſtas à Domino; ſunt & mediocres, ſunt & inferiores; & quomodò quos Deus conjunxit non ſunt ſeparandi, ſic nec quos ſubjunxit, comparandi. Monſtrum facis, ſi manui ſubmovens digitum facis dependere de capite, ſuperiorem manui brachio collateralem, &c.

Gratianus 24. *quæſt.* 1. *can. audivimus* §. *ſin autem*, multa dicit ad Ariſtocratiæ commendationem: puta, " quòd Chriſtus niſi congregatis in unum dixerit, accipite Spiritum ſanctum, quòd dicturus quæcumque petieritis in nomine meo præmiſerit, ſi duo ex vobis conſenſerint. Item quòd omnibus Apoſtolis parem ligandi atque ſolvendi poteſtatem dederit, Petro pro omnibus & præ omnibus, &c. Gloſſa diſt. 19. can. ita Dominus §. & ſuper hanc petram, per hanc dictionem non credo Dominum aliud demonſtrâſſe quàm hæc verba, quæ Petrus reſpondit Domino, cùm dixit: tu es Chriſtus Filius Dei vivi, quia ſuper illo articulo fidei fundata eſt Eccleſia, ergo ſuper ſeipſo Deus fundavit Eccleſiam.

VIII. Magiſter Sententiarum lib. 4. diſt. 19. §. c. *Quòd verò hanc poteſtatem habeant omnes Sacerdotes Hieronymus teſtatur ſuper illum locum* Evangelii, *dabo tibi claves regni Cælorum, habent enim judiciariam poteſtatem alii Apoſtoli; habet & omnis* Eccleſia *in* Epiſcopis *&* Presbyteris, *ſed ideò* Petrus *eam ſpecialiter accepit, ut omnes intelligant quòd quicumque ab unitate fidei & ſocietate* Eccleſiæ *ſe ſeparaverint, nec à peccatis ſolvi, nec Cælum poſſunt ingredi.* Quem locum Magiſter perperàm Hieronymo tribuit, cùm potiùs conglutinatus videatur ex Bedæ atque Anſelmi ſententia. Idem Magiſter commentariis in caput 2. ad Epheſios, ad hæc verba, *ſuperædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum*, eadem penè habet cum S. Thoma Aquinate in eumdem locum, cujus ſententiam paulò poſt exhibebimus.

Innocentius in cap. 1. Synodi Lateranenſis, ubi de Euchariſtiæ Sacramento decernit. *Et hoc utique Sacramentum nemo poteſt conficere, ait, niſi Sacerdos qui fuerit ri-*

tè ordinatus ſecundùm claves Eccleſiæ , quas ipſe conceſſit Apoſtolis & eorum ſucceſſoribus Jeſus Chriſtus. Extravagante *de ſumma Trinitate cap. firmiter* §. *una verò.* Undè Joannes Andræas Gloſſator concludit *claves conceſſas omnibus Apoſtolis.*

IX. Gloſſa ordinaria in cap. 16. Mathæi. *Tu es Petrus ob fortitudinem fidei & confeſſionis conſtantiam , Petrus à me petra , ita tamen ut mihi retineam dignitatem fundamenti ; tu ſuper me ordinabis lapides mundos & abjicies leproſos , ſicut lumen & cætera nomina , ut vos eſtis ſal terræ , à Domino ſortiti ſunt Apoſtoli , ſic Simoni à ſe nomen Petri dedit , & tibi dabo claves. Qui pro cæteris confeſſus eſt , pro cæteris donatur clavibus. Claves ſunt diſcernendi ſcientia & potentia , quà dignos recipere , indignos excludere debet à regno.* Hæc Gloſſa magna ex parte ex Anſelmo, deindè hæc alia ex Magiſtro Sententiarum , *quodcumque ligaveris.* Hieronymus , *habent quidem eandem judiciariam poteſtatem alii Apoſtoli , quibus poſt reſurrectionem ait : accipite Spiritum ſanctum , &c. Habet etiam omnis Eccleſia in Presbyteris & Epiſcopis , ſed ideò Petrus :* cætera repete ex Petro Lombardo ſupra. Gloſſa interlinearis , *vos autem quem me eſſe dicitis , ſciunt Apoſtoli , ſed Petrus reſpondet pro omnibus : Tu es Chriſtus Filius Dei vivi. Reſpondens autem Jeſus , in Petro omnibus reſpondit , &c. Tu es Petrus & ſuper hanc petram , id eſt , Chriſtum in quem credis , ædificabo Eccleſiam meam.*

Lyranus ibidem : *Reſpondens Petrus tanquàm principalis inter alios pro ſe & pro aliis dedit reſponſum , tu es Chriſtus , &c. & ego dico tibi pro te & pro ſociis tuis , quia tu es Petrus , id eſt , confeſſor petræ veræ , quæ Chriſtus eſt , factus ; & ſuper hanc petram , quam confeſſus es , id eſt , ſuper Chriſtum , ædificabo Eccleſiam meam , &c. & tibi dabo non ſolùm pro te , ſed etiam pro aliis. Sicut enim confeſſio Petri erat confeſſio aliorum , ita & poteſtas hæc data Petro , intelligitur dari aliis , licèt Petro principaliùs , in quantum erat aliorum Capitaneus. Claves regni Cælorum non ſunt materiales , ſed poteſtas ſpiritualis duplex , una eſt diſcernendi peccatum à non peccato , quæ ſcientia , licèt non ſit clavis , tamen neceſſariò præexigitur ad debitum uſum hujus clavis ; alia clavis eſt poteſtas admittendi ad regnum vel excludendi ſecundùm verum judicium præhabitum ; quia debent excludi indigni , & digni recipi ; & quodcumque ligaveris , &c. quia ſuppoſito hìc in terra debito uſu clavis , Deus illud approbat in Cælis , aliter non.*

Gloſſa in caput 18. Mathæi. *Amen dico vobis , quæcumque alligaveritis , &c. poteſtatem tribuit Apoſtolis , ut ſciant , qui à talibus damnantur , humanam ſententiam divinâ ſententiâ corroborari. Lyranus , Dic Eccleſiæ ,* id eſt , Prælato per denunciationem publicam , &c.

Gloſſa interlinearis in caput 2. ad Epheſios. *Superædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum , &c. Chriſtum vel doctrinam , id eſt , ſuper vetus & novum Teſtamentum , quia quod Apoſtoli prædicaverunt , Prophetæ prædixerunt.* Lyranus *ſuper doctrinam novi ac veteris teſtamenti ,* & ita liquet quodnam ſit Eccleſiæ fundamentum , nempè fides & Apoſtolorum doctrina.

Gloſſa in caput 21. Apocalypſeos. *Murus Civitatis habens fundamenta duodecim , murus , id eſt fides Chriſti , quæ munit ipſam Civitatem ; habet duodecim Patriarchas per quos fundatur , quia illi primi hanc fidem tenuerunt : & in illis innituntur , quicumque ad fidem accedunt. Quam fidem Apoſtoli tenent , illi venturam intellexerunt.* Gloſſa interlinearis , *Super fidem Patriarcharum fuit fundata fides & doctrina Apoſto-*

Digitized by Google

lorum. Lyranus ibidem. *Dicuntur autem nomina Apoſtolorum in ipſis fundamentis ſcripta, quia primò publicaverunt Fidem Chriſti prædicando & pro ipſa moriendo.* Hinc ergò datur intelligi ad perfectam rationem fundamenti Eccleſiæ non ſatis eſſe fidem & doctrinam Evangelicam prædicare, niſi etiam ſicut Chriſtus & Apoſtoli pro ea moriantur.

X. D. Thomas commentar. in cap. 2. ad Epheſios. *Superædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum, &c.* Poſt Magiſtrum Sententiarum, *fundamentum autem ponit duplex, unum ſecundarium, & aliud principale; ſecundarium fundamentum ſunt Apoſtoli & Prophetæ, & quantùm ad hoc dicit eos non eſſe hoſpites, ſed cives: quia jam pertinent ad ædificium ſpirituale, utpotè ædificati ſupra fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, id eſt, qui ſunt Apoſtoli & Prophetæ, id eſt, ſuper doctrinam eorum. vel aliter ſupra fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, quaſi diceret, in eodem fundamento ſuperædificati eſtis, in quo Apoſtoli & Prophetæ ſunt ædificati, qui ex Judæis fuerunt. Hæ autem expoſitiones duæ tantùm quoad verba differunt, ſed prima convenientior eſt: quia ſi alia convenientior eſſet, tunc pro nihilo adjungeret ipſo ſummo Angulari lapide Chriſto Jeſu, cùm ipſe Jeſus ſit ſummum fundamentum. Secundùm ergo primum modum magis conſonat, ita tamen quòd præcipuus lapis & ſummum fundamentum ſit Chriſtus. Quantùm verò ad ſententiam nihil differunt: quia idem eſt dicere Chriſtum eſſe fundamentum & doctrinam Apoſtolorum & Prophetarum: cùm Chriſtum tantùm, non ſeipſos prædicaverint, undè accipere eorum doctrinam, eſt accipere Chriſtum crucifixum 1. Corinth. 1. nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum. Notandum eſt, quòd Apoſtoli dicuntur fundamenta expreſſe Apocalypſ. 21. murus civitatis habens fundamenta: & in ipſis nomina duodecim Apoſtolorum, qui in tantum dicuntur fundamenta, in quantum eorum doctrina eſt neceſſaria ad ſalutem &c. Nam quod Prophetæ prædixerunt futurum, Apoſtoli prædicaverunt factum &c. principale verò fundamentum, tantùm eſt Chriſtus Jeſus, & quantum ad hoc dicit: Summo Angulari lapide.* Attendis Lector B. Thomam nominatim docere duplex eſſe fundamentum, in quod Eccleſia id eſt fideles ædificantur, fiuntque *cives ſanctorum & domeſtici Dei.* Alterum quod vocat *principale, ſummum lapidem Angularem, id eſt* Chriſtum Dominum: alterum ſecundarium, id eſt Apoſtolos & Prophetas vel eorum doctrinam, quæ doctrina eſt ipſemet Chriſtus quem Prophetæ venturum, Apoſtoli verò jam veniſſe prædicabant. Ex quo datur intelligi quomodò hæc capienda ſint apud Mathæum. *Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*; ita ut Chriſtus Petra & lapis Angularis ſit primarium & eſſentiale fundamentum, Petrus autem cum Apoſtolis ſecundarium, quatenùs hanc fidem, tu es Chriſtus Filius Dei vivi, prædicant & profitentur. Certè nihil clarius, magiſque dogmaticum, & continuò falſum atque erroneum eſt hanc ſententiam omnibus antiquis Patribus communem, uni Calvino aſcribere, ut novi Theologi faciunt.

XI. Idem B. Thomas in catenâ ſuper cap. 16. ex Rabano, *Hæc ligandi atque ſolvendi poteſtas (ait) quamvis ſoli Petro data videatur à Domino, tamen & cæteris Apoſtolis datur, necnon etiam in Epiſcopis & Presbyteris omni Eccleſiæ; ſed ideo Petrus ſpecialiter claves regni Cælorum & Principatum judiciariæ poteſtatis accepit, ut omnes per orbem credentes intelligant, quia quicumque ab unitate fidei vel ſocietatis illius quo-*

Digitized by Google

libet modo ſeipſos ſegregant , tales nec à vinculis peccatorum abſolvi , nec januam poſſunt regni cæleſtis ingredi. Quæ ſententia Rabani ab iis quæ ſupra ex Anſelmo prompſimus, nihil aut parum diſcrepat. Excepto, quòd hic aſſeritur *Petrum accepiſſe Principatum judiciariæ poteſtatis.* Quæ verba ſi ſunt Rabani, laborant æquivocatione, cùm enim regimen Eccleſiæ ſit Ariſtocraticum, ut patet Can. 5. Nicæno, & ex ſuperioribus, deindè 6. Canone Nicæno cæteri Patriarchæ ſuas regunt Eccleſias in ſolidum, ſicut Patriarcha Romanus ſuam moderatur Eccleſiam, neceſſum eſt hæc verba, *Principatum judiciariæ poteſtatis*, intelligere de executione juris divini, naturalis & Canonici, ut aliàs docuimus. Cæterùm quæ ſit propria D. Thomæ & aſſeclarum de hac controverſia opinio libro ſequenti aperietur.

XII. Magiſter Joannes Surdus vulgò de Pariſiis Dominicanus Doctorque Pariſienſis *libro de poteſtate Regiâ & Papali*, de jure atque authoritate clavium, non quidem ad normam placitorum Scholæ S. Thomæ & cæterorum privilegiatorum, ſed juxta communem ſententiam Patrum Eccleſiæ primitivæ accuratè diſſerit, & veritatem ſtrenuè propugnat: Quod mirabile & valdè laudabile eſt; quoniam paucos admodum reperias, qui non ſua privata commoda publicæ utilitati & veritati anteponant, & hinc tanta ſaburra & congeries ſcriptorum obnoxiorum de *abſoluta infallibili Papæ monarchiâ*: quotquot enim aliquâ ſunt neceſſitudine devincti Curiæ Romanæ, toto conatu ejus commodis velificari annituntur. Contra Joannes Pariſienſis ordinis Prædicatorum libertate Gallicanâ ſcripſit; capite autem 10. oſtendit Petrum non omnem poteſtatem habuiſſe quam Chriſtus, etiam ut homo, poſſidebat; *Eandem poteſtatem acceperunt omnes Apoſtoli cum Petro Math.* 18. (inquit) & habetur 21. diſtinct. *in novo, ubi dicitur quòd ligandi ſolvendique poteſtatem Petrus primus accepit, cæteri verò cum eodem pari conſortio honorem & poteſtatem acceperunt: in collatione hujuſmodi Chriſtus non poſuit aliquam reſtrictionem reſpectu aliorum à Petro, licèt ex modo loquendi appareat, quod vellet Petrum Eccleſiæ principaliorem & caput facere Eccleſiæ, & hoc propter unitatem conſervandam: & ſic intelligendum eſt ſic ſe habere, quòd ſicut in Apoſtolis tunc quidquid potuit unus, ſicut Petrus, potuit & alius. Ita nunc de jure communi, quidquid poteſt Papa, poteſt quilibet Epiſcopus, niſi quòd Papa poteſt ubique, alii verò in ſuis diœceſibus tantùm.* Idem doctor cap. 13. obſervat ex Evangelio colligi Chriſtum contuliſſe Apoſtolis ſex ſpecies poteſtatis, quæ ad ſucceſſores tranſierunt. *Prima eſt poteſtas conſecrationis, quæ dicitur Character vel poteſtas ordinis quam contulit Dominus in cænâ, quando dixit, hoc facite in meam commemorationem. Secunda eſt poteſtas adminiſtrationis Sacramentorum & præcipuè Sacramenti pœnitentiæ, quæ eſt poteſtas clavium, vel ſpiritualis juriſdictionis in foro conſcientiæ, & conſiſtit in authoritate diſcernendi lepram & non lepram, & in potentiâ abſolvendi à culpa, & commutandi reatum pœnæ æternæ in reatum pœnæ temporalis, & hæc poteſtas in ſpirituali foro promiſſa fuit omnibus, cùm dicitur, quæcumque ligaveritis &c. collata verò fuit cùm dictum eſt eis Joan. 20. ſicut miſit me pater & ego mitto vos &c. & hæc poteſtas ſecundùm aliquos cum poteſtate conſecrationis eſt una ſecundùm eſſentiam poteſtatis, differunt ſecundùm diverſos actus corporis myſtici, & eſt complementum Sacerdotalis dignitatis vel poteſtatis. Undè in ordinatione ſimplicium Sacerdotum & ordinatione Epiſcoporum, qui ſunt magni Sa-*

Digitized by Google

cerdotes, eadem verba proferuntur : ſcilicet accipite ſpiritum Sanctum &c. Tertia poteſtas eſt Apoſtolatus ſive prædicationis, quam tradidit eis Dominus dicens Mathæi ultimo : Euntes prædicate &c. Quarta poteſtas eſt judicium poteſtatis, ſcilicet correctionis in foro exteriori, per quam timore pœnæ peccata ſolvuntur, præcipuè quæ ſunt in ſcandalo Eccleſiæ, & hæc poteſtas data eſt Mathæi 18. ubi dicitur : Si peccaverit in te frater tuus &c. & eſt ſignanter conſiderandum, quòd in iſtis tribus actibus, nimirum in facultate prædicandi, adminiſtrandi Sacramenta & corrigendi in foro exteriori, Sacerdotes habent perfectam poteſtatem hierarchiſandi populum fidelem, ſcilicet illuminandi per doctrinam, purgandi per correctionem & perficiendi per adminiſtrationem Sacramentorum. Poteſtas quinta eſt diſpoſitionis miniſtrorum ſecundùm quoſdam, quoad determinationem juriſdictionis Eccleſiaſticæ, ut vitetur confuſio : & hæc collata eſt Petro & ſucceſſoribus ejus Joannis 21. ubi dictum eſt, paſce oves meas; poteſtas enim clavium & juriſdictionis collata erat omnibus æqualiter, & ſine determinatione, & poterat quilibet uti eà in quemlibet peccatorem cum effectu &c. Sexta poteſtas eſt facultas accipiendi neceſſaria ad congruentem ſuſtentationem ab iis quibus ſpiritualia miniſtrantur. Hæc collectanea Joannis de Pariſiis ſex præſertim capiunt notabilia. Primum, omnes Apoſtolos & honore & poteſtate æquales fuiſſe Petro : ita ut quidquid Petrus potuit & alii quoque potuerint : *nam* (inquit Pariſienſis) *in collatione poteſtatis Chriſtus non poſuit aliquam reſtrictionem reſpectu aliorum à Petro: & quidquid potuit unus, potuit & alius*, idque non imminuit Primatum, ut aliàs docuimus. Secundò obſervat ſecundùm jus commune, quidquid poteſt Papa jure divino, etiam quemlibet Epiſcopum poſſe, hocque diſcrimen ſolum intercedere, quòd Papa ubique, Epiſcopi ſolummodò in ſuâ diœceſi authoritate polleant : quâ in ſententiâ etiam eſt Bellarminus lib. 5. de Rom. Pontifice cap. 3. quem locum immeritò retractavit poſtquàm eſt factus Cardinalis, ut patet ex recognitione ſuorum librorum. Tertiò cunctos Apoſtolos, qui ordinem hierarchicum referebant, immediatè à Chriſto claves aut poteſtatem habere, ac primum de poteſtate ordinis liquet, quia omnibus dictum eſt, hoc facite in meam commemorationem. De poteſtate autem juriſdictionis, tametſi uni Petro dicatur, *tibi dabo* claves Mathæi 16. nihilominus Math. 18. omnibus dicitur, *quæcumque alligaveritis* : & Joannis 20. *Sicut miſit me pater & ego mitto vos.* Quartò quod ait poteſtatem collatam Joan. 20. *ſicut miſit me pater &c. ſecundùm aliquos eandem eſſe cum poteſtate conſecrandi Sacerdotes*, id eſt, complecti Epiſcopalem poteſtatem, id exploratiſſimum eſt; ſiquidem ex omnium Patrum conſenſu Chriſtus Joannis 20. Apoſtolis complementum atque exercitium poteſtatis Eccleſiaſticæ defert, quod etiam ipſe de Pariſiis fatetur, qui hæc verba *ſecundùm aliquos* propterea expreſſit, qui ſciret nonnullos & potiſſimùm privilegiatos, ut ſuas confirment immunitates & privilegia, docere Chriſtum, Joan. 20. ſolam detuliſſe poteſtatem remittendi peccata in foro interiori pœnitentiæ, & Joannis ultimo ſoli Petro juriſdictionem ampliſſimam in foro exteriori his verbis conceſſiſſe, *paſce oves meas.* Ex quo illi efficiunt Papam eſſe *Ordinarium Ordinariorum & Curatum Curatorum*, quæ mera ſunt commenta ab ipſomet Bellarmino planè confutata, dum aſſerit Joan. 20. juriſdictionem etiam pleniſſimam conferri Apoſtolis & planè eandem eſſe cum eâ quæ Petro defertur, Joannis ultimo. Quintò dicit ſignanter notandum

Digitized by Google

notandum, quòd Presbyteri aut Sacerdotes ſimplices habeant perfectam poteſtatem hierarchiſandi ex cap. 18. Mathæi. *Amen dico vobis quæcumque alligaveritis &c.* idque extendi ad poteſtatem corrigendi in foro exteriori per excommunicationem ſcilicet, hæc enim correctio eſt externa, quam Chriſtus Eccleſiæ credidit. Quæ ſententia Pariſienſis probatur à priori ex iis quæ docuimus ſuprà cap. 3. nimirum Chriſti Sacerdotium intenſivè, formaliter & quoad habitum eſſe ejuſdem naturæ, ſpeciei & virtutis in Presbyteris atque Epiſcopis, & ſolummodò diſtingui extenſivè & quoad exercitium. Sextò narrat hoc oraculo *paſce oves meas*, Chriſtum aliquid peculiariter contuliſſe Petro ejuſque ſucceſſoribus, puta determinationem juriſdictionis Eccleſiaſticæ ut vitetur confuſio: ſecundùm aliquos (inquit) quibus verbis demonſtrat non eſſe communem, ſed quorumdam & recentiorum ſententiam, omnes enim Patres antiqui conſtanter tenent, cunctos Apoſtolos & honore & poteſtate pares eſſe; & quæcumque credita ſunt Petro, his verbis *paſce oves meas &c.* etiam aliis collata eſſe ut cap. ſequenti probabitur: & confirmat Bellarminus aliàs jam ſæpè laudatus. Accedit contra hanc opinionem de juriſdictionis determinatione limites diœceſibus Epiſcoporum conſtitutos tacitâ conſuetudine, ſecundùm formam juriſdictionis politicæ aut etiam conſenſu Ariſtocratico Apoſtolorum vel Patrum in Synodis ſedentium, ut alibi diſputavimus, lege hiſtoriam Concilii Nicæni & Chalcedonenſis.

Idem de Pariſiis cap. 15. docet poteſtatem Eccleſiaſticam eſſe purè miniſterialem, *nec ullum habere effectum clave errante*, citatque Hieronymum ſuprà laudatum *de Phariſæorum ſupercilio, qui ſe damnare innocentes vel ſolvere noxios arbitrabantur; cùm apud Deum non ſententia Sacerdotum ſed reorum vita quæratur, & Richardum de S. Victore lib. de remiſſione peccatorum cap. 8. non dicit dominus, quodcumque volueris ſolvere & ligare, ſed quodcumque ligaveris & ſolveris*: ligat autem & ſolvit Sacerdos ſententiâ juſtâ non injuſtâ, inquit.

XIII. Durandus à S. Portiano Dominicanus 4. Sentent. diſt. 19. quæſt. 1. *Quærit utrùm ſoli Sacerdotes novi Teſtamenti habeant claves, concluditque affirmativè, ratio eſt (inquit) quia illud quod datur per conſecrationem non habetur niſi à conſecratis, ſed poteſtas clavium datur per conſecrationem Sacerdotibus, ut patet ex verbis Epiſcopi, qui dicit in impoſitione manuum, accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata &c. quæ verba important directè uſum clavium, ergo illa poteſtas non eſt niſi in habentibus conſecrationem Sacerdotalem.* Hæc ille, undè à pari ſequitur etiam Epiſcopis unà cum ordine Epiſcopali juriſdictionem Epiſcopalem formaliter & quoad habitum dari, & continuò falſas eſſe imaginationes recentiorum, qui perſuadere volunt collatione ordinis ſolam poteſtatem in corpus Chriſti verum & in foro interno conſcientiæ aut pœnitentiæ; à Papa autem juriſdictionem conferri exteriorem, quod à Bellarmino abundè confutari, jam ſuprà obſervavi. Porrò omnes Theologi ejuſdem ſunt cum Durando ſententiæ, quos fruſtra unus Suarez impugnare tentat. De qua re libro ſequenti.

Idem Durandus eodem libro & diſtinctione quæſt. 2. differit *utrùm quilibet Sacerdos poſſit uti clave in quemlibet. Poteſtas clavium, ait, dependet ab illo verbo quod dixit Chriſtus diſcipulis ſuis Joan. 20. quorum remiſeritis peccata &c. ſed in illis verbis*

Digitized by Google

non ſit limitatio de perſonis nec de culpa; ergo videtur quòd quilibet Sacerdos poſſit quemlibet Sacerdotem abſolvere & de quolibet peccato. Quam propoſitionem ſic explicat. Reſpondeo; duplex eſt poteſtas clavium, una eſt clavium ordinis quæ ſolùm reſpicit forum conſcientiæ vel pœnitentiæ, alia eſt poteſtas juriſdictionis quæ reſpicit forum contentioſum in litigando per excommunicationem, vel abſolvendo ab ea. Prima poteſtas clavium, quæ reſpicit abſolutionem à peccatis, promiſſa fuit Petro & Apoſtolis Math. 16. ubi dicit Chriſtus Petro, tibi dabo claves regni cælorum, & quodcumque ligaveris ſuper terram erit ligatum & in cælis &c. quamvis enim hoc dictum fuerit ſoli Petro, non eſt tamen ſibi dictum pro ipſo ſolo, ſed pro omnibus Apoſtolis. Sicut enim dicit B. Ambroſius exponens illum paſſum, licet cæteri Apoſtoli ſiluerint, tamen Petrus reſpondit pro ſe & cæteris, tu es Chriſtus: & ſicut reſpondit pro ſe & cæteris, ita prædictum verbum eſt pro ſe & cæteris. Quod etiam apparet per illud quod dixit Dominus omnibus Apoſtolis indifferenter Joan. 20. quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt. Poteſtatem etiam clavis juriſdictionis videtur dediſſe omnibus Apoſtolis: Nam ſicut legitur Math. 18. poſtquàm dixerat, ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & publicanus (ex quo verbo habet ortum ſententia excommunicationis) ſubjunxit dicens, quæcumque ligaveritis ſuper terram erunt ligata & in cælis &c. Verumtamen, quantùm ad utramque poteſtatem, Dominus videtur dediſſe Petro quandam prærogativam: quia ſibi ſoli commiſit regimen univerſalis Eccleſiæ, quando dixit ei, ut legitur Joannis ultimo, paſce oves meas, & paſce agnos meos, &c. ad perfectam enim curam & perfectum regnum Eccleſiæ, utraque poteſtas eſt neceſſaria, & ideò ſicut in regimine Eccleſiæ Petrus prælatus eſt cæteris, ſic prærogativam habuit in uſu utriuſque poteſtatis. His ſuppoſitis dicendum eſt, quòd loquendo abſolutè de Sacramento pœnitentiæ, circumſcribendo omnem ordinationem Eccleſiæ, quilibet Sacerdos poteſt quemlibet peccatorem de quolibet peccato abſolvere. Secundò tenendum eſt, quod per ordinationem Eccleſiæ factum eſt, quòd non quilibet poſſit quemlibet abſolvere, nec de quolibet peccato. Tertiò, quòd Eccleſia hoc faciendo nihil mutat eorum quæ ſunt eſſentialia Sacramento.

Ego hanc Durandi ſententiam exhibere volui, ut intelligeretur quantâ arte & quibus diſtinctionibus Privilegiati (omnibus enim hæc opinio communis eſt) ſuas miſſiones & immunitates tueantur. Verùm hæc collectio ſex notanda continet: Primò, ſicut certiſſimum eſt objectivè, formaliter & realiter poteſtatem ordinis & juriſdictionis in utroque foro diſtingui inter ſeſe; ita falſiſſimum eſt ſeparatim promiſſas vel collatas à Chriſto. Equidem, ut Juriſconſulti loquuntur, *ubi lex non diſtinguit, neque nos debemus diſtinguere, fruſtraque fit per plura, quod poteſt fieri per pauciora & æquè benè.* Accedit omnes Patres antiquos ejuſmodi diſtinctiones non cognoviſſe, & Bellarminum ipſum lib. 4. de Romano Pontifice cap. 23. explicatè docere ſupremam poteſtatem Eccleſiaſticam promitti Petro Math. 16. & reverà conferri omnibus Apoſtolis Joan. 20. Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos, &c. undè continuò inſurgit Joan 20. non agi de ſola poteſtate juriſdictionis in foro interiori conſcientiæ vel pœnitentiæ. Cæterùm, hæc diſtincta & ſeparata collatio poteſtatis, ordinis, atque duplicis juriſdictionis, eſt à Privilegiatis excogitata, *ut faciliùs ſuas miſſiones & privilegia* contra jus commune & regimen Ariſtocraticum introducta propugnarent, atque ignaris Theologiæ & praxeos regiminis Eccleſiæ pri-

Digitized by Google

mitivæ perſuaderent, Eccleſiam conferendo Ordinem Sacerdotalem aut Epiſcopalem conferre dumtaxat poteſtatem in foro interno pœnitentiæ ; juriſdictionem verò in foro externo dari ſolùm mediante Papâ Monarchâ Eccleſiæ; quod eſt falſiſſimum, imò etiam erroneum. Secundò, Durandus rectè obſervat Petrum pro omnibus Apoſtolis hanc fidem profeſſum, tu es Chriſtus Filius Dei vivi, & conſequenter etiam pro omnibus hoc accepiſſe promiſſum, *tibi dabo claves Eccleſiæ, &c.* Tertiò, benè etiam notat Chriſtum Joan. 20. indifferenter omnes alloqui, eiſque poteſtatem conferre his verbis, ſicut miſit me Pater, quorum remiſeritis, &c. hæc enim omnia congruunt doctrinæ antiquorum Patrum. Sed fallit aut fallitur Durandus, dum hæc ipſa ad juriſdictionem internam fori conſcientiæ reſtringit : quia abſolutè capi debent de omni juriſdictione ad Eccleſiam gubernandam neceſſaria, tum in interno, tum in exteriori foro. Quartò, hæc ſimiliter conſentiunt doctrinæ Patrum, ſcilicet, Chriſtum Math. 18. *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis, &c.* dediſſe poteſtatem juriſdictionis externæ per excommunicationem omnibus Apoſtolis, quæ eſt ſuprema poteſtas quam Eccleſia habet à Deo. Quintò, prærogativa quam Petrus habet ſuper alios Apoſtolos, eſt Primatus in ordine ad regimen Ariſtocraticum, non regnum aut aliqua juriſdictio abſolutè Monarchica, hæcque prærogativa ſolummodò extenditur ad exequutionem juris divini, naturalis & Canonici, utque Papa leges condat in actu primo, ſicut aliàs docuimus. Sextò, verum eſt quemlibet Sacerdotem ex vi ſui Ordinis jure divino poſſe quemlibet peccatorem à quacumque culpa abſolvere, & continuò reſervationes caſuum & determinationem illius vagæ atque indefinitæ poteſtatis Sacerdotalis, eſſe juris merè poſitivi Eccleſiaſtici, quia, ut ſæpè dixi, Chriſti Sacerdotium eſt ejuſdem naturæ atque effectus in omnibus Sacerdotibus & Epiſcopis formaliter & quoad habitum ; differt autem materialiter quoad executionem & exercitium in Papa, Epiſcopis atque Presbyteris.

XIV. Ventum eſt ad tempora quibus poſt diuturnum ſchiſma quinquaginta annorum, Eccleſia Catholica frequenti celebratione Conciliorum, regimen Ariſtocraticum & jus commune, ac priſtinam libertatem Eccleſiarum penitùs oppreſſam recuperare conata eſt, quam ob cauſam Primum Piſanum, Conſtantienſe & Baſileenſe Concilia celebrata ſunt. Et quidem anno 1410. in Piſana ſeſſione 13. *Magiſter Petrus Plaoul aſcendit pulpitum & propoſuit verbum Dei, videlicet : Congregabuntur filii Juda & filii Iſrael pariter, & ponent ſibimet caput unum, Oſeæ primo in fine; & deduxit pulchrè exaltando Eccleſiam, & aſſerendo eam eſſe ſupra Papam : quod deduxit pluribus rationibus, tam ex parte materiæ, ſcilicet animarum, quàm ex parte formæ, quæ eſt Spiritus ſanctus, quàm etiam ex parte finis, quæ eſt ipſe Deus in Eccleſia triumphante, &c.* Quæ Patrum Piſanorum Sententia hoc Richerii effatum planè comprobat, *Deus & natura priùs atque immediatiùs in totum ſuppoſitum, quàm in partem ſuppoſiti intendunt* ; quo de proloquio ſupra cap. 1. hujus libri.

Tempore Piſani Concilii Facultas Pariſienſis cenſuram in Fratrem Joannem de Gorello Franciſcanum pro vindicando jure communi edidit, quam hîc verbum de verbo referam. In nomine Domini Amen. *Univerſis publicum inſtrumentum inſpecturis, pateat evidenter ex anno ejuſdem Domini milleſimo quadringenteſimo octavo, more Gallicano indictione ſecundâ menſis Januarii die ſecundâ ab electione Petri de Luna ultimo in Pa*

Digitized by Google

pam electi, qui dudùm Benedictus decimus tertius nuncupatur, anno decimo quinto, in congregatione venerabilium & circumſpectorum virorum Dominorum & Magiſtrorum ſacræ Facultatis Theologiæ ſtudii Pariſienſis in aula Collegii Theologorum de Navarra, multùm ſolemniter congregatorum, & more ſolito dictæ Facultatis Theologiæ congregationem ibidem celebrantium de mandato Reverendi Patris Domini Cancellarii Pariſienſis, tàm regentium quàm non regentium, & religioſorum ac ſecularium ad infraſcripta ibidem vocatorum ſpecialiter, propter hoc perſonaliter conſtitutus præfatus Dominus Cancellarius Pariſienſis, dicens & proponens, quòd frater Joannes de Gorello ordinis Fratrum Minorum, licentiatus in Theologia, poſt veſperias ſuas, fuerat delatus ad ipſum, & conſequenter apud dictam Facultatem Theologiæ, tanquàm dixiſſet ea quæ ſequuntur, ſicut etiam ſcripta ſua exhibita de propria manu ſonare videbantur formam quæ ſequitur continentia.

Primò, quòd Sacramentum pœnitentiæ nihil agit in habente gratiam virtute Sacramenti, fundatur, quia Sacramentum pœnitentiæ non reſpicit principaliter niſi expulſionem culpæ.

Secundò, quòd debitè confeſſus non poſſit obligari ut iterùm confiteatur eadem peccata, & hoc ex radice præcedentis dicti.

Tertiò, Curatis non competit ut tales ſunt prædicare, confeſſare, extremam-unctionem dare, ſepulturas dare, decimas recipere, fundatur in hoc quòd Curati non ſunt de inſtitutione Chriſti & Eccleſiæ primaria, ſed per Dyoniſium Papam fuerunt ordinati. Item quia ſtat Curatos eſſe qui non erant Sacerdotes. Item quia locus Parochialis non eſt ille quem eligit Dominus, & cæteri ſecundùm figuram antiquæ Legis, alioquin deberet illic comedi, &c.

Quartò, fratribus competit principaliùs vel eſſentialiùs prædicare & confeſſiones audire quàm Curatis. Fundatur; quia fratribus competit ex regula, & hoc eſt principalius vel eſſentialius, quàm ex ſtatuto Dyoniſii. Item quia ſtat quòd non ſint, item quia hæc auctoritas, agnoſce vultum pecoris tui, non intelligitur de confeſſione.

Quintò, Curatis habentibus ſufficienter aliundè, non licet recipere decimas ad uſum proprium, imò ſacrilegium committerent.

Quæ propoſitiones ſeu dicta pluries per deputatos ejuſdem Facultatis diligenter examinata judicabantur eſſe reparanda, præſertim cùm Dominus Rector & multi de Univerſitate talem reparationem requiſiſſent in præſentia dictæ facultatis. Tandem Præfatus Dominus Cancellarius ex matura & diligenti ac concordi deliberatione Magiſtrorum dictæ Facultatis, tàm Regentium, quàm non Regentium, & tàm Sæcularium, quàm Religioſorum præhabitâ, concluſit, quòd prædictus frater Joannes de Gorello ordinis Fratrum Minorum, qui tunc & aliàs auditus fuerat ad longum, & cujus intentio ſcita fuerat, qui etiam ſubmiſerat ſe dictæ Facultati Theologiæ, diceret in die aulæ ſuæ ante receptionem Bireti ſub hac forma.

Ex veſperiis meis quidam fuerunt ſcandaliſati, ſicut mihi ſignificatum eſt per matrem meam Facultatem Theologiæ, tanquàm intellexerint, quòd voluerim inter alia detrahere ſtatui Dominorum Curatorum, & quorumdam aliorum Eccleſiaſticorum, propterea volens quantùm in me eſt tollere omne ſcandalum & eſſe filius obedientiæ & pacis, & aſſertor veritatis, dico nunc ex ordinatione ejuſdem matris meæ, & ultroneâ voluntate veritates quæ ſequuntur.

Digitized by Google

Prima, Domini Curati ſunt in Eccleſia minores Prælati & Hierarchæ ex primaria inſtitutione Chriſti, quibus competit ex ſtatu jus prædicandi, jus confeſſiones audiendi, jus Sacramenta Eccleſiaſtica ſecundùm exigentiam ſui ſtatus & Parochianorum miniſtrandi, jus ſepulturas dandi, jus inſuper decimas & alia jura Parochialia recipiendi &c. Item quod jus prædicandi & jus confitendi competunt Prælatis & Curatis principaliter & eſſentialiter, & mendicantibus de per accidens ex privilegio, quoniam ſunt introducti vel admiſſi ex commiſſione & beneplacito Dominorum Prælatorum.

Tertia, Item quòd eadem peccata poſſunt licitè & meritoriè pluries confiteri in multis caſibus, & quòd virtute ſancti Sacramenti poterit eis prodeſſe qualibet talis reiterata confeſſio.

Quarta, quòd iſta authoritas, agnoſce vultum pecoris tui, benè & aptè intelligitur de cognitione in foro pœnitentiæ.

Quinta, quòd locus Parochialis eſt congruus & ordinarius ut Sacramenta Eccleſiaſtica recipiantur in eo.

Sexta, dum poſui quòd Curatis habentibus ſufficienter, undè viverent aliundè quàm de decimis, non licet accipere decimas ad uſum proprium, imò ſacrilegium committerent, volui per hoc dare occaſionem Laicis vel aliis quominus decimas ſolverent, ſed volui condemnari abuſus, & non Juri Dominorum Curatorum detrahere ſuper receptione & uſu licito decimarum, ſicut arbitror ſanctos Doctores, quos allegavi, intelligere voluiſſe.

Denique, ſi aliqua protulerim vel ſcripſerim quæ videantur prædictis contraria, vel quæ aliter accepta ſunt, nolo in eis ſtare, ſed volo & ſupplico haberi pro non dictis vel ſcriptis, & alia quæcumque, quæ videntur præbere occaſionem ſcandali vel erroris.

De & ſuper qua concluſione per dictum Dominum Cancellarium facta & per dictum Fratrem Joannem de Gorello licentiatum acceptata idem Dominus Cancellarius petiit à me Notario publico ſubſcripto ſibi fieri & confici publicum inſtrumentum, unum vel plura, præſentibus ad hæc venerabilibus & circumſpectis viris Dominis & Magiſtris, Petro Vbart, Gauffrido Latache, Guillelmo de Bevilla, Joanne d'Acheri, Joanne Mathée, Mathæo Boedes, Jordano Morin, & Joanne de Vaumes, necnon venerabilibus & religioſis viris Dominis & Magiſtris, Arnulpho de Fonte ordinis Fratrum Minorum, & Guillelmo de Sanctis, ordinis Fratrum Eremitarum S. Auguſtini, & Jacobo de Liſfodio ejuſdem ordinis, omnibus ſacræ Theologiæ Profeſſoribus, teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter & rogatis. Et ego Joannes Mancyon Pariſienſis publicus authoritate Apoſtolicâ Notarius, principaliſque Bidellus Facultatis Theologiæ ſtudii Pariſienſis, quia præmiſſæ concluſioni ſic per Reverendum Patrem Dominum Cancellarium Pariſienſem factæ, ac omnibus aliis & ſingulis, dum ut ſuprà ſcribuntur agerentur & fierent, unà cum prænominatis teſtibus præſens interfui, eaque ſic fieri vidi & audivi; idcircò huic præſenti publico inſtrumento manu meâ ſcripto ſignum meum ſolitum appoſui in teſtimonium veritatis præmiſſorum requiſitus.

In hac cenſura Facultatis Pariſienſis plurima ſe offerunt notabilia. Primùm factam fuiſſe, Rectore Academiæ Pariſienſis & plurimis aliis quærentibus, authore Cancellario Pariſienſi Gerſonio videlicet, tunc enim officio Cancellariatus fungebatur. Secundò obſervandum Fratrem Joannem de Gorello hîc argumenta re-

Digitized by Google

fricare, quæ ſolent à Privilegiatis in aciem pro ſuis immunitatibus contra jus commune explicari & venditari : de quibus, ne ſim longior, vide cap. 3. libri 4. hujus defenſionis Num. 64. Tertiò quod Gorellus in ſua quarta collectione aſſerit hanc Sapientis authoritatem, *agnoſce vultum pecoris*, non intelligi de confeſſione, infrà explicabitur. Quartò, ex prima propoſitione hujus palinodiæ liquet, Curatos eſſe Hierarchas, contra quam Vallius allucinatur, de quo infra. Quintò, Gerſonius meminit hujus Cenſuræ lib. de poteſtate Eccleſiaſticâ conſiderat. XII. ſub finem, extatque in Regiſtro Facultatis Pariſienſis, quo antiquæ concluſiones, ut Joannis Sarrazin, Joannis Angeli &c. conſcriptæ ſunt in pergamenum. Cujus Cenſuræ ampliorem explicationem repetes ex eodem Gerſonio, Sermone quem habuit contra Bullam mendicantium.

XV. Conſtantienſe Concilium anno 1415. celebratum ſeſſione 4. & 5. explicatè decrevit, Synodum generalem legitimè congregatam eo ipſo immediatè habere authoritatem à Chriſto, quòd Eccleſiam Catholicam propriè & primariò repræſentaret. *Ipſa Synodus in Spiritu Sancto legitimè congregata generale Concilium faciens, Eccleſiam Catholicam militantem repræſentans, poteſtatem à Chriſto immediatè habet, cui quilibet, cujuſcumque ſtatus vel dignitatis, etiamſi Papalis, exiſtat, obedire tenetur in iis quæ pertinent ad fidem, extirpationem dicti ſchiſmatis, & reformationem generalem Eccleſiæ Dei in capite & in membris.* Quæ decreta anno 1432. ſæpè renovata ſunt in Concilio Baſileenſi, atque ab ipſo Eugenio IV. Seſſione 16. comprobata fuerunt. Cæterùm communionem Sanctorum & fidem Eccleſiæ Catholicæ nobis conſignant; quique illa non probari Romanis Pontificibus aſſerunt, præterquàm in Elenchum à petitione principii impingunt, ſupponendo Papam eſſe abſolutum Eccleſiæ Monarcham, inſuper perinde faciunt, ac ſi dicerent Papam Sacerdotio Chriſti & Catholico conſenſui Eccleſiæ, huicque articulo fidei minimè teneri. *Credo Sanctam Eccleſiam Catholicam, Sanctorum communionem.* Vide librum 3. hiſtoriæ noſtræ Conciliorum generalium.

XVI. Schola Pariſienſis anno 1429. vivente Martino V. celeberrimam edidit cenſuram pro vindiciis decretorum Synodi Conſtantienſis de immediata Eccleſiæ & Concilii auctoritate ſupra Papam : quam cenſuram hîc verbum de verbo exſcribam: *In nomine Domini Amen. Per hoc præſens publicum inſtrumentum cunctis pateat evidenter & ſit notum, quòd anno ejuſdem Domini milleſimo quadringenteſimo vigeſimo nono more Gallicano, indictione octavâ menſis Martii die trigeſimâ & penultimâ Pontificatûs S. S. in Chriſto Patris & Domini noſtri Domini Martini, divinâ Providentiâ Papæ V. anno xiij. in Congregatione Venerabilium & Circumſpectorum Virorum Dominorum & Magiſtrorum ſacræ Theologiæ Facultatis Studii Pariſienſis in ſancto Mathurino multùm ſolemniter congregatorum & more ſolito dictæ Facultatis Theologiæ Congregationem ibidem celebrantium : De Mandato Venerabilis & Circumſpecti Viri Magiſtri Petri de Dierrio, dictæ Facultatis Decani, tam Regentium, quàm non Regentium, & Religioſorum ac Sæcularium ad infraſcripta ibidem vocatorum ſpecialiter, propter hoc perſonaliter conſtitutus præfatus Dominus Decanus dicens & proponens, quòd Frater Joannes Sarrazin Ordinis Fratrum Prædicatorum, Licentiatus in Theologia, poſt Veſperias ſuas fuerat delatus apud ipſum, & conſequenter apud dictam Facultatem, tanquam dixiſſet ea quæ*

Digitized by Google

ſequuntur, ſicut etiam ſcripta exhibita de propria manu ſonare videbantur, formam quæ ſequitur continentia.

Primò, omnes poteſtates juriſdictionis Eccleſiæ, aliæ à Papali poteſtate ſunt ab ipſo Papa, quantùm ad inſtitutionem & collationem.

Secundò, hujuſmodi poteſtates non ſunt de jure divino, nec immediatè inſtituta à Deo.

Tertiò, non invenitur Chriſtum tales poteſtates, ſcilicet alias à Papali expreſſiſſe, ſed tantùm ſupremam cui commiſit Eccleſiæ fundationem.

Quarto, quandocumque in aliquo Concilio aliqua inſtituuntur, tota auctoritas dans vigorem ſtatutis in ſolo ſummo reſidet Pontificio.

Quintò, ex textu Evangelii non habetur expreſsè alicui Apoſtolorum, niſi Petro, auctoritatem juriſdictionis fuiſſe collatam.

Sextò, dicere inferiorum Prælatorum poteſtatem juriſdictionis, ſivè ſint Epiſcopi, ſivè Curati, eſſe immediatè à Deo, ſicut poteſtatem Papæ, veritati quodammodò repugnat.

Septimò, ſicut nullus flos & nulla pullulatio, nec etiam omnes flores & pullulationes ſimul poſſunt aliquid in arborem, quia hæc omnia ſunt propter arborem inſtituta & ab arbore derivata, ſic omnes aliæ poteſtates nihil de jure poſſunt contra ſummum Sacerdotium. Infra dicitur quod ſpiritualis poteſtas eſt ſummus Pontifex, ut recitatur Hugonem de S. Victore dixiſſe ſecundò de Sacramentis. Ex quo poteſt videri quòd hic per ſummum Pontificium, ſummus Pontifex intelligatur.

Octavò, ſummus Pontifex Canonicam ſimoniam à jure poſitivo prohibitam non poteſt committere.

Quæ propoſitiones ſeu dicta pluries per Deputatos ejuſdem Facultatis diligenter examinanda judicabamus eſſe reparanda, præſertim cùm Dominus Rector & multi de Univerſitate talem reparationem requiſiſſent in præſentia dictæ Facultatis, tandem præfatus Dominus Decanus ex matura & diligenti & concordi deliberatione Magiſtrorum dictæ Facultatis, tam Regentium, quam non Regentium, & tam Sæcularium, quàm Religioſorum præhabitâ, concludit quod prædictus Joannes Sarrazin Ordinis Fratrum Prædicatorum, qui tunc & aliàs auditus fuit ad longum, & cujus intentio ſcita fuit, & qui etiam ſe ſubmiſerat dictæ Facultati Theologiæ, diceret in dictâ congregatione, & deindè in aula Fratris Gerardi de Salinis Ordinis Fratrum Minorum, poſt primam quæſtionem expectatoriam ſub hac formâ.

Ex veſperis meis quidam fuerunt ſcandaliſati, ſicut mihi ſignificatum eſt per matrem meam Facultatem Theologiæ, tanquàm intellexerint, quod voluerim inter alia detrahere poteſtati & Eccleſiæ & Prælatorum aliorum à ſummo Pontifice, tam majorum, quàm minorum, & quorumdam aliorum Eccleſiaſticorum, & ſpecialiter occaſione quarumdam propoſitionum per me & in eiſdem veſperis meis dictarum, volens propterea quantum in me eſt tollere omne ſcandalum, & eſſe filius obedientiæ & pacis, & aſſertor veritatis, dico nunc ex ordinatione ejuſdem matris meæ Facultatis Theologiæ, cujus ordinationi, diſpoſitioni & omnimodæ determinationi me ſubmiſi & ſubmitto, ac etiam ultroneâ voluntate veritates quæ ſequuntur.

Prima. Omnes poteſtates Juriſdictionis Eccleſiæ aliæ à Papali poteſtate, ſunt ab ipſo

Chriſto quantùm ad inſtitutionem & collationem primariam, à Papa autem & ab Eccleſia quantùm ad limitationem & diſpenſationem miniſterialem.

Secunda, hujuſmodi poteſtates ſunt de jure divino & immediatè inſtitutæ à Deo.

Tertia, invenitur in ſacra Scriptura Chriſtum Eccleſiam fundâſſe, & poteſtates alias à Papali expreſſe ordinâſſe.

Quarta veritas, quandocumque in aliquo Concilio aliqua inſtituuntur, tota auctoritas dans vigorem ſtatutis reſidet non in ſolo ſummo Pontifice, ſed principaliter in Spiritu ſancto & Eccleſia Catholica.

Quinta, ex textu Evangelii & doctrina Apoſtolorum habetur expreſſe Apoſtolis & Diſcipulis à Chriſto miſſis auctoritatem juriſdictionis fuiſſe collatam.

Sexta, dicere inferiorum Prælatorum poteſtatem juriſdictionis, ſive ſint Epiſcopi, ſivè ſint Curati, eſſe immediatè à Deo, Evangelica & Apoſtolica conſonat veritati.

Septima, aliquâ poteſtas, ſcilicet poteſtas Eccleſiæ de jure poteſt aliquid & in certis caſibus contra ſummum Pontificem.

Octava veritas, quicumque purus viator, habens uſum rationis, cujuſcumque dignitatis, auctoritatis aut praeminentiæ, etiamſi Papalis, exiſtat, ſimoniam poteſt committere.

Denique ſi aliqua protulerim vel ſcripſerim quæ videantur prædictis contraria, vel quæ alitèr ſcripta ſint, nolo in eis ſtare, ſed volo & ſupplico haberi pro non dictis vel ſcriptis; & alia quæcumque; quæ videntur præbere occaſionem ſcandali vel erroris.

Qui quidem Frater Joannes Sarrazin modo & formâ prædictis, omnia & ſingula fecit, dixit & protulit. Primò videlicet in dicta Congregatione in Capitulo S. Mathurini Pariſius ut præfertur celebrata, præſentibus ibidem venerabilibus & circumſpectis viris Domino Decano prænominato, ac Magiſtro Joanne de Trecis, Guillelmo de Boüillon, Guillelmo de Sella, Emerico de Bruſſeriis, Rolando de Bargneral, Guillelmo Bontitot, Ioanne de Veronne, Remondo de Altoponte, Philippo Bavet, Dyoniſio de Sabrevois, Ioanne le Gallois, Girardo Gerron, Martino Billery, Ioanne Pulchripatris, Ioanne de Gondiviller, Thomâ Monachi, Rogerio de Gaillon, Ioanne Soqueti, Guillelmo Adelie, Ioanne Tripier, Ioanne Gravaiſtain, Gauffredo Coclearis, Michaële l'Anglois, Georgio de Valeſponſa, Roberto de Porta, & Ioanne de Queſneio Magiſtris in Theologia tam Sæcularibus quàm Religioſis, ac Ioanne Vacherio principali Bidello ejuſdem Facultatis. Item eiſdem anno, indictione, menſe, die & Pontificatu prædictis, dictus Frater Ioannes Sarrazin dictas propoſitiones legit & reparavit modo & formâ ſupradictis in aula Reverendi Patris Domini Epiſcopi Pariſienſis poſt primam quæſtionem Magiſtri Fratris Gerardi de Salinis ſupradicti, præſentibus dicto Reverendo in Chriſto Patre Domino Epiſcopo Pariſienſi, ac venerabilibus & circumſpectis viris Magiſtris, Petro de Dierrio Decano ejuſdem Facultatis, Guillelmo Everardi Rectore Univerſitatis Pariſienſis, Hugone Majoris Vicegerente Cancellarii Eccleſiæ Pariſienſis, Guillelmo de Sella, Ioanne Pulchripatris, Rogerio de Gaillon, Ioanne Soqueti, Gauffredo Coclearis, Magiſtris in Theologia, Laurentio Callot, Petro de la Haſardiere, Guillelmo Hugueti, & Guillelmo Candelli, Magiſtris in artibus, cum pluribus aliis tam Magiſtris, quàm Doctoribus Scholaribus, Baccalariis & Sæcularibus ibidem exiſtentibus, de & ſupra quibus præmiſſis omnibus & ſingulis, dicti Domini Decanus & Rector, & quilibet ipſorum petierunt & petiit à me Notario publico ſibi fieri & confici publicum inſtrumentum unum vel plura. Acta fuerunt hæc anno, indictione, die, Pontificatu & locis prædictis, præſentibus prænominatis teſtibus ad præmiſſa rogatis ſpecialiter & vocatis.

Digitized by Google

& vocatis : & ego Laurentius Pontrelli Presbyter Curatus Parochialis Eccleſiæ de Annovilla Rothomagenſis Diœceſis , publicus Apoſtolicâ & Imperiali auctoritatibus Notarius, præmiſſis omnibus & ſingulis , dum ſic , ut ſuperiùs ſcripta ſunt , fierent & agerentur , unà cum prænominatis teſtibus præſens fui, eaque ſic fieri vidi & audivi. Idcircò huic præſenti publico inſtrumento alienâ manu fideliter ſcripto , me aliis occupato negotiis, ſignum meum publicum appoſui conſuetum ; hic me propriâ manu ſubſcribendo requiſitus & rogatus in teſtimonium veritatis præmiſſorum : ſignatum, Pontrelli.

Hæc Cenſura Facultatis Theologiæ Pariſienſis extat in duobus antiquis codicibus prædictæ Facultatis ; quorum altero papyraceo , exemplaria originalia quæ à Gallis vocantur , *Minutes* ; altero denique pergameneo literis majuſculis accuratiùs exſcripto illa continentur , quæ vulgò nuncupantur *Les groſſes.* Verùm octo propoſitiones Joannis Sarrazin undequaque prodierint, conſulto magnoque artificio excogitatæ videntur , ad labefactandum ſanctiones Synodi Conſtantienſis , *de immediata Eccleſiæ & Concilii auctoritate ſupra Papam.* Nam ex prima propoſitione, quæ Papam abſolutum & infallibilem Eccleſiæ Monarcham conſtituit , omnes aliæ neceſſitate conſequentiæ colliguntur. Sed quo artificio memoratæ propoſitiones contextæ & aſſertæ fuerunt ab Joanne Sarrazin , eodem ac totidem penè verbis damnantur à Schola Pariſienſi, ut patet earum lectione. Procul dubio hæc cenſura paucis complectitur Orthodoxam Patrum Eccleſiæ primitivæ doctrinam de poteſtate Eccleſiaſtica , cujuſmodi eſt : *Omnes poteſtates juriſdictionis Eccleſiaſticæ, Papalem nimirùm , Epiſcopalem & Presbyteralem eſſe ab ipſo Chriſto quantùm ad inſtitutionem & collationem primariam ; deindè quantùm ad limitationem & diſpenſationem miniſterialem, pendere à Papa & Eccleſia. Siquidem cùm Chriſtus Apoſtolis atque diſcipulis vagam illimitationem & univerſalem poteſtatem contuliſſet ad prædicandum ubique terrarum Evangelium, & fundandam Eccleſiam* , poſteà Diœceſes ſacris Canonibus juxta typum & formam Metropolium imperii definitæ, limitatæ, & Epiſcopis collatæ ſunt , ut patet can. 4. & 6. Nicæni Concilii & aliis Canonibus. Quocircà poteſtas Epiſcopalis & Presbyteralis , ſi formaliter , objectivè & quoad habitum in hoc aut illo Epiſcopo vel Presbytero abſtrahendo à titulo Epiſcopali vel Presbyterali conſideretur , eſt quidem univerſalis , vaga & illimitata , definitur autem & limitatur per tituli , Diœceſis atque Parochiæ collationem , ut cap. 3. docuimus, & hæc de prima propoſitione cenſuræ. Secunda & tertia nihil habent difficultatis , quarta docet vim & robur Conciliorum potiſſimùm pendere à Spiritu ſancto & Eccleſiâ Catholicâ , non à ſolo ſummo Pontifice , conformiter ad hoc Chriſti oraculum , Math. 18. *Ubicumque fuerint duo vel tres congregati in nomine meo , ibi ſum in medio eorum :* quam in rem ex inſtituto diſputabimus lib. 4. cap. 4.

In quinta propoſitione hoc dignum obſervatione occurrit, quòd Schola Pariſienſis ita auctoritatem Apoſtolorum & diſcipulorum ex immediata Chriſti miſſione demonſtret, *ex textu Evangelii & doctrina Apoſtolorum habetur expreſsè Apoſtolis & diſcipulis à Chriſto miſſis auctoritatem juriſdictionis fuiſſe collatam.* At de miſſione, vide quæ obſervavi ſupra cap. 3. Sexta propoſitio ſatis ex ſe clara eſt. Septima nititur decretis quartæ & quintæ ſeſſionis Concilii Conſtantienſis , ſicut & octava ; poſitâ enim Concilii auctoritate ſupra Papam, hunc Canonibus Conciliorum Gene-

Digitized by Google

ralium teneri oportet. Neque ſilendum arbitror, Rectorem Pariſienſis Academiæ cum pluribus Academicis poſtulâſſe à Theologica Facultate, ut M. Joannes Sarrazin ad palinodiam adigeretur. Hocque convincit doctrinam hanc non duorum eſſe vel trium ad ſummum, ut cavillatur Vallius, ſed totius Academiæ & Facultatis Pariſienſis, imò & Eccleſiæ Gallicanæ, quando Epiſcopus Pariſienſis huic recantationi interfuit, quod hodierni Epiſcopi minimè facerent.

XVII. Tranſeamus ad Doctores qui ſæculo illo floruerunt, & Synodo etiam Conſtantienſi interfuerunt. Cardinalis Alliacenus libellum ſcripſit in Conſtantienſi Concilio adversùs Joannem Patriarcham Antiochenum de Eccleſiæ auctoritate, ubi primâ parte cap. 1. eadem ad verbum retulit de ſex ſpeciebus poteſtatis Eccleſiaſticæ, quæ paulò antè ex Magiſtro Joanne de Pariſiis prompſimus, tandem hæc ſubjicit. *Tertia concluſio ſequitur ex prædictis, quòd ſicut Apoſtoli & diſcipuli, ſic Epiſcopi & Presbyteri Eccleſiæ Miniſtri, à Chriſto immediatè poteſtatem Eccleſiaſticam ſuſceperunt, tanquàm ab eo qui ſolus eſt, & propriè & maximè Caput Eccleſiæ; tamen nihilominùs Petrus & quilibet ejus Vicarius Pontifex ſummus potuit dici Caput Eccleſiæ, in quantum principalis eſt inter Miniſtros, à quo tamen, tanquàm à principali Hierarcha & Architecto, aliquo modo dependet totus Miniſtrorum Eccleſiaſticus Ordo.* Hîc audis Alliacenum docere Apoſtolos atque diſcipulos, necnon pariter Epiſcopos & Presbyteros, qui illis ſucceſſerunt, ſuam auctoritatem immediatè habere à Chriſto Capite eſſentiali & Fundatore Eccleſiæ: *Nam Chriſtus ſolus eſt, & propriè & maximè Caput Eccleſiæ, & tamen Petrus & quilibet ejus Vicarius Pontifex ſummus poteſt dici Caput Eccleſiæ, in quantum eſt principalis inter Miniſtros, &c.* Ex quo datur intelligi nomen Capitis impropriè & metaphoricè tribui Papæ, nihilque aliud ſignificare quàm primum præcipuumque Miniſtrorum Chriſti, & Ducem Chori Eccleſiaſtici, ut Lyranus ſupra laudatus loquitur, *Capitaneum*, ac conſequenter nihil quicquam in Corpus Eccleſiæ influere, quia hoc proprium eſt Chriſti Capitis eſſentialis. Monendus prætereà Lector, Alliacenum vocare Papam *Petri Vicarium* poſt multos antiquos Patres, de quibus aliàs, & docere à Petro aut Papa, velut à principali Hierarcha, totum ordinem Miniſtrorum Eccleſiæ aliquo modo dependere; quod non inficiamur congruenter ad decreta Synodi Conſtantienſis, quæ voluit Papam habere poteſtatem ſuper particulares Eccleſias, ut eas regat ſecundùm jus divinum naturale, & regulas Ariſtocratici regiminis, minimè verò per abſolutum & purè Monarchicum imperium, quod Eccleſia non agnoſcit, niſi in Chriſto.

Idem Alliacenus parte 2. ſtatim initio, egregiâ ſimilitudine illuſtrat, quæ paulò antè de immediata Eccleſiæ auctoritate dixerat: *Ad confirmandum ea quæ de origine & ordine Eccleſiaſticæ poteſtatis prædicta ſunt, inquit, aliqua convenit ſubjungere de origine juris quod habent Clerici qui Eccleſiaſtici dicuntur, in bonis quæ Eccleſiaſtica, ut Eccleſiaſtica ſunt, fuerunt collata communitatibus, & non ſolùm perſonæ ſingulari. Undè Fundatores Eccleſiarum intenderunt dominium & proprietatem bonorum quæ dabant, tranſferre primò & directè in communitatem Collegii, ſcilicet talis Eccleſiæ, ad uſum Deo ſervientium, & non in aliquam perſonam ſingularem, ut xij. quæſt. 3. can. Pontifices; & ita intelliguntur eſſe oblata Chriſto, id eſt, communitati Fidelium, quæ eſt Corpus Chriſti xij. quæſt. 2. Can. nulli. Ex quo ſequitur manifeſtè quòd communitas ipſa ſola*

Digitized by Google

habet immediatum & verum dominium in ejuſmodi bonis, & non Prælatus aliquis aut quævis perſona ſingularis. Attende, Lector, ſimilitudine bonorum Eccleſiaſticorum, quæ toti communitati Eccleſiaſticæ, & non privatim alicui perſonæ ſingulari conferuntur, oſtendi Eccleſiam claves aut juriſdictionem Eccleſiaſticam poſſidere per dominium & proprietatem, ſingulares autem Prælatos atque ipſummet Papam miniſterialiter tantùm, quoad uſum & exercitium, ſicut experimur *Procuratores conſtitutos ab Eccleſiaſtica communitate* habere dumtaxat diſpenſationem & adminiſtrationem Canonicam bonorum Eccleſiaſticorum; quæ à Toſtato Abulenſi Epiſcopo pluribus explicantur infra. Cæterùm hinc datur cognoſci Papam non eſſe Dominum, ſed fidelem Diſpenſatorem & Miniſtrum bonorum Eccleſiaſticorum, quod eſt apprimè notandum contra placita adulatorum, maximè Canoniſtarum quorundam, & Petri Paludani aſſerentis, Papam, *ſi Prælatum deſtituat magis bonum ſine cauſa, & loco ejus ponat minùs bonum, licèt peccet, tamen inſtitutionem tenere; ſi autem minùs bonum deſtituat, ut ponat magis bonum, tenere inſtitutionem & non peccare.* Quam opinionem Almaïnus tanquàm igne dignam meritò reprehendit in quæſtione reſumptiva, quoniam Pontifici deſpoticum tribuit imperium in Eccleſiam, quod eſt tyrannicum & legi divinæ ac naturali contrarium; Papa enim Canonibus tenetur, & ſolâ poteſtate miniſteriali præditus eſt.

Idem Alliacenus tertiâ parte cap. 1. ejuſdem libri: *Primò*, ait, *plenitudo poteſtatis eſt in Papa tanquàm in ſubjecto ipſam recipiente, & miniſterialiter exercente. Secundo, in univerſali Eccleſia tanquam in objecto ipſam cauſaliter & finaliter continente. Tertio, eſt in Generali Concilio tanquam in exemplo ipſam repræſentante & regulariter dirigente, ut res ipſa dicitur eſſe in ſpeculo, & aliqua doctrina in libro, quia ibi eſt repræſentativè. Primum patet ex immediatè dictis, quòd Papa, propriè loquendo, eſt Miniſter hanc poteſtatem ſubjectivè recipiens, & adminiſtrativè diſpenſans, juxta illud Lucæ: Qui præceſſor eſt in vobis; fiat ſicut Miniſtrator. Secundum patet, quia plenitudo poteſtatis non eſt cauſaliter propter Papam, ſed Papa & ejus poteſtas propter Eccleſiam, & ad eam ordinatur ſicut ad finem, id eſt, in ejus ædificationem, quia hanc poteſtatem dedit Dominus ad ædificationem Eccleſiæ & non in deſtructionem 2. ad Corinthios 10. Tertium patet ex eodem verbo Apoſtoli, quia ſi Papa uteretur hâc poteſtate ad deſtructionem Eccleſiæ, Generale Concilium eſt exemplum vel ſpeculum dictam univerſalem Eccleſiam repræſentans, & ejus vice & nomine abuſus hujuſmodi plenitudinis poteſtatis coercens, regulans & dirigens. Et hæc omnia pleniùs patebunt ex dicendis in ultimo capitulo hujus præſentis operis*, ait. Hic textus tria nos præſertim docet, primò, plenitudinem poteſtatis Eccleſiaſticæ eſſe in Papa tanquàm in ſubjecto & ſuppoſito ſingulari eam miniſterialiter exercente ad juris divini, naturalis & Canonici exequutionem; undè colligitur Papam eſſe miniſtrum Eccleſiæ. Secundò, eandem plenitudinem poteſtatis eſſe in Eccleſia univerſali tanquàm in objecto, ſuppoſito juris, & causâ efficiente ac finali; ratio eſt, quoniam ubi hæc poteſtas ſemel eſt à Chriſto inſtituta, eam credidit toti Eccleſiæ Catholicæ ad eam conſervandam & propagandam ad poſteros, eſtque dignum obſervatione, Alliacenum hîc nomine Eccleſiæ univerſalis intelligere cœtum omnium Fidelium, propter quem finaliter inſtituta eſt poteſtas Eccleſiaſtica. Aliàs docui ex Auguſtino claves formaliter & activè in ordine

Digitized by Google

hierarchico, in Laïcis verò qui reguntur paſſivè & materialiter reſidere. Itaque poteſtas Eccleſiaſtica eſt in tota Eccleſia Catholica architectonicè & per modum cauſæ efficientis, ut ampliùs probat Alliacenus cap. ultimo: & ſtatim dicetur.

Tertiò, obſervat eandem poteſtatem Eccleſiaſticam eſſe in Concilio Generali tanquàm in exemplo & ſpeculo illam propriè & proximè repræſentante, & regulariter dirigente; quam in rem adi 21. axioma apologiæ noſtræ.

XVIII. At verò Turrecremata lib. 2. cap. 70. de Eccleſia, hanc Alliaceni ſententiam arguit imperitiæ, quaſi pugnantia implicaret. *Primùm* (inquit) *poteſtas quæcumque propriùs & principaliùs dicitur eſſe ubi eſt ſubjectivè & adminiſtrativè, ſivè diſpenſativè: quemadmodum in artifice, duce exercitus, aut magiſtro operis, quàm ſit in objecto, ſive exemplo, ſicut poteſtas medicandi proprius & principalius habet eſſe in medico, quàm in corpore infirmo, & ars ædificandi in artifice, quàm in domo quæ ædificatur.* Reſpondeo Alliacenum non dicere poteſtatem Eccleſiaſticam eſſe in tota Eccleſia dumtaxat per modum finalis, ſed etiam efficientis cauſæ; quoniam cap. ultimo libri ſui, quo Lectorem rejicit, diſertè docet, Eccleſiam multiplicem habere poteſtatem tam ordinis, quàm juriſdictionis, quæ non dependet à Papa, imò verò Eccleſia eam confert Papæ, dum illum Epiſcopum conſecrat & Pontificem cooptat: undè cùm poteſtas Eccleſiaſtica ſit architectonicè per dominium & proprietatem, ac per modum cauſæ efficientis in tota Eccleſia, in Papa verò ſubjectivè quoad exercitium, exequutionem & miniſterium dumtaxat, conſurgit eſſe perfectiori modo in Eccleſia quàm in Papa, ut confirmari poteſt exemplo Regni Poloniæ regem deligentis. Verùm exempla architecti & medici ſunt extra propoſitum, quia medicus & latomus à ſe-ipſis, & proprio labore ſibi medicinæ & architecturæ artes compararunt, neque eas habent à communitate aliquâ, aut ſuppoſito juris artes illas per dominium & proprietatem poſſidentibus. Præterea architectus eſt cauſa efficiens domus, & medicus ſanitatis, non ita Papa totius Eccleſiæ, ſed potiùs tota Eccleſia cauſa eſt efficiens Papæ, cui Sacerdotium Chriſti & Papatum impartitur in ordine ad regimen Ariſtocraticum, quemadmodum ſi exercitus deligeret imperatorem, eâ lege, ut nihil gereret inconſulto exercitu: Secundò, quòd Turrecremata perhibet *falſum videri plenitudinem poteſtatis eſſe in Concilio ſicut in exemplo & ſpeculo: cùm hoc potiùs dicendum ſit de lege Evangelicâ, ſecundùm quam tota Eccleſia eſt regulanda, juxta illud Pſalmiſtæ, lucerna pedibus meis verbum tuum & lumen ſemitis meis:* ipſemet fallitur, quoniam genuina ſcripturæ interpretatio eſt petenda à Sanctorum communione & conſenſu Catholico Eccleſiæ, qui perfectiſſimè initur atque eminet in generalibus Conciliis: & hâc ratione hæreſes omnes ſunt damnatæ, & diſciplina Eccleſiaſtica Canonibus Conciliorum conſtituta, ut praxis Eccleſiæ declarat, de qua aliàs. Ratio eſt, quia regimen Eccleſiæ eſt Ariſtocraticum, & poteſtas Eccleſiæ eſt eminentior poteſtate Papæ, cùm hic eam miniſterialiter tantùm, Eccleſia verò architectonicè poſſideat, & ita omnibus argumentis Turrecrematæ fiet ſatis, etiam illis-ipſis quibus argumenta Patrum Baſileenſium ibidem oppugnare nititur; eo quòd ſtatuerent verè quidem poteſtatem Eccleſiaſticam reſidere in tota Eccleſia, ſicut in ſubjecto & ſuppoſito juris eam adminiſtrante & exercente: quoniam quæcumque dicta ſunt Petro, priùs, immediatiùs atque eſſentialiùs toti Eccleſiæ conveniunt, ut ſuperiùs demonſtravimus. Quæque in contrarium opponit Turrecremata meræ ſunt ar-

Digitized by Google

gutiæ & petitiones principii, ſcilicet *principatum Eccleſiæ eſſe purè monarchicum, & pluralitatem principantium non eſſe bonam cap. 71. lib. 2. de Eccleſia, de quibus infra lib. 3.*

XIX. Sed revertor ad Alliacenum cap. ultimo libri memorati circa medium. *Ex his ſextò infertur, ait, quòd quamvis Papa concedatur eſſe Caput Eccleſiæ, tamen hoc eſt ſub principali & eſſentiali Capite Chriſto; & ideò ſubordinatio Corporis Eccleſiæ ad Papam eſt ſolùm accidentalis, ſed eſſentialis ad Chriſtum à quo immediatè habet auctoritatem, & illud privilegium non habet à Papa; & ideò licèt auctoritas Papæ in illis quibus non errat, ſit à jure divino immediatè; tamen ex hoc non ſequitur, ſicut alij volunt concludere, quòd reliqua auctoritas & tota poteſtas Eccleſiæ ſit à Papa immediatè, nam hoc poteſt multiplicem pati calumniam.* Primò, *quia auctoritas Sacerdotalis, quæ quantùm ad poteſtatem Ordinis Sacramentalis major eſt in Eccleſia, non immediatè derivatur à* Papa, *cùm conſtet aliquem eſſe* Papam *& non Sacerdotem, & per conſequens tunc non poſſet conferre Ordinem Sacerdotalem. Secundò, & magis ad propoſitum, quia in illo etiam exiſtente* Papâ, *habet etiam Eccleſia multiplicem poteſtatem, tam ordinis quàm juriſdictionis: quæ tunc non dependet nec derivatur à* Papa. *Tertiò, hanc auctoritatem habet univerſalis Eccleſia, ut dictum eſt, quòd in fide errare non poteſt; & hoc non mediatè nec immediatè à Papa dependet, quia id non habet: ex quibus omnibus ſequitur, quòd poteſtas ſeu auctoritas Eccleſiæ immediatè eſt à Chriſto, & non à* Petro; *& hoc nota in verbo Chriſti, quia non dixit, tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabis Eccleſiam meam, ſed ædificabo; nec dixit Eccleſiam tuam, ſed meam. Adjecit de agone Chriſtiano Auguſtinum ſupra laudatum docere, quòd claves regni Cælorum omnibus datæ ſunt, cùm* Petro *datæ ſunt; & quod* Petro *dicitur, omnibus dici Apoſtolis.*

Hæc ſententia Alliaceni quinque continet notabilia. Primò, Chriſtum tanquàm gratiæ & Sacramentorum auctorem ac fundatorem Eccleſiæ eſſe caput eſſentiale: quia Eccleſia eſt ejus corpus connaturale, ut ſupra docui ex B. Thoma; quocircà Eccleſia internè ac eſſentialiter ſubordinatur Chriſto, Papæ autem externè, accidentariò & miniſterialiter tantùm, quoniam immediatè ac eſſentialiter Eccleſia auctoritatem habet à Chriſto, non à Papa. Secundò, licèt auctoritas Papæ formaliter & quoad inſtitutionem ſit immediatè à Deo, tamen non inde ſequitur, quòd auctoritas Eccleſiæ ſit immediatè à Papa tanquàm abſoluto Monarcha. Hoc enim poteſt multiplicem pati calumniam (inquit Alliacenus) id eſt, multis de cauſis poteſt argui falſitatis: tum quia poteſtas Sacerdotalis & Epiſcopalis eſt in Eccleſia non in Papa, & dato quòd aliquis eligatur qui non ſit Sacerdos, ille ab Eccleſia ſacros recipit ordines, quos non poteſt conferre, antequàm eos ab Eccleſia acceperit. Tertiò, dato etiam quòd aliquis eligeretur in Papam qui eſſet Sacerdos vel Epiſcopus, tamen experientia docet, Eccleſiam multiplicem habere poteſtatem & ordinis & juriſdictionis ſuprà illum, quæque à Papa nullo modo dependet: Nam, exempli cauſâ, Pontifex ab Eccleſia matre ſua petere remiſſionem peccatorum, & in Eccleſiæ Sacramentis ſalutem ſuam operari, huncque fidei articulum more aliorum quotidie profiteri tenetur; *Credo Sanctam Eccleſiam Catholicam, Sanctorum communionem, remiſſionem peccatorum.* Quartò, propter gratiam, quâ immediatè, internè & eſſentialiter Eccleſia animatur & vivificatur à Chriſto ſponſo, id habet privilegii, quòd divortium facere cum Chriſto, aut in fide errare non poſſit: hoc autem Papa Eccleſiæ conferre nequit, quando id non habet, juxtà communem regulam, *nemo dat quod non ha-*

Digitized by Google

bet. Quintò, ex verbis Chriſti apertè Colligi, Eccleſiam ejuſmodi dotes habere à Chriſto, non Petro; quoniam Dominus Math. 16. diſertè ait Petro, *tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, minimè verò ædificabis Eccleſiam tuam.* Item Chriſtus dicit, *& portæ inferi non prævalebunt adverſùs Eccleſiam, minimè verò autem prævalebunt adverſùm te.* Ex quo inſurgit multò potiorem eſſe Eccleſiæ quàm Petri auctoritatem.

XX. Gerſonius Eccleſiæ Pariſienſis Cancellarius varia lucubravit opuſcula de poteſtate clavium, inter quæ doctiſſimus liber de Eccleſiaſticâ poteſtate, quem ſcripſit Conſtantiæ, atque etiam coram Patribus Synodi Conſtantienſis recitavit, principatum obtiner. Quartâ autem conſideratione hæc quaſi pro fundamento totius operis defigit, *hanc poteſtatem contulit Chriſtus Math. 28. dum dixit* Petro *vice omnium, ſi peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum* &c. *ſequitur, quòd ſi te non audierit, dic Eccleſiæ, quòd ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus &* Publicanus. *Quo in loco fundatur juridica poteſtas excommunicandi vel interdicendi ab Eccleſiaſticis Sacramentis & Communione Fidelium rebelles & inobedientes Eccleſiæ, ſicut uſus eſt Apoſtolus, & idem hortatus eſt ad Titum 3. ſcribens, hæreticum hominem poſt primam, & ſecundam correptionem devita, &c. Fundatur rursùs abſque calumnia pombili in hoc textu, plenitudo poteſtatis gladij ſpiritualis & executio ejus in Eccleſia ſuper quemlibet Chriſtianum qui eſt frater noſter, etiamſi Papa fuerit: nec accipiendum eſt hic, dic Eccleſiæ, id eſt, Papæ; quoniam Chriſtus Petro loquebatur, qui non dixiſſet ſibi ipſi. Item, quia ſubjunctum eſt pluraliter, quæcumque alligaveritis ſuper terram, &c. Denique, ſi non haberet Eccleſia talem poteſtatem & exequutionem, fruſtra dixiſſet Chriſtus, dic Eccleſiæ, quia potuiſſet impunè non audiri, contra illud quod ſequitur, ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi, &c. Fundatur etiam in hoc textu nedum poteſtas definiendi, determinandi, ſtatuendi, decernendi, conſtituendi præcepta, leges & Canones procedendi denique contra non obedientes uſque ad ſententiam excommunicationis incluſivè, imò ſecundùm Canones nunc inſtitutos uſque ad invocationem brachij ſæcularis.* (Decreta quartæ & quintæ ſeſſionis Conſtantienſis intelligit) *quia dicitur in textu, quod ſi Eccleſiam non audierit, &c. Audire igitur debet Eccleſiam quilibet frater noſter qui dicit ad Deum: Pater noſter; ſicut explicat alibi Chriſtus, qui vos audit, me audit. Confirmant hanc ſententiam ſtatuta & practicata in hoc ſacro Conſtantienſi Concilio.* (Hic integra decreta quartæ & quintæ ſeſſionis Conſtantienſis ſubjicit, ac demùm ſic continuat.) *Fundatur prædicta poteſtas Eccleſiaſtica juriſdictionis in unitate vel unione tali, quemadmodùm notâſſe videtur elevatus Auguſtinus, quod claves Eccleſiæ datæ ſunt unitati. Verumtamen hoc non impedit quin datæ ſint Petro tanquàm Monarchæ legitimiſque ſucceſſoribus ſuis, principaliùs tamen Eccleſiæ. Primò, ratione indeviabilitatis, quia portæ inferi non prævalebunt adversùs eam, nec deficiet fides ejus, non ſic de Papa. Secundò, ratione regulabilitatis, quoniam habet regulare uſum poteſtatis Papalis, non ſic è converſo. Tertiò, ratione multiplicitatis, quoniam Eccleſia continet poteſtatem quamlibet Eccleſiaſticam etiam Papalem, non ſic Papa, præſertim in extenſione. Quartò, ratione obligabilitatis, quoniam Eccleſia poteſt condere leges obligantes & regulantes etiam ipſum Papam tam quoad perſonam, quàm reſpectu uſûs poteſtatis. Non ſic è contra poteſt Papa judicare totam Eccleſiam vel uſum ſuæ poteſtatis limitare; imò*

Digitized by Google

ſi Papa condat leges & Canones, videtur obſervandum quod ſententialiter dixit Auguſtinus : leges inſtituuntur , cùm promulgantur ; firmantur autem , cùm moribus utentium approbantur. Hoc enim dicitur ad reprimendum præſumptionem quorundam ſummorum Pontificum vel eis adulantium , qui videntur voluiſſe debere ſervari pro regula immutabili de Papa reſpectu cujuſlibet Provinciæ vel totius Eccleſiæ; quod placuit Principi legis habet vigorem , quaſi nullum ſupereſſet examen ſupremum.

Pergamus ad Analyſim hujus textus. Primùm , Cancellarius docet Chriſtum Math. 18. his verbis. *Si peccaverit in te frater tuus &c.* alloquutum fuiſſe Petrum vice omnium diſcipulorum , quæ eſt ſententia Auguſtini capite præcedenti num. 38. Secundò , his verbis, *dic Eccleſiæ, quòd ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus*, fundari ſupremam poteſtatem Eccleſiaſticam in foro exteriore, quâ homines communione catholicâ excluduntur, &c. Hoc autem Apoſtoli auctoritate comprobat, qui inceſtuoſum Corinthium excommunicavit, ac hominem hæreticum poſt primam & ſecundam correptionem vitari oportere mandavit. Tertiò plenitudinem poteſtatis gladii ſpiritualis cùm exequutione ejuſdem erga quemcumque Chriſtianum, ne quidem Papâ dempto, clarè atque indubitatè ſtabiliri hoc textu, *dic Eccleſiæ &c.* Idque probat tribus rationibus. Primùm, quia hæc formula *dic Eccleſiæ* non poteſt intelligi de Papa, cum Dominus hîc petrum tanquàm futurum Papam alloquatur, & numero multitudinis dicat, *quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in Cælis, &c.* Altera ratio, quoniam Papa eſt frater noſter filius Eccleſiæ, cumque more aliorum hominum ſit peccatis obnoxius, & nobiſcum dicere cogatur, *Pater noſter qui es in Cælis, dimitte nobis debita noſtra ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*, certum eſt peccatorum ſuorum remiſſionem non poſſe aliundè quàm à Chriſti Sacerdotio & Sacramentis Eccleſiæ matris expectare; quocircà ſi ſit pervicax & contra diſciplinam obdureſcat, cenſuris Eccleſiæ ſubjicitur, juxtà hanc Legem Catholicam. *Qui Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus.* Adi XVI. axioma apologiæ noſtræ. Tertia ratio à praxi Eccleſiæ ducitur, quoniam in Conſtantienſi Synodo ſeſſione 4. & 5. decretum eſt, Papam directioni & correctioni Eccleſiæ ſubeſſe in certis caſibus. Quæ decreta miſſa ſunt in rem judicatam contra Joannem XXIII. quem Patres Conſtantienſes abdicarunt, quamquàm eum pro vero, legitimo atque indubitato Pontifice haberent, quippe qui eum elegiſſent, aut ejuſdem electionem conſtanter approbaſſent.

Quartum caput Analyſeos eſt, dato quòd Chriſtus non eam dediſſet poteſtatem Eccleſiæ, ut Papam pervicacem in ordinem cogeret ſequi hanc legem Catholicam, *dic Eccleſiæ, quicumque Eccleſiam non audierit*, &c. fruſtra poſitam à Chriſto, propterea quòd Papa impunè omnia monita Eccleſiæ contemneret; neque hæc lex Catholica, *qui Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus*, ullum poſſet habere locum erga Pontificem incorrigibilem. Quis ergo niſi planè judicii expers credat, priori parte hujus legis de denuntiando homine pervicaci ad Eccleſiam omnes atque ipſummet Papam teneri; *ſi peccaverit in te frater tuus dic Eccleſiæ* &c. hàc verò poſteriori, *qui Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus*, nequaquàm obligari ? & hoc commentum Vallii 4. parte ſuæ farraginis de ſupremâ poteſtate Papæ quæſt. 8. depellitur. Quandoquidem diſputans utrùm Concilium ſit ſu-

Digitized by Google

prà Papam, ſtatuit Pontificem poſſe quidem pro criminibus ſcandaloſis accuſari in Concilio, ſed non excommunicari aut deponi, niſi in caſu hæreſeos. Quintò, Gerſonius obſervat *poteſtatem Eccleſiaſticam juriſdictionis in unitate vel unione tali fundari, quòd claves Eccleſiæ datæ ſint unitati, verumtamen hoc non impedit, quin datæ ſint Petro tanquàm Monarchæ, legitimiſque ſucceſſoribus ſuis, principaliùs tamen Eccleſiæ, ait*, de qua re iterum diſputat conſiderat. xj. *loquitur Auguſtinus cum aliis quibuſdam, quòd claves Eccleſiæ datæ ſint non uni, ſed unitati, & quòd datæ ſint Eccleſiæ.* Item Sermone pro viagio Regis Romanorum 3. parte *de via morum, in Concilio Papalis poteſtas includitur, quamvis aliter ſit hæc poteſtas in Papa, aliter in Concilio, ſicut aliter claves Petro traditæ ſunt, aliter Eccleſiæ. Undè Concilium in multis, quæ Papam reſpiciunt, habet auctoritatem conciliativam & dictativam, Papa exercitativam & exequutivam*; quibus locis dignoſcitur quo ſenſu Papa dicatur Monarcha Eccleſiæ, *ſcilicet quoad exercitium & exequutionem juris divini, naturalis & Canonici erga particulares Eccleſias*, & ad hunc ſenſum omnes loci intelligendi ſunt, quibus docet Gerſonius Papam eſſe Monarcham Eccleſiæ, & in eo juriſdictionem Eccleſiaſticam tanquàm in fonte reſidere, *& ad unum ſupremum reductionem finalem oportere* fieri : tractatu de auferibilitate conſiderat. 8. quem tractatum antè Concilium Conſtantienſe lucubravit, ut claret ex ultima conſideratione. Sextò, priùs, principaliùs atque eminentiùs claves datas Eccleſiæ quàm Petro, quatuor certiſſimis argumentis demonſtrat. Primum, quòd Eccleſia ſit indeviabilis & infallibilis, *quia portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.* Quare numquam Eccleſiæ fides labaſcet; quod de Papa aſſeri nequit. Secundum, quoniam Eccleſia eſt regula Papæ non contra, idque probatur non modò decretis quartæ & quintæ ſeſſionis Concilii Conſtantienſis, verùm etiam Can. V. Synodi Nicænæ, quo decernitur ſententiam omnium, nemine dempto, in Synodo provinciali examinari, approbari vel improbari, dato quòd aliquis de illa ſententia quæreretur, vide hiſtoriam noſtram Conciliorum generalium. Hæc ampliùs confirmantur eo quòd, ut aliàs jam obſervavi, Papa, dum Sacramenta adminiſtrat, cenſuras in aliquem vibrat, beneficia confert, &c. propoſitum & intentionem Eccleſiæ matris tanquàm regulam infallibilem ſequi debet, alioqui certè omnes illius conatus vani atque irriti forent. Omitto quod aliàs ſæpè dixi Pontificem obligari hunc fidei articulum profiteri : *Credo Sanctam Eccleſiam &c.* Tertium argumentum eſt, poteſtatem Eccleſiaſticam intenſivè & extenſivè majorem eſſe poteſtate Papæ; quia illa quamcumque poteſtatem ſpiritualem, etiam Papalem complectitur, non contra, præſertim extenſivè, enimverò Eccleſia confert Papæ, quem deligit, poteſtatem ordinis & juriſdictionis, ut paulò ante explicavimus in Analyſi ſententiæ Alliaceni. Quartò, ratione facultatis obligandi, poteſtas Eccleſiæ eſt multò amplior poteſtate Papæ, verum etiam uſum poteſtatis Papalis. Contra autem Papa non poteſt invitam, inconſultam aut diſſentientem Eccleſiam univerſalem, imò etiam aliquam particularem provinciam obligare, ait Gerſonius. Cauſa eſt, quia leges Papæ non obligant niſi recipiantur. Verùm quòd Eccleſia & perſonam & uſum poteſtatis Pontificiæ poſſit obligare, conſtat ex Synodo conſtantienſi, quam ſi adverſarii improbent, ut improbant, opponam legem dictam Romano Epiſcopo in Synodo Nicæna Can. 5. & 6. eamque

Digitized by Google

que multò ſtrictiorem decretis Synodi Conſtantienſis, & repudiato Concilio Conſtantienſi, liberum cuique manere ut de Primatu ſentiat juxta Canones Nicænos, quia nulla alia decreta Eccleſiæ habemus, quibus obligemur.

XXI. Idem conſiderat. V. *advertendum* (inquit) *quòd poteſtas juriſdictionis quæ radicaliter fundatur in poteſtate ordinis Sacerdotalis & Epiſcopalis, dum in ſua generalitate conſideratur, reſpicit multipliciter corpus Chriſti myſticum, quod eſt fidelium Eccleſia, quos fideles oportet ſecundùm tres actus hierarchicos regere, qui ſunt, ſecundùm Dyoniſium, purgare, illuminare, & perficere.* Idem adcalcem hujus conſiderationis *aſſerit*, *poteſtatem Eccleſiaſticam promiſſam fuiſſe* Petro *Math. 16. & poſt reſurrectionem collatam omnibus Apoſtolis in commune Joan. 20. & ſigillatim Petro Joannis ultimo, denique Mathæi ultimo hæc verba, euntes in mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ, pertinere ad efficacem exequutionem poteſtatis antea promiſſæ & collatæ.* Quâ in conſideratione hoc notandum occurrit, ſcilicet *poteſtatem juriſdictionis radicaliter fundari in poteſtate ordinis Sacerdotalis & Epiſcopalis.* Quod idem eſt, atque juriſdictionem formaliter, quoad habitum & in actu ſignato conferri per ordinis collationem, ita ut ordo ſit radix & cauſa efficiens juriſdictionis Eccleſiaſticæ. Cætera ſunt ex ſe perſpicua.

Idem conſiderat. 6. docet *poteſtatem Eccleſiaſticam duobus modis poſſe conſiderari, formaliter & abſolutè ſine reſpectu ad eos, qui eam exercent; deindè materialiter, ſubjectivè aut reſpectivè prout ad hanc aut illam perſonam Canonicè applicatur aut confertur, idque communiter fieri per conſecrationem & electionem, quibus miniſtri Eccleſiæ inſtituuntur activè & paſſivè.* Quibus verbis modum, quo confertur juriſdictio Eccleſiaſtica perſonis eam exercentibus, deſignat, atque eſſe conſecrationem & electionem; conſecratio pertinet ad Sacros ordines, quibus, ut anteà diximus, juriſdictio quoad habitum datur: electio verò ſpectat ad tituli & materiæ, vel diœceſis & Parochiæ collationem, quæ ſunt tanquàm ſubjectum neceſſarium ad juriſdictionem exercendam & mandandam exequutioni.

Conſideratione. 9. diſputat *utrùm poteſtas Eccleſiaſtica ſit immediatè à Deo vel mediatè ab hominibus, concludit fuiſſe impoſſibile homines ſibi inſtituere Sacerdotium, nec Papatum, ſicut habet Eccleſia, nec mutare, quia ſunt juris divini, nec mutari poſſe, niſi per Sacerdotis tranſlationem, juxta dictum Apoſtoli Hebræor. 7. quòd tranſlato Sacerdotio neceſſe eſt ut legis tranſlatio fiat; ſi verò poteſtas Eccleſiaſtica conſideretur. Secundo modo, id eſt utrum ſit à Deo mediatè vel ab hominibus, certum eſt quòd fuit & eſt immediatè à Deo homine Chriſto: quia in principio naſcentis Eccleſiæ collata eſt immediatè à Deo, tam Petro quàm Apoſtolis & diſcipulis, quibus immediatè Chriſtus contulit Sacerdotium ſuper corpus ſuum verum & myſticum.* Qua in conſideratione docet poteſtatem Eccleſiaſticam ſequi neceſſariò Sacerdotium Chriſti, ac proindè niſi à ſolo Deo inſtitui non potuiſſe, cùm teſte Apoſtolo Hebræor. 7. translato Sacerdotio veteris legis, unà quoque legis atque poteſtatis translatio facta ſit. Quamobrem Dominus ſuum conferendo Sacerdotium Petro, Apoſtolis & diſcipulis, unà etiam illis immediatè auctoritatem neceſſariam gubernandæ Eccleſiæ contulit, tum ſuper corpus ſuum verum, cùm ſuper corpus ſuum myſticum, quod eſt Eccleſia. *Quare ſi deligatur* Papa *qui non ſit Sacerdos aut Epiſcopus, neque poteſt, neque debet appellari ſummus* Pontifex *niſi antea fuerit in Sacerdotem & Epiſcopum conſecratus, teſte Gerſonio.* Cauſa eſt, quia, ut aliàs obſervavi,

Digitized by Google

à Chriſti Sacerdotio tanquam à cauſa efficiente phyſica poteſtas Eccleſiaſtica ſcaturit.

XXII. Conſideratione 10. *poteſtas Eccleſiaſtica in ſua plenitudine eſt formaliter & ſubjectivè in ſolo Romano Pontifice, ſupponitur primò, quòd licèt aliquis poſſit eligi in Papam non Sacerdos, ſicut eligitur aliquis in Epiſcopum, ipſe nihilominus appellari non poteſt aut debet ſummus Pontifex, niſi fuerit in Sacerdotem & Epiſcopum conſecratus; & quamvis ex electione poſſet aliquid juriſdictionis habere, non tamen habet antè conſecrationem in Epiſcopum plenitudinem Eccleſiaſticæ poteſtatis tam ordinis, quàm juriſdictionis utriuſque, quod perſpicuum eſt ex terminis.* Hæc conſideratio pendet à præcedenti, duoque notabilia exhibet. Primò, plenitudinem poteſtatis Eccleſiaſticæ formaliter & ſubjectivè in Papa tanquàm in ſubjecto individuo, & ſuppoſito ſingulari, ut eam conformiter ad regulas ab Eccleſia præſcriptas mandet exequutioni; quandoquidem ſuprà conſiderat. 4. docuit eſſe primariò, principaliùs atque eminentiùs in Eccleſia tanquàm in ſuppoſito juris. Secundò, obſervat hanc poteſtatis plenitudinem ſic radiculiter ac efficienter ab ordine Epiſcopali pendere, ut ſi aliquis cooptetur in Pontificem, nec debeat, nec poſſit dici Papa & ſummus Pontifex completè & perfectè antequàm conſecretur: & ita confirmatum remanet, quod velut abſolutè neceſſarium eſt ſæpiſſimè inculcandum, videlicet Sacerdotium aut Epiſcopatum Chriſti eſſe cauſam juriſdictionis Eccleſiaſticæ, ac formaliter & eminenter Papalem, Epiſcopalem & Presbyteralem dignitatem complecti.

XXIII. Idem conſiderat. 11. *poteſtas Eccleſiaſtica in ſua plenitudine eſt in Eccleſia ſicut in fine, & ſicut in regulante applicationem & uſum hujuſmodi plenitudinis Eccleſiaſticæ poteſtatis per ſe-ipſam & per generale Concilium ipſam ſufficienter & legitimè repræſentans. Conſtat utique datam fuiſſe Petro plenitudinem Eccleſiaſticæ poteſtatis à Chriſto ad ædificationem Eccleſiæ ſuæ, ſicut conformiter ad Apoſtolum ponit deſcriptio. Propterea loquitur Auguſtinus cum aliis quibuſdam, quod claves Eccleſiæ datæ ſunt non uni, ſed unitati; & quod datæ ſunt Eccleſiæ: & hoc convenienter poteſt intelligi modis quos explicat conſideratio: quoniam claves datæ ſunt propter Eccleſiam & unitatem ejus, tanquàm propter finem. Poteſt etiam dici in Eccleſia vel in Concilio hæc plenitudo Eccleſiaſticæ poteſtatis nedum in ſe finaliter, ſed aliis duobus modis, videlicèt quoad applicationem ad hanc vel illam perſonam, & quoad uſum regulandum, ſi fortaſſis in abuſum verti quæreretur &c. Cùm igitur ſummus Pontifex habens eam ſubjectivè ſit peccabilis, & poſſit hanc poteſtatem in deſtructionem velle convertere, ſimiliter Sacrum Collegium, quod ei datum eſt, & conſiſtit quaſi communitas Ariſtocratica, non eſt in gratia vel fide confirmatum, ſupereſt ut aliqua ſit relicta inobliquabilis & indeviabilis regula ab optimo Legiſlatore Chriſto, ſecundùm quam poſſit abuſus hujuſmodi poteſtatis reprimi, dirigi atque moderari. Hæc autem regula eſt vel Eccleſia vel generale Concilium. Unde cùm medium virtutis aliter non habeatur, niſi prout ſapiens judicabit, finalis reſolutio ad hanc ſapientiam fiet ad Eccleſiam, ubi eſt ſapientia indeviabilis, vel generale Concilium. Hic fundantur ea multa, quæ per hoc Sacrum Concilium Conſtantienſe & conſtituta & prædicata ſunt: ut quòd Papa judicari poteſt & deponi per Concilium; quia eidem in regulatione ſuæ poteſtatis quoad uſum ſubjicitur.* Item aliquanto poſt *generale Concilium in ſua ratione formali includit de neceſſitate Papalem auctoritatem, ſive Papa ſit, ſive*

Digitized by Google

non ſit, quia ſi Papa eſt, & vult facere debitum ſuum de convocando Concilium, certè debet auctoriſari per ipſum: ſi verò pertinaciter renuit in deſtructionem Eccleſiæ, jam tunc agendum eſt ac ſi non eſſet, & remanet in Eccleſiæ poteſtas ſe ipſam congregandi & ſibi providendi, ac ordinandi de poteſtate Papali, quoad applicationem & uſum, ſicut de Capitulo & Decano vel de univerſitate & Rectore ſuo modo diceretur. Demum in fine conſiderationis ſubjicit, *hanc poteſtatem formaliter & in ſe conſideratam nemo poteſt judicare, neque Auguſtus, neque populus neque totus clerus, imò nec univerſalis Eccleſia, ſecus in alio duplici modo, (videlicèt quoad uſum & applicationem in hoc vel illo Papa) addit ratione hujus poteſtatis formaliter conſideratæ, & propter privilegia divinitus conceſſa Eccleſiæ ſponſæ Chriſti, Imperatores & Reges Chriſtianos meritò oſculari pedes ſummi Pontificis Eccleſiam repræſentantis, & abſque ullo mendacio vel adulatione Papam etiam nequiſſimum poſſe appellari ſanctiſſimum, imò & adorari cultu duliæ uſque ad oſcula pedum.* Quoniam ejuſmodi honores illi deferuntur velut Eccleſiam formaliter & in abſtracto repræſentanti: ſiquidem Eccleſia eſt ſponſa Chriſti, ſine macula & ruga, quod de Papa aut alio quocumque homine dici non poteſt.

Hæc conſideratio multas capit obſervatione digna; primo, plenitudinem poteſtatis Eccleſiaſticæ habitare in Eccleſia & in Concilio Generali finaliter, regulativè quoad applicationem & uſum Canonicum, eamque ob rem, Auguſtinum docere, claves à Chriſto *datas unitati*, *non uni*, quod jam ſuperiùs notavit Cancellarius conſiderat. 4. claves autem dari in finem unitatis Eccleſiæ. Quid ſit ſupra in explicatione ſententiæ Cypriani atque Anſelmi declaravimus, idque hîc à Gerſonio comprobatur, dum ex Apoſtolo perhibet idem penitùs eſſe in ædificationem & in finem unitatis poteſtatem impendere aut exercere; ita ut ille deſtructor ſit, qui adverſùs pacem, concordiam, charitatem & unitatem Eccleſiæ aliquid molitur. Quæ unitas, pax & concordia non pro arbitrio Prælatorum, ſed ſecundùm Canones regi debet. Secundò, demonſtrat Eccleſiam & Concilium Generale poteſtatem habere applicandi & conferendi poteſtatem Eccleſiaſticam huic aut illi viro; idque teſtimonio eſt, collatam Eccleſiæ quoad proprietatem & dominium, ut multoties notavi; enimverò ſingularibus Prælatis defertur ſolummodò quoad uſum, exercitium, exequutionem & adminiſtrationem. Tertiò, dicit ineſſe Eccleſiæ & Concilio architectonicè & per modum regulæ infallibilis ac indeviabilis. Contra autem Papa & quilibet homo, atque etiam Collegium Cardinalium & falli & fallere poteſt. Quarè regulâ infallibili indiget, quæ alia eſſe non poteſt, quàm Eccleſia, cùm à Spiritu ſancto gubernetur, ſicut & Concilium Generale, cujus partes ſunt medium virtutis indicare; id eſt, Canones condere & præſcribere, in cujus rei fidem decreta Synodi Conſtantienſis de auctoritate Concilii ſupra Papam profert. Si enim moralia definiuntur ad viri prudentis arbitrium, hercle nulla melior, certiorque & accuratior regula definiendi haberi poteſt, quàm Concilium Generale in nomine Chriſti congregatum. Quarè cæcos omninò, ne dicam dementes, eſſe oportet, qui uni homini innumeris obſeſſe infirmitatibus pluſquàm Generali Concilio tribuunt. Quartò, appoſitè monet Collegium Cardinalium eſſe Concilium ordinarium, Ariſtocraticum Pontificis; ſi enim, ut neceſſe eſt, Cardinales proportionatim ex omnibus Provinciis Chriſtianitatis, non ex una aut altera tantùm natione Italica aſſu-

Digitized by Google

mantur, certè Epitomam & Breviarium Generalis Concilii nobis exhibent, à quamoderatione & temperamento hodiernâ die longiſſimè aberrant, quia per omnia & in omnibus Curia Romana ſuum dominatum tam altè in Eccleſiam impegit, ut vix Eccleſiæ liceat emergere, atque liberum ſpiritum ducere: quod tres poſteriores libri Hiſtoriæ noſtræ Conciliorum Generalium indicabunt. Quintò, *notat Generale Concilium in ſua formali ratione Papalem auctoritatem includere, ſivè Papa adſit, ſivè abſit. Nam ſi Papa vult facere debitum ſuum* (*inquit Doctor Chriſtianiſſimus*) *Concilium debet auctoriſari per ipſum: ſi verò pertinaciter renuit in deſtructionem Eccleſiæ, jam tunc agendum eſt ac ſi non eſſet Papa, & tunc remanet in Eccleſia poteſtas ſeipſum congregandi*, &c. Reliqua plus ſatis clara ſunt.

XXIV. Conſiderat. XII. versùs finem perhibet *Curatis ex ſtatu & ordinario jure convenire tres actus hierarchicos primariò, eſſentialiter & immediatè à Chriſto, qui ſunt, purgare per correctionem, illuminare per doctrinam & prædicationem, & perficere per Sacramentorum miniſtrationem. Fundatur hæc ſententia Mathæi* 18. *ubi poſtquam Chriſtus dixerat, dic Eccleſiæ, ſubjunxit, de quibus loquebatur dum ait, quodcumque ſolveritis ſuper terram, &c. Conſtat autem, quòd nedum Apoſtolis ſed & Diſcipulis loquebatur. Juxta Gloſſas Doctorum in hoc loco, & Mathæi* 10. *& Lucæ* 10. *ubi fit ſermo de miſſione ſeptuaginta duorum Diſcipulorum, & Mathæi* 16. *ubi Chriſtus dixit* Petro *pro omnibus, quodcumque ligaveris, &c. Et iterùm, ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferorum non prævalebunt adversùs eam. Concordant Auguſtinus, Hieronymus, Iſidorus, Beda, Magiſter ſententiarum, ubi priùs & expreſſe multum Damaſius* Papa. *Non ampliùs* (*inquit*) *quàm duos ordines inter Diſcipulos Domini cognoſcimus, id eſt, duodecim Apoſtolorum & ſeptuaginta duorum Diſcipulorum. Undè iſte proceſſerit ignoramus, & quod ratione caret extirpare neceſſe eſt, loquitur contra Chorepiſcopos.* Qua ex collectione Gerſonii inimus, Dominum toti Eccleſiæ Sacerdotali, quam Apoſtoli & ſeptuaginta duo Diſcipuli repræſentabant, dediſſe claves in commune. Ab hac eadem conſideratione XII. paulò ante collectionem ſuperiorem, *poteſtas univerſalis Eccleſiæ, vel Generalis Concilij legitimè congregati, dici poteſt major in amplitudine vel in extenſione, major in infallibili directione, major in morum reformatione, in capite & in membris; major in cauſarum fidei difficilium ultimatâ deciſione, major denique quia copioſior; complectitur enim ſaltem virtualiter omnem poteſtatem, & omne politicum regimen Papale, Imperiale & Regale, Ariſtocraticum & Democraticum*, &c. Quæ clauſula, quoad primam partem de amplitudine poteſtatis Concilii ſupra regimen Papale, ſatis clara eſt antecedentibus, & præſertim conſideratione 4. Quod verò infert amplecti etiam regimen Imperiale, Regale, Ariſtocraticum & Democraticum, non debet intelligi juxta definitionem Concilii Generalis, quam ibidem tradit, *quòd ſit Congregatio legitima ex omni ſtatu hierarchico totius Eccleſiæ Catholicæ, nullâ fideli perſonâ quæ audiri vellet excluſâ*; undè etiam Imperatores, Reges, Principes & Reſpublicæ Chriſtianæ audiuntur, & ſedent in Synodis Generalibus; de qua re fuſiùs aliàs.

Verùm primâ parte operum in propoſitione facta coram Anglis euntibus ad Piſanum Concilium 4. conſideratione, docet *claves datas Petro auctoritativè, exercitativè & in actu ſecundo, ſed toti Eccleſiæ univerſaliter, directivè & in actu primo,*

Digitized by Google

Sic enim emendandum & legendum eſt, non ſuſceptivè; ita ut ſenſus ſit claves eſſe totaliter in Eccleſia tanquàm in ſubjecto adæquato, quæ leges ſciſſit, quibus Papa & omnes Prælati diſtributivè capti diriguntur; undè ſupra ait, Concilium Generale oſtendere medium virtutis. Item in ſermone pro Viagio Regis, Romanorum 3. parte, quam inſcribit de via morum & virtutum. *In Concilio*, ait, *Papalis poteſtas includitur, quamvis aliter ſit hæc poteſtas in Papa, aliter in Concilio, ſicut aliter claves Petro traditæ ſunt, aliter Eccleſiæ; unde Concilium in multis, quæ Papam reſpiciunt, habet auctoritatem dictativam, Papa exercitativam & exequutivam: non enim poſſet Concilium per ſeipſum vel abſolvere in foro conſcientiæ, vel Presbyteros ordinare*, &c. ubi notandum nihil aliud eſſe, *Eccleſiam & Concilium habere auctoritatem conciliativam & dictativam*, quàm pollere auctoritate ad ſynodicè & conciliantèr Canones ſanciendos, quibus ipſe Papa ſubjicitur, ut ſupra docuit Cancellarius conſiderat. 4. libri de Eccleſiaſtica poteſtate.

XXV. Sed forſan objiciet aliquis Gerſonium parte 2. operum dialogo de poteſtate ligandi & ſolvendi perhibere, *poteſtatem ſolius ordinis quæ reſpicit Corpus Chriſti verum, æqualem eſſe apud omnes; poteſtatem verò juridicialem ſeu juriſdictionis reſpicere Corpus Chriſti myſticum, hujuſque poteſtatis plenitudinem reſidere penes ſummum Pontificem, & eſſe in ipſo totam poteſtativè; cæteris verò per partes derivari, juxta determinationem legitimam iſtius fontalis & primæ poteſtatis: & hoc ne ſit confuſio in Eccleſiaſtica politia, ſed ſit figurata ad exemplar Civitatis Hieruſalem*, &c. Item de ſtatu Prælatorum conſiderat. 6. *Status Epiſcopalis habet ex ſe & Chriſti inſtitutione primaria poteſtatem conficiendi Corpus Chriſti, & miniſtrandi Sacramenta omnia, jus inſuper prædicandi, jus ſtipendia temporalia ſumendi, jus excommunicandi, jus prælatos minores, ſcilicèt curatos, inſtituendi, jus Eccleſias conſecrandi: jus beneficium Eccleſiaſticum vel ſtipendium temporale conferendi, vel facere conferri miniſtrantibus ſub ſe ſpiritualia, jus indulgentias dandi, & ita de reliquis multis quæ ſummo Pontifici competunt, ut in fonte.* Quæ verba nimirum plenitudinem poteſtatis reſidere penes ſummum Pontificem, & eſſe in ipſo totam poteſtativè & velut in fonte, aliaque ſimilia abſolutæ Monarchiæ faciem, quam aliàs ſæpè damnavit Gerſonius, præferre videntur. Accedit & lib. de auferibilitate Papæ conſiderat. 8. *docere politiam Eccleſiaſticam eſſe immutabiliter monarchicam, & quodammodo regalem, quod aliàs de ſolo exercitio & exequutione juris divini, naturalis & Canonici interpretatur*, ſicut claret ex Analyſi quartæ conſiderationis libri de Eccleſiaſtica & politica poteſtate, quinto notabili, necnon ex Sermone pro viagio Regis Romanorum. Quid ergò his poſtremis clauſulis ſibi vult? An pugnantia loquitur Concellarius? minimè gentium, quod ut pateat, primò diſtinguenda ſunt tempora, quibus hos lucubravit tractatus; quoniam aliter atque aliter quandoque de poteſtate Papæ ante & poſt tempora Concilii Conſtantienſis ſcripſit; antè quidem plerumque congruenter ad praxim quæ tum vigebat: juxta quam Epiſcopatus atque alia beneficia contra jus commune conferebantur à Pontificibus, quem abuſum Patres Conſtantienſes emendari voluerunt ſeſſione 40. ubi præſcribunt articulos pro Eccleſiæ reformatione in capite & in membris: atque uſum ipſius monarchiæ Papalis ad ſolas Eccleſias particulares diſgregatas reduxerunt, ut aliàs docuimus. Vide ſeſſionem 8. articulo 4. errorum Joannis

Digitized by Google

Wicleff. Certè poſt Conſtantienſis Concilii decreta multò magis reſolutoriè & ſtrictè Gerſonius ſcripſit de poteſtate Papæ, quàm in illis tribus memoratis opuſculis quæ antè Synodum Conſtantienſem ediderat. Undè cùm paſſim in libro de poteſta te Eccleſiaſtica, & alibi ſæpè decreta quartæ & quintæ ſeſſionis Conſtantienſis tanquàm fide Catholicâ tenenda venditet, quæcumque alibi ſtatuit de Papæ monarchia, intelligenda ſunt in ordine ad regimen Ariſtocraticum, quod Synodus Conſtantienſis in integrum reſtituit. Secundò, notandum eſt in ejuſmodi opuſculis, Gerſonium conſiderare poteſtatem Eccleſiaſticam ratione diverſorum ſubjectorum quibus ineſt. Primùm, enim ut in tota Eccleſia Sacerdotali collectim ſumpta, aut in Concilio generali habitat, ſic ordo Hierarchicus generatim ſumptus eam architectonicè & per dominium poſſidet. Secundò autem, ut ineſt Prælatis ſeorſim & diſtributivè ſumptis, quatenùs eam proportionatim & reſpectivè exercent; ſic quidem eminentiori modo & quaſi in fonte dicitur habitare in Papa, comparatione factâ ad alios Epiſcopos, quorum poteſtas atque adminiſtratio ad ſuas privatas diœceſes tantùm redigitur: contra verò poteſtas Papæ ad omnes particulares Eccleſias, quæ per totum orbem Chriſtianum diffunduntur.

Thomas Valdenſis de Sacramento Pœnitentiæ 145. ſub finem diſputans, quòd claves Eccleſiæ ſint ſcientia & poteſtas habens auctoritatem dimittendi peccata vice Chriſti; *Ego dico Epiſcopum in perſona* Eccleſiæ, *ait, non quia ſanctus eſt vitâ, aut eâ diſtortus, ſed quia pro univerſa* Eccleſia *in ſuis aptis miniſtris hunc Petrus ſuſcepit; non igitur Petrus accepit illas claves propter ſuum meritum perſonale, non enim tunc eſſent ex gratia, quia ſi ex gratia non ex operibus, alioquin gratia jam non eſt gratia Roman. 11. nec tunc perſonam Petri Dominus attendit, ſed in una maſſa totam* Eccleſiam, *quantò magis non meritum* Petri, *ſed nec ſuppoſitum; undè cùm Auguſtini ſermone 115. Dominus Jeſus Diſcipulos ſuos antè paſſionem ſicut noſtis elegit, &c. inter hos penè ubique* Petrus *ſolus totius* Eccleſiæ *meruit geſtare perſonam, &c.* Item aliquantò poſt, *ſed fides* Eccleſiæ *reſonans per os* Petri, *& in hac fide* Petri *recompenſationem accipit univerſalis* Eccleſia *clavium poteſtatem, &c. Quibus in verbis quatuor ſe offerunt notabilia. Primùm Huſſitas, in quos Valdenſis diſputat, docuiſſe Prælatos in peccato mortali exiſtentes non ligare nec ſolvere poſſe peccata, contra quos urget Valdenſis*, Epiſcopum non ſuo, ſed Eccleſiæ merito, & in maſſa & corpore habuiſſe claves, & hâc vi & virtute ligare & ſolvere, ut ſucceſſor Apoſtolorum, &c. Secundò obſervat, Chriſtum conferendo claves Petro, neque ad ejus meritum, neque ad ejus ſuppoſitum, aut perſonam particularem; ſed ad Eccleſiæ maſſam, quam repræſentabat, attendiſſe, atque nomine Eccleſiæ claves eidem contuliſſe; quod probat auctoritate Auguſtini, de quo ſupra capite præcedenti. Tertiò, Petrum non ſuam unius ſed totius Eccleſiæ fidem profeſſum. Quartò, etiam totius Eccleſiæ præmium clavium aut poteſtatis Eccleſiaſticæ accepiſſe.

XXVI. Alphonſus Toſtatus Abulenſis Epiſcopus vir ſæculi ſui doctiſſimus, commentariis in caput xv. Numerorum quæſt. 47. diſputans utrùm ſolus Moſes, cum LXXII. judicibus & populo Iſraëlitico hominem qui ligna die feſto, colligebat, judicaret, per digreſſionem hanc excivit diſputationem quæſt. 48. *An communitas ſeu Eccleſia poſſit habere exercitium juriſdictionis, & an Chriſtus dederit claves ſoli Petro, vel toti Eccleſiæ, & quomodo traſnfertur auctoritas clavium de uno Prælato in alium*, ſtatuit autem, quando dicitur hominem, qui ligna colligebat, incluſum fuiſſe carcere, hoc

in eam partem capi non debere, quòd populus aut tota multitudo eum incluſerit: *quia* (inquit) *ipſa multitudo non habebat juriſdictionem, cùm juriſdictio ſecundùm actum non poſſit cadere in communitatem, ſed in perſonam determinatam, quia juriſdictio requirit actus, ut, judicare & imperare; communitas autem, cùm non ſit aliquid unum propriè ſed per accidens, ut acervus lapidum, non poteſt exercere actus aliquos, imò impoſſibile eſt in communitate eſſe juriſdictionem ſecundùm actum; eſt tamen juriſdictio ſecundùm originem in communitate, & ſecundùm virtutem quia, omnes perſonæ accipientes juriſdictionem ex virtute communitatis accipiunt: quia ipſæ poſſunt per ſe judicare; communitas autem non. Ita autem videtur de clavibus Eccleſiæ, quia illæ datæ ſunt à Chriſto toti Eccleſiæ; quia tamen non poterat tota Eccleſia diſpenſare illas, cùm non eſſet aliqua perſona, tradidit eas Petro nomine Eccleſiæ. Si tamen intelligeretur claves traditas eſſe Petro ſpecialiter, non ſolùm ſequeretur inconveniens commune, quod inducitur, ſcilicet, quòd alii Apoſtoli non habuiſſent aliquam auctoritatem clavium, quod falſum eſt; quia illis data eſt poteſtas remittendi peccata, ut patet Joannis 20. cap. ſcilicet accipite Spiritum ſanctum, & quorum remiſeritis peccata, remiſſa erunt, & quorum retinueritis, retenta erunt.*

XXVII. *Iſta tamen eſt ſola poteſtas clavis. Ergo alii Apoſtoli ſuſceperunt claves. Sed aliud inconveniens majus erat, ſcilicet, quòd, defuncto Petro, non manſiſſent claves, quod neceſſe erat ſi ſoli Petro datæ fuiſſent, & non ſolùm ſi ipſi ſoli, ſed etiam ſi omnibus Apoſtolis datæ fuiſſent claves ſpecialiter tanquàm determinatis perſonis, defunctis illis, non manſiſſent claves in Eccleſia, quia iſti non habebant poteſtatem dandi aliis claves, faciendo eos ſucceſſores ſuos; cùm nemo poſſet Prælatum ſucceſſorem ſibi facere; & tamen omnes ſucceſſores B. Petri & aliorum Epiſcoporum habent claves, ſicut habuit Petrus & alii Apoſtoli, ergo non fuerunt datæ claves illis, tanquàm determinatis perſonis, ſed tanquàm miniſtris Eccleſiæ, & tunc magis dabantur claves Eccleſiæ, cùm Eccleſia, quæ habet ipſas radicaliter, nunquam moriatur.*

XXVIII. *Tunc leviter apparet quomodò mortuo Petro ſuccederent alii ſummi Pontifices in æquali poteſtate, quia illa poteſtas clavium erat in Eccleſia; & quia non poterat Eccleſia eam diſpenſare, cùm non eſſet una perſona, tradita eſt juriſdictio clavium Petro tanquàm perſonæ electæ ad uſum illius juriſdictionis; & quia, mortuo B. Petro, adhuc Eccleſia ſemper habet claves, poteſt enim eligere ſucceſſorem, & eligendo confert eandem poteſtatem, quam habuit Petrus, nec oportet quòd in morte B. Petri Chriſtus iterùm conferret claves ſucceſſori ejus, quod tamen neceſſe erat, ſi Petro datæ fuiſſent claves ſingulariter, vel aliis Apoſtolis ſingulariter, & non Eccleſiæ. Hoc idem patet in communitatibus. Si enim aliqua communitas vel collegium eſt, ibi erit juriſdictio, & quia non poteſt adminiſtrari per totam communitatem, adminiſtratur per unum de communitate, non eſt tamen juriſdictio in illo, ita quòd non ſit in communitate; ſed eſt magis in communitate, quia ille, antequam conſtituatur in judicem vel rectorem, nullam habet juriſdictionem; cum verò communitas illum elegerit vel præfecerit, habet juriſdictionem, illo autem mortuo, vel cedente juriſdictionem, non penitùs exſpirat juriſdictio, quia poteſt aliis præfici in rectorem vel in judicem; non tamen poſſet hoc fieri, ſi non maneret juriſdictio in communitate, ergo ipſa communitas habet magis juriſdictionem.*

XXIX. *Adhuc patet hoc, quia Sede vacante Capitulum habet omnia quæ pertinent ad juriſdictionem Prælati, licèt non ea quæ ſunt ordinis; ſi tamen poteſtas illa eſſet*

Digitized by Google

determinata in perſona, mortuo Prælato exſpiraret. Ergo videtur quòd juriſdictio illa radicaliùs erat in Eccleſia, quàm in Prælato; non tamen haberet eam Eccleſia, niſi in principio ei tradita fuiſſet; quia juriſdictio clavium non eſt talis, quales ſunt juriſdictiones, quas conſtituunt ſibi communitates per leges. Quia cùm iſta juriſdictio ſit in remittendo peccata, & ligando, non poſſunt eam homines ſibi fingere, ſed à Deo ſolùm eſt, cùm ipſe ſolus remittat peccata; in Eccleſia autem eſt iſta juriſdictio, ergò oportet quòd eam aliquando acceperit, & hoc non fuit, niſi cùm primò traditæ ſunt claves à Chriſto, & hoc modo, cùm aliquis eligitur in Prælatum, confertur ſibi per electionem juriſdictio, quia Eccleſia habebat juriſdictionem illam, & non poterat exercere eam, quia non erat una perſona; ideò tribuit uni viro.

XXX. *Et tunc cùm ſummus Pontifex eligitur à Cardinalibus, à tota Eccleſia eligitur, cùm illi nomine totius Eccleſiæ eligant, quia non poteſt tota Eccleſia convenire ad quamlibet electionem; & ſicut electio totius Eccleſiæ tribueret juriſdictionem, ita electio Cardinalium, ſi fiat ſecundùm voluntatem Eccleſiæ expreſſam per decreta ſua & conſtitutiones; ſi autem aliter, nihil confert juriſdictionis, nec erit Pontifex qui eſt aſſumptus.*

Idem Toſtatus quæſt. 49. differit: *An Eccleſia aliquando habeat poteſtatem ligandi & ſolvendi; ſed tunc dicet aliquis (ait) quòd ſi poteſtas clavium, quæ eſt in ſummo Pontifice, eſt in Eccleſia, aliquando habebit Eccleſia poteſtatem ligandi & ſolvendi, quod non eſt conveniens. Reſpondendum eſt, quòd Eccleſia ſuſcipit claves à Chriſto, & & Apoſtoli tanquàm miniſtri Eccleſiæ, & nunc Eccleſia illas habet, & Prælati etiam, ſed aliter Eccleſia quam Prælati; nam Eccleſia habet ſecundùm originem & virtutem, Prælati autem habent ſecundùm uſum earum. Dicitur Eccleſia habere ſecundùm virtutem claves, quia poteſt illas conferre Prælato per electionem; Eccleſia enim quæ ipſum eligit, tribuit ei juriſdictionem illam: Eccleſia autem à nullo ſuſcipit poſtquàm ſemel à Chriſto ſuſcepit, ideò illas per originem & virtutem habet: & quando confert eas Prælato, non confert eas eo modo, quo habet, ſcilicet quantum ad originem & virtutem, ſed quantùm ad uſum; in utroque tamen integræ ſunt claves. Exemplum hujus patet in domino rei: habet uſum rei & confert illum uſum alteri: ſed non eodem modo quo habet: quia ſibi reſervat uſum ut proprietario, alteri concedit ut uſuario, vel uſufructuario, & in hoc confert Dominus quod non habet, quia Dominus rei non eſt uſufructuarius vel uſuarius. Conformiter in Eccleſia, ipſa enim non habet claves quantùm ad uſum, omnia autem iſta deſcendunt ex hoc, quòd Eccleſia non eſt aliquid unum per ſe potens habere adminiſtrationem clavium, ideò illas alteri commendat; ſi autem poſſet per ſe adminiſtrare, non committeret alicui Prælato. Ita autem fuit hic quod juriſdictio erat in populo Judaico, tamen non adminiſtrabat totus populus, ſed ſolùm Judices conſtituti, & iſti juſſerunt puniri hominem in carcere.*

Hæc diſputatio Toſtati in propriis terminis, ut Scholaſtici loquuntur, explicationem primi & ſecundi capitis libelli de Eccleſiaſtica & politica poteſtate continet; verùm ſumma eorum, quæ Toſtatus docet, ad tredecim articulos reduci poſſet. Primus eſt, communitatem aut corpus politicum, quia eſt tanquàm ens aut aggregatum per accidens, non poſſe actum juriſdictionis exercere; ratio eſt, quoniam juxta commune proloquium Philoſophorum, *Actiones ſunt ſuppoſitorum & perſonarum*

rum ſingularium ; non ſuppoſitorum juris ; Suppoſitum vel individuum juris voco Collegia, Communitates, Sodalitia, &c. Quæ Toſtati aſſertio, niſi de communitate diſgregata intelligatur, cujuſmodi eſt Eccleſia per mundum diſperſa, non eſt abſolutè vera, cùm exploratum ſit quaſdam eſſe Communitates, Societates, Collegia & Conventus præditos juriſdictione; nam in politicis Conventus Imperii Germanici, Ordines Regni Poloniæ, Parlamenta atque aliæ Decuriæ Regni Franciæ auctoritate juridicâ pollent; in Eccleſiaſticis verò Concilium per ſeſe cunctos actus juriſdictionis exercere poteſt, ſolâ Verbi divini prædicatione, & Sacramentorum adminiſtratione exceptâ; quia ejuſmodi actus ab unico tantùm Prælato obiri poſſunt. Legendus Gerſonius de poteſtate Eccleſiaſtica conſideratione xi. & Almaïnus de Eccleſiæ auctoritate cap. 6. Item Synodus Nicæna can. 5. At profectò, cùm vita & civilis Societas jure divino, naturali coaleſcat, immeritò & impropriè Toſtatus eam acervo lapidum comparat. Secundò, monet juriſdictionem habitu, originaliter, virtualiter, radicaliter per proprietatem ac dominium populo ineſſe, & perſonas ſingulares eam à communitate tanquàm à cauſa, fonte, origine derivare, ut miniſterialiter quoad actum & exequutionem capeſſant. Ratio eſt, quia ex naturæ inſtituto omnes homines naſcuntur æquales; jure autem gentium unus eſt alio major. Tertiò, cùm perhibet Chriſtum claves Eccleſiæ collectim ſumptæ contuliſſe, nomine quidem Eccleſiæ univerſos Fideles, tum Eccleſiaſticos, cùm Laïcos cum Auguſtino & aliis Patribus intelligit; de quibus ſupra. Quartò, docet claves non quidem Petro conceſſas privatim & ſigillatim, ſed quatenùs Eccleſiam repræſentabat. Nam ſi Petro datæ fuiſſent ſpecialiter ut ſingulari perſonæ, duo inſurgerent incommoda. Alterum, quòd cæteri Apoſtoli non habuiſſent claves à Chriſto, quod falſum eſt, quia Joannis 20. omnibus Apoſtolis dicitur in commune: *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata*, &c. Alterum incommodum & majus quidem, quoniam, Petro vitâ functo, claves non ampliùs in Eccleſia remanſiſſent, quod etiam falſum eſt. Quintò, ait nequaquàm pariter claves Apoſtolis ſuo etiam privato & proprio, ſed Eccleſiæ nomine creditas; alioquin, Apoſtolis vitâ functis, claves non ampliùs manſiſſent in Eccleſia, ſed novo miraculo propagandæ fuiſſent. Quocircà præcedenti capite in analyſi ſententiæ B. Gregorii dicebamus, dato quòd ſoli Petro claves collatæ fuiſſent, ſequi Eccleſiam toties à ſtatu ſuo corruere, quoties Papa moreretur. Item, poſito quòd Papa non canonicè eligeretur, ut poteſt contingere, Eccleſia Catholica à ſuo ſtatu decideret. Quem nodum adverſarii argutiis potiùs involvunt & implicant, quàm ſolvunt. Sextò, obſervat neque Petrum, neque Apoſtolos poteſtatem habuiſſe ſibi deligendi Succeſſores proprio & privato, ſed totius Eccleſiæ nomine, quam repræſentabant; quandoquidem ſi juriſdictio clavium fuiſſet aliquod privatum Apoſtolorum, non totius Eccleſiæ privilegium, Apoſtoli nunquàm illud ad poſteros tranſmittere potuiſſent, quia perſonale privilegium cum eo extinguitur, qui illud poſſidet. Quamobrem videmus ſacris Canonibus caveri, ne quis ſibi privatim ſucceſſorem adoptet, propterea quòd toti Eccleſiæ claves creditæ ſunt cauſaliter, architectonicè, per dominium & proprietatem. Undè antiquitùs *nemo Prælatorum eligebatur, niſi à toto Clero & populo, quorum ſunt claves.* Itaque

Digitized by Google

regulariter unus & ſingularis Prælatus, cùm totam Eccleſiam ſufficienter & adæquatè non repræſentet, niſi fortè ex hypotheſi daretur unicum ſupereſſe Epiſcopum aut Sacerdotem in mundo, aut in aliqua remotiſſima provincia, non poteſt ſibi ſucceſſorem deligere; ex quo accidit ut omnes reſignationes in favorem Simoniacæ habeantur; ideoque lomento plenitudinis Papæ indigeant, quo hæc macula, ut vulgò Pragmatici loquuntur, eluatur. Hinc etiam datur intelligi quàm periculoſa ſit Franciſci à Victoria opinio perhibentis, unumquemque Epiſcopum ſibi poſſe ſucceſſorem in æquali poteſtate ordinaria deligere. Debuit enim vir doctus tempora naſcentis & jam conſtitutæ Eccleſiæ diſtinguere, ut infra pluribus diſputabitur. Septimo, monet eo ipſo quòd claves datæ ſint toti Eccleſiæ in commune, & non ſingularibus perſonis, nunquàm perire aut deficere poſſe in Eccleſia; quarè cap. 1. & 3. hujus libri dixi eſſe immutabiliter, adæquatè, ac per modum æterni atque invariabilis principii in Eccleſia: in Petro autem, Paulo, atque aliis Prælatis ſingulariter & diſtributim ſumptis, miniſterialiter dumtaxat, inadæquatè & per modum tranſeuntis. Octavo, ait hinc eſſe proclive cognoſcere, quomodo, Petro vitâ functo, alii ſummi Pontifices ſuccedant Petro in æquali poteſtate: quoniam Eccleſia originaliter & cauſaliter claves poſſidet, eaſque tradit & tranſmittit ad Pontificem canonicè electum, & ſic de aliis Prælatis. Quam aſſertionem ſimilitudine Collegii aut Communitatis alicujus illuſtrat, quæ ſibi procuratorem ad ſua gerenda negotia cooptat, cui poteſtatem defert ad id neceſſariam; quarè illo Procuratore mortuo, aut provinciam ſibi creditam ejurante, Communitas alium poteſt legere Procuratorem, eique parem & æqualem tribuere poteſtatem. Nono, perhibet, Sede Epiſcopali vacante, totam juriſdictionem Epiſcopalem reſidere in Capitulo, & Capitulum eam ſacris electionibus ei quem delegit, conferre, non tamen Ordinem Epiſcopalem, quem non habet Capitulum; nemo enim dat quod non habet. Decimo, Cardinales tanquàm univerſales Eccleſiæ Procuratores ſummum deligere Pontificem, eique actu, reverà & formaliter poteſtatem clavium aut juriſdictionem nomine totius Eccleſiæ, cujus perſonam & procurationem capeſſunt, hac in parte concedere. Undecimo, Papam reverà habere claves, modò canonicè eligatur, aliàs non eſſe Papam, nec ullam habere juriſdictionem; quod apprimè notandum venit. Hercle jam ſuo tempore S. Bernardus querebatur, *nullum totâ urbe maximâ Eugenium recepiſſe* in Papam, niſi pretio ſeu ſpe interveniente, lib. 4. de conſiderat. cap. 2. ex Voſſii recenſione: quòd ſi quiſpiam hodie talia in vulgus efferret, ut putas exciperetur? Vide Bullam Julii 2. ſeſſione Lateranenſis Synodi adversùs ſimoniacam electionem Papæ. Duodecimo, poteſtatem collatam Eccleſiæ à Chriſto, hoc ipſo à poteſtate Prælatorum ſigillatim & diſtributivè ſumptorum diſtingui, quòd Eccleſia collectim ſumpta claves cauſaliter per proprietatem & dominium poſſideat, Prælati verò ſeorſim & diſtributim capti, quoad uſum, exercitium & miniſterium, ita ut tanquàm uſuarii aut uſufructuarii habeantur, quorum privilegia ſunt perſonalia & cum morte extinguuntur: ex quo relinquitur his verbis, tibi dabo claves, &c. Paſce oves meas, &c. ſolum uſum atque exequutionem regiminis & juriſdictionis credidiſſe Petro, & conſequenter Papam non poſſe eſſe abſolutum Monarcham Eccleſiæ. Hæc eſt ſumma quæſtionis 49. Toſtati in caput 15. numerorum. Decimo tertio, concludit

Digitized by Google

juriſdictionem originaliter, virtualiter, radicaliter & per proprietatem in populo Iraëlitico reſediſſe, in Moſe autem & LXXII. ſenioribus quoad uſum, actum, exercitium & miniſterium, & idcircò, Moſe & Joſue vitâ functis, populum alios ſibi Judices in æquali poteſtate conſtituiſſe, & ita relinquitur Almaïnum lib. de auctoritate Eccleſiæ cap. 7. circa medium rectè dixiſſe Deum, quando Moſem principem populi Iſraël delegit, prævoniſſe quidem populum Iſraëliticum, atque idem penitùs eſſe judicium de Petri electione in Primatem; quem Eccleſia eligere potuiſſet, niſi eum Chriſtus adoptâſſet, ut cap. 1. hujus libri notavimus.

XXXI. Idem Toſtatus commentariis in caput 16. Mathæi quæſt. 56. ubi de confeſſione fidei à Petro edita mentionem facit, *Fortè* (inquit) *Chriſtus tenuit corda diſcipulorum cæterorum ne reſponderent, quia fides Catholica una eſt, ubicumque & apud quæcumque ſit. Ideò conveniens fuit confeſſionem ejus per unum fieri, licet eſſet illa fides multorum. Item quæſt. 88. videtur quòd illud, quod nunc confeſſus fuit Petrus; non fuit nunc noviter revelatum, ſed antè hoc credebant illud diſcipuli.* Item quæſt. 60. *Poteſt dici quòd cæteri Apoſtoli meruerunt credendo ſicut & Petrus, & premium eis redditur, quia tamen ſolus hic Petrus loquutus eſt, reſpondit & ſoli Chriſtus, dirigendo verba ad eum, & tamen verba quæ Petro dantur pro hac fide, dantur etiam aliis, cùm eadem ſit fides omnium, & potiſſimè, quia quædam hic dicuntur, quæ non debuerunt dici à principio in perſona multorum, ſcilicet collatio clavium, ſed in unius perſona, ad ſignificandam unitatem, in qua ſolùm clavium uſus debitus eſt.* Hic attendis, Toſtatum cum omnibus antiquis Patribus aſſererè profeſſionem fidei à Petro editam eſſe totius Eccleſiæ, non unius & ſolius Petri, eamque ob cauſam dici Fidem Catholicam, quia ſi formaliter conſideretur, ſenſum & fidem multorum eſſentialiter includit: adeò ut tantùm repugnet Catholicam eſſe unius & ſolius Petri fidem, quantùm unitatem, quæ eſt principium numeri, eſſe numerum aut contra. Secundò, Abulenſis perhibet hanc fidem pridem antè omnibus diſcipulis revelatam, & ab omnibus creditam; ſed Chriſtum voluiſſe ſolum Petrum confeſſionem edere, ùt oſtenderet claves magis datas unitati, quàm uni, & extra unitatem debito & Canonico uſu carere, quia, ut ſæpè dixi, communio Sanctorum & unitas eſt finis clavium & poteſtatis Eccleſiaſticæ. Undè miror Barradium lib. 10. cap. 23. ſuæ harmoniæ, aſſerere Abulenſem ſentire, Petrum non prò omnibus Apoſtolis, ſed pro ſe dumtaxat fidem profeſſum, cùm hic disertè contrarium appareat. Certè Barradius locum Abulenſis non citat, quod facere debebat, ſi fidem ſibi haberi volebat. Tertiò, ſubnectit Toſtatus quæ in ſpeciem Chriſtus uni Petro pollicetur, reverà omnibus Apoſtolis convenire, & continuò eſſe fundamenta Eccleſiæ, & claves habere cum Petro, quæ doctrina eſt omnium Patrum.

XXXII. Idem quæſt. 67. in hæc verba: *Et ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Dicendum eſt, ait, quòd accipiendo propriè fundari vel ædificari Eccleſiam, non eſt verum quòd ſuper Petrum ſit ædificata; nam id, ſuper quod ædificatur, eſt fundamentum, primæ Corinth. 3. ſcilicet, fundamentum enim aliud nemo poteſt ponere præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus, etiam ipſe ſolus eſt Caput Eccleſiæ, nos autem omnes ſumus membra primæ Corinth. 12. & 4. ad Ephesios. Petrus ergo membrum eſt, & non Caput Eccleſiæ; nec fundamentum. Secundò patet, quia cùm Eccle-*

ſia immortalis maneat, quia portæ inferi non prævalebunt adversùs eam, ut patet in litera, neceſſe eſt quòd fundamentum ſuum ſit magis immortale; & tamen Petrus non fuit ſimpliciter immortalis in ſe, nec in ſucceſſoribus Petri: de Petro patet, quia poſt hæc dicta negavit Dominum ter, in quo Satanas prævaluit contra ipſum, & ſic jam portæ inferi prævaluerunt contra Eccleſiam, ergo non erat fundamentum Petrus Eccleſiæ. De Succeſſoribus Petri patet, quia multi eorum etiam canonicè intrantes prolapſi ſunt in hæreſim, & alii in cultum Idolorum; & poſſunt per Eccleſiam deponi & condemnari, quando inveniuntur à fide devii, ut in decretis 40. diſt. Si Papa, ergo Eccleſia non errat, & Papa errat, & tamen ſi Papa eſſet fundamentum Eccleſiæ, neceſſe erat, illo deficiente, interire Eccleſiam; at non deficit, ſed potiùs errantem Papam corrigit & punit, vel reducit ad veritatem; ergo non eſt Papa fundamentum Eccleſiæ, ſed Eccleſia eſt fundamentum Papæ. *Sed objicitur* (inquit Toſtatus) *quòd Petrus ſit fundamentum, & quòd nunquàm deficiet, quia Chriſtus dixit Lucæ 22.: Ego rogabo pro te ut non deficiat fides tua, ergo fides Petri nunquam deficit, pro qua Chriſtus oravit ne deficeret. Dicendum quòd fides Petri deficit: nam ipſa nocte qua Chriſtus hoc dixit, antequàm gallus bis cantaret, negavit Petrus ter Chriſtum, Marci 14. & Lucæ 22. Secundo, dicendum quòd fides Petri accipitur dupliciter, uno modo pro fide perſonali, id eſt, quam ipſe tenebat ſpecialiter in quantum erat una perſona credens, vel unum membrum Eccleſiæ: alio modo pro fide quam confeſſus eſt Petrus, quæ erat fides communis Eccleſiæ. Primo modo deficit fides Petri, nam in Paſſione Chriſti omnes diſcipuli Chriſti perdiderunt fidem quantùm ad aliquid, ſic Chriſtus dixit, omnes vos ſcandalum patiemini in me iſtâ nocte, & illud erat ſcandalum in corde, ſcilicet, quod propter ea quæ videbant eum pati, putaverunt falſum eſſe quod priùs de eo crediderunt, ſcilicet quòd eſſet Chriſtus Filius Dei. Et quia Petrus putabat quòd nunquàm perderet iſtam fidem, dixit: etſi omnes ſcandaliſati fuerint, ego non ſcandaliſabor, id eſt, non perdam fidem; & Chriſtus ait: antequàm gallus cantet, ter me negabis. Unde apparet quòd Chriſtus non loquutus fuiſſet de fide perſonaliter Petri, quando dixit, orabo ne deficiat fides tua, permiſit quòd immediatè illâ ipſâ deficeret nocte: alia autem fides Petri, id eſt, quam ipſe confeſſus eſt, nunquàm defecit, nec deficere poteſt. Petrus enim antè omnes confeſſus fuit Jeſum eſſe Chriſtum & Filium Dei. Hæc enim fides nunquàm defecit, nam licèt Petrus & cæteri Apoſtoli eam in Paſſione perdiderint, non periit omninò, quia manſit fides in Virgine, quæ nunquàm illam perdidit; & tamen fides hæc vocatur fides Petri, quia ipſe antè cæteros confeſſus eſt, & iſta fides* Petri *nunquàm defuit, ſed fides perſonalis ejus defecit, id eſt, ipſe* Petrus *defecit in fide, & ita non poteſt* Petrus *eſſe fundamentum Eccleſiæ propriè, cùm ejus fides deficiat. Si autem quis velit accipere fundamentum largè pro aliqua eminentia* Petri *ſuper alios Apoſtolos &* Patres *Eccleſiæ, dicetur latiùs in libro noſtro de origine & diſtinctione juriſdictionum. Alii autem dicunt & meliùs, quòd petra, ſuper quam fundatur Eccleſia, eſt Chriſtus, ſcilicet, ſuper hanc petram, quam confeſſus es, ædificabitur Eccleſia: nam petrus non erat petra, ſed* Petrus, *&c. Alii dicunt & adhuc meliùs, quòd petra non accipitur hìc pro* Petro, *nec pro Chriſto, ſed pro confeſſione fidei, quam* Petrus *fecit; Eccleſia enim in fide fundatur, & fides vocatur petra, quia ſolida manet, &c. Et ita Chriſtus dixit* Petro, *ſuper hanc petram confeſſionis tuæ, quia tu dixiſti, tu es Filius Dei vivi, & tu es Chri-*

Digitized by Google

ſtus, & iſta fides manebit ſemper in Eccleſia, & ſuper eam fundatur Eccleſia, quia fundamentum venientium ad Eccleſiam eſt fides; & indè eſt fundamentum & principium totius boni operis, quia ſine fide impoſſibile eſt placere Deo, Hebræorum xj.

Compendium hujus Collectionis redit ad ſex capita. Primùm *tò fundari vel ædificari Eccleſiam*, eſſe vocabula æquivoca, quæ ſi propriè & dogmaticè capiantur, unum & ſolum Chriſtum eſſe fundamentum, architectum & caput Eccleſiæ 3. cap. prioris ad Corinthios. *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere*, &c. Petrus ergo membrum eſt & non caput aut fundamentum Eccleſiæ, niſi æquivocè & impropriè, quatenùs primus eſt & princeps miniſtrorum Chriſti. Secundò, obſervat fundamentum Eccleſiæ eſſe æternum, immortale atque immutabile, & hanc ob cauſam Dominum dixiſſe, portas inferi non prævalituras adverſùs Eccleſiam; porrò dotem hanc æternitatis & immutabilitatis neque Petro, neque ulli ſucceſſorum ſuorum competere, quando poſſunt in fide deficere; nam fides perſonalis Petri, ſicut defecit in paſſione, ita etiam multi ſucceſſores illius prolapſi ſunt in errorem atque hæreſim. Marcellinus quidem thus adolevit idolis, Liberius Arrianiſmo ſubſcripſit, teſte Hieronymo & Hilario; deindè Honorius fuit Monothelita. Certè Papam poſſe in hæreſim cadere confirmatur *diſt. 40. Can. ſi Papa*, quod eſt argumento Papam non eſſe infallibilem. Cùm igitur, ait Toſtatus, Eccleſia errare non poſſit, & Papa erret, ſequitur Papam eſſe non poſſe fundamentum Eccleſiæ; ſed contra, Eccleſiam eſſe fundamentum & regulam Papæ quando eum corrigit, & punit *dicto Can. ſi Papa.* Hîc de Papâ Canonicè electo diſputat, & continuò relinquitur, Toſtatum non habuiſſe hunc articulum 23. dictatum Gregorii VII. pro Evangelio, quòd *ſummus Pontifex, ſi canonicè fuerit ordinatus, meritis B. Petri indubitanter efficitur Sanctus.*

Verùm quæ à Bellarmino aut Baronio pro infallibilitate Pontificum commemorantur, mera ſunt verba & cavillationes. Tertiò, notat duplicem in Petro fidem diſtingui oportere, alteram perſonalem quæ in paſſione Domini defecit, ſicut & aliorum Apoſtolorum, juxta Chriſti ſententiam; *omnes vos ſcandalum patiemini in me in iſta nocte*, quod ſcandalum dicit fuiſſe in corde, undè conſequenter efficitur, juxta Abulenſem, fidem perſonalem defeciſſe in Apoſtolis & Petro ipſo etiam quoad habitum, & non ſolùm quoad actum exteriorem; altera fides eſt Eccleſiæ Catholicæ, contra quam portæ inferi non prævalebunt, & de hac, non de perſonali fide Petri verba Chriſti intelligi debere ait, ego rogavi pro te ut non deficiat fides tua, hoc eſt, quam nomine Eccleſiæ profeſſus es, ſiquidem hæc fides nunquam in B. Virgine defecit; quod etiam tenendum arbitror de B. Joanne & Lazaro, quem paulò antè paſſionem Chriſtus ſuſcitarat à mortuis. Quartò, perhibet petram, ſuprà quam fundatur Eccleſia, eſſe Chriſtum, quem Petrus confeſſus eſt filium Dei, quandoquidem ſuper Chriſtum petram ædificatur Eccleſia; *Petrus autem non erat petra, ſed Petrus* (ait Abulenſis) id eſt, dominationem trahebat à petra Chriſto, quæ ſententia eſt Auguſtini ſupra cap. 4. Quintò, narrat his verbis, *& ſuper hanc petram ædificabo*, &c. petram non capi pro Petro, nec pro Chriſto, ſed pro confeſſione edita à Petro, quoniam hæc fides, *tu es Chriſtus filius Dei vivi*, *vocatur petra*, *quia ſolida manet*, *& iſta fides ſemper manebit in Eccleſia*, *eſtque fundamentum accedentium ad Eccleſiam*

Digitized by Google

& principium omnium bonorum operum. Nam ſine fide impoſſibile eſt placere Deo, & accedentem ad Deum credere oportet, quia eſt, & inquirentibus ſe renumeratur. Hebræor. 11. Sextò concludit, ſi quis velit capere petram & fundamentum largè pro aliquâ eminentia Petri ſuper alios Apoſtolos & Patres Eccleſiæ, hoc modo poſſe dici fundamentum, id eſt, habere primatum ſuper alios. Quæ omnia, ſi dogmaticè conſiderentur, veriſſima ſunt, atque demonſtrant, quòd ſæpè jam inculcavimus ex his verbis Domini, *tu es Petrus aut petra, & ſuper hanc petram*, &c. planum & certum ſenſum erui non poſſe abſque anxia & multiplici ratiocinatione; ac proindè hunc locum nullo modo poſſe velificari patronis abſolutæ monarchiæ, qui nimiùm extendendo & detorquendo Chriſti oracula, *tu es Petrus*, &c. *paſce oves meas*, ipſum primatum funditus peſſumdant, efficiuntque, ut nulla eis etiam vera dicentibus fides habeatur; quoniam nimis altercando veritas amittitur; & qui in mendacio aut cavillatione affectata ſemel deprehenditur, omni fide decidit.

XXXIII. Idem Toſtatus quæſt. 74. in caput 16. Mathæi. *Clavis* (inquit) *quod eſt poteſtas ſpiritualis, in ordine datur, juriſdictio autem non datur in ordine, ſed tunc quando datur materia, id eſt plebs ſubdita &c. Antequam autem habeat Sacerdos materiam ſubditam, claves quidem habet, ſed non poteſt illas exercere; quia non habet materiam, & ita eſt Sacerdos ſimplex, & talis non vocatur Judex Eccleſiaſticus.* Ut hic locus benè intelligatur, operæ pretium eſt notare juriſdictionem Eccleſiaſticam duobus modis poſſe conſiderari, formaliter quoad potentiam & habitum, & materialiter quoad actum vel exercitium, atque Toſtatum fateri quidem claves & poteſtatem ſpiritualem dari quidem cum ordine quoad potentiam atque habitum ſcilicet, non tamen quoad actum & exercitium. Hæc enim ſolùm dantur quando titulus, diœceſis, materia & populus regendus Epiſcopo aut Presbytero permittitur. Nam (inquit) *antequam Sacerdos habeat materiam ſubditam, claves quidem habet, ſed non poteſt illas exercere quia non habet materiam*: ſenſus ergo eſt, Epiſcopum vel Sacerdotem ordinatum abſque titulo, id eſt, certâ diœceſi & parœciâ, habere quidem claves aut juriſdictionem habitu & in actu ſignato, verumtamen eas non poſſe in actum deducere, ſicut videmus Aurifabrum defectu materiæ, aurea vel argentea vaſa cælare aut cudere non poſſe.

XXXIV. Idem Abulenſis Epiſcopus in caput 18. Mathæi quæſt. 18. exponens hoc oraculum Domini, *dic Eccleſiæ*, notat *tò Eccleſia*, *quinque habere notiones in ſcripturis, & primò quamlibet ſignificare congregationem. Secundò ipſum Prælatum ſpiritualem, qui præeſt multitudini. Tertiò ſpiritualem multitudinem. Quartò locum in quem populus congregatur. Quinto Eccleſiam univerſalem clericis & Laicis conſtantem.* Quibus ita præmiſſis, ait apud D. Mathæum *tò dic Eccleſiæ* ſumi poſſe ſecundùm omnes illas acceptiones, quartâ demptâ, *quia* (inquit) *quædam perſonæ ſunt, quarum delicta non ſufficit denunciari alicui Eccleſiæ particulari, ideo nulla particularis Eccleſia poteſt judicare de eo, etiam quantùm ad hæreſim, ſed neceſſe eſt recurri ad Eccleſiam univerſalem, cujus Papa eſt filius, licèt ſit præcipuus filiorum; nam in ea regnat, & in Sacramentis, quòd intra ipſam ſunt, juſtificatur & proficit, & non ſolum in crimine, hæreſeos, ſed etiam in ſpectantibus ad mores denunciatur crimen in Concilio generali, tanquam Eccleſiæ univerſali; & admonet Papam ceſſare à peccato,* Hoc col-

Digitized by Google

lectaneum Toſtati declarat peccatum Papæ denunciari non poſſe Eccleſiæ particulari, quoniam Papa poteſtatem habet ſuprà Eccleſias particulares, nequaquam verò in Eccleſiam univerſalem congregatam in Concilium, ſicut eſt ſtatutum in Synodo Conſtantienſi: verumtamen id ſecus habebat in primitiva Eccleſia, ut teſtis eſt Synodus Sinueſſana particularis, non generalis, in qua tamen Marcellinus P. P. eſt poſtulatus Idololatriæ; Item Canon. 5. Synodi Nicænæ docet ſententiam Epiſcoporum, nemine dempto, ſubjectam fuiſſe provinciali Synodo, quod argumento certiſſimo eſt Papam jure divino non eſſe abſolutum Monarcham Eccleſiæ: adeat Lector librum 1. hiſtoriæ noſtræ Conciliorum generalium.

Præterea quæſt. 115. diſputans quid cauſæ fuerit, ut Chriſtus Mathæi 18. iteratò de poteſtate clavium ageret, cùm eam cap. 16. ſtabiliviſſet. *Dicendum eſt* (ait) *quòd licèt Chriſtus Mathæi 16. poteſtatem aut dederit, aut dandam invenerit omnibus Apoſtolis & miniſtris Eccleſiæ, litera tamen de ſolo Petro loquitur, & ita aliqui putarent ſolo Petro datam; hìc autem cap. 18. oſtendit conſequenter communiter omnibus datam, cùm dicat, quæcumque alligaveritis; & hoc fuit valdè conveniens, ut videatur quòd claves ſunt in Eccleſia, & non in ſolo* Petro, *& ſuprà cap. 16. quando ad ſolum* Petrum *loquutus eſt, non dedit ei ſoli claves, ſed ut oſtenderet quòd uſus clavium ab illis rectè tenetur, qui intrà Eccleſiæ unitatem manent, uni ſcilicet* Petro *loquutus eſt, ut ad Eccleſiæ unitatem loqui intelligeretur.* Et aliquantò poſt. *Non fuit data poteſtas illa clavium ſoli Petro ibi Mathæi 16. ſed omnibus data eſt; & tamen loquutus fuit Chriſtus ſpecialiter ad Petrum, propter cauſas expreſſas ſuprà cap. 16. & maximè ad oſtendendam unitatem Eccleſiæ, & ideò quod hìc dicitur, non ſolùm dictum eſt ad alios, ſed ad Petrum.* Et paulò inferiùs, *ſecundò verba poſita cap.* 18. & 16. *Mathæi, oſtendunt eandem eſſe poteſtatem juriſdictionis in omnibus Apoſtolis, nam poteſtas eſt ad actum & cognoſcitur per actum, & tamen idem actus ponitur hìc & ibi, cùm Mathæi 16. dicatur, quodcumque ſolveris & quodcumque ligaveris, & 18. etiam ponatur ligare & ſolvere, ideò eſt eadem poteſtas hìc & ibi, &c. Quod autem dicitur eſſe perfectiores claves* Petri, *falſum eſt. Nam etiamſi non datæ eſſent claves Petro, quando aliis, non eſſent perfectiores claves* Petri *quàm aliorum: quia ſi perfectiores eſſent, hoc deberet conſtare ex litera: & tamen non apparet, quia quod dicitur ibi, erit ſolutum in Cælis, & hìc, ſolutum in Cœlo, non eſt alia & alia ſententia; quia per hoc nihil importatur niſi ſententia quæ datur hìc à* Prælato Eccleſiæ, *approbatur à Deo, qui in cœlo eſt; & ideo ſivè in Cœlis dicatur, nihil omninò differt, quia cujuſcumque rectè utentis clave Deus ſententiam approbat, habet autem ortum iſte error ex quodam dicto Origenis ſuper locum iſtum Mathæi; ait enim, non dixit Chriſtus in Cœlis ſicut Petro, ſed in Cœlo uno, quia non ſunt tantæ perfectionis ſicut* Petrus, *&c.* Summa hujus quæſtionis Toſtati hæc eſt. *Sunt ergo eædem claves* Petri *& aliorum, & eodem tempore omnibus datæ, ſivè datæ fuerint nunc, ſivè priùs, ſivè poſt, & eædem ſunt claves de quibus agitur hìc & ſuprà decimo ſexto Capitulo, & etiam Joannis vigeſimo, licèt ipſi magis ad claves Sacramentales referatur, licèt poſſit extendi etiam ad claves juriſdictionis.* Hæc collectio Toſtati ſatis claret ex terminis, ſcilicet claves in Petro & aliis Apoſtolis ejuſdem eſſe omninò auctoritatis, virtutis & poteſtatis, hocque primatui nihil derogat. Quod autem ait, aliquos locum Joannis 20. extendere ad clavim Sacramenti pœnitentiæ, non ad clavim externæ juriſdictionis; commentum eſt recentiorum abſolutæ monarchiæ Pontificis ſervire volentium, ut ſuprà oſtendimus.

Digitized by Google

XXXV. Idem Abulenſis ſecundâ parte defenſorii trium concluſionum cap. 63. diſſerens de poteſtate fori interni atque externi, *Solet dici, ait, quòd confertur à Deo mediatè, vel ab ordinatore, vel ab Eccleſia immediatè: quòd à Deo conferatur manifeſtum eſt; quia tota juriſdictio Eccleſiaſtica tam fori contentioſi, quàm conſcientiæ, venit fundamentaliter ex illo verbo, quodcumque ſolveris Mathæi 16. & ex illo, quæcumque ſolveritis Mathæi 18. & ex illo, accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis Joannis 20. & ſimilibus de quibus ſuperſedeo.* Hic attendis, juriſdictionem Eccleſiaſticam mediatè derivari à Deo per miniſterium Epiſcopi ordines conferentis, ac proindè ab Eccleſia immediatè procedere, & ita confirmatur quod paulò antè diximus, juriſdictionem cum ordine Sacerdotali & Epiſcopali conferri quidem formaliter & quoad habitum, vel in actu ſignato, materialiter verò & quoad actum aut exercitium dari, quando materia & titulus confertur.

Idem cap. 64. 2. partis defenſorii: *Ipſe Papa accipit poteſtatem immediatè ab ipſo Deo, vel accipit eam à matre ſua Eccleſia, cujus filius & membrum eſt, in qua eſt plenitudo totius poteſtatis conceſſa ſibi à Chriſto; non dico quòd à Cardinalibus, vel ab Electoribus, aut à conſecratione accipiat, aut ab aliquo alio homine, aut à toto Clero, vel à multis hominibus, ſed à matre ſua Eccleſia, quæ major eſt quàm ipſe, cum ſit filius ejus & membrum.* Toſtatus in hac collectione agit de juriſdictione Papali, non tantùm formaliter & quoad habitum, verùm etiam quoad actum & exercitium: rectè autem docet à tota Eccleſia Catholica, id eſt, à Clero & populo univerſo collectim ſumpto manare, juxtà ſolemnem conſuetudinem Eccleſiæ primitivæ, quæ populum Chriſtianum regendum paſſivè & materialiter admittebat ad electiones tanquàm ſubjectum & materiam, quæ ſe vel Epiſcopo vel Pontifici regendo ſubmitteret: undè hac in re conſenſus populi exigebatur. Quod omnium accuratiſſimè explicat Cardinalis Cuſanus, de quo proximè.

XXXVI. Idem Toſtatus eodem loco cap. 69. perhibet Chriſtum hoc oraculo, *dic Eccleſiæ, inſtituiſſe Concilium Generale tanquam ſupremum Eccleſiæ tribunal, quia, ut ait cap. 70. Synodus univerſalis Eccleſiam Catholicam ſufficienter repræſentat; Chriſtus conſtituit ſupremum tribunal in Eccleſia in ſacro Concilio, etiam ſupra Papam, & non ſolùm in pertinentibus ad fidem, ſed etiam quantùm ad actiones. Quæ omnia patent manifeſtiſſimè ex illo verbo Domini Math. 18. ſi peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipſum ſolum: quòd ſi non audierit, dic Eccleſiæ; & ſi non audierit Eccleſiam, ſit tibi quaſi Ethnicus & Publicanus.* Videndum cap. 70. & 75. ubi accuratè & dogmaticè hanc divinam formulam *dic Eccleſiæ* interpretatur, docetque eidem multò plus habendum fidei, quàm omnibus epiſtolis ſummorum Pontificum, qui efficere nituntur Papam dumtaxat ſubjici Concilio in iis quæ ſunt fidei, non quæ ad mores & reformationem Eccleſiæ pertinent. En ſumma ſententiæ Toſtati de epiſtolis decretalibus Pontificum, quæ teſtimonio Gerſonii quadrat, ſcilicet tantùm habendum fidei ſententiæ Pontificum in ſua cauſa, quantùm juri divino, naturali & Canonico concordant.

XXXVII. Cardinalis Cuſanus lib. 1. de concordantia cap. 11. *Conſiderandum eſt quòd verba Chriſti ad Apoſtolos trahi debent ad Eccleſiam; & in hoc adverti debet quòd aliquando Chriſtus voluit Eccleſiæ aperire myſteria tanquàm Eccleſiæ unitæ, aliquando tanquàm diſperſæ. Et quoniam Petrus ſenior erat inter Apoſtolos, quem ideò ad vitandum ſchiſma, & pacem conſervandam Apoſtolis prætulit, ut dicit Hieronymus lib. 1. contra Jovinianum, tunc* Chriſtus

Digitized by Google

Chriſtus Petrum præpoſitum Apoſtolorum ſæpè alloquitur ut Principem in unitate totam Eccleſiam ſibi commiſſam figurantem & repræſentantem. Nam non dubium, Eccleſia univerſalis claves habet ligandi & ſolvendi dum unita eſt, & non reperitur quòd alibi Chriſtus ipſi tradiderit, niſi ad Petrum loquendo, tibi dabo claves, & quæcumque ligaveris. Hoc Auguſtinus in capitulo 30. de Agone Chriſtiano proſequitur ſimiliter illud dictum Chriſti: Petre, rogavi pro te ut non deficiat fides tua, & ibi portæ inferi non prævalebunt adversùs eam; undè quia, ut dicit Ambroſius diſt. 5. fideliter, Petrus pro ſoliditate Eccleſiæ petra dictus eſt, ex eo petra, quia ipſe eſt qui primus in Nationibus Fidei fundamentum poſuit, & tanquàm immobile ſaxum totius operis Chriſtiani compagem molemque continet; ideò Chriſtus de Eccleſia loqui volens, ad eum tanquàm ipſam figurantem loquitur, ideò Eccleſiæ privilegia ſolidè ex iis, quæ Chriſtus tradidit & promiſit & loquutus eſt Petro, haurire debemus. Iſtinc ergo tria colligimus: Primò, Chriſtum aliquando ſua myſteria toti Eccleſiæ individuè & in commune aperire, omneſque Apoſtolos atque diſcipulos alloqui, quemadmodùm dum eos individuè & in commune mittit, ſicut miſit me pater, & ego mitto vos, &c. Joan. 20. Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis, Mathæi 18. &c. Secundò, Dominum aliquando Eccleſiam affari tanquàm unitatem in perſona Petri, propter primatum quem habuit in diſcipulos, quia Petrus figura eſſet Eccleſiæ, *tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, Math. 16. Item Lucæ 22. *Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua*, &c. Ex quo inſurgit claves magis propriè convenire unitati, quàm uni; adeò ut extra unitatem ſint in ſtatu violento contraque uſum Canonicum. Verùm Cuſanus poſt Hieronymum multoſque alios Patres, notat Chriſtum ſeorſim alloquutum Petrum tanquàm natu majorem, & continuò, ſuper alios Apoſtolos primatum honoris atque ætatis obtinere, de juriſdictione atque adminiſtrationis plenitudine infra. Tertiò, concludit omnia Eccleſiæ privilegia ſolidè peti oportere ex iis, quæ Chriſtus promiſit & contulit Petro, quia *propter quod unumquodque tale & illud magis.* Quamvis enim Dominus Petro ſeorſim, tamen id capiendum eſt in eam partem, ut ei pro tota Eccleſia loqueretur, quod probat Auguſtini & Ambroſii teſtimonio, undè lib. 12. de concordia cap. 23. ſub finem. *Prælati etiam omnes habentes ligandi & ſolvendi poteſtatem, quòd miſſi ſunt à Chriſto ſicut Chriſtus à Patre, manifeſtum eſt ex verbis Chriſti, Joannis 20. Sicut miſit me Pater, ubi apparet quod ſicut Chriſtus fuit Filius Dei verus, ita Eccleſia ejus Corpus myſticum habet miſſionem ſimilem à Chriſto. Quarè Eccleſia, ſicut Chriſtus, habet auctoritatem mittendi. Reſideo itaque in hac concluſione, quòd principatus Eccleſiaſticus ob unitatem Eccleſiæ, & ad ejus ſervitium & miniſterium à Deo ordinatus, in realitate ſua à Chriſto per Eccleſiam conſtituitur.*

Hæc igitur mens Cuſani, nimirùm facultatem remittendi eminentiùs & architectonicè convenire toti Eccleſiæ, atque primatum inſtitutum à Chriſto ad ſervitium & miniſterium Eccleſiæ; quâ de cauſa Apoſtoli, tanquàm poteſtatem eminentiæ habentes, mittunt Petrum & Joannem in Samariam, Actor. 8. & teſte Euſebio in Chronico, Petrus miſſus eſt Romam, ab Eccleſia ſcilicet. Item Apoſtoli illum Primatem elegerunt, eamque ob cauſam notat Principatum Papæ, & Epiſcopum à Chriſto per Eccleſiam conſtitui, ut pluribus confirmat infra.

Digitized by Google

Item ſæpè alius demonſtrat juriſdictionem Eccleſiaſticam formaliter & quoad habitum conferri unà cum Sacerdotio Chriſti, lib. 1. de concordantia cap. 6. *Sacerdotio convenit virtus regitiva, vivificativa, & illuminativa, quoniam Sacerdotes ſunt lux mundi & ſal terræ.* Videtur autem alludere ad hos actus Hierarchicos, illuminare per doctrinam, purgare per pœnitentiam & cenſuras, & perficere aliorum Sacramentorum miniſterio. Ibidem cap. 10. *Sacerdotium eſt ut anima una in uno corpore Fidelium, quæ membris communicat vivificationem, vegetationem & ſenſationem, & juxta graduationem membrorum quibus præſidet, gradum in præſidentia Cathedrali ſortitur: & hic eſt tenendum animo, quod ſicut anima reſidens in capite æquiparatur Pontifici Romanæ civitatis, cujus reſpublica ſupremum locum mundi obtinet; ita anima reſidens pariformiter gradatim in aliis membris, alios Pontifices repræſentat juxta graduationem*, &c. Verùm hæc non ſunt ad rigorem literæ capienda, ut velit Cuſanus Papam influere juriſdictionem in totam Eccleſiam, ſicut caput aut anima, quæ eſt in capite, in totum corpus humanum influit; ſed hoc moraliter intelligi debet, ſcilicet, Papam propter primatum quem habet à Chriſto, necnon etiam propter electiones, & dignitatem urbis Romæ, quæ eſt caput mundi, exercere functiones Eccleſiaſticas eminentiores. Quod ipſum diffuſiùs cap. 3. libri 2. ad hunc modum illuſtrat.

„ Sed pro inveſtiganda veritate illius, an ſcilicet de jure poſitivo omnes Prælati inferiores Papæ, derivativè, ſcilicet ab ipſo Papa, juriſdictionem habeant, ut notant Doctores in caput, quæ ad Eccleſiarum præſertim Dominus Fr...... oportet primò, ſi hoc verum foret, Petrum aliquid à Chriſto ſingularitatis recepiſſe, & Papam in hoc ſucceſſorem eſſe: ſed ſcimus, quòd Petrus nihil plus poteſtatis à Chriſto accepit aliis Apoſtolis 21. diſt. in novo 24. quæſt. loquitur; nihil enim dictum eſt ad Petrum, quod etiam aliis dictum non ſit. Nonnè ſicut Petro dictum eſt, quodcumque ligaveris ſuper terram; ita & aliis, quæcumque ligaveritis? & quamquàm Petro dictum eſt, tu es petrus, & ſuper hanc petram, tamen per petram, Chriſtum, quem confeſſus eſt, intelligimus: & ſi Petrus per petram tanquàm lapis fundamenti Eccleſiæ intelligi deberet, tunc ſecundùm ſanctum Hieronymum, ita ſimiliter alii Apoſtoli fuerunt lapides fundamenti Eccleſiæ, de quibus habetur Apocalypſeos penultimo, ubi per duodecim lapides fundamenti Civitatis Jeruſalem ſanctæ Eccleſiæ nemo dubitat Apoſtolos intelligi debere, etſi Petro dictum eſt, paſce oves, tamen manifeſtum eſt quòd illa paſcentia eſt verbo & exemplo. Ita etiam, ſecundùm S. Auguſtinum in gloſſa ſuper eodem verbo, omnibus idem præceptum eſt ibi: Euntes in univerſum mundum, Mathæi & Marci ultimo, nihil reperitur Petro aliud dictum, quod poteſtatem importet aliquam; ideò rectè dicimus, omnes Apoſtolos in poteſtate cum Petro æquales. Inſuper eſt ad memoriam reducendum, quòd in principio Eccleſiæ fuit unus tantùm Epiſcopatus generalis diſtinctione diœceſeum per orbem diffuſus 7. quæſt. 1. Novatianus, verſu Item Epiſcopus. Et propter hoc notatur in cap. 2. de translatione, quòd ad eſſe Epiſcopi non requiritur, quòd ſit illius vel illius loci Epiſcopus, ſed ſufficit quòd ſit generalis Eccleſiæ, ſicut Paulus & Barnabas, qui dum mitterentur, generaliter miſſi ſunt 75. diſt. quod die Dominico, ut hoc notat Oſtienſis in ſumma de tranſlat. de quo etiam

Digitized by Google

ſuperiùs aliquo loco latiùs dictum reperitur. Undè, cùm poteſtas ligandi & ſolvendi, in qua fundatur omnis Eccleſiaſtica juriſdictio, ſit immediatè à Chriſto, ut notat Joannes in cap. de renunciatione lib. 6. de pœnitent. diſt. 1. verbum ad ſimilibus; & quia ab illa poteſtate ligandi & ſolvendi eſt divinæ juriſdictionis poteſtas, patet omnes Epiſcopos, & fortè etiam Presbyteros, æqualis poteſtatis eſſe quoad juriſdictionem, licèt non exequutionis: quandoquidem exercitium exequutivum ſub certis poſitivis terminis clauditur & reſtringitur propter melius & cauſam cum majori parte perducendi omnes homines ad finem ſuum, ſcilicet Deum: ob quem finem finaliter omnis poteſtas & juriſdictio & ſtatuta humana per media proportionata tempori & loco tendere debent. Undè ceſſante cauſâ ſtatuti illius, quæ habet diſtinctionem terminorum, & quòd nullus alterius terminos ingrediatur, puta vel ob negligentiam inferiorum vel neceſſitatem; tunc ceſſant illa politica jura, & hoc videmus dum ſumus extra humana politica jura, in naturali ſcilicet jure, tempore neceſſitatis, quando tunc omnis Sacerdos à quocumque delicto, etiam à Papa excommunicatum, & qualemcumque abſolvit. Undè adminiſtratio neceſſariò partim erit de jure poſitivo, quoad gradus majoritatis & minoritatis: quòd enim diœceſes ſint diſtinctæ, & unus Epiſcopus ſuper Presbyteros ad unitatem conferendam conſtitutus, hoc eſt de poſitivo jure, Deo tamen inſpirante 93. legimus & 95. diſt. olim: quare dicimus ſecundùm Oſtienſem in ſumma de Majoritate & obedientia, quòd omnes Epiſcopi unius ſunt poteſtatis & dignitatis, quæ ſupra ſunt, ſcilicèt Archiepiſcopalis, Patriarchalis & Papalis ſunt adminiſtrationes, ut eſt gloſſa in allegato c. in novo & 2. quæſt. 7. puto. Majoritas autem adminiſtrationis (quæ quidem adminiſtratio à juriſdictione dependet) ex conſenſu ſubjectionali partim conſtituitur, ſicut dicimus electum in eligentes, ex eo quia habet adminiſtrationem, ordinariam habere juriſdictionem. Ita notatur in cap. de renunciatione lib. 6. Cardinales nomine univerſalis Eccleſiæ Papam eligere, & per hoc quòd ſe per illam electionem univerſalis Eccleſia ſubjicit electo, adminiſtratio illa in ipſo cum illa tranſlata juriſdictione in eum per electionem facit eum Papam. Non nego tamen divinam poteſtatem concurrere auctoriſantem & confirmantem; ut ubi notatum & certo loco inferius, præſertim in fine partis tangitur. Ex quibus patet juriſdictionem in Romano Pontifice, ita conſtitui ex divino privilegio & electione, ſicut in aliis adminiſtrationem Eccleſiaſticam habentibus, & ſicut gradualis majoritatis principatus etiam eodem modo conſtituitur ex divina ordinatione & electione ſine conſenſu ſubjectorum, ut dicit textus in novo allegatus, Petrum Apoſtolis volentibus à Chriſto principem conſtitutum: ſic & in aliis adminiſtrationem habentibus, quæ quidem adminiſtratio per Eccleſiam diſtributa & ordinata legitur, ut notat Oſtienſis, &c. Quare hoc ſolum ſingularitatis in Petro invenimus, quòd ipſe fuit major in adminiſtratione ad quam volentibus Apoſtolis eſt electus, quia ſenior erat ut vult S. Hieronymus contra Jovinianum lib. 1. Verùm licèt Romanus Pontifex principaliter ſucceſſor ſit S. Petri, tamen non poſſumus negare omnes Epiſcopos eſſe ejuſdem ſucceſſores. Petrus primò Pontificatum ſuper Apoſtolos accepit, ut in præallegato Canone in novo. Cùm autem Epiſcopatus ſit princi-

„ patus ſuper Sacerdotium, ut præhabitum eſt, quare dicere habemus principatum
„ Eccleſiaſticum ſucceſſione quâdam à primo principe ſcilicèt Petro dependere. Et
„ ſicut principatus Petri à legatione Chriſti dependebat, ita & omnium Epiſco-
„ porum, ut dicit Anacletus in eodem Can. in novo. Quare qui eos audit, Chri-
„ ſtum audit, & non dicit, qui eos audit, Papam audit; imò Apoſtolicum præce-
„ ptum habent omnes Epiſcopi regendi ſe & gregem, in quo Spiritus Sanctus eos
„ poſuit ad regendam Eccleſiam, & ex illo judicium ſynodi ipſis creditum eſt, quia
„ principes ſunt & Rectores Eccleſiæ.“ Deindè caput concludit conformiter ad
quintum Nicænum & ſecundum Canonem Conſtantinopolitanum, “ quòd unam-
„ quamque provinciam provinciæ ſynodus adminiſtrabit, etſi omnes mundi pro-
„ vinciæ convenirent, ſicut tunc quælibet poteſt ſibi providere: & mirum eſt di-
„ cere non poſſe omnes congregatas cum plena auctoritate legatorum, cùm quili-
„ bet per ſe poſſet: quilibet autem per ſe ſine Papa non dubium ſibi providere
„ poteſt. Ergo & omnes, eo regulariter non ſpreto, nolenti & potenti intereſſe Ro-
„ mano Pontifice, ac alio ad ſynodum ſpectante, cùm tamen majoris ſit auctoritatis
„ ſynodus plurium provinciarum quàm unius, & dum hanc partem defendimus
„ quòd Papa non eſt univerſalis Epiſcopus, ſed ſuper alios primus, & ſacrorum Con-
„ ciliorum non in Papa ſed in conſenſu omnium vigorem fundamus, tunc quia
„ veritatem defendimus & unicuique ſuum honorem reſervamus, rectè Papam
„ honoramus 99. diſt. Ecce.

Compendium collectionis horum trium capitum Cuſani quindecim continet notabilia, quæ nos manuducunt in cognitionem poteſtatis Eccleſiaſticæ, propagationis ejuſdem, necnon auctoritatis Papæ. Primò, docet Sacerdotium Chriſti communicatum Eccleſiæ eſſe cauſam efficientem totius juriſdictionis Eccleſiaſticæ, de qua re ampliùs agetur infra. Secundò, notat quoſdam Canoniſtas cap. *de Eccleſiis*, ut arbitror, nullum enim extat cap. ab Eccleſiarum, perhibere omnes Epiſcopos & Curatos, quos appellat inferiores Prælatos, ſuam derivare juriſdictionem à Papa, quam opinionem ut falſam rejicit, & ſequentibus rationibus profligat. Tertio, quia oporteret Petrum aliquid ſingularitatis privatim accepiſſe à Chriſto, quod non datum etiam eſſet cæteris Apoſtolis, hoc autem, inductione factâ eorum omnium quæ Petro dicta ſunt, falſitatis convincit. Nam ſicut Petro dictum eſt, quodcumque ligaveris, Math. 16. ita omnibus Apoſtolis, quæcumque alligaveritis, Math. 18. Deindè, dato quòd Petrus ſit petra & fundamentum Eccleſiæ, hoc illi cum reliquis Apoſtolis commune eſt: qui quidem ſunt pariter petræ & fundamenta Eccleſiæ, Apocalypſeos 21. & ſupra probatum eſt Hieronymi auctoritate. Item quæ dicuntur Petro Joannis ultimo: *Paſce oves meas*, omnibus aliis dicuntur, quia paſcere nihil aliud eſt quàm populum docere & regere per actus Hierarchicos, quod cunctis Apoſtolis ex æquo convenit; hæcque verba, *paſce oves meas*, reipſa idem ſunt & ſignificant cum his aliis quæ individuè & in commune omnibus dicuntur, Mathæi & Marci ultimo: *Euntes in mundum univerſum docete omnes gentes, prædicate Evangelium omni creaturæ.* Undè 1. Petri 5. omnibus Epiſcopis & Presbyteris dicitur, paſcite qui in vobis eſt gregem Dei, &c. Quartò, obſervat in principio naſcentis Eccleſiæ unicum dumtaxat fuiſſe Epiſcopatum

Digitized by Google

abſque ulla diſtinctione diœceſeum vel parœciarum, adeò ut omnes Apoſtoli æquè eſſent œcumenici, & univerſales Epiſcopi ſicut Petrus. De qua re ſupra cap. 2. hujus libri. Quintò Canoniſtas notare ad eſſe Epiſcopi aut ad poteſtatem Epiſcopalem, locum & diœceſim nihil quicquam conferre cap. *inter corporalia* §. *Cùm quis Epiſcopus de Tranſlatione : ſed ſatis eſſe quòd aliquis donatus ſit ordine & charactere Epiſcopali*; ita ut in quemlibet poſſit Eccleſiaſticam poteſtatem formaliter exercere, ſicut Sacerdos formaliter poteſt quemcumque peccatorem à quocumque caſu etiam reſervato. Pontifici neceſſitate occurrente abſolvere, idque clarum eſt ex Epiſcopis quos titularios vocamus. Undè relinquitur Epiſcopos formaliter ſumptos & abſtrahendo ab diœceſi eſſe illimitatos & univerſales; diœceſeum autem traditio & limitatio eſt juris merè poſitivi pro charactere & ad vitanda ſchiſmata inſtituta. Undè in caſu neceſſitatis hæc jura poſitiva ceſſant, juxta regulam S. Bernardi de præcepto & diſpenſatione. Sextò, ait omnem juriſdictionem Eccleſiaſticam fundari in poteſtate ligandi & ſolvendi, hancque poteſtatem omnes Epiſcopos & Presbyteros æquè immediatè habere à Chriſto, ex quo infert hoc problema, *utrùm propter hanc poteſtatem ligandi & ſolvendi, id eſt, Sacerdotium Chriſti omnibus Epiſcopis & Presbyteris ex æquo communicatum, Eccleſiaſtica juriſdictio intenſivè, formaliter & quoad habitum ſit æqualis in Epiſcopis & Presbyteris, quamquam ratione materiæ, exercitii, exiſtentiæ, exequutionis & adminiſtrationis differat in utriſque ; quia major datur adminiſtratio Papæ, quàm Epiſcopis; & Epiſcopis, quàm Presbyteris.* Quod poteſt illuſtrari parabolà Chriſti, varia talenta variis hominibus diſtribuentis; adeò quidem ut alii haberent unius talenti, alii duorum, alii trium adminiſtrationem, &c. & tamen omnes idipſum immediatè à Patrefamilias acceperant, tam ille qui unicum, quàm qui decem acceperat. Septimò, indicat hanc varietatem exequutionis & adminiſtrationis non eſſe juris divini, quia diſtinctio & limitatio diœceſeum, Parœciarum, & Patriarchatuum à quibus adminiſtratio atque exercitium Eccleſiaſticæ poteſtatis dependet & variatur, eſſe juris poſitivi; quam varietatem notat in bonum Eccleſiæ factam, ut homines faciliùs in ſuum finem, Deum videlicèt & vitam æternam perducerentur : deindè ſubjicit, in caſu neceſſitatis hanc diſtinctionem & limitationem adminiſtrationis & diœceſeum ceſſare ; quoniam ſimplex Sacerdos in caſu neceſſitatis quemcumque à quocumque caſu etiam Papæ reſervato abſolvit, tum enim ceſſant poſitiva jura : undè vulgò perhibetur neceſſitati legem imponi non poſſe, maximè in rebus moralibus & politicis, quæ ſunt naturâ ſuâ mutationi obnoxia. Octavò, probat Epiſcopatum quemdam eſſe principatum ſuper ſimplices Presbyteros jure poſitivo per ſacras electiones ad unitatem conſervandam & vitanda ſchiſmata introductum *diſt.* 93. *Can. legimus & diſt.* 95. *Can. olim* ; idque ait factum Deo inſpirante, & ita liquet Cuſanum ſententiam amplecti quam plerique B. Hieronymo tribuunt, *Can. olim*. Hoc autem quam in partem capi oporteat infrà docebimus. Simili etiam ratione ad vitanda ſchiſmata idem Hieronymus S. Petrum ab aliis Apoſtolis electum in Primatem perhibet, lib. 1. adversùs Jovinianum. Nonò, contendit juxta Oſtienſem in ſumma cunctos Epiſcopos ejuſdem eſſe dignitatis & poteſtatis ; diſtingui autem ſecundùm majorem aut minorem adminiſtrationem vel exercitium Patriarchatus ſcilicèt, Papatus, Archiepiſcopatus & Epiſcopatus: quo-

Digitized by Google

niam diverſa eſt illorum adminiſtratio atque exercitium; ſicque omnes Epiſcopi formaliter & intenſivè æquales ſunt in ordine, poteſtate ac juriſdictione: ſed Papa major in adminiſtratione atque exercitio, ut gloſſa nominatim docet ſuper Can. in novo diſt. 21. Neque mirum videri debet poteſtatem intenſivè, formaliter, & quoad habitum, eſſe æqualem in omnibus Epiſcopis, & tamen materialiter & quoad uſum atque exequutionem differre, id enim ab hac quæſtione pendet: *An aliqua poteſtas eſſe poſſit ſine exercitio adæquato ſuæ facultati.* Certè Lyranus ad hæc verba. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra, Mathæi ultimo, reſpondet Chriſtum ab inſtanti ſuæ conceptionis hanc habuiſſe poteſtatem auctoritativè, non tamen exequutivè ante reſurrectionem.* Decimò, narrat exercitium, & adminiſtrationem hanc pendere à juriſdictione, & juriſdictionem proficiſci à conſenſu ſubjectionali eorum, qui aliquem in Papam aut Epiſcopum deligunt, ac eligendo populum illis ſubjiciunt. Quamobrem eo ipſo quòd Cardinales, velut Eccleſiæ univerſalis procuratores, Papam cooptant, ait Eccleſiam univerſalem ſubjicere adminiſtrationi Papæ; atque, unà eidem juriſdictionem conferre in univerſalem Eccleſiam: idemque penitus eſſe judicium de Patriarchis, Epiſcopis, &c. quibus per electiones amplior aut ſtrictior defertur adminiſtratio, & ita antecellunt Presbyteris ſimplicibus, quibus anguſtiſſima defertur adminiſtratio; quæ omnia doctrinæ Toſtati ſuperiùs poſitæ concordant, quoniam de juriſdictione Eccleſiaſtica diſſerens, eam capit materialiter, & quoad actum ſivè exercitium; non autem formaliter, & quoad habitum ratione clavium & poteſtatis, quæ cum ordine Epiſcopali aut Presbyterali confertur. Verùm de ordine paulò poſt Cuſanus agit. Undecimò, iterum declarat Petrum ætatis atque honoris primatum obtinuiſſe ſuper alios Apoſtolos, atque primatum juriſdictionis per Apoſtolorum electionem conſequutum; deindè hodiernâ die eandem eſſe rationem juriſdictionis Papæ ſuper Eccleſias particulares Chriſtianitatis, quoniam eam per Canonicam electionem Cardinalium aſſequitur; hi enim, velut Eccleſiæ univerſalis procuratores, plenitudinem adminiſtrationis pro exequutione juris divini, naturalis & Canonici, Papæ deferunt; & hac adminiſtratione per electiones delatâ Papæ, ait hunc majorem & ſuperiorem eſſe aliis Epiſcopis, & Epiſcopos ſimplicibus Presbyteris. Cujus ſententiæ hæc ſumma eſt; quamquàm Dominus primatum inſtituerit, & ob ætatem, quâ Petrus alios anteibat, Petro detulerit, nihilominus voluiſſe Petrum communibus Apoſtolorum ſuffragiis legi: ut hoc communi conſenſu, titulus, auctoritas, & juriſdictio Primatui debita ſecundùm legem divinam, naturalem conſtitueretur, & confirmaretur. *Non nego tamen*, ait Cuſanus, *divinam poteſtatem concurrere auctoriſantem & confirmantem ejuſmodi electionem, atque juriſdictionem in Romano Pontifice conſtitui, & divino privilegio & electione, ſicut in aliis adminiſtrationem Eccleſiaſticam habentibus, ut dicit textus in novo allegatus, Petrum, Apoſtolis volentibus, à Chriſto principem conſtitutum. Hinc ergo inducit Petrum, quoad auctoritatem & juriſdictionem*, majorem fuiſſe reliquis Apoſtolis ratione electionis, quâ eum Apoſtoli principem ſibi effecerant, memorato *Can. in novo diſt.* 21. Ex quo inſurgit, ad retinendam auctoritatem Primatus, neceſſum eſſe fateri, ſacras electiones juris eſſe divini naturalis. Duodecimò, perhibet omnes Epiſcopos eſſe ſucceſſores Petri, ſicut & Romanum Pontificem; quia ſicut cuncti Apoſtoli indiviſim,

Digitized by Google

in commune & in ſolidum effecti ſunt legati, proreges, vicarii & miniſtri Chriſti per ejus Sacerdotii adeptionem, ſimiliter & Epiſcopi etiam individuè, in commune & in ſolidum huic legationi & miſſioni Apoſtolorum, ad Sacerdotium Domini exercendum, ſuccedunt jure divino; quoniam jure divino Eccleſia ad poſteros propagatur. Undè Chriſtus omnibus dicit, *qui vos audit, me audit*, non autem Papam audit: nam omnes Epiſcopi ex præcepto domini Actor. 20. & ſeipſos & gregem in ſolidum paſcere tenentur; *attendite vobis & univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit, Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.* Quapropter Theologi docent, univerſos Epiſcopos & Sacerdotes, non delegatâ poteſtate Papæ, ſed immediatè à Chriſto proportionatam auctoritatem habere regendi Eccleſiam, leges ferendi, excommunicandi, &c. ſunt enim veri atque legitimi Eccleſiæ judices & rectores, non ſimplices Papæ aſſeſſores aut conſiliarii. Decimò Tertiò à minori ad majus concludit, generalem ſynodum, abſente Papâ, aut etiam ſi nolit adeſſe, poſſe omnia, quæ erunt neceſſaria ad Eccleſiæ regimen, ſtatuere. Cùm enim Nicænis & Conſtantinopolitanis quinto & ſecundo Canonibus decretum ſit, omnia provinciæ negotia ſynodo provinciæ definiri oportere, quantò magis Synodus generalis hoc ipſum pro negotiis Eccleſiæ univerſalis præſtare poteſt, ſi Pontifex officio ſuo fungi recuſet. Decimò quartò, monet Papam non eſſe Epiſcopum univerſalem, ſed duntaxat primum Epiſcoporum, adnectit robur atque vigorem omnium Conciliorum & Canonum, non à Papa, ſed à conſenſu univerſali, & communione ſanctorum manare. Quod lib. 4. infra demonſtrabitur. Decimò quintò, perhibet hanc ſuam doctrinam unicuique ordini Eccleſiaſtico ſuum jus, honorem & dignitatem ſervare, congruenter ad mentem S. Gregorii diſt. 99. Can. Eccè.

Item eodem lib. 2. de concordantia cap. 19. *Si jura ac dicta Sanctorum Patrum, quæ loquuntur nullum ad præſidentialem curam ordinari debere, niſi electum ab iis quibus præſidere debet, ſervarentur, ut ſua præſidentia originem ab iis ſe habere cognoſcat quibus praeeſt, & ſic abſque ſuperbia in amore paſcat; tunc videremus quomodo ex ordinatis gradualibus electionibus ad hoc rectè devenitur, quod ſuperiùs per S. Auguſtinum dictum eſt; ſcilicet, quòd de petra, id eſt, Eccleſia Fidelium, Petrus oritur. Non quòd poteſtas præſidentialis, quod in Præſidentibus ineſt, à populo totaliter ortum capiat, ſed ſicut prahabitum eſt ſuperiùs; tunc Sacerdotium, quod eſt ut anima in Eccleſia militante, anima autem, ſecundùm motivam ejus & ſenſitivam partem conſiderata, educitur de potentia materiæ, ſecundùm autem rationalem ejus partem conſiderata, à Deo eſt; ſic Sacerdotium capit ab inferiori populo Fidelium illam præſidentialem, motivam, vegetativam & ſenſitivam poteſtatem, quæ poteſtas erit de potentia materiæ ſubditorum per voluntariam ſubjectionem: à Deo autem per Sacramenta capit poteſtatem rationalis animæ, quæ deſurſum venit, ut ſic poſſit in dulci concordantia ſupernâ poteſtate per medium elicita & tradita poteſtatis influere in corpus ſubjectorum, quæ ad ſalutarem unionem cum Chriſto capite perficiuntur.* Item aliquantò inferiùs. *Pulchra eſt hæc ſpeculatio, quomodò in populo omnes poteſtates tàm ſpirituales in potentia latent, quàm etiam temporales & corporales; licèt ad hoc, quòd ipſa præſidentialis poteſtas in actu conſtituatur, neceſſariò deſuper concurrere debeat radius formativus, qui hanc conſtituat in eſſe; quoniam omnis poteſtas deſurſum eſt, & loquor de ordinata poteſtate.* Item lib.

Digitized by Google

3. cap. 41. verſùs finem : *tota iſta noſtra Eccleſia ex corpore & anima juxtà præfata conſtituitur, divino Spiritu eandem Eccleſiam per concordiam inhabitante & inſpirante, ut ſic ex Spiritu divino, anima Sacerdotali & corpore Fidelium, una omnium Fidelium Chriſti Eccleſia concorditer ſubſiſtat, ruptâ vero harmoniâ, ac naturaliter concordante proportione, ut notiſſimum eſt, in quolibet vivente; ſegregatur anima à corpore, præcedente mortali febri, & incurabili infirmitate. Non ſe Romanus Pontifex exaltet inter cunctos Domini Sacerdotes, exiſtimans alios nihil in exequutoriali adminiſtratione, niſi quantum ipſe conceſſerit, poſſe : ſed recordetur pluries longo tempore Papatum vacaſſe, ſicut poſt Marcellinum ſeptem annis, & aliis temporibus, aliquando duobus, & tamen non erat inefficax Sacerdotium; & cogitet ſuam proprietatem divinâ diſpoſitione, pro cunctorum ordinata graduatione, & Eccleſiæ inconfuſa pacis tranquillitate ſervanda, quoad ſpiritualem poteſtatem, quæ ſolùm à Chriſto eſſe poteſt, illi nihil conferre propter quod ſe meritò exaltet. Conſideret, etiamſi Sacerdotium eſt ut anima una, quæ eſt tota in toto & in qualibet ejus parte, quòd tunc exequutiones poteſtatum, quoad decretam provinciam ſecundùm plus & minus quam ab extrinſeco dependeant, non diminuunt ſpiritualem poteſtatem in ſe : undè, ſicut ipſa anima in pede hominis non eſt major nec minor, propter vitam quam pedi præſtat ipſa anima, quæ in capite vel corde reſidet, ſic ipſe Papatus ſe habet, ut anima in capite, & Patriarchatus, ut anima in auribus vel in oculis, & Archiepiſcopalis dignitas, ut anima in brachiis, & Epiſcopalis, ut in digitis, & ſic de ſingulis uſque ad pedes, qui in republica plures deſignant : undè anima eis vitam præſtans Curatum rectè figurat : una eſt ergo à Deo omnium ligandi & ſolvendi ac vivificandi poteſtas, licèt illa ex parte membrorum, alia & alia & major & minor videatur.*

Summa hujus collectionis ad tria redit capita. Primùm, ſi jura, Canones, dicta & monita SS. Patrum ſervarentur, quæ vetant quemquam ad Epiſcopatum promoveri niſi Canonicè, id eſt, ab illis ipſis electum, quibus debet præſidere; omnes quidem Prælati originem ſuæ præſidentiæ & auctoritatis acceptam referrent illis ipſis, qui eos elegiſſent : neque auſterè, coactè & ſuperbè imperarent, ſed conformiter ad Præceptum Petri *ſecundùm Deum paſcerent voluntariè & ſpontaneè, non ut dominantes in Cleris, ſed ut exemplum facti gregis ex animo*, 1. Petri 5. Hinc ergo Cuſanus captat occaſionem interpretandi, quod ſupra ex Auguſtino propoſuimus, *Petram eſſe Eccleſiam, & Petrum populum Chriſtianum*, id eſt, Papam Petri ſucceſſorem effici, & conſtitui Petrum per ſacras electiones ; ſupra enim oſtendit auctoritatem, & juriſdictionem, quam habet Papa ſuper totam Eccleſiam, ei ſacris electionibus conferri, & Papam ſolâ adminiſtratione, quam habet per electionem Cardinalium, eſſe majorem & ſuperiorem auctoritate cæteris Epiſcopis. Quæ ſententia demonſtrat quidnam de primatu tenendum ſit, quantumque à veritate aberrent monarchiæ abſolutæ propugnatores; item quarè Curia Romana tantum operæ atque ſtudii poſuerit in abrogandis electionibus, nimirùm, ut à ſolo Papa tanquàm à monarcha omnis juriſdictio Epiſcoporum fluere & pendere videretur. Secundò, aſſerit auctoritatem & juriſdictionem Prælatorum non totaliter pendere à populo, ſed quod anteà obſervavit, in memoriam revocandum; puta Sacerdotium Chriſti communicatum toti Eccleſiæ in commune, eſſe cauſam efficientem juriſdictionis Eccleſiaſticæ, & velut animam Eccleſiæ, totum in toto ordine hierarchico, & totum in qualibet

Digitized by Google

libet parte ordinis hierarchici, ſcilicet in ſingulis Epiſcopis, & Presbyteris intenſivè, & quoad habitum. Verumtamen extenſivè, quoad exiſtentiam, actum, exercitium, exequutionem & adminiſtrationem differenter à Presbyteris, Epiſcopis, Archiepiſcopis, Patriarchis & ſummo Pontifice poſſideri; ſicut compertum eſt, animam rationalem diverſis fungi operationibus, pro diverſitate organizationis atque diſpoſitionis membrorum, capitis, oculorum, brachiorum, pedum, &c. Curatos autem pedibus comparat, Epiſcopos digitis, Archiepiſcopos brachiis, &c. In quibus anima & Sacerdotium Chriſti ejuſdem eſt prorſus naturæ, virtutis & efficaciæ. Ex quo concludit neque Papam, neque alios Prælatos ullam habere cauſam ſuperbiendi aut ſeſe efferendi ſupra ſimplices Presbyteros, cùm in omnibus intenſivè & formaliter eadem ſit poteſtas, differat tantùm extrinſecè & materialiter; & hoc ipſum eſt quod docet Apoſtolus 1. Corinth. 12. *Corpus non eſt unum membrum, ſed multa; ſi totum corpus oculus, ubi auditus? ſi totum auditus, ubi odoratus? ſed Deus temperavit corpus ei cui deerat, abundantiorem tribuendo honorem, ut non ſit ſchiſma in corpore, ſed in idipſum pro ſe invicem ſolicita ſint membra.* Et ita ſtatuit Cuſanus, omnium eandem eſſe ligandi, paſcendi & vivificandi poteſtatem, licèt alia atque alia pro varietate membrorum exiſtat. Tertiò, egregiâ ſimilitudine hanc ſuam doctrinam illuſtrat; ut enim anima rationalis, quantùm ad vim & naturam rationalem, originem ſuam de Cælo repetit, & quantùm ad facultatem vegetativam, ſenſitivam atque motivam educitur de potentia materiæ, ſimiliter adeptione Sacramenti ordinis, formaliter & quoad habitum, juriſdictionem neceſſariam Prælatis unà cum ipſo ordine conferri perhibet; actum verò, exercitium, exequutionem, adminiſtrationem & praxim illius juriſdictionis habitualis elici de potentia materiæ, hoc eſt, per conſenſum & ſubjectionem voluntariam ſubditorum Prælatos eligentium; quandoquidem poteſtas Eccleſiaſtica verè aut interpretativè, explicitè aut implicitè libera eſt in perſonas, circa quas exercetur, nec poteſt ferri in invitum, ut docent Theologi. Sæpè jam monui communem eſſe Patrum doctrinam, Clerum formaliter & activè claves poſſidere ut regat, at Laïcos materialiter & paſſivè ut regantur, & ob eam rem antiquitus electiones nunquàm fieri ſolitas abſque vero aut interpretativo populi conſenſu; de qua re ampliùs cap. 7.

Cæterum in his collectionibus Cuſani extremam manum imponam, ſi veræ & probabiles ſunt, quod ego lectori judicandum relinquo, ſequitur, ut jam multocies dixi, & ſæpius inculcandum eſt, ſenſum germanum hujus textus, *tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, &c. *paſce oves meas*, &c. exprimi non poſſe abſque varia & multiplici ratiocinatione, atque hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, & praxeos regiminis Eccleſiæ primitivæ notitiâ; quæ omnia nobis facem præferunt ad veram interpretationem hujuſmodi locorum. Profectò cùm ego hæc ipſa capita cum permultis aliis, quæ Cuſanus refert, legerem, antequàm verſatus eſſem in lectione Conciliorum & Patrum antiquorum, magno quidem timore æſtuabam: ſed tum demum me ſcientia & cognitio antiquitatis Eccleſiaſticæ ex vano illo timore confirmavit, docuitque abſolutam infallibilem Monarchiam recentiorum, quam ſolùm impugno, rem eſſe planè fictitiam, ac peſtem charitatis, omniſque diſciplinæ atque ordinis à Chriſto inſtituti, & ab Apoſtolis propagati; nullâque aliâ viâ

Digitized by Google

defendi poſſe, quàm abſoluto & temporali imperio, ut docet experientia, atque ego expertus ſum.

XXXVIII. Redeo ad Facultatem Theologicam Pariſienſem, cujus hîc cenſuram nobiliſſimam pro juris communis vindiciis, atque ordinis Hierarchici defenſione adversùs Bullam, quam Sixtus IV. Franciſcanis conceſſerat, exſcribam. « In nomine Domini, Amen. Hujus præſentis publici inſtrumenti tenòre cunctis pateat „ evidenter, quòd cùm apud almam Theologorum Facultatem Pariſiis ex parte „ venerabilis Capituli inſignis Eccleſiæ Tornacenſis delatæ & præſentatæ exſtitiſſent „ quatuordecim propoſitiones, tanquàm erroneæ aut in Fide malè ſonantes, in „ quodam papyri folio redactæ & ſcriptæ, quas aſſerebat dictum Capitulum fuiſſe „ in Civitate Tornacenſi, publicè in diverſis prædicationibus ad populum per „ quemdam Fratrem Joannem Angeli Ordinis Fratrum Minorum prædicatas & aſ- „ ſertas, ut conſtare dicebant, per quandam informationem auctoritate juſtitiæ „ factam prædictæ Facultati ex parte ipſius Capituli cum dictis propoſitionibus præ- „ ſentatam, & ſuper illarum propoſitionum qualificatione nonnulli egregii præfa- „ tæ Facultatis Doctores & Magiſtri, unà cum Decano prædictæ Facultatis, ad ip- „ ſas propoſitiones examinandas, & eorum veritatem judicandam, per ipſam al- „ mam Facultatem electi & deputati fuiſſent, diverſiſque diebus & reïteratis vici- „ bus, tam in domo Domini Decani præfatæ Facultatis, quàm alibi prædicti Doc- „ tores & Magiſtri deputati cum multis variis argumentationibus, diſcuſſionibus „ ſuper examine præfatarum propoſitionum & earum qualificatione, dictæque in- „ formationis viſitatione congregati extitiſſent, materiâque prædictâ in multis „ congregationibus prædictæ Facultatis agitatâ tandem anno Domini M. CCCC. LXXXII. „ more Gallicano computando, indictione primâ, menſis verò Februarii die quin- „ tâ, Pontificatûs S. S. in Chriſto Patris & Domini noſtri Domini Sixti divinâ Pro- „ videntiâ Papæ IV. anno duodecimo, in mei Notarii publici præfatæ Facultatis „ Scribæ, teſtiumque infraſcriptorum ad hæc vocatorum præſentia, præfata alma „ Theologorum Facultas apud S. Mathurinum Pariſiis in loco ſolito per egregium „ & doctiſſimum virum Magiſtrum Joannem Hüé ſacræ Theologiæ Profeſſorem, „ Eccleſiæ Pariſienſis Pœnitentiarium, ac præfatæ Facultatis Decanum ſolemniter, „ & per juramentum, ad qualificandum præfatas quatuordecim propoſitiones con- „ vocata & congregata, omnibuſque Magiſtris magno numero, tam Sæcularibus, „ quàm Religioſis in præfata Congregatione exiſtentibus, unus poſt alium ad lon- „ gum auditis: Præfata alma Theologorum Facultas, poſt omnium & ſingulorum „ Magiſtrorum præfatorum maturam deliberationem per organum prænominati „ Magiſtri Joannis Hüé Decani, nemine opponente, prædictas quatuordecim pro- „ poſitiones, modo & formâ, & prout continetur in quodam papyri folio de ver- „ bo ad verbum in prædicta Congregatione plùries lecto, & mihi Notario publi- „ co tradito qualificavit, cujus papyri folii dictas propoſitiones, & earum quali- „ ficationem continentis tenor de verbo ad verbum ſequitur, & eſt talis.

Frater Joannes Angeli Regilioſus Fratrum Minorum in quadrageſima noviſſima publicè prædicavit articulos ſeu propoſitiones ſequentes, tam in Eccleſia Tornacenſi, quàm in Parochialibus Eccleſiis S. S. Petri & Quintini Tornacenſis capitulo præfata Eccleſia Torna-

cenſis ſubditis, cui Fratres Minores conventus civitatis Tornacenſis favorem vel aſſiſtentiam omnimodam præbuerunt.

Primus articulus. Fratres Minores præſentati Epiſcopo, & admiſſi, ſunt proprii Sacerdotes & veri curati, & meliùs quàm Presbyteri Parochiales, quia facultatem ſuam habent à ſummo Pontifice, & dicti Presbyteri ab ipſo Epiſcopo dumtaxat. Quidquid ſit de prima parte propter æquivocationem ipſius termini proprii, dicit tamen Facultas, quòd propoſitio & quoad omnes reliquas partes & probationem utriuſque in qua dicitur ab Epiſcopo, dumtaxat eſt ſcandaloſa, in Fide erronea, Hierarchici ordinis deſtructiva, & pro conſervatione ejuſdem ordinis publicè revocanda.

Secundus articulus. Parochianus confeſſus dictis Fratribus ſatisfecit decretali omnis utriuſque ſexûs de Pœnitentiis & remiſſionibus, nec tenetur confiteri proprio ſuo Curato ſemel in anno, nec ab eo petere licentiam. Hæc propoſitio, ut jacet, eſt ſcandaloſa & juri communi contraria, & pro ſubditorum ad Prælatos debita obedientiæ obſervantia publicè revocanda.

Tertius articulus. Si Curatus recuſet Sacramentum Euchariſtiæ miniſtrare Parochiano eiſdem fratribus ſic confeſſo, veniat ille Parochianus ad fratrem qui eum audivit, & ipſe ſibi adminiſtrabit. Hæc propoſitio, in forma in qua jacet, eſt falſa & de hæreſi vehementer ſuſpecta, juri communi contraria, & publicè revocanda.

Quartus articulus. Curatus Parochialis nihil debet recipere à Parochianis ſuis pro confeſſione & Sacramentorum adminiſtratione, ſecus eſt de Mendicantibus. Hæc propoſitio eſt contra diſpoſitionem juris naturalis & divini expreſſam, ideò falſa & notoriè hæretica.

Quintus articulus. Curatus aſſerens Parochianos ſuos obligari ut ſibi confiteantur ſemel in anno, ſub pœnâ peccati mortalis, eſt excommunicatus, & ſi celebret, irregularitatem incurrit. Hæc propoſitio eſt falſa & injurioſa.

Sextus articulus. Faciens celebrare miſſam per ſacerdotem tenentem ſecum mulierem ſuſpectam, ſeu aliàs mali regiminis, peccat mortaliter. Hæc propoſitio, quia indeterminate loquitur, eſt dubia, temeraria, & nullo modo prædicanda.

Septimus articulus. Fratres prædicti non tenentur ad ſolutionem quartæ, de qua in Clementina dudum de ſepulturis. Hæc propoſitio eſt juri communi contraria.

Octavus articulus. Papa poteſt totum jus Canonicum deſtruere, & novum conſtituere. Hæc propoſitio eſt ſcandaloſa, blaſphematoria, notoriè hæretica & erronea.

Nonus articulus. Aliqui ſancti ſunt furioſi; gallicè enragez. *Hæc propoſitio eſt ſcandaloſa & blaſphematoria, & piarum aurium offenſiva.*

Decimus articulus. Animæ in Purgatorio exiſtentes ſunt de juriſdictione Papæ, & ſi vellet, poſſet totum purgatorium evacuare. Hæc propoſitio in ſe eſt dubia, & ad mentem aſſerentis per modum juriſdictionis & ordinariæ poteſtatis de falſitate ſuſpecta, ſcandaloſa, & nullatenus populo prædicanda.

Undecimus articulus. Papa poſſet ab uno Eccleſiaſtico tollere medietatem redituum beneficiorum ſuorum, & uni alteri dare non exprimendo cauſam. Hæc propoſitio eſt periculoſa & nullo modo prædicanda, ut jacet.

Duodecimus articulus. Quicumque contradicit voluntati Papæ, paganiſat, & ſententiam excommunicationis incurrit ipſo facto, & à nullo Papa reprehendi poteſt, niſi

Digitized by Google

in materia hæreſis. Hæc propoſitio eſt falſa, ſcandaloſa, & ſapiens hæreſim manifeſtam.

Decimus Tertius articulus. Bulla per Papam modernum eiſdem fratribus conceſſa fuit, Pariſiis prædicata, & per Univerſitatem Pariſienſem approbata, & qui eidem contradicit, ſententiam excommunicationis incurrit ipſo facto. Hæc propoſitio eſt falſa, & manifeſtum mendacium continens.

Decimus quartus articulus. Dictus Frater Joannes Angeli omnes & ſingulos articulos ſupradictos pluries aſſeruit fore veros, & eoſdem ſuſtinere velle Pariſiis, & ubique terrarum uſque ad ignem, & illos nunquam revocare, dicens ſe non eſſe de numero prædicatorum, qui ſe revocant. Hoc dictum eſt hominis protervi & pertinacis, & ſufficiens ad procedendum contra eum judicialiter, tanquam contra vehementer de hæreſi ſuſpectum.

Declarat etiam præfata alma Facultas Theologorum, quòd prædictorum articulorum qualificatio nullo modo derogat, nec præjudicat clementinæ dudum de ſepulturis; de qua quidem qualificatione, omnibuſque præmiſſis, egregii & doctiſſimi viri magiſtri Joannes Roerii Sacræ Theologiæ profeſſor, Canonicus prædictæ Eccleſiæ Tornacenſis tam ſuo, quàm præfati Capituli nominibus, nonnullique etiam Doctores & Magiſtri in dicta congregatione exiſtentes, petierunt ſibi & eorum cuilibet fieri, atque tradi publicum inſtrumentum, ſeu publica inſtrumenta, unum aut plura per me Notarium publicum ſubſcriptum. Acta fuerunt hæc Pariſiis in loco ſupradicto S. Mathurini ſub anno, indictione, die, menſe & Pontificatu ſupradictis; præſentibus ad hæc egregiis & doctiſſimis viris magiſtris Antonio Urſi, Joanne de Hallis, Laurentio de Colonia, Guillelmo de Houpelande, Jacobo L'huillier, Reverendo in Chriſto Patre Domino Joanne Abbate Cariloci ordinis Ciſtercienſis, Stephano Gervaſi, Joanne de Tongues, Joanne Quentin Sacræ Theologiæ Profeſſoribus, necnon quampluribus aliis in magno numero, tam ſæcularibus quàm Religioſis, etiam ſacræ Theologiæ Profeſſoribus, teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter & rogatis. Et ego Henricus Alexandri Presbyter in jure Canonico Baccalaureus publicus Apoſtolicâ & Imperiali auctoritatibus, ac venerandæ Curiæ conſervationis privilegiorum famoſiſſimi ſtudii Pariſienſis juratus Notarius, prædictæque almæ Theologiæ Facultatis ſcriba, quia prædictorum articulorum & informationis pro parte Capituli Tornacenſis ſupradictæ almæ Theologiæ Facultatis præſentationi, & exhibitioni prædictorum articulorum, & qualificationi, cæteriſque præmiſſis omnibus & ſingulis, dum ſic, ut ſupra ſcribuntur, & per præfatos Decanum & Facultatem agerentur & fierent, una cum prænominatis teſtibus præſens interfui, eaque ſic fieri vidi, & audivi: Idcircò huic inſtrumento publico alterius manu fideliter ſcripto ſignum meum publicum conſuetum appoſui, in fidem & teſtimonium præmiſſorum requiſitus & rogatus. Sic ſignatum H. Alexandri.

Hæc cenſura multa continet digna animadverſione. Primus articulus verſatur in æquivocatione vocis, *proprius Sacerdos*; certum autem eſt ex doctrina Evangelica & ſacris Canonibus Conciliorum, quàmdiu regimen Ariſtocraticum Eccleſiæ viguit, nomine *proprii Sacerdotis* deſignatos Epiſcopos, atque Presbyteros curam habentes animarum, qui Apoſtolis & LXXII. diſcipulis ſucceſſerunt; hi enim propriè & eſſentialiter pertinent ad ordinem hierarchicum à Chriſto inſtitutum; neque hac de re mille atque amplius annorum ſpatio ulla extitit controverſia in Eccleſia, ſed

Digitized by Google

ab eo dumtaxat tempore, quo abſoluta Monarchia malas egit radices; quas Privilegiati, ut ſuas exemptiones & immunitates contra jus commune propugnarent, diligentiſſimè irrigarunt & propagarunt; adeo ut jam nulla amplius facies juris communis & diſciplinæ Apoſtolicæ eluceat. Cauſam huic controverſiæ præbuit illud celebre & famoſum caput Innocentii III. in Synodo Lateranenſi; *Omnis utriuſque ſexus de pœnitentiis & remiſſionibus*, *quo jubetur unumquemque fidelem ſemel in anno ſua peccata confiteri proprio Sacerdoti ad diem Paſchæ.* Porrò ſecundum jus commune & Eccleſiæ primitivæ diſciplinam, quâ quidem poſt inſtitutas diœceſes & parœcias proprii Sacerdotes de proximo ſumebantur, atque ordinabantur, dubium eſſe non poteſt, quin proprius atque immediatus Sacerdos eſſet ordinarius, nimirum Epiſcopus & Curatus. His enim proximè atque immediatè cura animarum ſuæ diœceſis & parœciæ proportionaliter & reſpectivè incumbit; quam ob cauſam olim à clero & populo eligebantur; nam jure divino & naturali, omnes populi habere voluerunt proprios & propinquos Sacerdotes, qui quocumque tempore, & periculo inſtante, noctu atque interdiu, etiam peſtilentia ſæviente, gregi ſuccurrerent. Quod certè de Papa longiſſimè remoto vel etiam de aliis, quibus extraordinaria privilegia indulget, dici non poteſt; potius enim communes & generales quàm proprii & peculiares Sacerdotes appellandi ſunt, ut infra pluribus diſputabitur; quocirca ſecundum jus commune & Apoſtolicam diſciplinam Papa efficere non poteſt, quominùs Curati & Epiſcopi non ſint, & non habeantur proprii atque ordinarii Sacerdotes. Accedit quoque miſſiones Privilegiatorum, quas extraordinariè Papa facit, nullum poſſe habere locum, ſecluſo conſenſu, permiſſione ac tolerantiâ ordinariorum & immediatorum Paſtorum, atque etiam excepto caſu ſubvenienda neceſſitati & negligentiæ ordinariorum. Quapropter Privilegiati debent præſentari & approbari ab Epiſcopo, quidquid Clementina *dudum* poſt Boniſacium VIII. monarchicè in contrarium ſtatuat. Idemque eſt judicium de Curatis reſpectu Epiſcoporum, quoniam neque Papæ auctoritas ad Epiſcopos, neque Epiſcoporum ad Curatos deſpotica aut abſolutè monarchica eſt; cuncti enim intenſivè, ex æquo, & in ſolidum ſunt Sacerdotii Domini conſortes: quamvis adminiſtratio, exercitium, & exequutio varia & differens ſit in Papa, Epiſcopo & Curato. Quotus ergo quiſque non demiretur, hodie Privilegiatos contra naturæ & Dei ordinem plus habere auctoritatis in populum ſibi non immediatè & propriè, ſed communiter & precariò ſubditum, quàm proprios, nativos, immediatos, atque ordinarios Prælatos; quod idem eſt (inquit Gerſonius) ac ſi quiſpiam plus haberet intimæ familiaritatis & conſuetudinis cum alterius conjuge, quàm proprius maritus. His quidem temporibus obtenditur cauſa ſuccurrendæ neceſſitati, at revera id fit, ut abſoluta Monarchia ubique ſtabiliatur, atque animus populi avertatur, ne ad abuſus, artes & voluptates Curiæ Romanæ & prælatorum attendat, & deſiderio reformandæ Eccleſiæ aliquid moliatur. Profectò ejuſmodi miſſiones fiunt, ubi nulla planè eſt neceſſitas, verbi gratiâ Pariſiis, at homines agreſtes remotiſſimi in aliis Provinciis, puta in Aquitaniâ, Occitaniâ &c. avidiſſimè petunt panem, & non eſt qui frangat eis. Verùm, qui ad ſuperiora cogitare animum adjunxerit, nullo negotio quæſtioni, quam B. Thomas libro contra impugnantes religionem excitat, ſatisfaciet. Quærit enim,

utrùm Papa ſit proprius Sacerdos dicendus aliquo modo cujuſlibet Parochiæ, utque quæſtionem ad cauſæ ſuæ præjudicium abducat, Epiſcopum diœceſanum, dequo nulla eſt controverſia, cum Papa connectit, quo utrumque proprium eſſe Sacerdotem convincat; ſed de his plura lib. 4. cap. 3.

Alter articulus eſt, an poſito præcepto *omnis utriuſque ſexus*, illi qui Privilegiatos non proprios adeunt Sacerdotes, ſatisfaciant decretali, quæ jubet proprium adire Sacerdotem, & ita Joannes Angeli ſtatuit, quoniam articulo primo aſſeruit, Privilegiatos eſſe proprios Sacerdotes conformiter ad extravagantem Joannis XXII. *vas electionis*. Supra docuimus ſecundùm juris communis regulas, & ſecluſo caſu neceſſitatis, cùm eſt ſubveniendum gregi, neque Papam abſoluto imperio, juri & poteſtati Epiſcoporum, neque viciſſim Epiſcopos ordinario, atque immediato juri Curatorum poſſe derogare. Hercle ejuſmodi miſſiones locum dumtaxat habent ex conſenſu & tolerantia Eccleſiæ, quæ ut pacem à Curia Romana redimat, multa etiam magna cum injuria, perferre & erogare cogitur. An non maxima eſt injuria, ordinem à Chriſto poſitum, & ab Apoſtolis atque Eccleſiæ primitivæ Patribus ſervatum & propagatum, ob unius Curiæ Romanæ dominatum evertere? Evertitur autem, dum Privilegiatis in ſubſidium ordinariorum miſſis ex juris humani gratia aut indulgentia multò plus auctoritatis conceditur, quàm ordinariis relinquitur, qui tamen jure divino tantum habent poteſtatis in gregem ſibi commiſſum, quàm ipſe Pontifex; undè in ſolidum ſuas Eccleſias regere debent, ut eſt ſupra probatum Cypriani auctoritate. Procul dubio eò res videmus deveniſſe, *ut apud homines nuperos majoris ſit momenti poteſtatem habere mediante Papâ, quàm immediatè à Deo & natura.* Idque non eſt jus divinum interpretari, ſed penitus evertere. Quamobrem Schola Pariſienſis meritò declarat ſecundam propoſitionem Joannis Angeli, *ut jacet, eſſe ſcandaloſam & juri communi contrariam, ac pro ſubditorum ad Prælatos reverentia debita publicè revocandam.* Ne tamen aliquis putaret hâc cenſurâ pacem Eccleſiæ convelli, & Scholam Sorbonicam tenere, peccata confeſſa Privilegiatis iterum confiteri oportere proprio Sacerdoti, tandem in extrema clauſula hujus cenſuræ additur, quòd non obſtante hâc cenſurâ Facultas Pariſienſis ſalvam atque incolumem cupit *Clementinam dudum de ſepulturis*. Ex quo datur intelligi, Doctores Pariſienſes, licèt jus commune & Apoſtolicam diſciplinam ſartam-tectam velint retinere; nihilominus prudenter juri moderno recepto ob pacem Eccleſiæ obtemperare. Procul dubio regula Gerſonii lectione quartâ corollario decimo de vitâ ſpirituali animæ jure ſibi locum in hac parte vendicat; *Poterit fieri, ait, ut abſque peccato mortali, imò cum merito magno ſit aliquis Theologus vel alius prudens qui diſſentiat corde ab humanis determinationibus aut traditionibus, qui tamen obligatur propter evitationem ſcandali vel aliter non repugnare exteriùs. Nam poteſt aliquarum publicatio veritatum prohiberi, & aliquarum falſitatum dogmatiſatio permitti.*

XXXIX. Quæ cùm ita ſint, occurritur objectioni Suaris tomo 4. in 3. partem D. Thomæ diſput. 26. ſectione 2. versùs finem, ubi falsò Pariſienſem Facultatem erroris accuſat, quaſi revera teneret, *Privilegia de facto non valere ad abſolvendum abſolutè fideles à peccatis, itaut non liberentur ab obligatione confitendi etiam peccata ſemel in anno ſuo Parocho, ſi abſque ejuſdem licentia confeſſi fuiſſent fratribus vel Sacer-*

dotibus habentibus ſimilia privilegia, qui fuit error Joannis de Poliaco, ut refertur in extravagante, vas electionis de hæreticis (inquit Suares.) Verùm ſi Papa tantam habet poteſtatem, quantam abſolutæ Monarchiæ Patroni comminiſcuntur, mirum eſt quarè Damaſus Papa non obſtiterit Nectario Conſtantinopolitano Patriarchæ, quando Sacerdotem publicum Pœnitentiarium abrogavit, & alios Sacerdotes in Græciam qui Confeſſiones audirent non miſerit, ut ab aliquot ſæculis facit per Europam ? Vide librum V. Hiſtoriæ Socratis cap. 19. Tum enim Eccleſia Canonibus, non abſolutâ poteſtate vel prætenſionibus Monarchiæ abſolutæ gubernabatur.

XL. Porrò quando Magiſter Andræas Vallius tam temerarius eſt, ut auderet aſſerere *Papam jus Canonicum totum vel in partem poſſe abrogare lib. de ſuprema poteſtate Papæ parte 1. quæſt. 2.* & Schola Pariſienſis hunc octavum articulum Joannis Angeli, *Papa poſſet totum jus Canonicum deſtruere & novum conſtituere*, ita condemnavit: *Hæc propoſitio eſt ſcandaloſa, blaſphematoria, notoriè hæretica & erronea.* Equidem Vallius debet quærere argumenta, quibus probet in proteſtationes à ſe initio ſui Elenchi factas *de non obſiſtendo decretis Facultatis Pariſienſis*, nequaquàm impingere, & Scholæ transfugam non eſſe. Quod ſpectat ad reliquos articulos hujus cenſuræ, ſatis ex ſe perſpicui ſunt, neque operam noſtram deſiderant. Hîc obiter dicam Joannem Roërium Tornacenſis Eccleſiæ Canonicum, cujus celebris extat mentio in memorata cenſura, fuiſſe ſocium Sorbonicum, atque teſtamento ſuo magnam ſummam pecuniæ Collegio Sorbonico ad ædificandam Sacriſtiam legâſſe.

XLI. Jacobus Almaïnus cap. 5. de auctoritate Eccleſiæ, poſtquàm demonſtravit ſupremam poteſtatem Eccleſiaſticam collatam Petro his conceptis vocibus, Joanne ultimo, paſce oves meas, &c. hæc alia continuò ſubnectit. *Secunda propoſitio, Chriſtus hanc poteſtatem immediatè contulit Eccleſiæ, capiendo Eccleſiam pro collectione omnium Prælatorum majorum & minorum qui ſuccedunt Apoſtolis & diſcipulis, ſive pro Concilio Generali Eccleſiam repræſentante, probatur per illud Chriſti Mathæi 18. Si peccaverit in te frater tuus, &c. ubi præcipit Chriſtus nolentem corrigi ad fraternam correctionem, denunciari Eccleſiæ, & ſi Eccleſiæ monitioni non obtemperet, excommunicandum. Et dat Eccleſiæ auctoritatem excommunicandi, dicens, quæcumque alligaveritis, &c. & quòd de Eccleſia, prout eſt plurium collectio, intelligatur, patet ex eo quòd poſtquàm dixit, dic Eccleſiæ; & ſi non audierit Eccleſiam, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus, ſtatim ſubjunxit pluraliter, quæcumque alligaveritis ſuper terram, &c. ergo non capit ibi Eccleſiam pro unico ſuppoſito, ſed pro pluribus.*

Item cap. 7. ejuſdem loci circa medium. *Quartò arguitur; contulit Dominus claves Petro ſummo Pontifici ut ſigno & figura Eccleſiæ, ergo per amplius & magis contulit Eccleſiæ. Probatur antecedens per Auguſtinum ſuper Joannem & ponitur 24. quæſt. 1. can. quodcumque. Petrus quando claves accepit, Eccleſiam ſanctam ſignificavit; nec valet dicere, ſicut dicit Thomas de Vio, quòd hoc eſt intelligendum ad iſtum ſenſum, quòd non ſolùm perſonæ Petri, ſed & officio ſuo in æternum duraturo collatæ ſunt claves; & quia officium Petri eſt officium Capitis quod habet influere in corpus reliquum; ideò officio capitali data, toti corpori data dicuntur, & ſunt. Probo enim quòd non ad illum ſenſum dicat Auguſtinus claves datas eſſe Eccleſiæ; quia hoc modo claves eſſe datas Eccleſiæ, eſſet eas datas eſſe propter Eccleſiam finaliter, & non ei datas eſſe formaliter, quod manifeſtè eſt contra Auguſtinum dicentem in eo-*

Digitized by Google

dem capitulo, ſi hoc tantùm Petro dictum eſt, puta quodcumque ligaveris, &c. non hoc facit Eccleſia, ubi pro inconvenienti infert iſtud conſequens, quòd Eccleſia non ligat & quòd non ſolvit. Item idem Auguſtinus ſuper Ioannem, ſuper illo verbo, *tu vocaberis Cephas, mutavit ei nomen, & fecit de Simone Petrum. Petrus autem à Petro, petra autem Eccleſia. Etiam ad iſtum ſenſum Petrus & quilibet ejus Succeſſor utitur clavibus vice Eccleſiæ univerſalis quam ſignificat, ſicut Rex quilibet vice communitatis exercet juriſdictionis actus; ita quòd ſummus Pontifex excommunicat, confert beneficia, ſimiliter & indulgentias; & ſic de aliis actibus Eccleſiaſticæ poteſtatis auctoritate totius Eccleſiæ. Et iſtud rationabile eſt, ex eo quòd ſuffragia, quibus privatur excommunicatus, ſunt Eccleſiæ & non ſummi Pontificis. Hinc Prælati dicuntur nomine Eccleſiæ & non proprio illa auferre. Erit igitur totius Eccleſiæ aliquem illorum participatione privare, &c. & ita concedendum eſt. Quemadmodum Deus condens humanum genus, indidit ei naturalem poteſtatem juriſdictionis ad finem naturalem, & non alicui ſuppoſito regulariter, (hæc enim poteſtas communicata eſt particularibus ſuppoſitis à communitate, qui ſunt velut communitatis miniſtri in exercitio illius juriſdictionis) ita Chriſtus regenerans Eccleſiam ad finem ſupernaturalem, ei iſtam poteſtatem poſitivam ad illum finem communicavit, quam poſſet & etiam teneretur (cùm non ſemper poſſit eſſe congregata) alicui ſuppoſito communicare; qui ut miniſter Eccleſiæ hanc poteſtatem exerceret, & ſicut communitatem aliquando Deus prævenit, alicui ſuppoſito civilem poteſtatem communicans ut Moſi ſuper populum Iſraël, ita & Chriſtus Eccleſiam prævenit communicando Eccleſiaſticam poteſtatem Petro, ut vice Eccleſiæ eam exerceret, quam Eccleſia ei potuiſſet communicare, cùm priùs eſſet à Chriſto inſtituta & Eccleſiæ collata, &c.* Quocirca ibidem ad calcem capitis probat, Eccleſiaſticam poteſtatem priùs fuiſſe in Eccleſia, quàm fuerit in aliquo ſummo Pontifice; *Etenim cùm poteſtas electiva Papæ fuerit in Eccleſia, mortuo Petro, & non à Petro* (inquit) *ergo à Chriſto, ſed non poteſt reperiri quando fuerit à Chriſto collata Eccleſiæ, niſi Mathæi 18. nam cùm dictum eſt Petro, paſce oves meas, nihil Eccleſiæ, ſed ſoli Petro collatum eſt. Ergo in Eccleſia fuit poteſtas electiva Papæ antequàm Petrus fuerit Papa, & ſic cum majori apparentia dicetur Chriſtum, cùm fecit Petrum ſummum Pontificem, præveniſſe Eccleſiam, & id ex gratia Petro contuliſſe, quòd Eccleſia potuiſſet ordinare ex Chriſti inſtitutione, quàm quòd prævenerit Petrum dando Apoſtolis ordinis poteſtatem, juxtà phantaſiam fratris Thomæ de Vio in tertio Capitulo,* hæc igitur Almaïnus argumento ad hominem adversùs Cajetanum qui cæteros Apoſtolos fingit habituros poteſtatem juriſdictionis à Petro, niſi Chriſtus Petrum præveniſſet, quâ de re ex inſtituto infra lib. 3. Cæterum idem Almaïnus de poteſtate Eccleſiaſtica & Laïca quæſt. 1. cap. 15. docet Concilium Generale, ut Eccleſiam univerſalem repræſentans, immediatè auctoritatem habere à Chriſto. *Poteſtas Eccleſiaſtica juriſdictionis, ait, ſaltem quæ reſpicit forum publicum, eſt toti Eccleſiæ à Chriſto immediate communicata, quod patet Mathæi 18. ſi peccaverit in te frater tuus, ſtatim dic Eccleſiæ.* Et hinc probat Concilium Generale, quia Eccleſiam repræſentat, omnes poſſe exercere actus juriſdictionis Eccleſiaſticæ, ſolâ Sacramentorum adminiſtratione & verbi divini prædicatione exceptâ, quæ tantùm ab uno ſingulari homine exerceri poſſunt.

XLII. Idem 4. ſententiarum diſt. 17. quæſt. 1. ante finem diſſerens, utrùm ſummus Pontifex teneatur ad confitendum peccata conformiter ad caput Synodi Lateranenſis, *Omnis utriuſque ſexus. Aliqui, ait, dicerent quòd Papa non obligatur ad illud præceptum, tamen*

Digitized by Google

men tenendo partem veram, quòd ſummus Pontifex obligatur per ſtatuta Conciliorum (& qui diceret oppoſitum ſaltem in Francia, reputaretur hæreticus) obligatur vi præcepti humani, & tenetur ſemel in anno ſumere Euchariſtiam, &c. Item libro eodem ſententiarum diſt. 18. articulo 4. docet, unà cum ordine Sacerdotali tradi clavem poteſtatis, ita ut quilibet Sacerdos poſſit quemlibet abſolvere, quæ eſt communis Theologorum ſententia jam ſupra poſita in explicatione ſententiæ Durandi, Gerſonii, Toſtati, Cuſani, &c.

Joannes Major etiam Doctor Pariſienſis commentariis in Evangelium Mathæi ex Typographia Joannis Gravion Bibliopolæ Pariſienſis anno M. D. XVIII. ſcholiis in caput 16. Mathæi ad hæc verba, *quem dicunt homines eſſe filium hominis, &c. Vos autem quem me eſſe dicitis? Si alii errent de me quis ſum, quæ eſt opinio veſtra de me? quia vos fuiſtis mecum ab initio miraculorum meorum, & longè ultra vulgus ſentitis, reſpondit Simon Petrus, tu es Filius Dei vivi. Quæſtio movebatur omnibus Apoſtolis: Reſpondit Petrus pro omnibus; ubi interlinearis omnia complexus eſt, & divinitatem & humanitatem in ipſo poſuit, ac ſi diceret: nos omnes judicamus te filium naturalem, &c. Quando quæſivi opinionem vulgi, multi vel omnes reſponderunt, quia litera dicit, at illi dixerunt, quando quæſivi quid ſentirent Apoſtoli, Petrus pro omnibus reſpondit, quia Apoſtolorum erat præcipuus. Reſpondens autem Jeſus dixit ei, Beatus es, hæc tam alta confeſſio te ad beatitudinem deducit Simon Barjona, &c. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram, quam confeſſus es, ædificabo Eccleſiam meam, hoc pronomen (hanc) non demonſtrat Petrum, ſed prima Corinth. 10.* hic Joannes Major citat Auguſtinum in libro retractationum, & ſubjungit; *petra autem erat Chriſtus, quem confeſſus eſt Simon, ſicut tota Eccleſia confitetur*, & Gloſſa marginalis idem tenet: *& tibi dabo claves regni Cælorum, non ſolùm pro te, ſed & pro aliis, claves ſunt ſcientiæ diſcernendi inter lepram & lepram, &c.*

Idem Joannes Major 4. ſententiarum diſt. 18. quæſt. 1. ſub finem. *In conſecratione Sacerdotali* (inquit) *traditur clavis poteſtatis quæ eſt facultas ligandi & ſolvendi in foro interiore: habet ergo juriſdictionem ſpecialem Sacerdos, ſi materiam haberet: qui enim facultatem dat ſubdito vel Sacerdoti, ſolùm miniſtrat ei materiam in quam agat, quam ante non habebat: & aliter patet, Curatus non Sacerdos dat Vicarium in confeſſione audienda tradendo materiam.*

Idem eodem lib. 4. ſentent. diſt. 24. quæſt. 3. poſt initium explicans hunc locum, *tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, &c. ad verbum ſequitur Auguſtini ſententiam, puta quòd per Petrum intelligenda ſit petra eſſentialis Chriſtus, & confeſſio hæc Petri, *tu es Chriſtus filius Dei vivi*; concluditque aſſertionem ſuam hâc concluſione. *Quando ſunt multi ſenſus ſcripturæ, & dubitatur in quo ſenſu ſcriptura intelligatur, ille ſenſus eſt indubitatus, qui à viris omni exceptione majoribus colligitur, & ſic eſt in propoſito* (inquit) quaſi diceret, multos Patres atque Doctores omni exceptione majores pedibus iviſſe in ſententiam Auguſtini, ut ſuperiùs demonſtratum eſt: ibidem ad finem quæſtionis. *Præterea reliquos Apoſtolos Epiſcopos factos à Chriſto diximus poſt reſurrectionem, & per conſequens tam Epiſcopi quàm Curati ſunt de jure divino, quemadmodum Romanus Pontifex, nec aliquis purus homo poteſt illud jus & illas poteſtates tollere ab Eccleſia, pluſquàm ſummum Pontificatum, licèt Petrus*

Digitized by Google

Paludanus & Turrecremata teneant oppoſitum; *ſed hoc quod ipſi tenent, cenſuit in fide hæreſim Facultas noſtra.*

Idem Major Commentariis in caput 18. Mathæi ſtatim initio. *Papa eſt deterioris conditionis quam alii Chriſtiani, ait, ſi non poteſt per Eccleſiam corrigi: inſuper per illa verba dic Eccleſiæ, datur poteſtas toti Eccleſiæ, capiendo Eccleſiam pro Prælatis majoribus & minoribus, ſivè pro Concilio Generali totam Eccleſiam repræſentante, quia pluraliter ſubjungitur: quæcumque alligaveritis ſuper terram, ligata erunt & in Cælis. Non eſt illic ſermo de ligatione & abſolutione in foro interiore & pœnitentiali, quia nunquam aliquis defert Eccleſiæ peccatum alterius in illo foro. Secundò, arguitur ad idem: claves non datæ ſunt Petro niſi nomine Eccleſiæ, quia propter quod unumquodcumque tale & illud magis, &c.* In cujus rei confirmationem expromit Hieronymi, Auguſtini & Rabani auctoritatem capite præcedenti laudatam. Item aliquantò poſt. *Undecimò arguitur, perpetua plenitudo poteſtatis reſidet in Eccleſia, juxta verba Chriſti Mathæi ultimo: Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi: ſed ſi illa plenitudo eſſet in Papa, eſſet mortalis & corruptibilis ad mortem Papæ: non in Concilio & in Eccleſia.* Quod argumentum quadrat ſententiæ B. Gregorii, quam cap. 4. notavimus, ſcilicet Eccleſiam à ſtatu ſuo corruere, Epiſcopo & Monarcha univerſali pereunte, aut in errorem labente.

XLIII. Superioribus teſtimoniis Doctorum Pariſienſium adjungam ſex concluſiones deſumptas ex articulis ſcholæ Pariſienſis contra Lutherum, in quos articulos omnes Baccalaurei Facultatis Theologiæ, priuſquàm miſſionem è ſchola obtineant, jurare, eiſque ſubſcribere conſueverunt.

Articulus XVIII. *Tenetur & quilibet Chriſtianus firmiter credere unam eſſe in terris univerſalem Eccleſiam viſibilem, quæ in fide & moribus errare non poteſt, cui omnes fideles in his quæ ſunt fidei & morum, obedire adſtringuntur.*

XIX.

Quòd ſi quid in ſcripturis ſacris controverſiæ aut dubii oriatur, ad præfatam Eccleſiam definire & determinare ſpectat.

XX.

Eſt & certum, multa eſſe credenda quæ non ſunt expreſſe & ſpeciatim tradita in ſcripturis ſacris, quæ tamen per traditionem Eccleſiæ ſunt neceſſariò recipienda.

XXI.

Eodem veritatis firmamento recipiendum, poteſtatem communicandi eſſe de jure divino immediatè à Chriſto Eccleſiæ conceſſam, & ob id magnoperè timendas eſſe cenſuras Eccleſiaſticas.

XXII.

Certum eſt, Concilium Generale legitimè congregatum, univerſalem repræſentans Eccleſiam, in fidei & morum determinationibus errare non poſſe.

XXIII.

Nec minùs certum, unum eſſe de jure divino ſummum in Eccleſia Chriſti militante Pontificem, cui omnes Chriſtiani parère tenentur; qui quidem poteſtatem habet & indulgentias conferendi.

XLIV. Joannes Eckius cap. 5. Enchiridii, ubi de Primatu Petri diſputat, *Fa-*

Digitized by Google

temur, ait, *cum Auguſtino, claves datas Eccleſiæ, tamen in perſona Petri*; *id eſt, claves finaliter dedit Chriſtus Petro ad utilitatem Eccleſiæ, dedit claves non uni, ſed unitati: ita Petrus geſſit perſonam Eccleſiæ, ſicut Imperator Germaniæ*; *ita certæ perſonæ habent claves, quia aliàs nullus eſſet illarum uſus.* Attende autem, quando Eckius dicit *claves datas finaliter Eccleſiæ*, loqui de Eccleſia ſumpta pro cœtu Fidelium, non pro ordine hierarchico. Vide ſupra Auguſtini ſententiam cap. 4.

XLV. Franciſcus à Victoria Dominicanus Hiſpanus Doctor Pariſienſis, quamquàm ſententiæ B. Thomæ addictus, eamque ob cauſam relectiones de poteſtate Papæ ſupra Concilium Lucubrarit; nihilominùs longè eſt verecundior Cardinalibus de Turrecremata & Cajetano hac in parte; quia licèt à veritate recedat, eam tamen plerumque ingenuè cognoſcit, & enunciat, non ſophiſticis Elenchis contaminatam involvit. Et primò quidem relectione ſecundâ de poteſtate Eccleſiæ, explicans textum Cypriani canonizatum 24. quæſt. 1. can. loquimur, " contendit Apoſtolos " & honore & poteſtate, vel juriſdictione, pares aut æquales fuiſſe Petro, eam- " que ob cauſam Gloſſatoris argutias reprehendit, nec (inquit) audienda eſt gloſſa " dicens, hoc debere intelligi in ordine & dignitate conſiderationis, non in poteſtatis " plenitudine, ut patere poteſt ipſam epiſtolam Cypriani legenti. Secundò, ad " calcem ejuſdem relectionis propoſitione ſecundâ, quilibet aliorum Apoſtolorum " à petro potuit relinquere ſucceſſorem, licèt non univerſalem, ſaltem in quacum- " que Provincia voluiſſet, qui eſſet verus Epiſcopus illius provinciæ. Hanc pro- " poſitionem, ait, ſcio non placituram omnibus Doctoribus tum Theologis, tum " Juriſconſultis, quæ nec ipſis Cardinalibus Turrecrematæ & Cajetano placeret. " Omnes enim illa perſuaſio ſimul invaſit, omnem poteſtatem juriſdictionis ita de- " pendere à Romano Pontifice, ut nullus poſſit habere vel minimam quidem ſpiri- " tualem poteſtatem, niſi ex mandato vel lege ipſius, poſt Apoſtolos quidem, " qui ex ſingulari privilegio habuerunt à Chriſto, quod nullus alius poteſt habere " niſi à Petro. Sed probo primò hanc propoſitionem apertè. Quilibet Apoſtolo- " rum potuit vivens creare Epiſcopum in quacumque Provincia, & ille non amit- " teret poteſtatem defuncto Apoſtolo; ergo potuit relinquere ſucceſſorem. Ante- " cedens eſt notum, quia Paulus conſtituit Titum & Timotheum, & idem juris " habuerunt alii Apoſtoli, & in hoc ſenſu propoſito, à nemine negari poteſt, &c. " Tertia propoſitio. Non ſolùm Apoſtoli hoc potuerunt, ſed quilibet ſucceſſorum " ſimiliter potuit relinquere ſibi ſucceſſorem. Hæc probatur apertè ex ſecunda: " nam potuit Titus & Timotheus nominare ſibi ſucceſſorem, inconſulto etiam ſuc- " ceſſore petri, & ſimile de omnibus aliis Epiſcopis. Probatur, quia Epiſcopus " eſt Paſtor & Gubernator Provinciæ jure divino, ergo ſi majore poteſtate non im- " peditur, poteſt facere omnia quæ expediunt ad ſalutem ſuæ Provinciæ, &c. Et " confirmatur, quia certè non ſolùm videbatur poſſibile & conveniens, ſed omni- " nò eo tempore neceſſarium. Quomodò enim, defuncto in ultima India Epiſco- " po, potuiſſent expectare mandatum Petri ad ſufficiendum novum Epiſcopum? " Et hæc omnia dicta ſunt quantùm ad poteſtatem juriſdictionis: nam quoad po- " teſtatem ordinis, ſi Epiſcopatus dicit ordinem vel poteſtatem diſtinctam à Presby- " teratu & à juriſdictione, ſicut video placere penè omnibus, oportuit præter elec- "

Digitized by Google

„ tionem concurrere aliquam, tam ad inſtitutionem Papæ quàm Epiſcoporum, ſed
„ illam potuit facere quilibet Epiſcopus vivens ſacrando ſucceſſorem, vel etiam
„ uno defuncto Epiſcopus alterius Provinciæ potuit ordinare ſucceſſorem priùs ele-
„ ctum & nominatum. Ultima propoſitio. Quilibet Epiſcopus in ſua provincia
„ potuit condere legem, ut Presbyteri eligerent Epiſcopum, vel aliam formam in-
„ ſtitutionis dare, etiam inconſultâ ſede Petri: hæc ſequitur ex aliis. Nam potuit
„ leges convenientes Provinciæ facere de hac re, ſicut de aliis." Ecce rationem quomodo auctoritas & dignitas Epiſcopalis potuit derivare ſucceſſivè ab uno in alterum uſque ad nos, & per Epiſcopos omnis alia poteſtas inferior.

Tertiò, Idem à Victoria relectione 4. de poteſtate Papæ & Concilii aliquantò poſt initium: *Si Concilium declarat aliquid eſſe de Fide, aut de Jure divino, Papa in hoc nihil poteſt aliter declarare aut immutare; maximè ſi tale jus ſpectet ad Fidem, vel ad mores Eccleſiæ univerſalis, probatur quia in illis Concilium errare non poteſt, juxtà promiſſum Lucæ 22. Ego rogavi pro te &c. & Mathæi 18. Ubi fuerint duo vel tres congregati &c.: Et non minùs eſt Spiritus ſanctus in quocumque Concilio generali, quàm in Concilio Apoſtolorum, ubi Spiritus ſanctus aſſiſtebat, Actorum 15. Viſum eſt Spiritui ſancto &c. Confirmatur, quia ſi in illis Concilium errare poſſet, Papa errare poſſet; & ſi utrumque errare poſſet, ſtandum eſſet potiùs Concilio; ſicut ergo, poſtquàm determinatum fuit in Concilio Apoſtolorum, quòd legalia erant extincta, non potuit Petrus aliter definire, ita in quocumque Concilio Generali, ut patet; qui ſi errare poſſet, non eſſet Eccleſia fundata ſuper firmam petram, cùm ſemper maneret dubia & vacillaret; nec Evangelium eſſet certum, cùm Auguſtinus dicat, ſe non credere Evangelio, niſi propter auctoritatem Eccleſiæ, &c.*

Aliquantò poſt, ubi oſtendit utramque opinionem de comparatione Papæ & Concilii D. Thomæ & Pariſienſium eſſe probabilem, ſubjunxit; dato quòd *Concilium eſſet ſupra Papam, hoc intenſivè non extenſivè eſſe intelligendum; puta quòd ſi Papa aliquid ſtatueret, & à Concilio contrarium determinaretur, quòd eſſet ſtandum potiùs Concilio, vel quòd Papa teneretur parère Concilio, & non è contrario; cùm ergo Concilium poſſet diſpenſare in ſuis decretis, ergo etiam Papa poterit, aliàs non eſſet Papa: & id eſt quod vocat Concilium non eſſe ſupra Papam extenſivè, quia Concilium nullum poſſit actum, in quem etiam Papa non poſſit.*

Hæc ubi Franciſcus à Victoria diſputavit, quartam relectionem ita concludit, *non ſolùm licere non parère injuſtis mandatis Papæ, verumetiam facto, & niſi opus eſſet reſiſtere illis, & impedire armis exequutionem illorum; & maximè intercedente publicâ auctoritate, ut principiis, & comprehendere & punire exequutores talium mandatorum, ſemper tamen ſervato moderamine inculpatæ tutelæ &c. Addit & hanc vigeſimam tertiam propoſitionem. Propter injuſtas diſpenſationes vel alia mandata inſolentia, quæ in perniciem Eccleſiæ procederent, poſſe convocari & congregari Concilium generale contra voluntatem Papæ, ut ei reſiſteret & obviaret ejus inſolentiæ: hoc expreſſe tenet Sylveſter verbo Papa §. quòd ſi Papa ſuis moribus &c. Et Turrecremata aſſertor vehementiſſimus Pontificiæ dignitatis lib. 3. de Eccleſia cap. decimo verſus finem, &c. Unde etiam confirmantur quæ ſupra dicta ſunt, ait Victoria: nihil enim prodeſſet congregatio Concilii, niſi ſuâ auctoritate poſſet determinare quibus in rebus Pontifex non debeat nec poſſit attenta-*

Digitized by Google

re contra Patrum decreta & ſanctiones. Huc uſque Franciſcus à Victoria, qui quamquàm implicitus opinionibus Scholæ D. Thomæ, tamen magno veritatis præjudicio veritatem demonſtrat, tum quia docet Apoſtolos fuiſſe & honore & poteſtate æquales inter ſe. Secundò, dum aſſerit illos potuiſſe ubique locorum & gentium conſtituere Epiſcopos, atque Epiſcopos ejuſmodi non à Petro aut Papâ habuiſſe, vel habituros fuiſſe auctoritatem: atque Paulum de facto Titum & Timothæum ordinaviſſe: procul dubio clariſſimè oſtendit, poteſtatem ordinis & juriſdictionis eſſe in Eccleſia Sacerdotali. Tertiò, Epiſcopos habere poteſtatem condendi leges pro regimine ſuæ Provinciæ, atque etiam ordinandi alios Epiſcopos, quod eſt certiſſimum, & Canonibus Nicænis 4. 5. & 6. atque etiam Canone 2. Conſtantinopolitani Concilii definitum, *ut unaquæque Provincia Synodo Provinciæ gubernetur.* Quartò, Papam non poſſe derogare Canonibus Conciliorum ad fidem aut mores Eccleſiæ ſpectantibus. Idque inter alia decreta Apoſtolorum de legalium obſervatione probat: propter quæ Paulus Petrum corripuit, quòd non rectè *ambularet* ad veritatem Evangelii, Galat. 2. Quintò, Concilium in fide & moribus errare non poſſe, quam in rem hunc laudat textum, *ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua, Luca.* 22. Undè patet Victoriam locum hunc priùs de Eccleſia quàm de Petro intelligere, juxtà regulam Auguſtini ſuperiùs explicatam. Sextò ait, dato quòd Papa & Concilium errare poſſent, ſemper eſſe potiùs ſtandum Concilio quàm Papæ, poſito quòd inter ſeſe diverſa ſtatuerent aut docerent. Septimò, utramque opinionem de comparatione Concilii & Papæ eſſe probabilem, ubi notandum, quamquàm Victoria opinionem ſuæ Scholæ propugnet, tamen ſatis declarare ſententiam Pariſienſium eſſe meliorem & tutiorem, quippe qui doceant claves datas omnibus Apoſtolis & Epiſcopis eorum ſucceſſoribus, atque Epiſcopos non habere ſuam auctoritatem à Papa. Item quòd Concilium generale congregari poſſit ſine Papa, & contra voluntatem & perſonam Papæ, ac ibidem poſſe decretum irritans ſtatui ad refrænandam poteſtatem Papæ, ita ut Pontifici Romano non liceat ejuſmodi decretum prætergredi. Quæ omnia certiſſima ſunt Ariſtocratici regiminis Eccleſiæ, & auctoritatis Concilii ſupra Papam monimenta: quibus quidem nihil habent adverſarii præter effugia & cavillationes quod opponant. Hercle cùm eſſem Baccalaureus Theologiæ, hæcque Bellarmini aſſertio permagnam religionem mihi injeciſſet, *ſententia Doctorum Pariſienſium videtur omninò erronea & hæreſi proxima lib. 4. de Romano Pontifice cap.* 2. ſub finem. Relectiones Franciſci à Victoria me penitus ab hoc vano timore liberarunt, & confirmarunt; tum enim propter Theologiæ Scholaſticæ ſtudia, lectioni Patrum & Conciliorum mihi vacare integrum non erat.

XLVI. Porrò dum Franciſcus à Victoria tempora naſcentis Eccleſiæ, aut fundandæ, aut jam fundatæ & conſtitutæ Eccleſiæ minimè diſtinguit, graviter quidem allucinatur. Ego quidem haud abnegarim cùm de Eccleſiis primitus inſtituendis & fundandis agitur, aut ubi aliqua inevitabilis urget neceſſitas, quia jure extraordinario & contra Canones Paſtoribus permiſſum ſit ſibi privatim ſucceſſores deligere; quia tum temporis unicus & ſolus Paſtor ſufficienter atque efficienter Eccleſiam repræſentat, propter Chriſti Sacerdotium in ſolidum poſſidet, eſtque tanquam anima Eccleſiam ipſam informans & propagans. Quocircà unicus Epiſcopus multos

poteſt ordinare Epiſcopos, ut ſi verbi cauſâ ex Hypotheſi unicus Sacerdos vel Epiſcopus in mundo vel in Indiis eniteret: hinc fit ut Guillelmus Altiſſiodorenſis lib. 4. ſentent. tractans *de Sacramento Ordinis quæſt.* 1. *ſub* finem ſcribat, *quòd ſi non eſſent in mundo niſi tres tantùm ſimplices Sacerdotes, oporteret quòd aliquis illorum conſecraret alium in Epiſcopum & alium in Archiepiſcopum*, propria ſunt verba certiſſimâ quidem ex Hypotheſi poſita, aliàs pernego id licere. Quoniam ut multoties inculcavimus, claves & Sacerdotium Chriſti quoad dominium, proprietatem & architectonicè Eccleſiæ collectim ſumptæ competunt: Eccleſia autem in ſua ratione eſſentiali multorum collectionem ac unitatem ſignificat, abſque qua unitate & ſanctorum communione nihil unquam tentandum aut faciendum; quia pax, unitas & ſanctorum communio finis eſt, propter quem Chriſtus poteſtatem ordinis & juriſdictionis contulit Eccleſiæ. Prælati autem ſingulariter capti, cùm claves quoad uſum, miniſterium & exequutionem dumtaxat, id eſt ſibi ſolis perſonaliter poſſideant, eam ob rem ſacris Canonibus prohibentur ſibi ſucceſſores deligere, ut paulò antè probavimus in Analyſi collectionum Abulenſis Epiſcopi. Procul dubio hæc Franciſci Victoriani opinio, ſecluſâ neceſſitate quæ legem non habet, aut primarum Eccleſiarum fundatione, eſt periculoſa & viam ſternit ad ſchiſmata, & ad evertendum funditus ordinem hierarchicum, & politiam totius Eccleſiæ. Primùm, quia hâc ratione ſitum eſſet in poteſtate cujuſcumque Epiſcopi, non unicum modò, ſed plures creare Epiſcopos, eoſque in quamcumque vellent Provinciam, Angliam verbi cauſâ, Hiberniam aut Indias mittere; nulla enim poteſt cauſa aſſignari, cur Epiſcopus unum potiùs & ſolum Epiſcopum creet, quàm plures. Secundò, ſi Papa derepentè moreretur antequàm ſibi ſucceſſorem adoptaſſet, de hinc abſque miraculo creari non poſſet, hîc ego ad hominem argumentor; propterea quòd Victoria opinionem S. Thomæ amplectitur, putatque aut ſimulat Papam eſſe abſolutum Eccleſiæ Monarcham, ne à communi Thomiſtarum ſententia diſcedere videatur. Tertiò, Papatus, Epiſcopatus & Sacerdotia omnia jure hæreditario uni familiæ addici poſſent; quemadmodum videmus regnum Franciæ in ſolis Principibus Regii ſanguinis hærere; qui plura reſcire volet incommoda quæ ab hac Franciſci Victoriani opinione profluunt, legat Almaïnum de Eccleſiæ auctoritate cap. 9.

XLVII. Joannes Viguerius Dominicanus in inſtitutione Theologiæ, ubi de virtute fidei diſſerit cap. *de Eccleſiæ infallibilitate*; *Probatur*, ait, Eccleſiam univerſalem eſſe indeviabilem, *quia D. Paulus ait, viri diligite uxores veſtras; ut & Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit prò ea, ut illam ſanctificaret, mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ, & exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid ejuſmodi; ſed ut ſit ſancta & immaculata, probatur pariter per id quod dixit Chriſtus* Petro, *tu es* Petrus *& ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam, probatur inſuper ex eo quod dixit* Petro, *ego rogavi pro te ut non deficiat fides tua: in quo loco non oravit pro fide perſonali* Petri, *cùm defecerit, prout Chriſtus illam defecturam prædixit, docens antequàm gallus cantet, ter me negabis, ſed pro fide Eccleſiæ* Petro *committendæ* &c. Deindè aliquantò poſt. *Nec obſtat quòd fides cujuſlibet particularis hominis deficere poſſit; quia hoc intelligendum eſt diſtributivè, ſed non collectivè, nec ſequitur quòd ſi Eccleſia provin-*

Digitized by Google

cialis poſſit errare, quod etiam univerſalis, quia Eccleſiæ univerſali promiſſa fuit aſſiſtentia ſpiritus Sancti, & non Eccleſiæ provinciali &c. Ex hac indeviabilitate Eccleſiæ habetur, quod major eſt ejus auctoritas & Concilii, quam Papæ qui eſt membrum, & cujus fides particularis deficere poteſt &c. Hæc Viguerius, cujus liber decreto Facultatis Pariſienſis die ultimâ Julii in congregatione ordinaria probatus eſt omnium Doctorum conſenſu & approbatione, ſicque decretum memoratum concipitur. *De mandato Dominorum Decani & Magiſtrorum Sacræ Facultatis Theologiæ in univerſitate Pariſienſi ſic ſignatum Fournier.* Porrò hæc collectio nos quatuor docet. Primò, Viguerium hos locos, *tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, ego rogavi pro te ut non deficiat fides tua* &c. referre ad fidem totius Eccleſiæ, quam Petrus ſignificabat propter primatum quem in diſcipulis habebat, ut ait Auguſtinus. Secundò, Eccleſiæ fidem non Petri eſſe infallibilem. Tertiò, potiorem eſſe Concilii quàm Petri aut Papæ auctoritatem. Quartò, Facultatem Pariſienſem approbatione quam edidit ſuper editione libri Viguerii, hæc omnia tanquàm doctrinæ ſuæ congruentia roboraſſe: nam ut dixi, hic liber à congregatione ordinariâ decretoque totius Facultatis auctoritatem habuit; ut conſtat ex prima editione inſtitutionis Viguerii, in cujus fronte approbatio Facultatis Pariſienſis exſcripta eſt.

XLVIII. Alphonſus Caſtrenſis Franciſcanus natione Hiſpanus lib. 2. de juſta hæreticorum punitione cap. 24. reſpondens Cajetani & aliorum objectionibus docentium Epiſcopos à Papa ſolâque commiſſione Eccleſiaſticâ juriſdictionem habere, poſtquàm multa præfatus eſt, hæc valdè notanda ſubjicit: *Fateor quidem Epiſcopatuum diviſionem, quâ quiſque Epiſcopus ſuos habet peculiares ſubditos, jure humano introductam eſſe, & meritò ad evitandam confuſionem & diſſenſiones, quæ facilè oriri poſſent, niſi talis diviſio facta fuiſſet, quâ ſuas quiſque poſſet agnoſcere oves, & ab alienis abſtinere. At quòd Epiſcopus poteſtatem juriſdictionis habeat, ex ſolo divino pendet jure, non humano. Jure divino hanc habet poteſtatem factus Epiſcopus, ſed jure humano fit illi hæc poteſtas determinata circa has aut illas oves commiſſas; quæ aliquando eſt latior, aliquando brevior; penès hoc ſolùm, quòd plures aut pauciores ſubditi illi tribuuntur. Et ſi contingat ob aliquod crimen Epiſcopum à Papa privari Epiſcopatu ſuo, quod ille ob multa crimina rectè facere poteſt, tunc Epiſcopus erit privatus ſubditis, in quos juriſdictionis poteſtatem exercere poſſit; ſed non erit privatus eâ juriſdictionis poteſtate quam in ſua conſecratione accepit. Quemadmodùm diceremus de Sacerdote habente beneficium, ſi privetur beneficio, qui abſolvere non poteſt, non propter defectum poteſtatis, ſed quia non habet ſubditum ſupra quem illam exerceat. Accedit ad hæc omnia, quòd quando Epiſcopi eliguntur & confirmantur, nulla fit illis ab Eccleſia commiſſio juriſdictionis, quod quidem non omiſiſſet Eccleſia facere, ſi hanc ab illa juriſdictionem Epiſcopos habere putaret. Verùm quia pro conſtante habet Eccleſia Epiſcopos, poſtquàm electi & confirmati fuerint ex jure divino, habere juriſdictionem ſuper populum illis commiſſum, ideò nunquàm hæc illis committere curavit.* Hæc ſententia Caſtrenſis fermè communis eſt omnibus Theologis quoad primam partem, utque intelligatur, tria potiſſimùm notanda veniunt.

XLIX. Primùm, juriſdictionem Eccleſiaſticam duobus modis poſſe conſiderari, activè ſcilicet & paſſivè, ſeu formaliter & materialiter. Juriſdictionem activam &

Digitized by Google

formaliter ſumptam appello potentiam, vim, facultatem & habitum agendi, hoc eſt abſolvendi & retinendi peccata, leges Eccleſiaſticas ferendi, atque alia ejuſmodi quæ pertinent ad poteſtatem regendi Eccleſiam, & unà cum ordine Epiſcopali & Sacerdotali conferuntur: quarè ſupra non ſemel docuimus communicatione Sacerdotii Chriſti, unà etiam juriſdictionem Eccleſiaſticam intenſivè, formaliter, habitu & in actu ſignato conferri, & idipſum eſt quod Caſtrenſis hìc appoſitè notat. Quod attinet ad juriſdictionem poſitivam, nihil aliud eſt, quàm traditio tituli, materiæ & populi, puta cùm aliqua Diœceſis Epiſcopo, & parœcia Presbytero regenda permittitur; idque olim fiebat ſacris electionibus, nullusque anteà ordinabatur in Epiſcopum aut Presbyterum, qui non priùs delectus fuiſſet, ſicque forma aut activa juriſdictio intromittebatur in materiam diſpoſitam juxta ea quæ ſupra obſervavit Cuſanus. Secundò, quòd Caſtrenſis perhibet Eccleſiam eligendo Epiſcopum, nullam illi committere aut conferre juriſdictionem, verum eſt ſi de activa juriſdictione, falſum ſi de paſſiva & actuali exercitio loquatur. Idque repugnat ſententiæ omnium Patrum & Doctorum, quorum permulti propriè juriſdictionem per ſacras electiones conferri aſſerunt. Tertiò, quòd in ſententiæ ſuæ confirmationem memorat Eccleſiam nunquam omiſſuram facere mentionem juriſdictionis collatæ inter eligendum, ſi modò putâſſet per electiones aliquid juriſdictionis conferri, nullius eſt momenti, quoniam certum eſt Eccleſiam id omiſiſſe tanquàm lumine naturali notum, ut enim exercitus, verbi cauſâ, eligendo Ducem aut Imperatorem, ſe ei regendum ſubjicit, ſicut etiam Monachi Abbati aut Priori quem cooptant: ita etiam Clerus & populus eligendo Epiſcopum. Hieronymus *can. legimus. diſt. 93.* §. *Quòd autem poſteà unus electus eſt qui cæteris præponeretur, in ſchiſmatis remedium factum eſt, ne unuſquiſque ad ſe trahens Chriſti Eccleſiam rumperet: nam & Alexandriæ à Marco Evangeliſta uſque ad Heraclam & Dionyſium Epiſcopos, Presbyteri ſemper unum ex ſe electum in excelſiori gradu collocatum, Epiſcopum nominabant, quomodò ſi exercitus Imperatorem faciat, aut Diaconi eligant de ſe quem induſtrium noverint, & Archidiaconum vocent.* Itaque licèt Epiſcopus adeptione Sacerdotii Chriſti, potentiam, facultatem & juriſdictionem activam obtineat, tamen quoniam eidem deeſt materia in quam explicet atque exerceat ſuam facultatem agendi; idcircò caret exercitio juriſdictionis, quod illi defertur per ſacras electiones. Et ita hæc opinio Caſtrenſis cum ſententia Toſtati, Cuſani & aliorum ſupra laudatorum conciliatur.

L. Idem Caſtrenſis lib. 1. adversùs hæreſes cap. 4. explicatè, docet *omnem hominem errare poſſe in fide, etiamſi Papa ſit, & propterea judicium interpretandi ſcripturas & controverſias naſcentes, eſſe penes totam Eccleſiam Catholicam, penes quam jus fuerat diſcernendi ſacras ſcripturas ab humanis.* Hoc enim non unius Papæ arbitrio factum eſt, ſed totius Eccleſiæ Catholicæ conſenſu, ut de Symbolo atque aliis geſtis Apoſtolorum legimus in actis & hiſtoriis.

LI. Navarrus de pœnitentia diſt. ſextâ cap. placuit à Numero 45. & 58. declarat quâ ratione unà cum poteſtate ordinis poteſtas juriſdictionis habitu & in actu ſignato conferatur: « Sed contra hoc facit, quòd omnis Sacerdos (inquit) claves » ambas cum ipſo ſuſcipit ordine, clavem ſcilicèt poteſtatis & clavem ſcientiæ, quæ » non eſt ſcientia, ſed poteſtas cognoſcendi; & ita juriſdictio quædam, ut decla-

ratur

tatur in extravagante Joannis xxII. quia quorumdam &c. & ideò ex ipſa ordinis " natura Sacerdos eſt judex omnium qui voluerint illi confiteri, quemadmodum & " ex ordinis natura habet conſecrandi poteſtatem. Ergo non poteſt Papa aut alius " Prælatus alteram harum poteſtatum magis quàm alteram reſtringere, facit quod " Paludanus ait, nullum confeſſarium, quicumque ille ſit, cùm abſolvit dicere " debere, auctoritate Epiſcopi vel Curati te abſolvo &c. eo modo quo eſt aucto- " ritas in homine apud omnem peræquè eſt Sacerdotem, ſed ſuperior dat ſibi ma- " teriam, non tamen aliquam poteſtatem, niſi quando primò ordinat eum. Sicut " enim Princeps dat alicui artifici licentiam utendi arte ſuâ, puta medicinâ, quod " non eſt ei dare artis poteſtatem, ſed laxare materiam, ſic conferuntur ordines " & audiuntur confeſſiones in Parochiis aliorum de licentia eorum :. „ Hæc ubi præ- ſtituit Navarrus, ſic "reſpondet ad quartam difficultatem, quam ſibi explican- " dam propoſuerat, nempe Romanum Pontificem non poſſe quidem juriſdictio- " nem vel poteſtatem abſolvendi ipſis Presbyteris tollere, ſed poſſe ſubtrahere illis " materiam in qua illam exercent, & ſicut vino & pane ſubtractis Presbyter non " conſecrat, neque ſine aqua baptiſat : ita ſubtracto populo ex ſubjectione alicujus " Presbyteri, ſubtrahitur quoque illi materia, in quam ſolvendi poteſtatem exer- " ceat, & ita non abſolvit, quod commune omnibus aliis eſt Sacramentis. „ Huc uſ- que Navarrus, cujus aſſertio patet ex iis quæ ad Caſtrenſis ſententiam evolvendam notavimus.

Idem Navarrus cap. novit de judiciis tertio notabili num. 83. poſtquàm enumera- vit varias ſpecies poteſtatis Eccleſiaſticæ conſtitutas & collocatas à Domino, de qui- bus ſupra in collectione Joannis de Pariſiis, hæc ſubjicit. *Tertia poteſtas eſt juriſ- dictionis in foro exteriori, id eſt, poteſtas jus dicendi, corrigendi & inferendi pœnam in contumaces etiam invitos, & fuit tradita Apoſtolis per illa verba in hoc capite rela- ta, dic Eccleſiæ, & ſi eam non audierit, ſit tibi tanquam Ethnicus & Publicanus, cum illis aliis quæ ſequuntur in Evangelio, licèt hic non referantur, videlicet, quæcum- que ſolveritis & ligaveritis, &c. Per illa enim verba inſtitutam eſſe poteſtatem, tra- ditam verò per verba illa, paſce oves meas, magnis viribus contendit Jacobus Almainus de auctoritate Eccleſiæ.* Hîc etiam impendo quæ idem Navarrus habet ibidem num. 84. quæcumque ſupra lib. 1. cap. 1. num. 12. exhibuimus contra Vallium; at eo- dem notabili 3. num. 146. *Poteſtas Eccleſiaſtica, licèt etiam accipiatur mediante ele- ctione Eccleſiæ, vel Cardinalium eam repræſentantium* (inquit) *non tamen accipitur tanquàm res aliqua quæ ſit fueritve ipſius Eccleſiæ, ſecundùm opinionem Romanorum re- latam ſupra, licèt ſecundùm opinionem Pariſienſium, Gerſonis ſcilicet & aliorum multo- rum ſit, ſecundùm enim eos poteſtas Papalis hæc data fuit Eccleſiæ, & eſt in Concilio Oecu- menico legitimè congregato; quod magnis viribus contendit confutare Thomas à Vio, & magnis defendere Jacobus Almainus & Joannes Major citati ſupra, &c.*

In his Navarri Collectaneis quinque ſunt potiſſimùm notanda. Primùm, am- pliſſimam poteſtatem juriſdictionis in foro exteriori conſtitui & tradi Apoſtolis, Mathæi 18. *dic Eccleſiæ*, &c. Secundò, exercitium ejuſdem poteſtatis tradi Pe- tro, Joannis ultimo his verbis, *paſce oves meas.* Tertiò, ſecundùm opinionem Romanorum, poteſtatem Eccleſiaſticam non traditam fuiſſe à Chriſto Eccleſiæ,

Digitized by Google

ſed uni & ſoli Petro, atque hodie Pontifici, mediante electione Eccleſiæ vel Cardinalium, deferri; quæ opinio quàm abſurda, imò erronea ſit, antecedentibus explendeſcit. Quartò, quòd ait juxtà opinionem Pariſienſium, poteſtatem Eccleſiaſticam, quam Papalem nuncupat, datam Eccleſiæ in perſona Petri, hoc quidem non eſt ad unam ſcholam Pariſienſem coarctandum; cùm doctrina ſit Catholica, omnium Patrum, Doctorum & ſæculorum ab Eccleſiæ Apoſtolicæ temporibus ad noſtra uſque propagata, ut his commentariis patet: neque Navarrus obſcurè indicat quid de ea re ſentiat, quando ait, omnem Sacerdotem claves ambas cum ipſo ordine Sacerdotali ſuſcipere: hinc enim colligitur claves non uni Petro, ſed toti hierarchico ordini delatas; ordo autem hierarchicus Papam, Sacerdotem & Epiſcopum facit ſi non ſit Sacerdos, Papam verò creat dum illum deligit. Omitto præterea Bellarminum, dequo infra, fateri hoc oraculo, *ſicut miſit me pater, &c.* eandem poteſtatem traditam Apoſtolis quàm Petro his aliis, *paſce oves meas.*

LII. Quintò, obſervandum eſt quemdam librorum expurgatorem ad hæc verba Navarri, *ſecundùm opinionem Pariſienſium, &c.* Has notas in editionem Lugdunenſem (illis enim Romana & Veneta carent) conjeciſſe, *anceps animi plurimùmque dubitare viſus eſt D. Navarrus de quæſtione hac* (inquit expurgator) *an Papa ſit ſupra Concilium, ut ſentiunt plurimi & maximi Theologi. An verò Concilium ſit ſupra Papam, quæ eſt Pariſienſium Theologorum communis opinio, tam in hoc libro quàm in commentariis placuit de pœnitentia diſt. 6. num. 17. Sed in tertio libro Conciliorum titulo de his quæ fiunt à majori parte Capituli Capitulo unico, planè aſſerere videtur Papam eſſe ſupra Concilium, dum ait, Papam longè aliter præeſſe Concilio Generali, quàm Archiepiſcopum Provinciali: quia (inquit) Papa poteſt ut perſona in qua reſidet tota poteſtas Eccleſiæ, ita quod ſolus poteſt ſtatuere quidquid cum Concilio poſſet, & proindè ipſum Papam ſuperiorem Concilio facit. Cæterùm longè probabilior Romanorum ſententia, Papam eſſe ſupra Concilium, quàm Pariſienſium, ut inter alios nuper docuit Robertus Bellarminus Societatis Jeſu in lib. 2. de Conciliis & Eccleſia capite 13. & ſequentibus.*

Hactenùs Navarri Commentator, qui duabus potiſſimùm rationibus niti videtur; prior eſt, Navarrum aſſerere in ſolo Papa totam reſidere poteſtatem Eccleſiaſticam, ita ut ſolus poſſit ſtatuere quæcumque Concilium ſtatuit. At repono hæc dici à Navarro non ex quæſtione juris, ſed ex quæſtione facti, id eſt ſecundùm doctrinam & ſtylum Curiæ Romanæ in qua vivebat & ſcribebat; An non ipſe perhibet non eſſe liberum Romæ tenere Pariſienſium ſententiam *cap. novit de judiciis notabili* 3. *num.* 84. Quis ergo ibi muſſitare auderet Concilium eſſe ſupra Papam? & hæc cauſa eſt anxii animi Navarri, adeò ut de hac doctrina Orthodoxa, niſi per ambages, circuitionem & præfationem numquàm loquatur. Quod mirum eſt Commentatorem hunc non vidiſſe aut diſſimulâſſe. Præterea in Conſilio Navarri, quem iſte Commentator ad ſuam opinionem armandam profert, Navarrus pro ſuo fundamento defigit Decretalem de *electione & electi poteſtate. cap. ſignificaſti*, ubi Paſchalis P. P. Gregorii VII. Succeſſor hæc edicit imperia: *Aiunt in Conciliis ſtatutum non inveniri? quaſi Romanæ Eccleſiæ legem Concilia iſta præfixerint, cùm omnia Concilia per Romani Pontificis auctoritatem & facta ſint & robur acceperint.*

Digitized by Google

& in eorum ſtatutis Romani Pontificis patenter excipiatur auctoritas, cui decretali neceſſum fuit Navarrum ſcribentem Romæ omnia ſua reſponſa & concilia aptare, at hoc fundamentum Pontificis in ſua cauſa omninò ruinoſum eſt; de quo aliàs. Procul dubio ipſemet Navarrus qui, ut dixi, per circuitionem ſemper loquitur, dum in hoc Concilio explicatè ait, *nullo jure divino, naturali aut humano probari, quod juxta conſenſum & ſententiam majoris partis concluſio aut ſtatutum minimè fieri debeat*; apertè declarat quid de hac controverſia tenendum ſit. Etenim vir doctiſſimus compertum habebat, omnia & octo prima Concilia Generalia ad hanc normam definita, ita ut neque Papa, neque ejus Legati in illis Conciliis plus unquàm habuerint auctoritatis, quàm Archiepiſcopus in Synodis Provincialibus; in quibus omnia ſubductis Patrum ſuffragiis decernebantur, & hæc de priori ratione Commentatoris. Poſterior eſt, Bellarminum docere, multò probabiliorem eſſe Romanorum, quàm Pariſienſium ſententiam; at nos proximo libro ea de re diſputabimus, & oſtendemus adverſariorum juri divino, naturali & Canonico planè contrariam eſſe.

LIII. Claudius Guillandus commentariis in caput 16. Mathæi: *Petrus ut erat amantiſſimus Ieſu, ait, tanquàm futurus ordinis Apoſtolici princeps, omnium nomine reſpondet; undè & à* Patribus *os Apoſtolorum dictus eſt; ut quòd ipſe affirmat, nomine omnium ſuorum ſymmiſtarum affirmet, quemadmodum habes in actis cap. 2. Non enim ſolus Petrus, ſed omnes Apoſtoli interrogati erant à Chriſto quid de ipſo ſentirent.* Et aliquantò poſt, ad hæc verba, *reſpondens autem Ieſus* &c. *licèt Chriſtus in reſponſione ſua unum quidem Petrum nominet, tamen non ut uni tantùm Petro reſpondet. Nam reſponſio Chriſti reſpicit in confeſſionem Petri. Petrus autem non tantùm ſuo nomine confeſſus eſt, ſed nomine omnium Apoſtolorum. Quare reſponſio Chriſti ad omnes pertinet Apoſtolos, non ad unum tantùm Petrum &c. ædificabo* Eccleſiam *meam, Petre propter hanc tuam confeſſionem & ardentem fiduciam pronunciavi, te beatum & juſtificatum eſſe, & nomen* Petri *tibi do, quòd à Petra, id eſt meipſo, cui adhæſiſti, rectè & meritò tibi inditum volo, ideoque ædificabo* Eccleſiam *meam, quia meo ſanguine conſtruendam & in unum conjungendam; meam dicit, non tuam, non enim eſt* Petri *Eccleſia, ut auctoris, ſed Ieſu Chriſti & Domini & auctoris & fundatoris, imò ipſe eſt fundamentum, & non Petrus aut quivis alius homo, cùm Epheſiorum 2. dicatur Chriſtus fundamentum &* Apoſtolorum *&* Prophetarum. *Item 1. Cor. 3. fundamentum enim aliud nemo poteſt ponere præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus. Petrus non eſt petra, ſed à petra dictus, velut à lapide quis dicitur lapideus. Ipſe autem Chriſtus ſolus eſt petra, ſeu lapis Angularis, in quo omnis ædificatio conſtructa creſcit in templum ſanctum, & petra eſt firmitas ac ſoliditas ſivè ſundamentum* Eccleſiæ, *cui ipſe* Petrus *imponitur unà cum aliis membris Eccleſiæ, & non imponitur ſive ſuperædificatur Petro &c. Rurſus adverte, cùm Chriſtus dixit ædificabo Eccleſiam meam, declarat ſe eſſe ſuæ Eccleſiæ Architectum. Nam ipſe eſt ædificator ſuæ Eccleſiæ licèt ipſe ſit illius & fundamentum & lapis Angularis totum ædificium ſuſtinens, qui per ſpiritum pectora mortalium & fide & charitate donat, & addito incremento ædificat: undè dictus eſt caput corporis Eccleſiæ ſuæ, ex quo totum corpus per nexus & conjunctiones conſtructum creſcit in augmentum Dei; & ad hanc ædificationem utitur miniſterio eorum, quos ad hoc elegit, de quibus vide Epheſior. 4. inter quos facilè conceſſerim Petrum eſſe primum propter ordinem, & adminiſtrationem in ædificationem corporis Chriſti, cujus caput verum & unicum eſt Chri-*

Digitized by Google

ſtus, *Petrus verò miniſter eſt*, *auctoritate tamen ſuper reliquos eminens.* Huc uſque Guillandus qui paucis omnes omnium penè Doctorum ſuperiorum ſententias complexus eſt.

Idem. cap. 18. in Mathæum, *dic Eccleſiæ*, *rem defer ad Eccleſiam*, *id eſt*, *ad eos penes quos eſt Eccleſiaſtica auctoritas*, *non quòd peccator intractabilis deferendus ſit ad univerſalem illam omnium Sanctorum & Catholicorum congregationem*, *ſed ad Prælatum Eccleſiæ*, *qui ordinarius judex eſt fratris impœnitentis. Quæcumque alligaveritis*, *&c.* *docet & declarat cùm Eccleſiam tùm Apoſtolos & præpoſitos Eccleſiæ primò habere poteſtatem ligandi*, *hoc eſt anathemate & excommunicatione feriendi*; *hoc eſt ejiciendi extra ipſam Eccleſiam*, *ſimiliter & obligandi ſibi commiſſos*, *modo legitimè ſuâ utantur auctoritate*: *quia ſi duo ex vobis conſenſerint*, *non dicit ſi omnes*, *ne de univerſali Eccleſia tantùm intelligeretur*, *neque ait ſi multi*, *ne hæc gratia ad magnam & copioſam Eccleſiam ſolùm referretur*; *ſed ait ſi duo ut etiam minimi numeri Fidelium quanta ſit virtus explicetur.*

Joannes Arboreus commentariis in caput 16. Mathæi, *dictus eſt Petrus à Petra*, *hoc eſt à Chriſto vel ſtabili ſidei confeſſione*, *& non petra à Petro* &c. *non enim dixit Chriſtus*, *prævidens Petrum poſthac de fide periclitaturum*, *ſuper te exſtruam Eccleſiam meam*, *ſiquidem debile eſt fundamentum. Nam Petrus defecit à fide negando Chriſtum in paſſione*, *ſed ſuper hanc petram*, *hoc eſt inconcuſſam hanc fidem quam profeſſus es*, *ædificabo Eccleſiam meam. Mihi videntur toto cœlo errare*, *qui dicunt Eccleſiam eſſe ædificatam ſuper Pontificem Romanum*, *quamvis ſit ſecundarium Eccleſiæ caput*: *Nam Romanus Pontifex poteſt eſſe hæreticus & ſchiſmaticus*, &c. Item in caput 22. Lucæ, *Ego rogavi pro te Petre ut non deficiat fides tua*, eadem prorſus narrat quæ expoſuit cap. 16. in Mathæum & uſquequaque conſentit ſententiæ Toſtati in explicatione hujus loci, *ego rogavi pro te Petre* &c. Vide ſupra collectiones ex Toſtato, ne ſim profuſior.

LIV. Joannes Gropperus vir piiſſimus, hocque nomine ab Antonio Poſſevino plurimùm commendatus, quòd Cardinalatum ſibi ultrò à Pontifice oblatum repudiarit, in ſua inſtitutione Catholica cap. de diſciplina Eccleſiaſtica fol. 207. editionis Lugdunenſis. *Chriſtus S. Petro & in Petro Eccleſiæ ſuæ claves conceſſit aperiendi & claudendi regni cœleſtis*, *quæ eſt poteſtas ligandi atque ſolvendi*, *remittendi & retinendi peccata Mathæi* 16. *& ad reliquos ſimul Apoſtolos*, *Joannis* 20. *quorum remiſeritis peccata*, *remittuntur*, *& quorum retinueritis*, *retenta ſunt* &c.

Iſidorus Clarius in caput 16. *Mathæi*, *ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*, *ſuper hanc fidei ſoliditatem*, *id eſt*, *ſuper ipſum Chriſtum.*

Pererius Theologus ſocietatis cap. 2. in Danielem verſu 45. ad hæc verba, *lapis abſciſſus ſine manibus* &c. *Chriſtus*, inquit, eſt petra ſuper quem fundata eſt Eccleſia.

LV. Janſenius cap. 147. concordantiæ ad hæc verba, *ſicut miſit me pater & ego mitto vos*, *ſicut ſuam inſinuat divinitatem & auctoritatem*, *dum ſe patri æquat in mittendo*, *ita & Apoſtolorum indicat excellentiam*, *dum illos in delegato ſibi officio pares facit & vicarios traditæ ſibi olim functionis &c.* Vides Janſenium docere Apoſtolos pares effectos à Chriſto in miſſione & delegato officio.

Cardinalis Toletus cap. 20. commentariorum in Joannem, *ſicut miſit me pater* &c.

Digitized by Google

ſenſus eſt (*ait*) *quod munus dedit mihi Pater, hoc ego vobis munus trado, & vos Vicarios meos inſtituo, & rurſus, quâ auctoritate Pater miſit me, eadem ego vos mitto, ut prædicetis, gubernetis, dirigatis mundum in viam ſalutis & veritatis.*

Idem annotatione 17. in caput 20. Joannis. *Hic eſt ſimilitudo in officio, ſicut miſit me Pater, non merum & nudum annunciatorem & prædicatorem, ſed cum poteſtate ſpirituali & auctoritate, quia Paſtor ſum, ita & ego mitto vos non verbi dumtaxat prædicatores, ſed rectores & gubernatores in ſpiritualibus, & iis omnibus, quæ ad ſalutem pertinent, ut ſitis etiam paſtores. De poteſtate hac Actorum 20. dicebat Paulus, in quo Spiritus Sanctus vos poſuit regere Eccleſiam, ſucceſſores enim Apoſtolorum Epiſcopi ſunt.* Et aliquantò poſt. *Nemo aſſumit ſibi honorem niſi qui vocatus eſt tanquam Aaron. Attende tamen hanc ſimilitudinem quidem eſſe, ſicut miſit me Pater, ita & ego mitto vos, non æqualitatem, erant enim Apoſtoli inferiores Chriſto in natura & poteſtate & officio, erant ſolùm homines limitatam poteſtatem habentes, Vicarii erant non Domini, pro veritate annuncianda ſanguinem fuderunt, non pro noſtra nec propria redemptione.*

Toletus duo nobis digna obſervatione proponit. Primò hæc verba Chriſti, *ſicut miſit me Pater* &c. conferre omnibus Apoſtolis poteſtatem & juriſdictionem individuè & in commune, ita ut Proreges & Vicarii Chriſti efficiantur in poteſtate miniſteriali. *Non enim ſunt Domini* (inquit) *ſed miniſtri poteſtatem limitatam habentes ad Eccleſiam gubernandam.* Secundò, obſervat hanc eandem poteſtatem etiam deſignari ab Apoſtolo Actorum 20. dum Epiſcopos alloquitur; *attendite vobis & univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei*; undè inſurgit Epiſcopos eidem poteſtati, quam habuerunt Apoſtoli à Chriſto, ſucceſſiſſe, ita ut ejuſdem ſit naturæ & ſpeciei, virtutis & energiæ, ut aliàs diximus: idque Toletus confirmat, *quia* (inquit) *Epiſcopi ſunt Apoſtolorum ſucceſſores.* Profectò quo tempore Paulus hæc dixit, Epiſcopi univerſalem & illimitatam poteſtatem exercebant, neque uni diœceſi regendæ privatim addicti erant, quoniam nondum adhuc conſtitutæ diœceſes fuerant.

LVI. Joannes Maldonatus in caput 18. Mathæi explicans hæc verba, *dic Eccleſiæ, Chriſtus voluit Eccleſiæ tribunal ultimum eſſe, ad quod eſſent peccatores, cùm aliud non eſſet emendationis remedium, deferendi; ideoque ſummam illi tribuit poteſtatem: ſummam autem non tribuiſſet ſi majorem illi non dediſſet, quàm omnis reſpublica jure ſuo habet, ut homines pernicioſos mittat in exilium, quod in Eccleſia eſt excommunicare.*

LVII. Bellarminus 4. de Romano Pontifice cap. 25. explicans hæc verba Cypriani, *hoc erant utique & cæteri Apoſtoli quod fuit Petrus, pari conſortio præditi & honoris & poteſtatis 24. quæſt. 1. Can. loquitur. Vides* (inquit) *idem dari Apoſtolis per illa verba, ego mitto vos Joannis 20. quod Petro fuerat promiſſum per illud, paſce oves meas. Conſtat autem per illa, tibi dabo claves, & per illud paſce oves meas, intelligi juriſdictionem pleniſſimam etiam exteriorem. Quomodò autem hæc non impediant Petri primatum alibi ſatis oſtendimus.* Hæc Bellarminus cui ut aſſentior, hæc verba dicta in commune Apoſtolis, *ſicut miſit me Pater, & ego mitto vos*, non derogare primatui, ita contendo Primatum & abſolutam Monarchiam aut titulum

Digitized by Google

Epiſcopi univerſalis, longo inter ſeſe intervallo diſcrepare; quod ſatis patet ex antecedentibus. Cæterùm hìc lubet adſcribere mirabilem Baronii collectionem tomo 1. annalium ad annum 34. Domini, numero 303. ubi perſuadere contendit Paulum non æqualem habuiſſe poteſtatem cum Petro. *Cùm* (inquit) *Dominus nonniſi omnium ovium dicat unum ovile eſſe futurum, unumque Paſtorem, cujus Dominus oves ſuas omnes & agnos cura ſubjeceris, illum ipſum fuiſſe Petrum, nec alium præter ipſum eâdem poteſtate, quâ ipſum in univerſali Eccleſia unicum inſtitutum eſſe Paſtorem. Ex his quæ dicta ſunt neminem puto niſi fortè delirum & mente captum non intelligere.* En argumenta plumbea, quibus ſuam abſolutam Monarchiam figere laborat, ſi autem quæ dicit Baronius vera ſunt, oportet Cyprianum, Hieronymum, omneſque Patres antiquos, atque etiam recentiores & inter alios Bellarminum ipſum, deliros & mente captos eſſe, dum aſſerunt Apoſtolos inter ſeſe poteſtate & juriſdictione æquales fuiſſe quod non tollit primatum, verùm de hoc loco, *ut fiat unum ovile & unus Paſtor*, infra lib. 3. cap. 2. num. 4.

LVIII. Gabriel Vaſqueſius Theologus Societatis, natione Hiſpanus tom. 2. in primam partem ſecundæ quæſt. 95. diſputat. 152. cap. 3. dico, ait, *Epiſcopos accepiſſe proximè à Chriſto omnem juriſdictionem, quam vocant activam & veluti radicalem, tam in foro conſcientiæ ut abſolverent à peccatis, quàm in exteriori foro, ut jubeant, excommunicent, & leges ferant in hac vita. Eſt autem activa juriſdictio poteſtas & facultas jus dicendi; hanc verò exiſtimo promiſſam fuiſſe Apoſtolis & eorum ſucceſſoribus Mathæi 18. illis verbis: Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis, &c. id quod unicâ ratione mihi ſuadeo. Nam ſicut non poteſt Epiſcopus, imò nec Sacerdos in foro conſcientiæ rectè dicere, ego te abſolvo à peccatis poteſtate ad id mihi conceſſâ à ſummo* Pontifice (*& ideò cogimur concedere facultatem jus dicendi & ſententiam ferendi conceſſam fuiſſe proximè à Chriſto Epiſcopis & Sacerdotibus in foro conſcientiæ, quæ eſt activa juriſdictio*) *eâdem ratione cùm non poſſit Epiſcopus verè dicere, ego te excommunico poteſtate mihi conceſſâ à ſummo Pontifice* (*hoc enim ſolùm poteſt dicere in caſibus quibus poteſtate delegatâ fungeretur*) *efficitur hanc activam poteſtatem proximè à Chriſto non à ſummo Pontifice accepiſſe.*

Quæ Vaſqueſii ſententia ſatis plana evadit ex obſervationibus factis à me ad collectionem Alphonſi Caſtrenſis; hoc autem notablile eſt, quòd Vaſqueſius juriſdictionem activam benè appellat radicalem, quia eſt radix & cauſa efficiens totius juriſdictionis, & unà cum ordine Epiſcopali & Presbyterali defertur.

Becanus parte 3. Theologiæ Scholaſticæ tract. 2. de Sacram. Eccleſiæ cap. 26. de Sacram. ordinis quæſt. 9. *Undè Epiſcopi habeant poteſtatem juriſdictionis exterioris. Prima concluſio ſicut in juriſdictione interiore ſic in hac exteriore duo ſunt. Primò poteſtas regendi & gubernandi Eccleſiam. Secundò applicatio materiæ poteſtas regendi dupliciter conferri poteſt. Primò à ſummo Pontifice, quo pacto confertur Epiſcopo electo & confirmato, nundum tamen conſecrato. Secundò à Deo, quo pacto confertur in conſecratione. Applicatio materiæ jam ſemper confertur ab ipſo Pontifice vel Eccleſia, niſi quòd Pontifex factâ electione immediatè eam accipiat à Chriſto. Secunda concluſio quando poteſtas illa confertur à Pontifice antè conſecrationem, auferri & mutari poteſt: quando autem confertur à Deo in conſecratione, non poteſt auferri, licèt ejus uſus poſſit im-*

Digitized by Google

pediri per ſubſtractionem materiæ, ſicque ejuſdem eſt ſententiæ cum Vaſqueſio.

LIX. Petrus Ramon Dominicanus Hiſpanus Doctor Theologus, anno 1617. librum edidit Tholoſæ de Primatu D. Petri cum approbatione Superiorum ſuorum; in quo hos & ſimiles locos, *tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, paſce oves meas &c. de ſolo Primatu interpretatur ad retinendum unitatem & vitanda ſchiſmata; cæteris verò in rebus Apoſtolos æquales poteſtate & dignitate; eiſque datas claves in commune, & alia ejuſmodi doctrinæ Patrum congruentia aſſerit. Et de Eccleſiæ ſtabilitate hæc diſputat.* Nam & ſi ex ſcriptura habemus (inquit) “ omnes Apoſtolos accepiſſe à Chriſto poſt reſurrectionem parem poteſtatem cum Petro, ſcilicèt docendi & teſtificandi ſalutis Evangelium &c. tamen Chriſtus tranſiturus ex hoc mundo ad Patrem, ut unitatem Eccleſiæ (inquit doctiſſimus Hieronymus) ſignificaret, ac obviaret occaſioni ſchiſmatis, præfecit Petrum univerſalis Eccleſiæ Paſtorem in triplici illo amoris & charitatis paſtu, videlicet doctrinæ, exempli & ſubſidii; undè conceſſâ in die ſancto Paſchæ omnibus æquali poteſtate, poſt dies octo apparens eis coram Apoſtolis & diſcipulis quibuſdam, dedit claves quas antè promiſerat ſe daturum, &c. Item aliquantò infra, hinc libeat conſiderare, fratres chariſſimi, hujus Pontificis ſummi Petri firmitatem in hoc quòd Caput hujus Eccleſiæ à Chriſto conſtituitur. Quoniam etſi Eccleſiæ ſtabilimentum in Chriſto Capite primario reſideat, & ab illo ſit, tamen miro modo & nobis inſcrutabili velut in capite ſecundario Eccleſiæ reſidet in Petro & ab ipſo habetur. Cujus ratio eſt, quia Chriſtus eſt Eccleſiæ fundamentum; quod propriâ ſuâ virtute ædificium & compagem Eccleſiæ membrorum continet, quod ex ſe Eccleſiam firmam & immobilem facit, & incrementum præſtat; de quo Apoſtolus (inquit) fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter id quod poſitum eſt Chriſtus Jeſus 1. Corinthior. 3. Nihilominùs Petrus conſtitutus Chriſti Vicarius, fundamentum eſt quod ex virtute paſcendi à Chriſto acceptâ, Eccleſiam Catholicam tenuit immobilem. Hoc Cyprianus, Chryſoſtomus, Hieronymus & cæteri Patres nos docuerunt. Nec tam ſtupidi intellectu cenſendi ſunt, ut Petrum intelligant tale caput taleque fundamentum quale Chriſtus, qui ſuâ virtute continens totius ædificii onus, intùs operans robur & incrementum, facit Eccleſiam inter blandimenta & irritamenta hujus ſæculi eſſe ſtabilem & firmam, &c. Nec divinæ derogari poteſtati, nec injuriam fieri Chriſto vero fundamento, Eccleſiæque vero & ſoli Paſtori & capiti cenſemus, in hoc quòd dicatur Eccleſiam ſuam ædificaſſe ſupra Petrum, dum à ſe derivatâ poteſtate in Petrum voluit ſuam novam incipere Eccleſiam. Quod mirabile ſecretum intelligere oportet, quoniam non dixit ſuper te ædificabo Eccleſiam meam, nec dixit, ſuper petram ædificabo Eccleſiam meam; ſed inquit, Eccleſiam ædificaturum ſuper petram, inquiens ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, per hoc ſignificare volens alium eſſe qui ædificat, & aliud ſuper quo ædificatur; & ita ſe eſſe fundatorem, Petrum autem fundamentum. Chriſtus ergo ædificavit ſuper ſe & ſuper Petrum; ſuper ſe quidem, quia ipſe eſt cujus virtute & merito Eccleſiæ juſtorum inter tot & tantas perſequutiones manet immobilis, ſuper Petrum verò, dum ipſe ex hoc mundo tranſiturus, ut ſchiſmatis vitaretur occaſio,

„ (quod ex unitate vitatur) præfecit illum univerſali Eccleſiæ, conſtituens illum generalem ſuum Vicarium &c. „ Deindè aliquantò poſt de Eccleſiæ infallibilitate & ſtabilitate diſputans, & hoc Chriſti oraculum exponens, *ego rogavi pro te Petre.* Lucæ 22. ait, “ Chriſti verbum Patrem rogantis pro Petro triplicem poſſe habere „ intelligentiam. Primam quidem ut nunquam deficiat fides Chriſti, nec à per„ ſonâ nec à corde Pontificis, qui Vicariâ ordinatione ſuccedit; quod videtur „ eſſe extra intentionem Chriſti, inquit. Neque enim videtur Salvator hujuſcemo„ di verbis voluiſſe Petro, omnibuſque ejus Succeſſoribus promittere in perſeve„ rantia fidei ita eſſe prædeſtinatos, ſiquidem & Petrus poſt illa verba ad tempus „ defecit in fide, ſicut & Apoſtoli cæteri, quem defectum eis Chriſtus poſt reſur„ rectionem exprobravit, atque illorum incredulitatem & duritiam cordis, Marci „ ultimo &c. & quòd poſt acceptum Spiritum Sanctum Petrus non defecit à fide, „ hoc non erat privilegium ſpeciale Petro, ſed commune omnibus Apoſtolis, pro „ quibus & Chriſtus rogavit dicens, Pater ſancte, ſerva eos quos dediſti mihi „ Joannis 17. Nec hoc oportet credere de aliis Petri ſucceſſoribus, qui neque ita „ ſunt in fide confirmati ut Petrus, neque tales habuerunt à Chriſto promiſſiones. „ Alteram autem intelligentiam habere aſſerimus, quòd fides nunquam à generali „ Cathedra & ſede ab univerſali Eccleſia ſeu ovibus ipſius Petri, uſque ad conſum„ mationem ſæculi deficiet; & hanc fidem tenendam clarum eſt propter Salvatoris „ verbum, ego vobiſcum ſum Mathæi ultimo, ſuper hanc petram ædificabo Eccle„ ſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſùs eam, &c.

Summa hujus collectionis eſt, primò, Chriſtum eſſe primarium atque eſſentiale fundamentum & caput Eccleſiæ, Petrum verò ſecundarium propter Primatum ei ad unitatem retinendam vitandaque ſchiſmata collatum à Domino. Secundò, omnes Apoſtolos poteſtate & juriſdictione pares fuiſſe inter ſeſe, & ex æquo habuiſſe claves à Chriſto. Tertiò locum hunc, *ego rogavi pro te Petre ut non deficiat fides tua*, intelligi non de fide Petri aut Pontificum, ſed de fide Eccleſiæ. Quartò Eccleſiam non Papam eſſe infallibilem. Quibus in capitibus aliiſque permultis hic Doctor aſſentitur communi doctrinæ Patrum ſuperiùs explanatæ, eoque ipſo laudabilior, quòd plus veritati quàm anticipatis opinionibus Scholæ ſuæ B. Thomæ ſerviat.

CAPUT VI.

Digitized by Google

CAPUT SEXTUM.

I. De harum formularum diſcrimine Βόσκε τὰ ἀρνία μου. ποίμαινε τὰ πρόβατά μου. *paſce agnos meos, paſce oves meas.*

II. De natura Paſtoralis officii Eccleſiæ, & quidnam propriè ſit paſcere.

III. Dogmatica explicatio hujus textus, paſce oves meas, *& quod Petro dicitur, omnibus aliis Apoſtolis dici, teſte Baſilio, Ambroſio, Chryſoſtomo, Auguſtino, Cyrillo Alexandrino.*

IV. Cur Dominus trinâ interrogatione percunctetur Petrum, an plus eum diligat.

V. Solutio quarumdam difficultatum quæ à nonnullis moventur circa D. Petri Primatum, utrùm divini an humani juris exiſtat. Explicatur autem Canon in novo can. Dudum *de Petri electione facta ab aliis Apoſtolis. Item lex Juſtiniani inter claras cum edicto Phocæ Imperatoris de Eccleſiæ Romanæ principatu.*

VI. Summa totius libri 2. ad tredecim articulos breviter & analyticè reducta; quibus probatur doctrinam ſcholæ Pariſienſis de immediata Eccleſiæ & Concilii auctoritate ſecundùm omnes Regulas Theologiæ dogmaticæ.

I. HUc uſque verſati ſumus in explicatione locorum ſcripturæ, quibus poteſtas clavium aut inſtituta, aut Eccleſiæ indiviſim & in commune collata eſt à Chriſto, hoc autem caput 6. interpretationi capitis 21. Joannis addicemus. Simon Joannis diligis me plus his? &c. paſce agnos meos, paſce oves meas, &c. Magiſter Joannes Bucherius Eccleſiaſtes Tornacenſis Eccleſiæ libello quem edidit in me ſub Pauli Gimontii Sclavolenſis Eccleſiæ vulgavit; Item M. Andræas Vallius de *ſuprema poteſtate Papæ parte* 1. *quæſt.* 4. & quidam alii hoc videntur aſſignare diſcrimen inter has duas formulas loquendi Βόσκε τὰ ἀρνία μου & ποίμαινε τὰ πρόβατά μου, *paſce agnos meos & paſce oves meas*, quod per agnos ſignificari dicit Laïcos, per oves autem Epiſcopos ipſos, quam eorum conjecturam D. Bernardus juvare videtur lib. 2. de conſiderat. ad Eugenium cap. 9. *tibi univerſi crediti, uni unus Grex, non modo ovium ſed & Paſtorum ita unus omnium Paſtor*, &c. Bellarminus lib. 1. de Rom. Pontifice cap. 16. contendit juxta triplicem interrogationem Domini ad Petrum legendum τὰ ἀρνία & τὰ προβάτια & τὰ πρόβατα, *agnos, oviculas & oves, atque Chriſtianos incipientes, proficientes & perfectos ſic intelligi, ut nomine agnorum deſignentur Laici, nomine oviculارum Presbyteri & Parochi, nomine ovium Epiſcopi* &c. Iidem auctores perhibent iſtam ſuam conjecturam roborari verbis Evangelii

ob differentiam vocis Βόσκε et ποίμαινε quorum primum alere, poſtremum regere & gubernare, ſignificat, etiam apud Homerum atque alios auctores prophanos. Verùm ut dicam quod ſentio, homines obnoxii nimiùm intelligendo efficiunt ut nihil intelligant, atque ejuſmodi argutulis collectionibus veritatem peſſumdant; planèque ipſo contextu ſcripturæ exarmantur, in quo reperimus Dominum tertiâ interrogatione quam illi, omnibus id eſt Epiſcopis attribuunt, ſic alloqui Petrum; Βόσκε τὰ πρόβατα μου paſce aut ale oves meas, non autem rege & guberna oves meas. Profectò Maldonatus commentariis in Joannem meritò irriſui habet ejuſmodi ſubtilitatem; *Non eſt ſubtiliter diſputandum, ait, cur Chriſtus agnos potiùs quàm oves appellavit, eique qui hoc fecerit videndum etiam atque etiam ne doctis hominibus riſum prabeat. Quòd ſi quicquam diſcriminis inter oves & agnos eſt; id non in re, ſed in voce eſt, quod cum idem ſint, tamen vocabulum agni blandius eſſe, majoremque amorem præ ſe ferre, magiſque amabiles, quia magis ſimplices agnos, quàm oves eſſe;* hæc Maldonatus quem Bellarmino opponimus.

II. Jam aliàs monui locos metaphoricos & allegoricos dogmatibus figendis parum idoneos; undè inſurgit, argumenta Bellarmini de agnorum, ovicularum atque ovium diſcrimine magis eſſe concionatoria quàm dogmatica. Non inficior quidem Dominum his verbis, *paſce agnos meos, paſce oves meas, Petrum Primatem, anteſignanum & Principem aliorum Apoſtolorum conſtituiſſe:* atque ampliùs urgeo, ſimilitudine officii Paſtoralis ſolicitudinem & manſuetudinem legis gratiæ atque regiminis Eccleſiæ voluiſſe adumbrare; ovibus enim præeſt, non brutis ſed rationalibus, quæ ab interno tantùm moventur principio, & ideò intellectus primùm ſuaviter erudiendus ut voluntas moveatur & captivetur in Chriſti obſequium, hocque cap. 4. deſignatur; *ſicut Paſtor gregem ſuum paſcet, in brachio ſuo congregabit agnos, & in ſinu ſuo levabit, fœtas ipſe portabit. Item Joannis 20: Ego ſum Paſtor bonus, bonus Paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis: ego veni ut vitam habeant & abundantiùs habeant;* quæ omnia dogmaticè ſunt capienda de ſola poteſtate miniſteriali, quæ expers eſt omni jure cogendi abſolutè, eaque præcipit vel præmonſtrat. *Quocirca paſcere nihil aliud eſt, quàm actus hierarchicos frequentare illuminando per doctrinam & prædicationem verbi divini, purgando per pœnitentiam & cenſuras, quando res poſtulat, denique perficiendo adminiſtratione aliquorum Sacramentorum. Gloſſa ex Auguſtino, paſce agnos meos, non ut tuos, gloriam meam in eis quære non tuam, mea lucra non tua, quia dilectio Dei probatur in dilectione proximi.* Et aliquantò inferiùs. *Paſcere oves eſt credentes ne deficiant confortare, terrena ſubſidia ſi neceſſe eſt ſubditis providere, exempla virtutum præbere, adverſariis obſiſtere, peccantes corrigere.* Item Lyranus. *Ter dictum eſt paſce, ad ſignificandum quòd habens curam animarum debet ſubditos paſcere paſtu verbi Dei & boni exempli, & prout poteſt etiam ſubſidio temporali.* Certè nomen atque officium Paſtoris eſt potiùs jugis actus & laboris, quàm habitus aut dignitatis: perpetes enim vigilias agere debent Paſtores pro grege ſuo. En igitur genuina & dogmatica explicatio hujus loci, *Paſce agnos meos, paſce oves meas,* ſi formaliter & objectivè conſideretur juxtà naturam poteſtatis miniſterialis, quam ſolam Chriſtus Eccleſiæ credidit.

III. Quòd ſi eundem textum ſubjectivè & reſpectivè ad perſonas quas Dominus

alloquebatur, capiamus; hæc quidem verba, *paſce oves meas*, poſſunt intelligi duobus modis. Primùm, vel de B. Petro tanquàm Primate & Eccleſiam repræſentante, vel ſingulariter & perſonaliter de eodem B. Petro; quatenùs aliquid diſtinctum ab aliis poſſidet. Priori modo certiſſimum eſt, juxta regulam Auguſtini, quæ Petro tanquàm Primati dicta ſunt, cæteris Apoſtolis ex æquo convenire, tum quia officium paſcendi, ſicut & ligandi, atque ſolvendi, remittendi & retinendi peccata, claudendi & aperiendi Cælum, eundi in mundum univerſum, & prædicandi Evangelium omni creaturæ, & cætera ejuſmodi referuntur ad Sacerdotium Chriſti velut ad cauſam efficientem ac originem totius juriſdictionis Eccleſiaſticæ, ut anteà docuimus. Quare cùm Sacerdotium Domini totum & in ſolidum in unoquoque Apoſtolo & in omnibus Apoſtolis collectim ſumptis inhabitet, atque S. Petrus, excepto Primatu vel primo gradu Sacerdotii, nihil quicquam obtineat ſuper alios Apoſtolos; relinquitur cæteris cum Petro omnia eſſe communia, ut etiam probatum eſt Bellarmini teſtimonio: cuncti enim ſunt ex æquo Proreges, Legati, Œconomi, Miniſtri, Vicarii, Opiliones & Paſtores Chriſti. Nam Joannis 20. ſermonem ſuum ad omnes dirigit, *ſicut miſit me Pater*, &c. & Mathæi & Marci ultimo, *Euntes in hunc mundum docete omnes gentes, &c. & ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi*, quæ verba & Gloſſa & Lyranus interpretantur de actibus hierarchicis, idemque eſt judicium de his aliis, teſte Cardinali Toleto capite præcedenti laudato. *Attendite vobis & univerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos* ποιμαίνειν *regere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit ſanguine ſuo Actorum 20. & cap. 4. ad Epheſios, Chriſtus aſcendens in altum dedit quoſdam Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Evangeliſtas, alios autem* ποιμένας *Paſtores & Doctores ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterii in ædificationem corporis Chriſti, &c.* Item 1. *Petri cap. 5.* ποιμάνατε *Paſcite qui in vobis eſt gregem Dei, providentes non coactè, ſed ſpontaneè, non turpis lucri gratiâ.* His & concordant Patres antiqui.

D. Baſilius in conſtitutionibus Monaſticis cap. 23. *Nihil eſt aliud Antiſtes, quàm is qui perſonam Chriſti ſuſtinet, & ſequeſter eſt inter Deum & homines, eorum qui in ipſius officio ſunt ſalutem ſacrificans Deo: atque ex hoc à Chriſto ipſo docemur, dum Petrum Eccleſiæ ſuæ Paſtorem poſt ſe conſtituit. Petre enim (inquit) amas me plus his? paſce oves meas: & omnibus deinceps Paſtoribus ac Magiſtris eandem tribuit poteſtatem, cujus quidem rei ſignum eſt. quòd omnes ſimiliter atque ille ligent & ſolvant.*

D. Ambroſius perpetuus Baſilii æmulator cap. 2. de dignitate Sacerdotali. *Cùm Petrus tertiò fuiſſet interrogatus, & trinâ reſponſione fuiſſet ſubſequutus, repetitum eſt à Domino tertiò, paſce oves meas, quas oves & quem gregem non ſolùm tunc beatus ſuſcepit Petrus, ſed & nobiſcum eas ſuſcepit, & cum illo eas nos ſuſcepimus omnes; undè regendæ Sacerdotibus cùm traduntur, meritò Rectoribus ſuis ſubdi dicuntur.* Item cap. xi. commentar. in priorem ad Corinth. ait, *mulierem debere velare caput ſuum propter reverentiam Epiſcopi, qui perſonam Chriſti habet, & Vicarius Domini eſt.*

B. Chryſoſtomus homil. 78. in caput 24. Mathæi verſus finem. *Amas me Petre? paſce oves meas; cùm tertiò ipſum interrogâſſet, hoc amoris argumentum eſſe confirmavit, quod non ad Sacerdotes ſolummodò dictum eſt, verumetiam ad ſingulos noſtrûm quibus vel minimus quidem grex commiſſus eſſe videtur; nec enim quia minimus negligi debet.*

Digitized by Google

His audis verba Chriſti, *paſce oves meas*, dogmaticè ad Sacerdotes pertinere, nam quod de unoquoque Chriſtianorum aſſerit Chryſoſtomus, magis oratorium & concionatorium quàm dogmaticum eſt, ſcilicet, ut omnes etiam Laïci ſint tanquàm ſui ipſius Paſtores: nam verba Chriſti ad Petrum nullam habent cum ſenſu convenientiam, niſi illa ad mentem Auguſtini interpretemur tractatu 52. in Joannem: *Puta unumquemque patremfamilias Eccleſiaſticum & quodammodò Epiſcopale implere officium dum miniſtrat Chriſto.*

D. Auguſtinus de Agone Chriſtiano cap. 30. diſſerens contra Luciferianos qui lapſos minimè admittebant ad pœnitentiam, quaſi Eccleſia non prædita eſſet facultate remittendorum peccatorum. *Non enim* (ait) *ſine cauſa inter omnes Apoſtolos hujus Eccleſiæ Catholicæ perſonam ſuſtinet Petrus, huic enim Eccleſiæ claves regni Cælorum datæ ſunt, cùm Petro datæ ſunt; & cùm ei dicitur, ad omnes dicitur, amas me? paſce oves meas.* Item aliquantò poſt. *Nec eos audivimus qui negant Eccleſiam Dei omnia peccata poſſe dimittere, itaque miſeri dum in Petro petram non intelligunt, ei nolunt credere datas Eccleſiæ claves regni Cælorum, ipſi eas de manibus amiſerunt.*

Idem ſermone 24. de Sanctis in Vigilia SS. Petri & Pauli Apoſtolorum. *Per ſingula dicebat Dominus Petro dicenti, amo te, paſce agnos meos, paſce oviculas meas, in uno Petro figurabatur unitas omnium Paſtorum, ſed bonorum, qui ſciant oves paſcere Chriſto, non ſibi.*

Idem ſermone 106. de diverſis. *Eia fratres, aliquid pro tempore volo dicere: Quod Petro commendatum eſt, quod Petro mandatum eſt, non Petrus ſolus, ſed etiam alii Apoſtoli audierunt, tenuerunt, ſervaverunt, maximèque ipſe conſors ſanguinis Dei Apoſtolus Paulus, audierunt iſta, & ad nos audienda tranſmiſerunt: Paſcimus vos, paſcimur vobiſcum*, &c. Ibidem verſus finem. *Ergo commendavit nobis Dominus oves ſuas, quia Petro commendavit: ſi tamen ex aliqua parte, vel extrema digni ſumus pulverem veſtigiorum Petri calcare, commendavit nobis oves Dominus, oves ipſius eſtis, vobiſcum oves ſumus, quia Chriſtiani ſumus. Jam diximus, paſcimus & paſcimur.*

Idem ſermone 108. de diverſis. *Meritò etiam poſt reſurrectionem Dominus ipſi Petro oves commendavit paſcendas, non enim inter diſcipulos ſuos meruit paſcere dominicas oves; ſed quando Chriſtus ad unum loquitur, unitas commendatur, & Petro primitus, quia in Apoſtolis Petrus eſt primus.* Hinc ergo claret Apoſtolos & Epiſcopos eandem poteſtatem habuiſſe cum Petro, ut gregem Domini paſcerent & regerent, quod ipſum Bellarminus jam laudatus fatetur lib. 4. de Rom. Pontifice cap. 23. ſcilicet, *eandem datam poteſtatem Apoſtolis omnibus per illa verba, ſicut miſit me* Pater, *Joannis* 20. *quàm* Petro *his aliis, paſce oves meas.* Quid ergo argutatur cap. 14. lib. 1. de Rom. Pontifice hæc verba Apoſtoli Actor. 20. *Attendite vobis & univerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.* Item hæc alia, *paſcite qui in vobis eſt gregem Dei*, 1. Petri 5. *non eſſe ejuſdem rationis, officii & mandati cum his aliis Chriſti: paſce oves meas; quoniam hæc ad plenitudinem poteſtatis ſuper gregem Domini*; illa privatim ad particulam aliquam gregis regendam ſpectant, ut ait; ſed contra oppono Cardinalem Toletum ſupra laudatum, atque ampliùs inſto, poteſtatem Eccleſiaſticam formaliter conſideratam eſſe jure divino univerſalem & illimitatam in omnibus Apoſtolis & Epiſcopis; definiri verò atque limitari ma-

Digitized by Google

terialiter de ſolo jure poſitivo, quo facta eſt Diœceſeum & Parœciarum diſtributio. Vide ſupra caput 3. hujus libri & caput 5. in Analyſi Collectaneorum Cardinalis Cuſani; certè hoc argumentum Bellarmini fallit à ſuppoſitione principii: fingit enim Petrum fuiſſe conſtitutum à Chriſto abſolutum Eccleſiæ Monarcham, quod ei pernegatur. Sed de hac controverſia infra amplius lib. 3. diſputabitur contra Suarem. Profectò Canon. 6. Synodi Nicænæ de diſtributione Patriarchatuum, indicat Patres Nicænos non habuiſſe Romanum Epiſcopum pro Monarcha.

Et hæc dicta ſint de hujus loci explicatione, *paſce oves meas*, quatenùs Petro Eccleſiam repræſentanti convenit. Sic enim Papæ & Epiſcopis proportionatim & reſpectivè curam legis divinæ, naturalis & Canonicæ exequendi confert.

IV. Jam videamus de ſenſu, qui proprius & peculiaris eſt Petro, quem ut indagemus, omnes circumſtantiæ textus Evangelii diligenter conſiderandæ ſunt, puta Dominum, poſtquàm tertiò apparuit diſcipulis, & cum illis in prandio accubuit; dixit Simoni Petro: *Simon Joannis, diligis me plus his? dixit ei etiam, Domine tu ſcis quia amo te, dixit ei, paſce agnos meos; dixit ei iterùm, Simon Joannis, diligis me? ait illi etiam, Domine tu ſcis quia amo te, dicit ei iterùm, paſce agnos meos: dixit ei tertiò, Simon Joannis, amas me? contriſtatus eſt Petrus, quia dixit ei tertiò, amas me? & dixit ei, Domine, tu omnia noſti, tu ſcis quia amo te; dicit ei, paſce oves meas*, &c.

Cæterùm quando ex ſententia omnium Patrum quos capite 4. & 5. recenſuimus, idem datur Apoſtolis omnibus per illa verba, *ſicut miſit me Pater, & ego mitto vos*, Joannis 20. quàm Petro fuerat promiſſum Mathæi 16. *tibi dabo claves*, & poſteà exhibitum Joannis ultimo his verbis, *paſce oves meas, teſte etiam Bellarmino.* Certumque eſt Dominum nihil fruſtra facere, & Petrum fuiſſe cum aliis Apoſtolis, quando Chriſtus Joannis 20. dixit omnibus, *ſicut miſit me Pater, & ego mitto vos*, ſequitur Chriſtum his ſolemnibus atque tertiatis vocibus, Simon diligis me? paſce agnos meos, paſce oves meas, &c. ſolummodò oſtendere voluiſſe S. Petrum reſtitui in integrum dignitatis atque officii Primatus, undè ille triplici negatione ſcandalo crucis bacchante excidiſſe videbatur. Quocircà Dominus *quaſi literas abolitionis hic Petro publicè confert*, ne quis illi unquam poſſet *vertere in opprobrio, quòd ter Magiſtrum abnegaſſet*; cùmque ab illo petit *an ſe diligat plus aliis*, demonſtrat Petrum ideò plus diligere, quoniam ei gravius peccatum publicæ abnegationis ſcilicet remiſſum eſſet. *Cui enim & plus remittitur & plus diligit*, Lucæ 17. verſu 41. Quarè Dominus & ſuum ipſius erga Petrum & viciſſim Petri erga ſe amorem hâc triplici interrogatione conteſtatur: *Simon Joannis, diligis me plus his? paſce agnos meos*, &c. Neque ego ullo verſor in dubio quin S. Petrus ad trinam illam interrogationem Domini ſibi in mentem trinam ſuam negationem revocarit, ideòque Evangelium memorat, ad trinam interrogationem Petrum quidem magnum concepiſſe atque emiſiſſe dolorem: Videndus Hilarius lib. 3. de Trinitate. En igitur quæ B. Petro peculiaria & ab aliis Apoſtolis ſejuncta ſunt. Hoc illuſtremus Patrum exemplis. D. Gregorius Nazianzenus Oratione in Feſto Epiphaniæ SS. Luminarium ad Calcem. *Nec magnum illum Petrum recipis ſalutifera Paſſionis tempore humani quidpiam perpeſſum? At Jeſus recepit, triplicique pronunciatione & confeſſione triplicem abjurationis culpam ſanavit.*

Digitized by Google

D. Chryſoſtomus homil. 87. in Joannem, quid tandem aliis omiſſis, de his dumtaxat Petrum affatur. *Os erat Apoſtolorum & Princeps & vertex ipſius cœtus, &c. ſimul ut ei oſtenderet, jam ſibi fiduciam habendam, tanquàm enim negationis oblivisceretur, fratrum curam ei committit, neque negationis meminit, neque exprobrat, tantùm dicit; ſi amas me, fratrum curam ſuſcipe.* Joannes de Turrecremata lib. 2. de Eccleſia cap. 52. initio citat Chryſoſtomum in conſultatione Bulgarorum, eumque ſic loquentem in perſona Chriſti inducit. *Ter interrogo an me diligis, quia ter me trepidus & timidus negaſti, nunc autem reductus, ne credant te fratres gratiam & clavium auctoritatem amiſiſſe, quia amas me coram ipſis, jam tibi confirmo quod meum eſt plenum.* Videndus Epiphanius hæreſi 39. de Catharis.

D. Auguſtinus tractatu 123. in Joannem. *Redditur negationi trinæ trina confeſſio, ne minùs amori lingua ſerviat, quàm timori, & plus vocis elicuiſſe videatur mors imminens, quàm vita præſens. Sit amoris officium paſcere dominicum gregem, ſi timoris fuit indicium negare Paſtorem; qui hoc animo paſcunt oves Chriſti, ut ſuas velint eſſe non Chriſti, ſe convincunt amare, non Chriſtum, vel gloriandi, vel dominandi, vel acquirendi cupiditate, non obediendi & ſubveniendi, & Deo placendi charitate. Contra hos ergo vigilat toties inculcata iſta vox Chriſti, quos Apoſtolus gemit ſua quærere non quæ Jeſu Chriſti. Nam quid eſt aliud, ſi diligis me, paſce oves meas, quàm ſi diceretur, ſi me diligis non te paſcere cogita, ſed oves meas, ſicut meas paſce non ſicut tuas, gloriam meam in eis quære non tuam, dominium meum, non tuum, lucra mea non tua.* Hæc Auguſtinus, ad cujus divinam vocem utinam Paſtores noſtri attenderent! Apertè autem abſolutam damnat monarchiam, dum ait, *oves paſcendas ut Chriſti, atque dominium ſuum & lucra propria non ibi quærenda.* Quo igitur ore adulatores Papam Eccleſiæ & Chriſti Miniſtrum omnium beneficiorum Dominum eſſe venditant?

D. Cyrillus Alexandrinus lib. 12. cap. 64. in Joannem, *altius quiddam hæc oratio certè parturit; nam quoniam cum aliis Apoſtolatus nomine Petrus ab ipſo Chriſto decoratus ter in tempore paſſionis rogavit, jure nunc ab eo terna dilectionis confeſſio petitur, ut terna negatio æqualis confeſſionis numero compenſetur, &c. Trinâ igitur confeſſione Petri trinæ negationis delictum evacuatum eſt. Dixit autem, paſce agnos meos, Apoſtolatus ei renovans dignitatem, ne propter negationem, quæ humanâ infirmitate accidit, labefacta videretur.*

Porrò ne hîc copiâ exemplorum nauſeam Lectori pariamus, ipſe adeat commentaria Maldonati in caput ultimum Joannis, ubi docet hanc eſſe omnium Antiquorum Patrum ſententiam, ſcilicet Chriſtum voluiſſe Petrum trinâ interrogatione reſtituere in integrum officii Apoſtolatus atque Primatus, à quo triplici negatione excidiſſe videbatur; & continuò peccata quorum efficacem pœnitentiam faceremus non impedimento eſſe, quominùs gratiâ & dignitatibus antè delatis perfrueremur, ſicut legimus Marcellinum, quamquàm thus adoleviſſet, tamen poſt pœnitentiam Epiſcopatum Romanum ſemper adminiſtrâſſe, idque congruit regulis Patrum *diſt. 50. can. 28. Domino ſancto & can.* hoc ipſum 33. quæſt. 2. Vertant adverſarii teſtimonium *paſce oves meas* in quamcumque voluerint faciem; cunctas Logicæ & Theologiæ regulas in ſubſidium ſibi evocent, tundant atque extundant, & interpolent quantumcumque voluerint, ſi aliquem ſenſum & interpretationem legi divinæ, naturali & praxi Eccle-

Digitized by Google

ſiæ conſentientem educere deſiderent, oportet neceſſariò eam redigant ad unam & ſolam poteſtatem miniſterialem ſpiritualem, quæ eſſentialiter ab omni dominatu, abſoluto imperio, purâ monarchiâ, vel poteſtate abſolutâ abhorret. Quâ igitur ſpecie veritatis obtenditur, paſce oves meas, idem eſſe ac regio more imperare aut gubernare? An Chriſtus Petrum conſtituit aliorum Apoſtolorum Dominum & Monarcham, qui nominatim eis, ne more Regum abſolutè dominarentur aut imperarent, prohibuit, voluitque Apoſtolos & dignitate æquales eſſe Petro, atque regimen Eccleſiæ eſſe Ariſtocraticum, ut ſupra demonſtravi, & totâ hâc defenſione confirmabitur.

V. Quando hic locus, *Paſce oves meas*, peropportunus eſt Primatui conſtituendo, non eum prætergrediar, priuſquàm aliquot difficultates, quæ viros etiam maximè Catholicos lancinant, evolvero. Si enim Primatus eſt divinæ inſtitutionis, ut ſæpè dixi, & nunc iterùm confirmo, videndum quidnam cauſæ ſit cur *diſt. 21. can. in novo §. Cæteri verò Apoſtoli: & can. Sacroſancta diſt. 22. can. Dudum 3. quæſt. 6. nominatim docetur, Apoſtolos pari conſortio & honoris & poteſtatis cum Petro præditos, voluiſſe illum eſſe principem ſuum, & Eccleſiam Romanam Primatem omnium Eccleſiarum.* Hinc enim videtur colligi, Primatum eſſe dumtaxat juris humani per electionem & conſenſum Eccleſiæ conſtituti. Quod inſuper probat *Canon Conſtantinus diſt. 96.* ubi narratur, Imperatorem *voluiſſe ut omnes Sacerdotes in toto orbe Romanum Pontificem caput haberent, ſicut Judices Regem.* Cui edicto quadrat pariter & Joannis II. conſtitutio codice *de ſummâ Trinitate l. inter claras,* ubi Pontifex gratulatur Juſtiniano Imperatori, *quòd ei principatum dederit ſuper alias Eccleſias.* Similiter Beda in Chronico de ſex ætatibus mundi, & Paulus Diaconus lib. 4. cap. 11. hiſtoriæ Longobardorum, memorem Phocam Imperatorem rogante Papâ Bonifacio III. *ſtatuiſſe ſedem Romanam & Apoſtolicæ Eccleſiæ, Caput eſſe omnium Eccleſiarum; quia Eccleſia Conſtantinopolitana primam ſe omnium Eccleſiarum ſcribebat,* hocque Platina teſtatur Bonifacium magnâ contentione obtinuiſſe à Phoca.

Quibus objectionibus ſex notabilibus ſatisfieri poſſe arbitror, & primò quidem liquere ex cap. 16. Mathæi, *tu es Petrus & ſuper hanc petram, &c.* Item Joannis ultimo, *paſce oves meas, &c.* necnon etiam Catholico conſenſu Patrum & Doctorum ſupra explicato, Petri Primatum quoad rem, eſſentiam atque inſtitutionem juris eſſe divini invariabilis. Secundò, quia Deus non deeſt in neceſſariis, propterea dando eſſe, unà etiam dare quæ neceſſariò conſequuntur Primatum; de quibus conſule axioma XXXI. Apologiæ noſtræ. Tertiò, obſervandum quia Chriſtus ſolam poteſtatem miniſterialem ſpiritualem nudam omni dominatu & abſoluto imperio in ordine ad regimen Ariſtocraticum Eccleſiæ deferebat. Idcircò, ut omnem occaſionem ſuperbiendi Prælatis auferret, ne ſuas Prælaturas atque primatum ad aliquam tyrannidem & oppreſſionem Ariſtocraticæ libertatis Eccleſiarum detorquerent, voluiſſe ejuſmodi Prælaturas cum Primatu eſſe eligibiles, non hæreditarias: ita ut juſtus titulus juriſdictionis actualis Eccleſiaſticæ liberè ſecundùm legem naturalem conſtitueretur, hujuſque rei veritatem Cardinalis Cuſanus omnium optimè ſupra evolvit cap. 5. hujus libri: cujus ſententiam qui cogitatè expenderit, proclivè cognoſcet cur ſæpè diximus & probaverimus Primatum, quamquàm juris ſit divini quoad inſtitutionem, tamen quoad exiſtentiam, exercitium, uſum, exequutionem & limitationem, pen-

Digitized by Google

dére ab Eccleſia. Videndus Gerſonius de poteſtate Eccleſiaſtica conſiderat. 4. & XI. ubi docet poteſtatem Papæ formaliter eſſe invariabilem, materialiter autem quoad exiſtentiam, actum & uſum regulari & limitari ab Eccleſia, quod etiam primus articulus Cenſuræ facultatis contra Joannem Sarrazin comprobat. Quibus benè perpenſis pronum erit videre cur Eccleſia aliàs ampliarit & aliàs reſtrinxerit juriſdictionem Primatus, alia enim atque alia fuit temporibus Eccleſiæ primitivæ & hodiernæ Eccleſiæ poteſtas Romani Epiſcopi. Quartò, ut pateat quiſnam Eccleſiæ primitivæ temporibus fuerit ſtatus regiminis Eccleſiæ & diſciplinæ, ſciendum nos omnes unum eſſe corpus in Chriſto, alteros alterius membra. Roman. 12. & eam ob cauſam omnibus Chriſtianis & potiſſimùm Eccleſiaſticis incumbere, ut ſui invicem curam habeant, quando Eccleſiæ regimen eſt Ariſtocraticum. Quamobrem Can. 5. Nicæno & 2. Conſtantinopolitano decernitur, ut Synodus Provinciæ omnia negotia Provinciæ definiat ſecundùm jus commune, eamque ob rem annuatim bis celebrabuntur Synodi: quarè tunc temporis ſumma totius regiminis & juriſdictionis Eccleſiaſticæ erat penès ejuſmodi Synodos; adeò quidem ut cuncti Epiſcopi etiam Romanus teneretur in Synodo Provinciali rationem reddere eorum quæ in ſua privata diœceſi geſſiſſet; ſi fortè de illorum geſtis aliqua ſuboriretur querela, neque Epiſcopi ſibi quicquam aliud tum aſſumebant, quàm juris divini, naturalis & Ariſtocratici hujus regiminis exequutionem; leges autem & Canones ſynodicè omnium conſenſu ſtatuebantur. Præterea can. 6. ejuſdem Concilii Nicæni totus orbis Chriſtianus dividitur in certos Patriarchatus, quorum etiam juriſdictio ab Eccleſia ſic limitatur, ut reliqui Patriarchæ tantumdem haberent poteſtatis in ſuo, quantùm & Epiſcopus Romanus in proprio Patriarchatu; nemini enim illorum in alterius fines invadere licebat; Epiſcopus autem Romanus præter Sedis & Cathedræ prærogativam, quam ſuper alios Patriarchatus obtinebat, inſuper quoque pollebat auctoritate exequendi legem divinam, naturalem & Canonicam ſuper omnes Eccleſias particulares, non quidem abſoluto & purè Monarchico Imperio, ſed in ordine ad regimen Ariſtocraticum, ut ex facto Victoris Papæ dignoſcimus, qui cùm Eccleſias Aſiæ Catholicâ communione excludere tentaſſet eo quòd Feſtum Paſchæ alioquàm Dominico die celebrarent, omnes aliæ Eccleſiæ & inter cæteros B. Irænaeus acriter Victori obſtiterunt; de qua re amplius lib. 4. cap. 6. num. 19. Cæterùm alii Patriarchæ ſimili etiam jure viciſſim & proportionatim erga Metropolitas Epiſcopos & particulares Eccleſias ſui Patriarchatus utebantur. Profectò tum omnes Eccleſiæ mutuam ſolicitudinem de ſe invicem capeſſebant; cumque in uſum crebras Synodos agitabant: ſicque communio Sanctorum atque unitas Eccleſiæ ſuaviter fovebatur & ſtabiliebatur. Et hæc eſt forma indubitata politiæ atque regiminis Eccleſiæ, quod octingentis circiter annis invaluit: de quo adi librum primum hiſtoriæ noſtræ Conciliorum, dehinc lapſu temporis juriſdictio Primatus valdè ampliata eſt, partim Principum Chriſtianorum indulgentiâ, partim Eccleſiæ conſenſu; maximè verò Gregorii VII. ſæculo, quo quidem electio Papæ ſoli collegio Cardinalium ex omnium nationum Prælatis conflato addicta eſt. Tunc enim omnes nationes Chriſtianæ Papam pro Eccleſiæ Monarcha ſenſim colere cœperunt. Cùmque progreſſu temporis hæc monarchia in magnos abuſus degeneraſſet, Patres Conſtantienſes eam ad

uſum tolerabilem deduxerunt, quantum illa tempora & praxis uſitata pati potuit. Certè nullum hodie adhuc extat decretum, quo teneamur fide catholicâ credere Papam inſtar monarchæ poteſtatem habere in Eccleſias particulares. Quocircà valdè injurii ſunt S. Sedi Apoſtolicæ, qui Synodi Conſtantienſis decreta tanquàm ſpuria reſpuunt, quoniam hâc viâ efficiunt ut cuique liberum maneat de Primatu Eccleſiæ Romanæ ſentire conformiter ad Canones Nicænos ſupra laudatos. Et hactenùs de quarto notabili : Ad quintum verò dico *Canonem In novo diſt. 21. Canonem ſacroſancta diſt. 22. & Canonem Dudum*, oſtendere Chriſtum Dominum, quamquàm B. Petrum Primatem inſtituerit, attamen ne id contra legem naturæ feciſſe, aut non conſentientibus Paſtorem dediſſe videretur, voluiſſe illum ab Apoſtolis cooptari, ut formam futuri regiminis Eccleſiæ conſtitueret. Et ita relinquitur exiſtentiam, extenſionem atque limitationem Primatus pendêre ab Eccleſiæ definitione, ut jam monui, idque eſt quod Gloſſator ait ad hæc verba Canonis *Dudum*; *quoniam ſanctam Romanam Eccleſiam Primatem omnium Eccleſiarum eſſe voluerunt*; *ſic ergo Gloſſa, Concilia dederunt Primatum Romanæ Eccleſiæ, quod verum eſt ſecundariò, ſed ipſe Chriſtus principaliter* ubi *tò principaliter* intelligi debet quoad inſtitutionem & eſſentiam Primatus, ut jam dixi. Siquidem Dominus permulta alia inſtituit quoad eſſentiam, quorum uſum, diſpenſationem, limitationem & ritum regulandum Eccleſiæ permiſit, ut patet in Sacramentis, & in confeſſione; nam aliquando licitum fuit communicare ſub ſpecie panis & vini; nunc hoc prohibuit Eccleſia. Hinc accidit ut multa variari videamus in politia Eccleſiaſtica pro temporum varietate, quamquàm res quoad eſſentiam & primam inſtitutionem Chriſti maneat immobilis atque invariabilis : Sextò, ſi lex inter claras vera & non fictitia eſt, ut quidam ſuppoſititiam non levibus argumentis probant, pertinet ad limitationem atque exercitium extenſionis Primatus, ſicut & quæ narrantur à Beda & Paulo Diacono, id enim ſpectat ad deciſionem controverſiæ inter Romanam & Conſtantinopolitanam ſedem de prærogativa ſedis, necnon ad privilegia quæ jure humano conceſſa ſunt Romanæ Eccleſiæ, idemque dici poſſet de Canone *Conſtantinus*, niſi manifeſto eſſet commentitius, & Canoni 6. Nicæno planè contrarius; quo quidem univerſus orbis Chriſtianus dividitur in Romanum, Alexandrinum & Antiochenum Patriarchatum.

VI. Summa hujus libri 2. ad tredecim capità revocabitur. Primum eſt jure naturali, divino & Canonico (jus autem Canonicum Eccleſiæ praxim demonſtrat) conſtare Dominum noſtrum indiviſim & in commune Sacerdotali Eccleſiæ, quam Apoſtoli repræſentabant, claves ſeu poteſtatem ordinis & juriſdictionis contuliſſe. Porrò capite primo jus naturale cum cauſis eſſentialibus Eccleſiæ. Secundo autem & tertio jus divinum; quarto, quinto & ſexto capite jus Canonicum, id eſt, conſenſus Catholicus Patrum à temporibus Apoſtolorum ad noſtra tempora exhibetur. Secundum caput eſt, Chriſtum ſex loquendi formulis juriſdictionem aut poteſtatem Eccleſiaſticam deſignaſſe & contuliſſe, nimirùm facultate claudendi & aperiendi Cælum, Mathæi 16. ligandi & ſolvendi cap. 18. immediatâ miſſione Apoſtolorum atque diſcipulorum Mathæi & Lucæ 10. atque Mathæi & Marci ultimo; Joannis 17. & 20. deindè communicatione Sacerdotali Lucæ 22. *hoc facite in meam commemorationem :* poteſtate remittendi atque retinendi peccata Joannis 20. atque paſcendi oves

Digitized by Google

Chriſti Joannis ultimo. Tertium à Chriſti Sacerdotio tanquàm à fonte & cauſâ efficiente omnes dotes ad juriſdictionem Eccleſiaſticam ſpectantes manare, & continuò cum ordine Sacerdotali & Epiſcopali unà juriſdictionem Eccleſiaſticam intenſivè, formaliter & quoad habitum vel in actu ſignato, actum verò atque exercitium ejuſdem juriſdictionis per tituli aut Diœceſis aut Parœciæ collationem Epiſcopis atque Presbyteris deferri. Quartum Chriſti Sacerdotium aut Epiſcopatum eſſe tanquàm animam Eccleſiæ militantis, totum in toto ordine hierarchico & totum in quolibet Epiſcopo & Presbytero formaliter & quoad habitum. At quoad exercitium & adminiſtrationem differenter exerceri. Quintò poteſtatem ordinis & juriſdictionis eſſe in Eccleſiâ collectim ſumptâ architectonicè quoad dominium & proprietatem, in Apoſtolis autem & Prælatis ſingulatim & diſtributivè ſumptis miniſterialiter quoad uſum, exercitium, adminiſtrationem & exequutionem duntaxat. Undè continuò inſurgit regimen Eccleſiæ eſſe Ariſtocraticum & exequutionem regiminis Monarchicam, idque ſtatum Monarchicum Eccleſiæ efficit. Sextò, Chriſtum hoc oraculo *dic Eccleſiæ, qui Eccleſiam non audierit ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus, &c.* ultimum atque infallibile tribunal Eccleſiæ erexiſſe, ad quod omnes Chriſtiani pervicaces, nequidem Papâ dempto, eſſent deferendi, atque ibidem definitivè judicandi. Septimò, omnes textus ſcripturæ ad juriſdictionem Eccleſiaſticam ſpectantes neceſſariò & dogmaticè eſſe intelligendos de poteſtate miniſteriali vacuâ omni dominatu & imperio abſoluto & poteſtate temporaliter & extrinſecè cogendi quod imperat: quoniam excommunicatio non eſt coactio. Octavò, omnes locos Scripturæ & Patrum antiquorum, quibus de juriſdictione & poteſtate collata Eccleſiæ in commune agitur, tam planos atque apertos eſſe, ut ad eos clariſſimè intelligendos nullâ omnino vel ſaltem exiguâ ratiocinatione opus ſit, & conſequenter aptiſſimos eſſe figendis dogmatibus fidei catholicæ: contra textus Scripturæ, qui uni & ſoli Petro gratificari creduntur, eſſe metaphoricos & allegoricos, ita ut ex illis ſenſus planus atque integer abſque multiplici & anxiâ ratiocinatione exprimi nequeat; ac proinde nullo modo uſui eſſe poſſe ſtabiliendæ abſolutæ infallibili monarchiæ; niſi fortè licitum ex quolibet quodlibet inferre demonſtremus.

Nonò, quæcumque in ſacris Scripturis & Patribus dicta leguntur in gratiam B. Petri & auctoritatis Eccleſiaſticæ ſuo illuſtri ac genuino intellectu carere, niſi priùs, immediatiùs atque eminentiùs capiantur de tota Eccleſia Sacerdotali, quam de uno & ſingulari Petro juxta vulgare adagium propter quod unum quodque tale & illud magis. Decimò, Petrum velut perſonam totius Eccleſiæ Catholicæ gerentem, ob primatum quem habebat in diſcipulis hanc confeſſionem Catholicam edidiſſe, *tu es Chriſtus Filius Dei vivi,* & continenter fidem eſſe totius Eccleſiæ, non unius Petri. Undecimò, ſicut Petrus pro omnibus Apoſtolis reſponderat, ita & pro omnibus Apoſtolis reſponſum & promiſſa hæc accepiſſe; *tu es petra & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & tibi dabo claves regni Cælorum, &c.* ac proinde cæteros Apoſtolos etiam eſſe petram & fundamentum Eccleſiæ: & claves ſicut & Petrum immediatè habere à Chriſto. Duodecimò, Chriſtum hâc formulâ, *tu es petra & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam,* vel ſeipſum intelligere tanquàm primarium atque eſſentiale caput & fundamentum Eccleſiæ; vel firmitatem atque ſoliditatem hujus

Digitized by Google

ſidei, tu es Chriſtus Filius Dei vivi, &c. Continuòque ſequi propriè & dogmaticè, non unum Petrum ſed confeſſionem ab illo editam, id eſt, ipſummet Chriſtum eſſe fundamentum Eccleſiæ; quoniam hæc fides, *tu es Chriſtus Filius Dei vivi*, reduplicativè pro ipſomet Chriſto ſumitur. Decimò tertiò, Chriſtum his formulis, *tu es Petrus & ſuper hanc petram, &c. tibi dabo claves, &c. paſce oves meas*, &c. detuliſſe primatum B. Petro, ſed in ordine ad regimen Ariſtocraticum, quatenùs exequutioni mandaret jus divinum, naturale & Canonicum : & ſi res etiam poſtularet, leges in actu primo conderet. Quæ omnia capita planè conformia ſunt regulis cap. 2. hujus libri poſitis, ac proinde ſunt fidei Catholicæ, omniumque temporum, locorum & Patrum. Hoc adverſarii de ſuis fictitiis opinionibus probent certè priùs animam agent.

Digitized by Google

CAPUT SEPTIMUM.

I. Vallii argumenta in cap. 11. *libelli de Eccleſiaſtica & politica poteſtate depelluntur ; & de genuina hujus loci explicatione ,* dic Eccleſiæ ; *& quàm impiè dicatur Papam judicio Eccleſiæ , id eſt , Chriſti Sacerdotio non ſubeſſe.*

II. De æquivocatione vocis Tò ſuppoſitum , quæ duo ſignificat , primò individuum ſingulare , ut Petrus , Paulus , &c. deindè individuum aut ſuppoſitum juris , ut Collegium , Communitas , Societas , &c.

III. De clavi diſcretionis & juriſdictionis , quarum illa hanc debet dirigere & præcedere.

IV. Quiſnam germanus ſit ſenſus Canonis Alienus 24. quæſt. 1.

V. Quâ ratione & Papa & Ariſtocraticum regimen Eccleſiæ principatum ſuo quiſque modo retineant.

VI. Nullam eſſe pœnam temporalem etſi graviſſimam , quæ cum excommunicatione conferri poſſit.

VII. De ſacrarum electionum juſtificatione , naturâ & differentiâ activæ atque paſſivæ electionis ; & quòd juri divino & naturali invitis dari Epiſcopum repugnet.

VIII. Quid ſit Paſtores teſtimonium habere bonum ab iis qui foris ſunt , & quòd nomina ordinandorum publicè in Eccleſiis proclamarentur & publicarentur.

IX. Explicatio Canonum Nicænorum ſuper Paſtorum electione.

X. De more non fuiſſe antè Canones Nicænos , ut Epiſcopi à Metropolitanis confirmarentur , & quòd ejuſmodi confirmatio non ſit collatio juriſdictionis , ut ariolatur Vallius.

XI. Ab antiquo more Epiſcopum Oſtienſem ſolitum ordinare Epiſcopum Romanum.

XII. Epiſcopis ordinandis Canones & decreta Conciliorum legi conſueviſſe , ne cauſam ignorantiæ poſſent prætexere , ſi quid contra Canones patrarent.

XIII. Populum jus habere paſſivum in ſacris electionibus , & quid cauſæ fuerit , ut Canones Nicæni nullam mentionem fecerint iſtius juris.

Digitized by Google

XIV. Tandem Reges atque Principes Chriſtianos meritò ſucceſſiſſe juri, quod populus habet in electione Paſtorum.

XV. Nullos magis infeſtos fuiſſe ſacris electionibus, quàm ordines Privilegiatorum, & quoties de Eccleſia meliùs regenda actum eſt, ſemper deliberatum fuiſſe de ſacris electionibus redintegrandis.

XVI. Sacras electiones eſſe tanquàm legem animatam Eccleſiæ, cujus operâ ſolùm poteſt reformari Eccleſia.

XVII. Argumenta Vallii de Bellarmini contra ſacras electiones diſpelluntur.

XVIII. Utrùm ſolus B. Petrus Clementem ſibi Succeſſorem cooptarit.

XIX. An ſoli Petro licuerit B. Mathiam abſque aliorum Apoſtolorum & Eccleſiæ conſenſu deligere, ut videtur innuere Chryſoſtomus.

XX Novum crimen impactum Richerio, quòd dixerit ſacras electiones juris eſſe divini & naturalis, eluitur.

XXI. Duplex via & ratio creandorum Paſtorum & gubernandæ Eccleſiæ, ordinaria ſcilicet & extraordinaria.

XXII. Electiones juris eſſe naturalis, probatur contra Vallium.

XXIII. Juris pariter eſſe divini confirmatur.

XXIV. Summa totius diſputationis inſtitutæ de ſacris electionibus.

XXV. De Paſtorum reſidentia & eorum confutatione, qui in Tridentino Concilio reſidentiam juris eſſe divini negarunt.

XXVI. Explicatio hujus proloquii: Omnis Principatus quoad vim electivam pendet ab hominum conſenſu.

I. HOc capite Magiſtri Andreæ Vallii ſaburram adverſus cap. 2. libelli de Eccleſiaſtica & politica poteſtate conjectam expugnabimus. Primùm pag. 25. & 26. Elenchi Richerium poſtulat temeritatis, quòd dixerit Chriſtum Matthæi 18. Eccleſiam ſibi architectonicen & ſufficientem conſtituiſſe hâc conceptâ formulâ, *dic Eccleſiæ, &c.* contra opponit præceptum de correctione fraterna ibidem poſitum nullo modo Papam obligare: quia quando Chriſtus hæc dixit Petro nondum erat Papa. Quam illuſionem verbum de verbo mutuatus eſt à Bellarmino lib. 2. de Conciliorum auctoritate cap. 19. Verùm præter ea quæ axiomate XVI. Apologiæ & cap. 3. 4. & 5. hujus libri ſupra ex Auguſtino, Gerſone, Toſtato Almaino & aliis notavimus: contendo dicere Papam non teneri hâc lege Catholicâ, *dic Eccleſiæ* perinde eſſe ac ſi quiſpiam aſſereret potentiæ atque virtuti Sacerdotii Chriſti, à quo virtus & facultas ligandi & ſolvendi tàm in interiore quàm exteriore foro tanquàm à cauſa dimanat, nequaquàm obſtringi. Procul dubio mirum eſt, Redargutorem poſt Bellarminum fateri, Papam teneri Sacerdotio Chriſti quoad leges fori interni conſcientiæ, & non quoad normam fori externi; cum hæc duo indiviſibiliter in Chriſti Sacerdotio habitent; ita ut omnes qui remiſſionem peccatorum ſuorum in Chri-

Digitized by Google

ſti Sacerdotio quærere tenentur, unà etiam, dato quòd ſint pervicaces, obligentur huic legi. *Dic Eccleſiæ, qui Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus.* Etenim leges fori externi non minùs ſunt Catholicæ & *de omni* quàm leges fori pœnitentiæ, unumque ſequitur aliud, tanquàm effectus cauſam, poſitâ pervicaciâ, nimirùm quòd aliquis Eccleſiam audire detrectet. Prætereà præceptum Domini, *dic Eccleſiæ*, univerſos complectitur, qui aut alterum lædere aut ab altero lædi poſſunt. Quare dato ſed non conceſſo, Papam ut Papam eſſe impeccabilem, neminemque lædere poſſe; attamen nihilominùs aliorum telis atque injuriis pateret, ſicut & cæteri homines. Undè cùm juri divino & naturali repugnet quempiam ſedere Judicem in ſua cauſa, poſito quòd ab aliquo potentiore inimico Pontifex læderetur, & nullo modo inimicum hunc placare aut compeſcere poſſet, tandem ei neceſſe eſſet de injuriis ſibi illatis in Eccleſiæ tribunali conqueri. Quòd ſi auctore Bellarmino 2. de Conciliorum, auctoritate cap. 19. vi atque armis Pontifici Eccleſiam dilapidanti obſiſtere, quantò magis eum fraternè monere & juxtà domini præceptum Eccleſiæ denuntiare, & ſi parêre nolit, communione Eccleſiaſticâ excludere, quàm armis infeſtis proſequi licet? cùm lumen naturale dictet, bonum & ſapientem virum priùs omnia experiri quàm armis periclitari oportere, quoniam hoc belluinum, illud humanum & Chriſtianum eſt : quapropter Almaïnus cap. 7. de Eccleſiæ auctoritate, & Joannes major cap. 18. Commentariorum in Mathæum meritò concludunt, Papam omnium mortalium forè miſerrimum, niſi Eccleſiæ correctione ſubjaceat; eique eſſe obnoxium ratione atque exemplis probant; & quia de rationibus aliàs dictum eſt, de exemplis videamus. Primum eſt D. Gregorii lib. 4. cap. 82. epiſt. 38. ſub finem. Cùm enim Joannem Conſtantinopolitanum nomen Epiſcopi OEcumenici uſurpantem ad reſipiſcentiam inducere non poſſet, tandem illum congruenter ad Chriſti regulam de fraterna correctione affatur : *Ego verò per Reſponſales meos ſemel & bis verbis humilibus hoc quod in tota Eccleſia peccatur corripere ſtudui, nunc per me ſcribo : quidquid facere humiliter debui, non omiſi; ſed quia in mea correptione deſpicior, reſtat Eccleſiam debeam adhibere.* Cæterùm quis primâ animi inductione hîc non videt Gregorium per Eccleſiam non ſeipſum, ſed Synodum intelligere? quòd ſi de ſe ipſo loqueretur, contra Canones magnificè repudiaſſet : quòd & accuſator & judex exiſteret. *Pari quoque modo*, dicit Almaïnus libro citato, Nicolaus Papa ſcripſit Lothario Regi Franciæ, *niſi vitet contubernium pellicis ſuæ, quæ erat excommunicata, quòd adhibitis duobus vel tribus teſtibus ſanctæ denunciaret Eccleſiæ, & ſic foret ſicut Ethnicus & Publicanus xi. quæſt. 3. can. Præcipuè : at certum eſt quòd Papa non dicebat denunciaturum ſibimet. Hanc etiam ſuperioritatem recognovit Symmachus Papa, qui cùm à quibuſdam accuſaretur, auctoritate ſuâ Concilium congregavit, à quo inter ipſum & accuſatores fertur ſententia diſt. 17. can. Concilia §. Sicut etiam.* Hæc autem monita Pontificum ad normam praxeos Eccleſiæ primitivæ capi debent : quæ praxis tempore Nicolai P. P. magnâ parte obtinebat; ſcilicet, ut bis in annos ſingulos aut ſaltem ſemel Concilia haberentur ad naſcentes controverſias dirimendas Canone V. Synodi Nicænæ : tum enim gravati concurrebant ad Eccleſiæ tribunal, ut jus conſequerentur etiam contra Epiſcopum Romanum, ſi in culpa eſſet. Quod autem objiciunt adverſarii ex Gratiano diſt. 17.

Digitized by Google

can. Concilia §. hinc etiam. In Synodo Romana quam Symmachus congregavit, ut ſe à criminibus quibus accuſabatur purgaret, Patres ſedentes in Concilio ita pronunciaſſe. *Symmachus Papa Sedis Apoſtolicæ Præſul ab hujuſmodi oppoſitionibus impetitus, quantùm ad homines reſpicit, ſit immunis & liber, cujus cauſam totam Dei judicio reſervamus.* Repono id factum, quia crimen erat occultum; ſic enim Thomas de Corcellis in oratione quam habuit coram Carolo VII. Rege Franciæ in Synodo Bituricenſi reſpondet ad objecta Oratorum Eugenii; *ex adverſo*, ait, *allegatur etiam de Symmacho Papa, quòd cauſa ejus eſt judicio Dei reſervata, ſed clarum eſt quod loquitur in illo caſu in quo peccatum eſt occultum, & de crimine quod illi imponebatur non habetur legitima probatio, ſicut apparet in lib. Conciliorum*; cùm ergo Eccleſia de occultis non judicet, atque teſtimonia & probationes adversùs Symmachum minimè paterent, fruſtra objicitur à Vallio Eccleſiam noluiſſe ſedere Judicem in cauſa Symmachi lib. de ſuprema poteſtate Papæ parte 3. quæſt. 10. Cæterùm quòd ait Papam ideò non obligari legibus Catholicis fraternæ correctionis & excluſionis à communione Eccleſiaſt ca, eo quòd Petrus quando eum Dominus alloquebatur Mathæi 18. non eſſet Papa, nobis telum & gladium fortunatum ſuppeditat, quo illum confodiamus; quia ſi hæc cavillatio vera eſt, à pari concludendum, Papam non habere facultatem confirmandorum fratrum, eo quòd Petrus nondum eſſet Papa, quando Chriſtus ei dixit Lucæ 22. *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, tu autem confirma fratres tuos.*

II. Secundò pag. 27. Elenchi memorat Almaïnum lib. de Eccleſiaſtica & Laïca poteſtate cap. 4. ſtatim initio perhibere nulli ſuppoſito datam poteſtatem juriſdictionis, niſi quando Chriſtus dixit Petro, *paſce oves meas*, Joannis ultimo. At illudit Redargutor vocis æquivocatione, quia *To* ſuppoſitum aliquando ſignificat individuum & ſuppoſitum juris, cujuſmodi eſt Collegium Societas, Communitas, Synodus, Eccleſia collectim ſumpta, &c. aliquando autem perſonas ſingulares & privatas, Petrum, Paulum, Joannem Andræam, &c. Illic ergo Almaïnus agit de individuo & ſuppoſito ſingulari non de ſuppoſito juris. Sic eſt (ait) *quod Chriſtus potuit inſtituere, quod in communitate Chriſtiana eſſet aliqua poteſtas quâ poſſet aliquis alicui ſubdi & arceri à malis, & quâ peccantes poſſet punire; puta per excommunicationem, &c. antequam dederit alicui auctoritatem utendi tali poteſtate. Nam Mathæi 18 inſtituit auctoritatem & poteſtatem excommunicandi, ſi peccaverit in te frater tuus, &c. ſed pro tunc nulli ſuppoſito Eccleſia dedit poteſtatem & auctoritatem utendi tali poteſtate. Similiter in Civilibus poteſt inſtitui poteſtas aliqua antequam ſit aliquis habens poteſtatem & auctoritatem utendi tali poteſtate, ideò opinio cujuſdam Doctoris videtur vera, quòd quamvis Chriſtus nullum inſtituiſſet Papam, puta Petrum, nihilominùs Eccleſia potuiſſet aliquem inſtituere Papam & ſupremum Hierarcham. Patet, antequàm Petrus eſſet Papa inſtitutus, auctoritas Papalis jam erat inſtituta, ergo tunc per electionem potuiſſet fieri, quòd aliquis habuiſſet poteſtatem utendi tali poteſtate in ſubditos Eccleſiæ, ſicut eligitur Papa.* Hæc ibi eademque leguntur lib. de auctoritate Eccleſiæ cap. 7. ſub finem, ubi Almaïnus docet Chriſtum priùs claves aut juriſdictionem Eccleſiaſticam toti Eccleſiæ in commune, quàm alicui individuo aut ſuppoſito ſingulari dediſſe: idque eſt cardo præſentis controverſiæ plus ſatis evolutus

Digitized by Google

toto hoc lib. 2. mirorque Redargutorem tam cæcum fuiſſe ut locum Almaïni cauſæ ſuæ tantoperè infeſtum exhiberet, cùm diſertè probet Chriſtum pridem antequàm claves Petro ſuppoſito ſingulari concederet, poteſtatem Eccleſiaſticam inſtituiſſe, eamque toti Eccleſiæ in commune detuliſſe, ut eam propagaret & Prælatis ſingularibus impertiret; adeo ut Eccleſia potuerit Papam creâre, dato quòd Chriſtus Petrum non inſtituiſſet primatem Eccleſiæ; de qua re nobis futura eſt amplior diſputatio adverſùs Cajetanum.

Tertiò, pag. 28. objicit Chriſtum mittendo LXXII. diſcipulos Lucæ 20. ſolam eis facultatem prædicandi Evangelium, nequaquàm verò eis poteſtatem exercendi reliquos actus juriſdictionis conceſſiſſe, ſicut quotidie videmus, ait, Concionatores mitti ad prædicandum, nec tamen ullam habere juriſdictionem ab Epiſcopis. Contra urgeo fruſtra & ineptè Elenchiſtam ex præſenti ſtatu Eccleſiæ, de Apoſtolicæ & primitivæ Eccleſiæ politia decernere, cùm certiſſimum ſit Chriſtum mittendo Apoſtolos & diſcipulos, eis poteſtatem neceſſariam, quam opportuno tempore exercerent, contuliſſe, addo, ampliùs octingentis circiter annis nullos unquam fuiſſe inſtitutos aut miſſos Sacerdotes abſque juriſdictione neceſſaria, de qua plura ſum dicturus lib. 4. cap. 3. præter ea quæ jam dudum ſuperiùs explicavi.

Quartò, pag. 29. me inſimulat hæreſeos, quaſi aſſererem Apoſtolos & Epiſcopos nullum potuiſſe actum juriſdictionis exercere, niſi collectim & in commune ſedentes in Synodo; quæ tam abſurda & puerilia ſunt, ut magis rideri quàm confutari mereantur. Enimverò Dominus mittendo Apoſtolos & diſcipulos in commune unà eis poteſtatem fecit ut & conjunctim & ſeorſim juriſdictionem ſibi creditam in bonum & ædificationem Eccleſiæ exercerent; idque praxis Eccleſiæ plus ſatis confirmat, ne hîc in re notiſſimâ hæream & more Vallii importunus nugator habear.

Quintò, pag. 30. cauſatur dato quòd Chriſtus mittendo Apoſtolos eis contulerit juriſdictionem, ſequi, miſiſſe Eccleſiam ad ſeipſam, quod ineptum eſt & ridiculum (inquit) At tu ineptiſſimus & maximè ridiculus, Valli, quod in nugis ſerendis ſic operam perdas. Nam Apoſtoli qui ordinem Hierarchicum aut Eccleſiam Sacerdotalem referebant, mittebantur ad populum erudiendum, tanquam Paſtores ad gregem, & Pædagogi ad diſcipulos informandos, Mathæi ultimo, *data eſt mihi omnis poteſtas in Cælo & in terra, euntes ergo docete omnes gentes baptiſantes eos*, &c. Item Marci ultimo. *Euntes in mundum univerſum, prædicate Evangelium omni creaturæ.* Itaque Eccleſia Sacerdotalis mittitur à Chriſto ad Eccleſiam ſumptam pro cœtu omnium Fidelium, qui remiſſione peccatorum indigent, ſicut & ipſe Papa cum tota Eccleſia Sacerdotali; undè Gloſſator can. *Quorum diſt. 68. ait Eccleſiam & matrem & filiam appellari, quia Catholicorum collectio, quæ eſt Eccleſia, per prædicationem generatur.* Et ita claret diverſo reſpectu Eccleſiam Sacerdotalem & ad ſeipſam & ad alios mitti.

III. Sextò pag. 32. diſputat quidnam Anonymus intelligat per infallibilem poteſtatem clavium, an clavim ſcientiæ ad condendos Canones, an juriſdictionem externam ad pœnas infligendas neceſſariam; quòd ſi de clave ſcientiæ agitur, perhibet ſe iſtam infallibilitatem non reponere in Concilio Generali, abſente Papâ; quoniam tum nulla eſt unitas in Concilio, ſi non adhæreat Capiti ſuo. Hæc ille, cui rependo

Digitized by Google

rependo omnium Patrum conſenſu & Doctorum quos cap. 4. & 5. ſupra enumeravi, duo eſſe neceſſaria ad juſtum Eccleſiæ regimen, clavim aut poteſtatem diſcretionis & juriſdictionis. Ut enim viſus & intellectus vires & potentias hominis dirigunt, ita clavis ſcientiæ atque diſcretionis regit & præit clavim auctoritatis & juriſdictionis. Hinc illa formula in ſcholis uſitata, *clave non errante*; quia niſi diſcretio & ſcientia juriſdictionem & poteſtatem Eccleſiaſticam gubernet, hæc tanquam *expers conſilii mole ruit ſuâ*, eſtque fulmen brutum. Quod autem Vallius obtendit ſe infallibilitatem minimè reponere in Concilio, abſente Papâ, alio loco explicabitur.

IV. Septimò, pag. 35. me crimine falſi poſtulat, quaſi corruperim Canones, nimirùm *Quodcumque, can. Loquitur & Alienus 24. quæſt. 1.* & quoniam de duobus primis actum eſt ſupra cap. 4. in Analyſi ſententiæ Cypriani & Auguſtini, dicendum reſtat de Canone *Alienus:* in quo Redargutor ſolummodò agi contendit de unitate deprecantium, non de juriſdictione Eccleſiaſtica; quod ut dignoſcatur, integrum Canonem exſcribam, qui ex libro Cypriani de unitate Eccleſiæ decerptus eſt. Etenim poſtquàm S. Martyr docuit Eccleſiam eſſe cauſam, fontem atque radicem omnium Chariſmatum poſt Chriſtum, neminemque extrà Eccleſiæ unitatem poſſe fieri participem hujuſmodi gratiarum, ſubjicit; *Alienus eſt, prophanus eſt, hoſtis eſt, habere etiam non poteſt Deum Patrem, qui Eccleſiam non habet matrem, Dominus enim cùm diſcipulis ſuis unanimitatem ſuaderet & pacem, dico (inquit) vobis, quoniam ſi duobus ex vobis convenerit in terra, de omni re quamcumque petieritis continget vobis à Patre meo qui in Cœlis eſt, ubicumque enim fuerint duo aut tres collecti in nomine meo, ego cum eis ſum, oſtendens non multitudini ſed unitati deprecantium plurimùm tribui. Si duobus (inquit) ex vobis convenerit in terra, unanimitatem priùs poſuit, concordiam pacis ante præmiſit, ut conveniat nobis, fideliter & firmiter docuit. Quomodò autem poteſt ei cum aliquo convenire, cui cum corpore ipſius Eccleſiæ & cum univerſâ fraternitate non convenit? quomodò poſſunt duo aut tres in nomine Chriſti colligi, quos conſtat à Chriſto & ab ejus Evangelio ſeparari.* Quæ collectio Cypriani fermè ad verbum ſumpta eſt ex hoc textu Mathæi 18. *ſi peccaverit in te frater tuus, dic Eccleſiæ, qui Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus. Iterum dico vobis quia ſi duo ex vobis conſenſerint ſuper terram, &c.* eique tota incumbit. Undè cùm omnium auctorum teſtimonio qui hunc locum tractant, *dic Eccleſiæ, ubi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo*, &c. hic textus Evangelii pertineat ad juriſdictionem Eccleſiaſticam, mirabile quidem eſt Vallium perſuadere velle Cyprianum eo in loco de ſola unanimitate deprecantium, & non de juriſdictione Eccleſiaſtica agere. Verùm indicat à diverſis ad conjuncta; quoties enim aliquis Scripturæ textus duos habet ſenſus litterales, quorum alter alterum præſupponit, aut velut comitem ſibi adjungit, ſi contingat de uno ſenſu ſpeciatim tractari, non ideò ſequitur alterum excludi; poſito igitur Cyprianum (quia contra Novatianos Eccleſiæ unitatem ſancire volebat) ſermonem eruiſſe de unanimitate deprecantium, indè inferri non poteſt illum locum nullo modo conducere ad juriſdictionem Eccleſiaſticam, cùm immediatè antea diſputaſſet de Eccleſiæ auctoritate, quam contendit ab Eccleſia tanquam à fonte, radice & capite omnium gratiarum poſt Chriſtum proficiſci. Certè Deus concluſit omnia in unitate, auctore Apoſtolo 4. ad Epheſios; & ideò neceſſum eſt claves & juriſdictionem Eccle-

Digitized by Google

punitus qui velut relictus eſt impunitus. Idem tomo 7. de correptione & gratia cap. 15. *Corripiantur à Præpoſitis ſuis ſubditi correptionibus de charitate venientibus, pro culparum diverſitate diverſis, vel minoribus, vel amplioribus; quia & ipſa damnatio quæ nominatur, quam facit Epiſcopale judicium, quâ pœnâ in Eccleſia nulla major eſt, poteſt ſi Deus voluerit in correptionem ſaluberrimam cedere atque proficere.* Eadem refert Bellarminus 3. de Eccleſia cap. 6. Verùm quamquam ego dixiſſem Eccleſiam jure divino primario nihil habere ultra cenſuras quod faceret, nihil cauſæ eſſet, quòd me hujus meæ ſententiæ pudere vel pœnitere oporteret; cùm id poſt innumeros Patres, Doctores atque etiam Pontifices Romanos dixiſſem: de qua diſputatione aliàs. An non etiam id D. Auguſtinus aſſerit, quando perhibet, *eum qui cenſuris Eccleſiaſticis feritur relinqui velut impunitum?* nam ſæculo Auguſtini, Eccleſia neque carceres habebat, neque ſibi aſſumebat ut pœnas temporales per modum coactionis præſcriberet.

VII. Decimò, Vallius pag. 42. me reprehendit quòd dixerim collationes Beneficiorum quadringentis & mille annis jure communi, id eſt, ſacris electionibus factas, &c. Et quoniam ſacras electiones per meum latus confodit, hîc ego decrevi eam in rem texere diſputationem, quam eo magis neceſſariam duco, quòd ſtatus aut Principatus Eccleſiæ ſit electivus non hæreditarius, certumque habeatur ſacras electiones miſſioni factæ à Chriſto de Apoſtolis atque diſcipulis ſucceſſiſſe: Enimverò ſicut Dominus, poſtquàm Apoſtolos & diſcipulos elegit, eiſdem ſuum credidit Sacerdotium cum poteſtate clavium; ita etiam ſemper ſolemne fuit Patribus Eccleſiæ primitivæ, ut neminem in Epiſcopum aut Presbyterum ordinarent, niſi priùs canonicè electum. Ordiar igitur ab electionis Eccleſiaſticæ deſcriptione, *quæ nihil aliud eſt, quàm ſacer perſonæ delectus canonicè factus ad obeundum Eccleſiaſticum miniſterium*: utque cognoſcatur quâ ratione & viâ juriſdictio Eccleſiaſtica conferatur, hîc in memoriam revocanda quæ jam aliàs ſæpè dixi, ſunt enim ſcitu perneceſſaria & ad duritiam adverſariorum comprimendam pluries inculcanda, nimirum juriſdictionem Eccleſiaſticam duobus modis poſſe conſiderari & conferri, puta intenſivè, objectivè, formaliter & quoad habitum, deindè extenſivè, ſubjectivè, materialiter & quoad actum vel exercitium; ac priori modo conferri per ſacros ordines; ita ut Epiſcopo & Presbytero unà cum Epiſcopali & Sacerdotali ordine formaliter & quoad habitum poteſtas & facultas regendi populum Chriſtianum, remittendi & retinendi peccata, excommunicandi, leges ferendi proportionatim & reſpectivè deferatur, materialiter verò quoad actum atque exercitium, quando titulus, materia, Diœceſis, parœcia, aut populus regendus Epiſcopo vel Presbytero traditur: quæ attributio tituli & materiæ ſecundùm Canones & praxim Eccleſiæ primitivæ dabatur per activam & paſſivam electionem. Activam electionem voco facultatem legendi idoneum Paſtorem, quæ facultas hierarchico ordini peculiaris & propria eſt, ſicut facultas excommunicandi verbi cauſâ, quam tamen Epiſcopi & Papa ipſe poſſunt laïcis communicare per diſpenſationem. Nam Chriſtus hierarchico ordini cui Sacerdotium ſuum contulit, unà dedit poteſtatem activam eligendi atque examinandi perſonas idoneas, quibus Sacerdotium ſuum communicaretur, ideoque hæc facultas juris eſt divini, diſpenſabilis, & communicabilis quaſi

Digitized by Google

per vicariatum & commiſſionem, ut de excommunicandi facultate diximus. Nam moralia quamquàm à Deo inſtituta, tamen mutationi obnoxia ſunt. Quoniam Deus cum liberis liberè, & cum neceſſariis neceſſariò agit. Quocircà compertum eſt in Eccleſiæ utilitatem vel propter alias cauſas juſtas & laudabiles, ordinem hierarchicum ſæpè Chriſtianis Principibus & perſonis laïcis feciſſe poteſtatem activè eligendi Paſtores, ſolâ ſibi retentâ facultate ordinandi & conſecrandi Epiſcopos & Presbyteros: quia hæc juris eſt divini planè indiſpenſabilis atque invariabilis. Et hæc de activâ electione: paſſiva autem & ſubjectiva eſt populi conſenſus activas electiones Cleri approbantis, ac ſeſe Paſtori electo ſpontè & liberè ſubjicientis, quæ libera ſubjectio & conſenſus populi juris eſt divini & naturalis prorſus indiſpenſabilis. Adeo ut in Paſtorum electione oporteat conſenſum liberum populi explicitè aut implicitè, verè aut interpretativè ſecundùm Canones intervenire. Quamobrem ſicut nemo poteſt ordinem hierarchicum jure conſecrandi Epiſcopos & Sacerdotes, aut etiam invitum jure activè eligendi Paſtores idoneos abſolutè privare; Ita nec etiam ordo hierarchicus jure poteſt populum paſſivâ electione aut jure conſentiendi orbare. Et idcirco ex doctrinâ & traditione Apoſtolicâ, Clerus & populus ſuo quiſque modo & captu proportionatim & reſpectivè ad electiones concurrebant. Cujus rei cauſa à lege gratiæ petitur, *quæ verè regia eſt & perfectæ libertatis*: omnium legum atque inſtitutorum mitiſſima, ſuaviſſima, & naturæ ac libertati hominum maximè conformis. Quòd ſi in rebus naturalibus forma nunquam niſi in materiam egregiè ſubactam & diſpoſitam introducitur, quantò magis in agentibus liberis & præſertim in lege gratiæ, cùm Religio Chriſtiana & Communio Sanctorum doceri & ſuaderi, non cogi, aut auſterè atque abſolutè imperari poſſit? Quocircà ſi Eccleſiaſtici invitis & repugnantibus Chriſtianis, quos debent liberè ſuaviterque erudire, legem dare nequeant (leges enim non obligant niſi recipiantur) quantò magis abſurdum eſt invitis atque repugnantibus populis Paſtorem conſecrare, *cùm Paſtor ſit tanquàm lex animata Eccleſiæ*. Ut enim ait Durandus 4. ſentent. diſt. 19. quæſt. 2. circa medium. *Sacerdos magis eſt Judex arbitrarius de voluntate partium aſſumptus, quàm habens de ſe juriſdictionem ſuper partes eis invitis, vel alterâ earum invitâ.* Et Cancellarius Pariſienſis de poteſtate Eccleſiaſtica conſiderat. 3. *Videre eſt igitur, ait, quemadmodùm poteſtas hæc Eccleſiaſtica juriſdictionem quandam excipit cui convenit, quòd libera ſit & ſpontanea verè vel interpretativè circa perſonam in qua exercetur hæc juriſdictio, aut ſaltem quòd non feratur in invitum. Quis enim diceret quòd aliquis invitus vel baptiſatur, vel confirmatur, vel abſolvitur in foro conſcientiæ, vel ordinatur: & ita de aliis reliquis.* Cardinalis Cuſanus lib. 2. de concordantia cap. 32. *probat unum corpus ſpirituale conſtitui ex Epiſcopo & plebe, ideòque conſenſum neceſſarium videri ſicut in carnali matrimonio, atque inter Epiſcopum & Eccleſiam matrimonium eſſe 3. quæſt. 1. can. Audivimus. Et proptereà dicit textus 1. quæſt. 1. can. Ordinationes quæ non ſiunt ſecundùm Canonicas ſanctiones, falſas eſſe, &c. ejus ratio eſt, quia conſenſus eſt de eſſentia matrimonii.* Procul dubio in Eccleſia primitiva, cùm populus aleret Sacerdotes, nullum erat dubium de hac poteſtate paſſiva eligendi: poſteà ubi benè fundatæ & locupletatæ ſunt Eccleſiæ, arbitio Paſtorum crevit, reſque immutata eſt. His duobus principiis de activa & paſſiva elec-

Digitized by Google

tione benè intellectis, facile eſt omnia non modo Vallii, ſed Bellarmini, Baronii atque aliorum argumenta pro abſoluto jure Papæ, in conſtituendis Paſtoribus depellere.

VIII. Tranſeamus ad praxim, & primò quidem Dominus viâ extraordinariâ apoſtolos atque diſcipulos legit, ſicut etiam D. Paulus Titum & Timotheum priùs enim fundanda & inſtituenda fuit Eccleſia, quàm ſibi viâ ordinariâ Paſtores quærere poſſet. Deinde Apoſtoli divino afflatu quaſi pro fundamento, Seminario & inſtauratione propagandæ Eccleſiæ antequàm quicquam aliud facerent, ſacras inſtituerunt electiones Actor. 1. *Nam Petrus exurgens in medio fratrum (erat autem turba hominum ſimul ferè centum viginti) dixit viri fratres oportet impleri Scripturam quam prædixit Spiritus ſanctus, &c. & ſtatuerunt duos, Joſeph qui vocabatur Barſabas, qui cognominatus eſt juſtus & Mathiam. Et orantes dixerunt; tu Domine qui corda noſti omnium, oſtende quem elegeris ex his duobus unum accipere locum miniſterii hujus & Apoſtolatus, de quo prævaricatus eſt Judas, ut abiret in locum ſuum: & dederunt ſortes eis, & cecidit ſors ſuper Mathiam & annumeratus eſt cum undecim Apoſtolis.* Quæ forma eligendi miraculo confirmata nobis apertè voluntatem præceptum & traditionem divinam, non purè Apoſtolicam propalat: quia ut dixi ſacræ electiones jure divino & naturali ſuccedunt miſſioni factæ à Domino; quandoquidem neceſſariò propaganda fuit Eccleſia ad poſteros; & Apoſtoli nobis hîc legitimam & Canonicam rationem propagandi præfigunt. Quare actorum 6. B. Stephanus cum toto ordine Diaconorum viâ ordinaria totius Eccleſiæ conſenſu cooptatur, & quamquàm nullum extet præceptum de Diaconorum inſtitutione, tamen in Evangelio neceſſitate conſequentis & conſequentiæ hæc inſtitutio pertinet ad ordinem hierarchicum tanquàm appendix; ratio eſt, quia Sacerdotium Chriſti neceſſariò Diaconos & Miniſtros exigit, unde illa B. Laurentii ad S. Xyſtum querela, *quò progrederis ſine filio Pater, quò Sacerdos ſancte ſine Miniſtro* properas? & Tridentini Concilii divina ſanctio Diaconos ad ordinem hierarchicum aggregantis. *Si quis dixerit in Eccleſia Catholica non eſſe hierarchiam divinâ ordinatione inſtitutam, quæ conſtat ex Epiſcopis, Presbyteris & Miniſtris anathema ſit. ſeſſione 23. can. 6.* poſteà quoque communibus Apoſtolorum ſuffragiis D. Jacobus Minor Hieroſolymarum Epiſcopus deligitur, teſte Euſebio lib. 2. hiſtoriæ cap. 1. & Hieronymo de Scriptoribus Eccleſiaſticis, hæc enim non pertinent ad ordinationem Epiſcopalem, ſed ad privatam electionem ad Hieroſolymitanum Epiſcopatum regendum, ut lib. 3. demonſtrabitur. hæc etiam ſpectant quæ Actorum 13. leguntur de D. Paulo & Barnaba: *Miniſtrantibus autem illis Domino & jejunantibus dixit illis Spiritus, ſegregate mihi Saulum & Barnabam in opus ad quod aſſumpſi eos: tunc jejunantes & orantes, imponenteſque eis manus dimiſerunt illos; & ipſi quidem miſſi à Spiritu ſancto abierunt Seleuciam, &c.* Addendum & quod refert Euſebius in Chronico, S. Petrum miſſum Romam, quod intelligi debet de Apoſtolorum conſenſu & ſuffragiis, ſicut Actorum 8. cum Joanne mittitur in Samariam, quæ omnia pertinent ad ſacras electiones & miſſiones privatas ad aliquod opus Evangelicum privatim peragendum.

IX. D. Paulus prioris ad Timoth. cap. 3. ubi de Epiſcopi dotibus diſſerit, perhibet *oportere illum & teſtimonium habere bonum ab iis qui foris ſunt.* Quamobrem Origenes homil. 6. in cap. 8. relata in collectionem Gratiani *8. quæſt. 1. can. Licèt.*

Digitized by Google

Dominus de conſtituendo Aarone Principe præcepiſſet, & Dominus elegiſſet, tamen convocatur etiam Synagoga; requiritur enim in ordinando Sacerdote & præſentia populi, ut ſciant omnes, & certi ſint, quia qui præſtantior eſt ex omni populo, qui doctior, qui ſanctior, qui omni virtute eminentior, ille eligitur ad Sacerdotium, & hoc adſtante populo, ne qua poſtmodùm retractatio cuiquam, ne quis ſcrupulus reſideret, hoc eſt autem quod Apoſtolus præcepit in ordinatione Sacerdotis, dicens, oportet autem illum & teſtimonium habere bonum ab iis qui foris ſunt.

Chryſoſtomus commentariis in caput 3. Prioris ad Timotheum ad hæc verba, *oportet autem illum & teſtimonium habere bonum, &c. Quid ergo (inquies) ſi caſu aliquo probro & calumniæ pateat? fieri quippè & hoc facilè poteſt. Non ille in medium adducendus eſt, neque Epiſcopus eligendus, qui ejuſmodi fuerit: nocet enim plurimum præcedens peſſima, falſa licèt opinio: oportet ergo (inquit) ipſum habere & bonum teſtimonium, &c. Cæterum ut dixi dogmatum quidem gratiâ detractionis in eum ſæpè gentiles ſpicula intorquent, vitæ verò munditiam nulla ex parte libare audent, verùm unà cum cæteris admirationi ac ſtupori habent.* Leo Magnus epiſt. 89. ad Epiſcopos Viennenſis Provinciæ. *Apoſtolicæ auctoritatis norma in omnibus ſervetur, quâ præcipitur ut Sacerdos Eccleſiæ præfuturus, non ſolùm atteſtatione Fidelium, ſed etiam eorum qui foris ſunt teſtimonio muniatur, neque illius ſcandali relinquatur occaſio, eum per pacem & Deo placitam concordiam conſonis omnium ſtudiis, qui Doctor pacis futurus eſt, ordinatur.* His autem teſtimoniis ea conſentiunt quæ habet Aelius Lampridius in vita Alexandri Severi, affirmans Judæos & Chriſtianos (verùm appellatione Judæorum Chriſtianos intelligit) ſicut & Cornelius Tacitus, nomina eorum, quos ad Sacerdotium promovere volebant, conſueviſſe in publicum edere; quo omnes qui aliquid vitii de illis reſcirent, id palam facerent. Hoc autem de moribus non de doctrina capi oportere monet Chryſoſtomus, & tamen illos etiam teſtatur ad Sacerdotium minimè ſolitos evehi, in quos etiam aliquid falſi in moribus fingeretur ab Ethnicis, quos Apoſtolus deſignat *per eos qui foris ſunt*, idemque habent Leo Magnus, Theodoretus & omnes Patres; confirmaturque Canone 6. Chalcedonenſi; quo edocemur morem fuiſſe, ut *qui ordinandi eſſent deberent ſpecialiter in Eccleſia civitatis aut vici prædicari & velut proclamari.* Canon græcus legit *ἐπικηρύττεσθαι*, quod ſonat quaſi voce præconis denunciari populo. Hinc autem conſpicuum evadit, quantâ olim curâ miniſtri Eccleſiæ deligerentur. Quod omnium accuratiſſimè declarat S. Cyprianus epiſt. 52. ad Antonianum, ubi oſtendit Cornelium non Novatum eſſe legitimum Epiſcopum Romanæ Eccleſiæ, *quia ille non iſte de Clericorum penè omnium teſtimonio, de plebis quæ tunc affuit ſuffragio & de Sacerdotum antiquorum & bonorum virorum collegio electus fuiſſet.* Item epiſt. 68. *Quando ipſa (plebs) maximè habeat poteſtatem vel eligendi dignos Sacerdotes, vel indignos recuſandi: quod & ipſum videmus de divina auctoritate deſcendere, ut Sacerdos, plebe præſente, ſub omnium oculis deligatur, & dignus atque idoneus publico judicio ac teſtimonio comprobetur. Sicut in numeris Dominus Moyſi præcepit dicens: apprehende Aaron fratrem tuum & Eleazarum filium ejus, &c. Quod poſteà ſecundùm divina Magiſteria obſervatur in actis Apoſtolorum, quando de ordinando in locum Judæ Epiſcopo, Petrus ad plebem loquitur: Surrexit (inquit) Petrus in medio diſcentium, fuit autem turba in uno, &c* Et aliquantò

Digitized by Google

inferiùs : *Propter quod diligenter de traditione divinâ & Apoſtolicâ obſervatione eſt & tenendum, quod apud nos quoque & ferè per Provincias univerſas tenetur, ut ad ordinationes ritè celebrandas, ad eam plebem cui præpoſitus ordinatur Epiſcopus, ejuſdem Provinciæ proximi quique conveniant, & Epiſcopus deligatur plebe præſente, quæ ſingulorum vitam pleniſſimè novit, & uniuſcujuſque actum de ejus converſatione perſpexit. Quod & apud vos factum videmus in Sabini collegæ noſtri ordinatione, ut de univerſæ fraternitatis ſuffragio & de Epiſcoporum qui in præſentia convenerant, quique de eo ad vos litteras fecerant, judicio Epiſcopatus ei deferretur, & manus ei in locum Baſilidis imponeretur.* Quæ Cypriani collectio quinque præſertim capit digna obſervatu. Primò, plebem habere poteſtatem eligendi & repudiandi dignos atque indignos Sacerdotes, quod de paſſiva, non de activa electione capi debet, juxtà diſtinctionem ſupra notatam. Secundò, monet has electiones de divinâ auctoritate deſcendere, idque illuſtrat cap. 20. numerorum, ubi Moſes ex præcepto Domini Eleazarum in locum patris Aaronis ſuffecit, vidente atque inſpectante univerſo populo, idque multò clariùs legitur de ipſo Aarone 8. Levitici, & ſupra ex Origene prolatum eſt. Tertiò, electionem B. Mathiæ factam ſecundùm divina Magiſteria, quæ vox paſſim à Cypriano uſurpatur pro divinis præceptis ut infra oſtendetur. Quartò, ait, de divina auctoritate, ex divina traditione & Apoſtolica obſervatione in Africa & ubique fermè gentium invaluiſſe, ut Epiſcopi affines Provinciæ quæ Epiſcopo carebat, ſeſe ad plebem cui creandus erat Epiſcopus conferrent, & unà cum fraternitate univerſa, id eſt, toto Clero Diœceſis, Epiſcopum cooptarent plebe præſente, atque teſtimonium de Epiſcopo deligendo perhibente. Undè epiſt. 33. ad Presbyteros & Diaconos & plebem univerſam; *in ordinationibus ait, fratres chariſſimi, ſolemus vos ante conſulere, & mores & merita ſingulorum communi conſilio ponderare.* Quibus concordat Canon 22. tertii Concilii Carthaginenſis, *ut nullus ordinetur Clericus niſi probatus vel Epiſcoporum examine vel populi teſtimonio.* Quæ verba mentem Cypriani clarè aperiunt & comprobant. Quintum notabile eſt, Epiſcopos affines Provinciæ qui electionibus intereſſe non poterant, litteris ſuis electum Epiſcopum comprobare ſolitos; id enim hæc indicant, quique de eo ad vos litteras fecerant judicio, &c.

X. Ex qua eligendi forma & praxi deinde Canon 4. Synodi Nicænæ factus; *Epiſcopum oportet maximè quidem ab omnibus qui ſunt in Provincia conſtitui; ſi autem ſit hoc difficile, vel propter urgentem neceſſitatem, vel viæ longitudinem, tres omnino eundem in locum congregatos, abſentibus quoque ſuffragium ferentibus, ſcriptiſque aſſentientibus, tunc electionem fieri; eorum autem quæ fiunt, confirmationem in unaquaque Provincia à Metropolitano* fieri oportet. Item Can. 8. *illud autem eſt omnino manifeſteſtum, quòd ſi quis abſque Metropolitani ſententia factus ſit Epiſcopus, eum magna Synodus definivit non eſſe Epiſcopum, quòd ſi quidem communi omnium electioni, quæ & rationi conſentanea & ex regula Eccleſiaſtica facta eſt, duo vel tres propter ſuam quâ delectantur contentionem contradicant, vincant plurium ſuffragio.* Porrò Analyſis horum duorum Canonum Nicænorum ad quatuor redit capita. Primùm, quoties aliquis eſſet creandus Epiſcopus, verbi causâ Pariſienſis, tunc temporis Metropolitanum id eſt Senonenſem Archiepiſcopum conſueviſſe Synodum Provincialem Lutetiæ aut in locum aliquem propinquum indicere. Nam ex Can. 5. Nicæno bis in annos ſingu-

Digitized by Google

los habebantur Synodi provinciales, ſcilicet Autumno & vere. Quòd ſi res urgeret, neque tempus ordinarium habendis Synodis Provincialibus condictum proximum eſſet, tum ſaltem tres Epiſcopi propinquiores, verbi cauſâ, Meldenſis, Carnotenſis atque Aurelianenſis Pariſios convolabant, atque unà cum Clero & populo Epiſcopum adoptabant; reliqui autem Epiſcopi Provinciæ abſentes ſuffragium ſuum ſcripto mittebant. Adi Canonem 39. & 40. tertii Concilii Carthaginenſis. Secundum caput eſt, concluſionem ſacrarum electionum fieri ſolitam ſubductis Clericorum ſuffragiis; adeò ut ſi quod divortium naſceretur, major pars minorem vinceret. Quod eſt argumentum regiminis Ariſtocratici Eccleſiæ.

XI. Tertium, electionem hanc & conſecrationem Epiſcoporum non fieri potuiſſe abſque judicio Metropolitani, niſi enim Metropolitanus intereſſet electioni, ſtatim atque aliquis electus fuiſſet Epiſcopus, qui eum legerant ad Metropolitanum ſcribebant ut ſuo calculo & confirmatione electionem auctoraret. Cæterum hic ritus confirmandorum Epiſcoporum ante tempora Concilii Nicæni non erat uſitatus, eſtque à Patribus Nicænis introductus, ut obviam iretur factionibus Arrianorum atque Meletianorum, idque conſtat ex epiſtola Synodi Nicænæ ad Eccleſiam Alexandrinam apud Socratem lib. 1. cap. 6. & ex Hieronymi epiſtola ad Ruſticum Narbonenſem de ſeptem gradibus Eccleſiæ gradu ſexto. Itaque hæc confirmatio Metropolitanorum neceſſitate tantùm præcipit non juris aut medii obligat, ac proindè ſi Papa aut Metropolitanus Epiſcopum canonicè electum confirmare recuſarent, eorum recuſatio jure haberetur pro confirmatione; atque Epiſcopus delectus, tam verè & canonicè eſſet Epiſcopus, quàm ſi fuiſſet confirmatus. Ex quo datur intelligi ejuſmodi confirmationem non eſſe collationem juriſdictionis, ut Vallius arbitratur, ſed dumtaxat publicationem & confirmationem juriſdictionis canonicæ per electiones ſacras delatæ. Hîc enim iterum eſt inculcandum poteſtatem Eccleſiaſticam formaliter & quoad habitum conferri per ordinem, & quoad actum aut exercitium per electionem Cleri & populi: hæcque tanquàm legitimè & canonicè facta Metropolitanus comprobat & confirmat, nihilque omnino juriſdictionis Epiſcopis quos confirmat defert. Verùm hoc jus confirmandi ſic eſt à Metropolitano interpretatum, ut jus ordinandorum Epiſcoporum electorum ſibi vindicarent in Provincia ſua.

XII. Denique ipſi Metropolitani non ab Primatibus, ſed ab Epiſcopis Provinciæ proximis ordinabantur; verbi gratiâ, Romanus Epiſcopus, ab Oſtienſi Epiſcopo. Undè cùm Donatiſtæ improperio darent Ceciliano Carthaginenſi Epiſcopo, quòd non fuiſſet ab alio Primate ordinatus, B. Auguſtinus in Breviculo collationis diei tertii cap. 16. reſpondit non eam fuiſſe Eccleſiæ conſuetudinem, ut Primas à Primate ordinaretur, *quòd non expectaverit Cecilianus ut Princeps à Principe ordinaretur, cùm aliud habeat Eccleſiæ Catholicæ conſuetudo, ut non Numidiæ, ſed propinquiores Epiſcopi Epiſcopum Eccleſiæ Carthaginenſis ordinent: ſicut nec Romanæ Eccleſiæ ordinat aliquis Epiſcopus Metropolitanus, ſed de proximiori Oſtienſis Epiſcopus, &c.* Nam Donatiſtæ contendebant Epiſcopum Carthaginenſem Primatem Africæ ordinari debuiſſe à Primate Numidiæ, quod negat Auguſtinus, & Donatiſtis uſum Eccleſiæ opponit.

XIII. Porrò Epiſcopis aut Presbyteris ordinandis mos erat Canones legere & inculcare

Digitized by Google

inculcare, ne cauſam ignorantiæ poſſent prætexere, *placuit ut ordinandis Epiſcopis vel Clericis, priùs ab ordinatoribus ſuis decreta Conciliorum auribus. Eorum inculcentur, ne ſe aliquid contra ſtatuta Concilii feciſſe aſſerant Can. 3. Concilii tertii Carthaginenſis, & diſt. 38. Can. Placuit. Item* Can. omnes §. *inquiratur autem diligenter à Metropolitano, ſi in promptu habeat legere ſcrutabiliter & non tranſitoriè tàm ſacros Canones & ſanctum Evangelium, quàm divini Apoſtoli librum & omnem divinam Scripturam atque ſecundùm mandata Dei converſari & docere populum ſibi commiſſum ſubſtantia enim ſummi Sacerdotii noſtri ſunt eloquia divina.*

XIV. Quartum caput eſt, Canones Nicænos non omnia recenſere quæ ſunt ad electionem Epiſcopi neceſſaria, ſed tanquàm notiùs atque uſitatiùs prætermittere Clerum cum populo ſolitum admitti ad electiones, ſicut anteà probavimus ex Apoſtolica diſciplina, Origene, Cypriano, Chryſoſtomo, &c. Hoc inquam, ideò Patres Nicæni, quia ubique conſtanter ſervaretur, ſilentio preſſerunt; ſicut & Hieronymus diſt. 93. can. Legimus §. *Nam Alexandriæ à Marco Evangeliſta uſque ad Heraclam & Dyoniſium Epiſcopos Presbyteri ſemper unum ex ſe electum in excelſiori gradu collocatum Epiſcopum nominabant, quomodo ſi exercitus Imperatorem faciat, aut Diaconi eligant de ſe quem induſtrium noverint & Archidiaconum vocent.* Quæque dico ſcilicet Clerum & populum nunquam ab electionibus excluſum, innumeri Canones qui poſt Nicænam Synodum conditi ſunt perſpicuè demonſtrant. *Diſt. 62. Can. Nulla ratio ſinit, ut inter Epiſcopos habeantur qui nec à Clericis ſunt electi, nec à plebibus expetiti, nec a Provincialibus Epiſcopis cum Metropolitani judicio conſecrati.* Quæ regula eſt Leonis Magni. Et epiſt. 69. ad Epiſcopos Viennenſis Provinciæ. *Expectentur vota civium teſtimonia populorum, quæratur honoratorum arbitrium electio Clericorum, quæ in Sacerdotum ſolent ordinationibus ab his qui norunt Patrum regulas cuſtodiri.* Item aliquantò poſt, *teneatur ſubſcriptio Clericorum, honoratorum teſtimonium, ordinis conſenſus & plebis, qui profuturus eſt omnibus eligatur.* Iſtuc verò accurrit etiam *diſtinctio 63. Can. Noſſe §. Sacerdotum quippe eſt electio & fidelis populus conſenſus adhibendus eſt: quia docendus eſt populus non ſequendus.* Item *cum Epiſcopos Can. Cleri. Can. Vota clavium, Can. Sacrorum, Can. Si forte, §. Nullus invitis & non petentibus ordinetur, ne civitas Epiſcopum non optatum aut contemnat aut oderit*, ait Leo Magnus, *cui enim debet ab omnibus obediri, debet utique & ab omnibus eligi*; ut docet Hincmarus ad Ludovicum Balbum, & *diſt. 65. Can. De perſona autem conſecrandi & de Cleri plebiſque conſenſu Metropolitanus Epiſcopus referat.* Procul dubio mos ſemper fuit Epiſcopos de *omnium, qui paſcendi erant conſenſu adoptari.* Ut Patres Chalcedonenſes loquuntur actione XI. ſub finem, & hactenùs de jure populi in ſacris electionibus.

XV. Sed poſtquam temporis progreſſu locupletatis Eccleſiis tubæ atque præſentationes immodicæ in populo & Clero ferVere cœperunt, tunc demùm jus populi meritò ad reges, Principes & Magiſtratus Chriſtianos politicos ſenſim devolutum eſt. Princeps autem Chriſtiani cum eo abuterentur, Gregorius VII. illis eripuit, eamque ob cauſam bella horrida conſeruit, de quibus aliàs dicetur. Cæleſtinus III. P.P. *cap. cum terra de Electione Electi poteſtate* ſacras electiones vendicat, neque prohibet, quin Regis & Patriarchæ aſſenſus requiratur, idemque pariter Innocentius III. cap. 24. Synodi Lateranenſis præſtat. Lubens hic omitto quæ ſupra ex Toſtato, Cuſano

Digitized by Google

atque aliis de electionibus Eccleſiaſticis notavi, atque in Synodo Conſtantienſi ſeſſione 40. de iiſdem reſtituendis actum; idque in Baſilienſi Synodo confectum & miſſum in rem judicatam ſanctione Pragmaticâ Caroli VII. Franciæ Regis condita in Synodo Bituricenſi, quæ tandem concordatis Bononienſibus abrogata eſt anno 1517. ut patet ſeſſione XI. Lateranenſis Synodi ſub Leone X.

XVI. Legat qui volet hiſtorias & ſcriptores ſingulorum ſæculorum; primum comperiet ſacras electiones non ante revocatas in dubium aut etiam convulſas, quam jus commune oppugnatum eſt à Religioſis Privilegiatis ut vocant, aliter enim Religioſi abſolutam Papæ monarchiam ſuaque privilegia & immunitates arte fundare & tueri non poterunt; idque tam demùm Curiæ Romanæ anſam præbuit ſacras abrogandi electiones, ubi animadvertit ſe acerrimos iſtius facti habere defenſores, ut revera permultos ordines novos habet, quod eſt valdè dolendum: Nam *omnes quæ ſua ſunt non quæ Jeſu Chriſti quærunt Philipp. 2.* Secundò obſervabit, quotieſcumque de Eccleſia melius regenda vel in Synodis vel in privatis conventibus Eccleſiaſticorum actum eſt, ſemper poſitum fuiſſe in deliberatione de ſacris electionibus jure poſt Liminii reſtituendis. Quare anno 1585. Reverendiſſimus Pater Nicolaus Angelierus Epiſcopus Ebroicenſis celeberrimam habuit ſuaſionem nomine totius Cleri Gallicani coram Henrico III. quâ illum impenſiſſimè obſecravit, vellet juberetque ſacras electiones reſtitui. Adjunxit etiam hoc firmiter propoſitum Franciſco I. ejus avo, ſed præmaturâ morte id mandare exequutioni non potuiſſe: cumque affinis eſſet morti, Henrico II. filio injunxiſſe ut id conficeret: & palam dixiſſe quamquàm graviſſimus eſſet peccator, tamen ſe nullius alterius rei ſibi conſcium eſſe, quæ ſuam conſcientiam ſicut abrogatio elctionum Eccleſiaſticarum ita lancinaret. Quàm Ebroicenſis Epiſcopi orationem reperies inter Cleri Gallicani commentaria Pariſiis à Joanne Richer Typographo Eccleſiaſticorum anno 1606. edita.

XVII. Procul dubio nulla alia expeditior via ad Eccleſiam in melius reformandam, quàm ſacrorum electionum reſtitutio; quoniam, ut docet Cardinalis Cuſanus 2. de concordantia cap. 32. *ſunt tanquàm lex animata Eccleſiæ:* quia bonos Paſtores creanti, at ſola bonorum Paſtorum inſtitutione abuſibus corruptelis & nefandis deformitatibus quæ Eccleſiam hodiè miſerum in modum depaſcuntur occurri & medicina fieri poteſt. Sic enim omnes Epiſcopi qui Regis aut Papæ curiam ſequuntur, gregi paſcendo excubare cogentur: atque omnis luxus procul ab Eccleſiæ ſeptis exterminabitur, & frugalitas in illius locum ſufficietur, eo quòd tum uni unicum dumtaxat dabitur Beneficium, vel potiùs officium; nam Clerus Pariſienſis, verbi cauſâ, unicum poteſt conferre Epiſcopatum, & ita de aliis Diœceſibus. Verùm oppreſſis electionibus uni atque eidem homini ſæpiſſimè plura Sacerdotia atque incompatibilia, plures Epiſcopatus atque Archiepiſcopatus, Abbatias contra jus divinum & naturale conferri videmus. Quaſi Eccleſiæ eſſent propter Paſtores, & non contra, Paſtores propter Eccleſiam? Quid voco Paſtores, utinam quidem Paſtores eſſent, quæque dico ſatis habent ponderis ad ejuſmodi homines exſuſcitandos, ut me meaque ſcripta tanquam de hæreſi ſuſpecta damnent; quod olim D. Hieronymo contigiſſe narrat Severus Sulpitius, quia vitia modica Eccleſiaſticorum reprehendat; *modica dico* ad comparationem eorum quibus hodie abſque ullo ne qui-

Digitized by Google

dem vocis auxilio perimus, quoniam nemini libere loqui de neceſſitate Eccleſiæ reformandæ permiſſum eſt. Adi Severum Sulpitium dialogo primo de virtutibus Monachorum Orientalium concludamus ergo ſacras electiones quadringentis & mille annis aut circiter continuaſſe, & quoties de Eccleſia melius regenda actum eſt, ſemper unà de illarum reſtitutione deliberatum fuiſſe.

XVII. His præmiſſis diſcutiamus argumenta, quibus Vallius ſacras concutit electiones. Nam lib. de ſuprema poteſtate parte 3. quæſt. 6. primum diſputat de electionibus populi: & quoniam poteſtas Eccleſiaſtica eſt merè ſpiritualis, & populus nullam habet poteſtatem ſpiritualem, ſed civilem tantum & humanam, concludit Laïcos nullum jus habere ad electiones Prælatorum aut Miniſtrorum Eccleſiæ, cum electio canonica ſit ſpiritualis collatio, quâ populus deſtituitur: nemo enim dat quod non habet. Quocirca infert Cyprianum ſupra laudatum, ubi meminit populi, tantum deſignare populum ſua præſentia decorare ordinationem Sacerdotalem eique favere & annuere, atque probitatis teſtimonium ordinato præbere. Addit in ejus rei confirmationem hodie dum ordinantur Diaconi, *Epiſcopum petere ab Archidiacono, an eos dignos eſſe tali ordine & miniſterio ſciat. Et ubi Archidiaconus reſpondit id ſe teſtari, quantum humana fragilitas noſſe ſinit, Epiſcopum omnes interpellare, qui aliquid contra illos pro Deo & propter Deum habent, cum fiducia dicant; verumtamen ſint memores humanæ, atque idem quoque verbis amplioribus in Presbyterorum ordinatione agi atque iterari.* Secundò, aliquantò poſt arguit conſtare ex Evangelio Eccleſiam univerſam. S. Petro fuiſſe commiſſam Joannis ultimo; & idcircò ad Papam ſpectare ut de Paſtoribus Chriſtianis provideat. Tertiò, ſi ad Clerum jure divino pertineret electio, ad totum Clerum ſine dubio pertinere; quia jus divinum non definivit, ut hi potiùs quàm illi ex Clericis eligerent. Quod ſi omnibus Clericis competeret electio, eadem fermè incommoda & tumultus acciderent ob multitudinem Clericorum quam ex populari electione. Quocircà multis jam ſæculis ſoli Clerici primarii munus eligendi obeunt. Nam Canonici Eccleſiarum Cathedralium ſuos Epiſcopos, ſoli Monachi ſuos Abbates eligere conſueverunt: hoc tamen fieri non deberet, ſi jure divino omnes Clerici eſſent conſtituti electores. Quartò, D. Petrus qui jus divinum non ignorabat, non modo S. Clementem Romanæ Eccleſiæ præfecit, verum etiam ad plurimas alias Provincias Epiſcopos miſit, &c. Quintò, conſtat quoque Paulum propria auctoritate abſque electionibus Titum atque Timothæum Epiſcopos, illum Cretenſi hunc Epheſinæ Eccleſiæ conſtituiſſe, quæ argumenta penè ad verbum accepta debet referre Bellarmino cap. 8. libri de Clericis, quem tamen nuſpiam nominat, undè manifeſto furti & plagiarii tenetur: Sextò, Bellarminus eodem lib. de Clericis, cap. 7. circa medium objicit ex Chryſoſtomo homil. 3. in acta Apoſtolorum licuiſſe Petro abſque aliorum Apoſtolorum conſenſu & ſuffragiis eligere S. Mathiam, nec alios Apoſtolos ſe ejuſmodi electionis immiſcuiſſe, niſi ex Petri ſententia & permiſſione. Septimò, eo ipſo quod Papa ſic Epiſcopos inſtituit, Vallius effici dictitat; ut Galliæ Prælati in litteris ſuis ſe Dei & ſanctæ Sedis Apoſtolicæ gratia Epiſcopos nuncupent, quam formulam per antiquam eſſe famulatur. Octavò, hinc etiam multi adulatores inferunt Papam eſſe dominum omnium beneficiorum, ita ut Eccleſiaſticos beneficiis etiam ſine cauſa privare poſſit: ut antea jam diximus ex Paludano quem Emmanuel Sa verbo Papa, ſequitur.

Quibus argumentis facilè eſt ſatisfacere ex principiis ſuperiùs poſitis primum argumentum tribus conſtat partibus, quoad primam ut fateor populum nullam habere ſpiritualem poteſtatem; ita contendo admitti debere ad paſſivam electionem, ut ſe electo Epiſcopo ſpontè ſubjiciat, & ideò conſenſum Laïcorum eſſe hâc in parte abſolutè neceſſarium, neminemque poſſe jure privare populum hâc poteſtate, cum ut dictum eſt, lex gratiæ ſit manſuetiſſimæ & perfectiſſimæ libertatis, quem ad ſenſum intelligendus eſt Cyprianus perperam detortus à Vallio: altera pars eſt populum etiam intervenire conſueviſſe electionibus ut pro aut contra electos ferret teſtimonium, quod ſatis planum eſt ex Origenis, Chryſoſtomi, Lampridii & aliorum ſententiis ſuperiùs expoſitis. Tertia pars ſpectat ad formulam quam Vallius dicit in Diaconorum & Presbyterorum ordinatione uſurpari ſolitam ab Epiſcopis, ſed hæc ſunt verba & voces & prætereà nihil rem omittimus, formulam inanem dicis cauſa venditamus, ſicque diſciplinæ avitæ illudimus.

Secundùm argumentum fallita ſuppoſitione principii, quaſi Papa eſſet abſolutus Monarcha Eccleſiæ & non teneretur legibus Ariſtocratici regiminis pro juris divini naturalis & Canonici exequutione non ergo Papa aliter poteſt providere Eccleſiæ de Paſtoribus quam Canones præcipiunt, cum tantum præditus ſit poteſtate miniſteriali quæ illum regulis adſtringit extra caſum neceſſitatis.

Tertium fallit ab Elenchi ignoratione: & ſi enim jure divino naturali toti Clero activè & populo paſſivè jus eligendi competat, nihilominùs id capiendum non eſt de *ſingulis generum ſed de* generibus ſingulorum: ut in Synodis celebrandis conſuevit; quia ſi omnes intereſſent, ſacra officia quidem omnino deſeri oportet. Prætereà nulla urbs aut civitas totam Diœceſim capere valeret, Quocirca illi ſolum ex Clero & populo ſacris electionibus operabantur, qui ex tota Provincia eminentiùs, decentiùs & commodius adeſſe poterant. Certè Can. 4. Nicæno explicatè declaratur quinam adeſſe debeant. Cæterùm quod Vallius memorat ad ſolos Canonicos Eccleſiarum Cathedralium munus eligendi devolutum, res eſt quæ à Gregorii VII. ſæculo obtinuit contra Nicænos Canones.

XIX. Ad quartum tria reſpondeo; primum, malè duci argumenta à jure extraordinario ad ordinarium, id eſt, à fundandis Eccleſiis ad jam conſtitutas & fundatas; de qua re paulò poſt. Qui enim non hæc diſtingunt, perindè faciunt ac ſi quiſpiam contenderet Laïcis, imò & fœminis permitti jure ordinario baptiſare, eo quòd in caſu neceſſitatis id Laïcos & fœminas facere videamus. Dato igitur, ſed non conceſſo S. Petrum abſque Eccleſiæ conſenſu de proprio & privato motu B. Clementem Epiſcopum Romanæ Eccleſiæ præfeciſſe, hoc cauſæ Vallii & Bellarmini nullo modo gratificatur, quoniam ad jus extraordinarium pertinet. Secundò, poſito etiam quod hæc ſpectarent ad jus ordinarium, dico longè diſparem eſſe rationem Apoſtolorum atque Prælatorum hodiernorum: quia illi ſolâ Chriſti, non ſuâ lucra, neque ſuos nepotes aut parentes ex Eccleſiæ bonis in modum Principum locupletare ambiebant. Quapropter nihil mirum viventibus Apoſtolis populum magnæ fœlicitatis duxiſſe, ab illis Paſtores accipere abſque ſacris electionibus, ſicut legimus Valerium Hipponenſem Epiſcopum ſibi B. Auguſtinum populo & Clero univerſo lætitiâ geſtiente ſucceſſorem adoptaſſe; legendus Poſſidius

Digitized by Google

cap. 3. vitæ Auguſtini. Idem quoque Auguſtinus Clero & populo applaudente ſibi Enodium ſucceſſorem legit, epiſtola 110. qui plura ſuper Clementis electione reſcire volet, conſulat Almaïnum de auctoritate Eccleſiæ cap. 9. Tertiò, ex praxi Eccleſiæ contendo S. Petrum nihil unquam proprio motu, ſed totius Eccleſiæ atque aliorum Apoſtolorum conſilio & conſenſione geſſiſſe, ut acta Apoſtolorum declarant. Adverto prætereà, quæcumque à Patribus privatim Petro & Paulo tribuuntur in Eccleſiæ regimine quaſi ea ſeorſim & ſeparatim feciſſent, intelligi debere ex uſu & praxi quam legimus in actis, adhibitâ ſcilicet in conſilium totâ Eccleſiâ aut Clero, vel iis ſaltem quos ſecum ſocios & comites peregrinationis ſuæ habebant Sacerdotes; neque equidem novum aut inſolitum eſt, quæ fiunt à pluribus uni Principi & anteſignato attribui, ut dicimus Regem, victoriam ex hoſtibus reportaſſe, &c. Procul dubio Irenæus lib. 3. adversùs hæreſes cap. 3. narrat Eccleſiam Romanam à D. Petro & Paulo fundatam, & ab eiſdem Linum conſtitutum Epiſcopum: neque D. Petro aliquid velut Monarchæ ſingulariter attribuit: *Sed quoniam valdè longum eſt in hoc tali volumine omnium Eccleſiarum enumerare ſucceſſiones (inquit Irenæus) maximæ & antiquiſſimæ & omnibus cognitæ à glorioſiſſimis duobus Apoſtolis Petro & Paulo Romæ fundatæ & conſtitutæ Eccleſiæ, eam quam habet ab Apoſtolis traditionem & annuntiatam hominibus fidem per ſucceſſiones Epiſcoporum pervenientem uſque ad nos, indicantes confundimus omnes, &c. fundantes igitur & inſtruentes beati Apoſtoli Eccleſiam, Lino Epiſcopatum adminiſtrandæ Eccleſiæ tradiderunt, &c. Succedit autem ei Anacletus, poſt eum tertio loco ab Apoſtolis Epiſcopatum ſortitur Clemens, qui & vidit ipſos Apoſtolos, & contulit cum eis, &c. Sub hoc igitur Clemente diſſenſione non modica inter eos qui Corinthi eſſent fratres factâ, ſcripſit quæ eſt Romæ Eccleſia potentiſſimas litteras Corinthiis, &c.* Hic obſervas teſtimonium Ariſtocratici regiminis & nihil ab uno Petro privatim fieri, atque etiam literas ſcriptas Corinthiis adſcribi, non uni Clementi, ſed toti Eccleſiæ Romanæ collectim ab Iræneo adſcribi: Itaque nego abſolutè S. Petrum abſque Eccleſiæ Romanæ conſilio miſiſſe Epiſcopos in Gallias aut alio quopiam gentium.

Ad quintum de Tito & Timotheo facilis eſt reſponſio ex præcedentibus, & quanquam conceſſerimus Vallio & Bellarmino Paulum proprio motu illos creaſſe Epiſcopos, hoc pertinet ad fundationem primam Eccleſiarum, ſiquidem jus extraordinarium uſui eſſe non poteſt juri ordinario fundando.

XX. Ad ſextum, ſicut Epiſcopatus & Apoſtolatus maximè differunt, ita etiam utriuſque inſtitutionem valdè diſſidere, quia poteſtas Epiſcopatus ſpectat ad poteſtatem ordinariam purè miniſterialem, neceſſariò tranſmittendam ad poſteros. At poteſtas Apoſtolatus, quia extraordinaria eſt, & facultatem patrandi miracula, condendi libros Canonicos, atque alia ejuſmodi ad fundandum Evangelium neceſſaria complectitur, ideo uni & ſoli Chriſto poteſtate excellentiæ prædito relinquitur inſtituenda. Undè & Paulum immediatè miſit, ſicut & alios Apoſtolos. Hæc confirmat Suares lib. 3. defenſionis Fidei Catholicæ cap. 3. circa medium. Quòd igitur Chryſoſtomus perhibet Petro licuiſſe eligere Mathiam, concedo de poteſtate ordinaria Epiſcopatus, nego abſolutè de poteſtate Apoſtolatus. Adnecto Chryſoſtomum non dogmaticè & affirmativè, ſed oratoriè & addubitanter loqui. *An non*

Digitized by Google

ait, licebat Petro eligere Mathiam? *licebat & quidem maximè, verùm id non fecit, ne cui videretur gratificari, quamquàm alioqui nondum erat, particeps ſpiritus, &c.* Verùm dato quòd hoc planè affirmaret Chryſoſtomus, contra opponerem regulam Auguſtini diſt. 9. can. Ego ſolis. Nam paxis Eccleſiæ Actor 1. conſignata, longè debet præferri ambiguæ & fluctanti opinioni Chryſoſtomi. Quòd autem ibidem memorat. B. Jacobum accepiſſe munus Epiſcopi Hieroſolymitani, quando D. Mathias eſt electus ad Apoſtolatum, eidem non aſſentior, mihi enim certiſſimè perſuadeo id factum poſt acceptum Spiritum ſanctum die Pentecoſtes, quo dehinc Apoſtoli per univerſum orbem diſperſi ſunt.

Septimum argumentum inſcitiam & pueritiam Valli detegit. An Theologiæ Profeſſor ignorat has formulas, *N. gratiâ Dei & S. S. Apoſtolicæ Epiſcopus*, invaluiſſe poſt abrogationem pragmaticæ ſanctionis. Vide hiſtoriam Synodi Sextæ lib. 1. hiſtoriæ noſtræ Concilorum Generalium cap. 10. num. xi.

Ad octavum, jam ſuperiùs obſervavi Almaïnum in quæſtione reſumptiva docere Paludanum eſſe auctorem hujus operationis poſt aliquot Canoniſtas, quam Almaïnus meritò contendit igne digniſſimam, uititurque falſo principio, quòd Papa ſit abſolutus Eccleſiæ Monarcha. Legendus Gerſonius de poteſtate Eccleſiaſtica conſiderat. 12. & Concilium delectorum Cardinalium juſſu Pauli III. anno 1538. editum, ut viam ſterneret ad Eccleſiæ reformationem, quâ tamen, proh dolor! caremus.

XXI. Undecimò, pag. 42. & 43. me virulenter inſectatur, quòd dixerim ſacras electiones juris eſſe divini & naturalis, quòdque adversùm nulla poteſt invaleſcere præſcriptio. *Nam* (inquit) *graviſſimè errat Anonymus, magnamque Pontifici, Regi, totique Galliæ Clero infert injuriam; alterum enim è duobus ſequatur neceſſe eſt, aut nullos jam in Gallia eſſe Epiſcopos, nllamque ampliùs legitimam Prælatorum vocationem; quod dicere ſtultum eſt ac ſeditioſum, cùm antè 90. & ampliùs annos nullus eorum per electionem ad apicem Epiſcopatus erectus fuerit, aut ſaltem quod auctor nullà arte poteſt effugere, ſummum Pontificem, Regem & omnes Galliæ Prælatos mortaliter peccaſſe.* Hæc illa, quæ à Perronio Cardinali mutuatus eſt, hic enim eadem mihi improperio dedit in ſacro Regis conſiſtorio, ut ſupra lib. 1. cap. 2. monui. Cæterùm duo ad hæc reſpondeo. Primum, quòd ego dixi nullam decurrere præſcriptionem adverſùm ſacras electiones, in eam partem capi debet, ut intelligamus nullam eſſe ſeriem temporum quamvis longam, quæ impedire valeat quominùs Eccleſia poſſit in integrum ſacras electiones & jus commune reſtituere, quoniam longè major eſt Eccleſiæ, quàm unius Papæ aut Curiæ Romanæ auctoritas.

XXII. Secundò, exploratum eſt Paſtores jure extraordinario & ordinario creari poſſe, ſicut videmus hominem viâ ordinariâ per generationem & extraordinariâ per creationem procreari: hoc diſcrimen inter utramque viam intercedit, quod jus extraordinarium ſit ſolùm ad tempus nempè aut propter primam Eccleſiarum fundationem, aut propter bella, vaſtitates Provinciarum, orbitatem Paſtorum ordinariorum, aut aliis de cauſis neceſſariis occurrentibus, quæ ſunt obſtaculo ne jus ordinarium decerrat, quod alioqui perpetuum eſſe debet. Hanc diſtinctionem ordinarii atque extraordinarii juris S. Ambroſius confirmat in caput 4. ad Epheſios in hæc verba, &

Digitized by Google

ipſe quoſdam quidem dedit Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, &c. demonſtrans *ſcripta Apoſtoli non per omnia convenire ordinationi quæ Canonibus Nicænis præſcribitur: quia Apoſtolus inter ipſa primordia Eccleſiæ illa ſcripſerit ad Timotheum Presbyterum crearit & Epiſcopum vocavit.* Cardinalis Cuſanus 2. de concordantia Catholica cap. 32. circa medium, narrat in fundatione Eccleſiarum non potuiſſe jus ordinarium ſervari, quia tum Eccleſia fundanda, non fundata eſſet: *tota Eccleſia* (inquit) *ſine Apoſtoli, qui totam Eccleſiam repræſentabant, propinquius quàm ſolus Petrus Primates conſtituerunt 99. diſt. Nulli: qui textus dicit Apoſtoli eorumque ſucceſſores: neque concludit Eccleſiis aliquando fuiſſe proviſum ſine electione, quia tunc non fuerunt Eccleſiæ, ſed miſſi fuerunt ad ædificandas Eccleſias: & ideò electio locum habere non potuit: quia Eccleſia eligens tunc defecit, Undè illi miſſi gerentes Chriſti ſecundi Adæ, ex coſta ſua, ſcilicet divini verbi, ſibi Evam ædificarunt, quam deſponſaverant: & ſic Evæ genitæ poſthac non dabatur niſi ſponſus deſideratus. Sic hodie non dubium Papam ad partes infidelium Prædicatores mittere poſſe ad modum Petri vel Clementis, ut hæc probat textus nulli ſupra allegatus, & ita intelligat Oſtienſis.* Cancellarius Pariſienſis de poteſtate Eccleſiaſtica conſiderat. 8. teſtatur Apoſtolorum temporibus Eccleſiam fuiſſe tanquàm meſſem in germinibus & vindemiam in racemis, ac malè duci argumenta ex primis Eccleſiæ incunabilis ad ea quæ Eccleſiis ubique terrarum bene conſtitutis facta ſunt. *Sed dicamus*, ait, *hoc aliter eſſe diſcernendum in Eccleſiaſtica politia, dum eſt ordinata completè ſub quadam explicatione perfecta & numeroſa membrorum ſuorum in miniſtris per ſtatus, gradus & officia, & aliter dum ab initio firmata eſt Eccleſia in magna tam Eccleſiaſticorum, quàm Fidelium paucitate, velut in quodam ſeminario vel germine ſeu botro. Potuit enim tunc rationabiliter ſupremus ille Pontifex Petrus habere faciliter præſentiam Concilii Generalis, ſicut in electione Mathiæ & ceſſatione legalium, potuit & inſtituere Miniſtros per diverſas Provincias & locos de mandato ſuo; ſicut ad eum facilis patebat acceſſus, nec vigebat avaritia, quia primi primò petebantur ad mortem. Quæ omnia ceſſant in hac copioſa Fidelium multitudine poſt tot jura, tot leges, tot decreta & decretales ſummorum Pontificum & Generalium Conciliorum editas ad regendam faciliter Eccleſiam.* Hactenùs Doctor Chriſtianus, ex quo diſcimus D. Petrum ſeorſim ab aliis Apoſtolis miſiſſe Paſtores ad Eccleſias fundandas, ſicut Paulus Titum & Timotheum inſtituit Epiſcopos. Quod ad bella & vaſtitates Provinciarum curſum ordinarium intercidentes, D. Gregorius ejus rei fidem abundè facit in ſuis epiſtolis; dum propter barbariem & crudelitatem Longobardorum uni atque eidem Epiſcopo viſitationem *hodie commendam vocant*, Epiſcopatuum viduatorum Paſtoribus demandabat; adeò ut unus & idem Paſtor curam duarum Epiſcopatuum ſæpè haberet: propterea quod non pateretur ut viâ ordinariâ Epiſcopi crearentur. Item diverſis in Eccleſiis alios ſacerdotes incardinari aut Cardinales fieri præcipiebat: ſic enim paſſim & maximè lib. 2. epiſtolarum loquitur; de cujus inſtitutione infra lib. 4. cap. 3. Quæ cùm ita ſint, ſtatuamus neceſſitatem quæ legem non habet, interdum jus ordinarium in extraordinarium mutare; & poſt ſanctionis pragmaticæ abrogationem & concordatorum promulgationem, collationes beneficiorum à jure communi & ordinario ad extraordinarium tranſinigraſſe: atque Eccleſiarum taciturnitatem in titulum deputari, ut Cardinalis Cuſanus lib. 2. de concor-

Digitized by Google

dantia cap. 32. verſus finem ita obſervat: *Et quia per tacitum conſenſum totius Eccleſiæ Romani Pontifices reſervationibus factis uſi ſunt, nec ſunt dati Epiſcopi repudiati ſicut tamen meo judicio reprobari poterant. Tunc in conſenſum tranſivit taciturnitas, quæ ſufficit pro titulo eorum qui præfecti ſunt: taciturnitas pro conſenſu habetur, ut tractatur in regula, qui tacet, & hoc caſu quando non opponitur ut notat Gloſſa antiqua Capituli noſſe 43. diſt.*

XXIII. Duodecimò, pag. 43. efficere vult electiones neque divini neque naturalis eſſe juris, ac primo jus naturale definit *quod nullâ adhibitâ finis aut circumſtantiarum conſideratione ſtatim unicuique occurrit, ut Deum colendum parentibus obtemperandum, nemini inferendam injuriam.* Quæ definitio non eſt de omni, quia ſolummodò prima juris naturalis principia, non autem alia complectitur quæ neceſſitate conſequentiæ ex primis illis principiis colliguntur: Nam teſte B. Thoma quem falſo citat Vallius, *lex naturalis eſt aliquid per rationem conſtitutum. Prima 2. queſt. 97. articulo 1. in corpore & articulo 5. ad 3. aliquid dicitur eſſe de jure naturali dupliciter, uno modo quia natura ad hoc inclinat: alio modo quia natura non inducit contrarium.* Quapropter Bellarminus lib. de Clericis cap. 23. tres gradus præceptorum naturalium conſtituit. Primus eſt Principiorum quæ omnibus nota ſunt: ſecundus eorum quæ ex illis Principiis tanquàm concluſiones proxime declarantur: tertius eorum quæ ex Principiis juris naturæ ſed per conſequentiam non abſolutè neceſſariam derivantur. His ita præfixis neminem arbitror poſſe negare ſocietatem civilem ad quam naſcimur, juris eſſe naturalis primarii, ſecundùm definitionem à Redargutore poſitam: Præterea cum recta ratio unicuique dictet ſocietatem civilem abſque aliquo principatu nullo modo poſſe ſubſiere, inſurgit Principis electionem juris eſſe naturalis. An non pueri Rex eris aiunt ſi benè feceris: quâ igitur fronte Vallius negat electiones juris eſſe naturalis. Quo autem jure homines in civili ſocietate viventes ſibi Principem cooptant: eodem & Eccleſia, Paſtores, Monachi, Abbatem, Priorem, Prælatum, &c. Cæcuſque eſt Redargutor, ſi hoc ignorat, ſi diſſimulat veterator malignus qui contra propriam conſcientiam veritatem impugnat. Adi Lector apologiam noſtram à tertio ad ſextum axioma cum obſervationibus.

XXIV. Decimò tertiò, pag. 44. non minùs infeliciter quàm imperitè aſſerit electiones non eſſe juris divini præcipua ejus ratio, quod nullum de Prælatis eligendis extat præceptum in Evangelio: quæque actorum 1. habentur de electione B. Mathiæ & cap. 6. de Diaconis, ait eſſe dumtaxat exempla & facta, quæ vim legis nequaquam obtinent: & B. Mathiam non tàm ab Eccleſia quàm à Spiritu Sancto ſuffectum fuiſſe in locum proditoris Judæ, quâ collectione potentiſſimam feneſtram, aperit hæreticis non modo ad Primatum, verum etiam ad confeſſionem Sacramentalem & alia permulta labefactanda, quoniam nullum de illis poſitivum & peculiare mandatum Chriſti legitur in Evangelio. An Profeſſor Regius Theologiæ ignorat Theologos duplex conſtituere jus divinum, ſicut cap. 2. hujus libri docuimus; primarium ſcilicet, quod præter lectionem aliquam ratiocinationem exigit, ut ex priori velut concluſio neceſſaria ex nativis principiis educatur. Certè eſt in confeſſio apud omnes Sacerdotium Chriſti & poteſtatem clavium in Eccleſia habitare ac eſſe juris divini poſitivi aut primarii: modus autem & oratio Sacerdotii atque juriſdictionis Eccleſiaſticæ

Digitized by Google

eleſiaſticæ propagandæ ad jus divinum ſecundarium ſpectat: quoniam quod dat eſſe, unà dat conſequentia ad eſſe. Et quamquàm Vallius ore ſit duriſſimo, illum tamen negaturum non arbitror hanc propoſitionem ad jus divinum pertinere, *Sede Apoſtolica vacante, electio ſummi Pontificis debet fieri.* Enimverò cujuſcumque rei inſtitutio eſt juris divini, ejuſdem quoque propagatio & conſervatio ad jus divinum ſecundarium pertinet. Itaque hinc neceſſariò relinquitur electionem Pontificis Romani non tantùm Apoſtolicæ, ſed etiam eſſe inſtitutionis divinæ. Verùm quæ eſt cauſa & ratio propagandæ dignitatis Pontificiæ, eadem & reliquorum Epiſcoporum. Hoc enim lex divina, naturalis & canonica propalant, quoniam ſtatus aut Principatus Eccleſiæ eſt electivus non hæreditarius, & Canones nullum aſſignant diſcrimen electionis Papæ atque aliorum Epiſcoporum ut 4. & 6. Canone Nicænis innumeriſque aliis liquet, hîcque meminiſſe oportet regulæ Auguſtini quam axiomate XII. apologiæ noſtræ propoſuimus: ſcilicet *quicquid recta ratio dictat peragendum, id pro certo Deum velle & inſtituiſſe.* Procul dubio delectus B. Mathiæ tota Eccleſiâ inſpectante miraculo confirmatus actorum 1. loco divini præcepti nobis eſſe debet: idque æquipollet præcepto, auctore Cypriano, cui multò potior fides quàm Vallio. Nam tota Eccleſia ut formam futuri regiminis propugnandi ad poſteros ſtatueret, duos legit, Barnabam atque Mathiam, quam electionem Spiritus S. authoravit. Certè acta Apoſtolorum hac in parte ſunt certiſſima atque evidentiſſima juris divini declaratio. Ex quo fit ut Patres antiqui doceant electiones juris eſſe divini: Cyprianus jam ſupra laudatus in reſponſione ad decimum argumentum Vallii ex epiſtola 68. probat, ſicut in lege Moſaïca ex divino præcepto Aaron & Eleazar coram tota ſynagoga ſiſtuntur, *ſic poſteà de divina auctoritate ſecundùm Magiſteria divina obſervavi in actis Apoſtolorum quando de ordinando in locum Judæ Epiſcopo Petrus ad plebem loquitur, &c. propter quod diligenter de traditione divina & Apoſtolica obſervatione, obſervandum eſt & tenendum, quod apud nos quoque & ferè per provincias univerſas tenetur, &c.* Ubi notandum hæc concepta verba *Magiſteria divina* Cypriano ſignificare præcepta divina: illis enim vocibus perſæpè utitur epiſt. 40. *quas nunc pœnas patior, fratres chariſſimi, ſecundùm Domini & Evangelii ejus Magiſterium exhortari non poſſum.* Item epiſtolâ 55. ad Cornelium. *Neque enim aliundè hæreſes obortæ ſunt, aut natæ ſchiſmata, quàm inde quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Eccleſia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Judex vice Chriſti cogitatur. Cui ſi ſecundùm Magiſteria divina obtemperet fraternitas univerſa, nemo adverſum Sacerdotum Collegium quidquam moveret.* Item ſub finem ejuſdem epiſtolæ. *Quamquàm ſciam, tantùm apud illos prævalere Magiſteria & præcepta divina, quantus illis in Deum timor eſt.* Item de bono patientiæ; *Patientiam quam Magiſteriis cæleſtibus diſcimus, obſequiis ſpiritualibus præbeamus, &c.* Quos locos Cypriani nunquam Redargutor legit, aut ſi legit non intellexit, alioqui nullam exciviſſet quæſtionem de mente & ſententia Cypriani. Porrò non abs re eſt, quòd S. Martyr his aliis utitur vocibus, *de divina auctoritate, de traditione divina ac Apoſtolica obſervatione obſervandum & tenendum, &c.* Sic enim indicare voluit Apoſtolos, non privato motu, ſed ſuaſione & auctoritate divinâ ſacras electiones frequentaſſe. At Cypriano ſuccedat Goffridus Abbas Vindeçinenſis Cardinalis S. Priſcæ opuſculo ſecundo ad Petrum Leonem Cardinalem,

Digitized by Google

qui de ſacris electionibus ad hunc modum diſſerit : *Inprimis* (ait) *firmiter credere nos oportet , & nullatenus dubitare , ut quemadmodùm Baptiſmus Chriſtianum facit, ita electio & conſecratio facit Epiſcopum : & ſicut eſt impoſſibile ſine Baptiſmate Chriſtianum fieri , ita & impoſſibile Epiſcopum ſine electione & conſecratione creari : in ordinatione Epiſcopi electio & conſecratio ſic eſt utraque neceſſaria, quod conſecratio ſine electione & ſine conſecratione electio Epiſcoporum ſola facere non ſufficit. Nam ſicut in Baptiſmate aqua & invocatio Spiritûs Sancti ſunt neceſſaria, quæ faciunt Chriſtianum : ita ordinando Epiſcopo electio & conſecratio ſunt neceſſitate conjuncta , quæ creant Epiſcopum. Et ſicut aquâ ſolâ aut ſolâ invocatione Sancti Spiritûs nec Baptiſmus fieri poteſt, nec homo eſſe Chriſtianus : ita ſolâ electione aut ſolâ conſecratione nemo ordinari vel fieri valet Epiſcopus. Magnum quidem & Baptiſmatis & electionis & conſecrationis Epiſcopi eſt Sacramentum: ſed illud præcepit & per alios facit Chriſtus, & hoc egit per ſemetipſum : In illo ſpiritualiter creatur homo, & à Chriſto Chriſtianus dicitur. In iſto verò Dominus & Imperator creatur Chriſtianorum, qui non ſolùm vocatus Chriſtianus à Chriſto, ſed etiam Chriſti vices agere creditur. Sciendum verò eſt quòd hic vel ubicumque de electione Epiſcopi agitur, Canonicam neceſſe eſt electionem & Evangelicam intelligi , ut qui benè electus eſt & juſtè conſecretur : alioquin fit quædam prava ſimulatio in Eccleſia, & Eccleſiaſticæ dignitatis illuſio non parva : nam quicumque canonicè non electus quaſi ſacrandus accedit, execratus recedit & falsò nominatur Epiſcopus, qui adnullare conatur electionis & conſecrationis ordinem, quem Chriſtus per ſemetipſum primus inſtituit : ipſe enim primus & elegit Apoſtolos & conſecravit; quos niſi priùs electos conſecrare non voluit, hoc ſanctum Sacramentum electionem videlicet & conſecrationem Apoſtolorum Chriſtus primus primum fecit, per quod cætera fierent Sacramenta. Nullus autem Apoſtolorum Apoſtolatum audacter appetiit, nullus eorum ſe impudenter obtulit eligendum. Tota itaque ordinatio Epiſcopi non in ſua ſed in aliorum electione conſiſtit & conſecratione : ſi tamen illam electio recta præceſſerit. Hæc autem priùs per ſemetipſum ut dictum eſt Chriſtus fecit : deindè verò Vicarii ejus. Et in Apoſtolis quidem à Chriſto facta ſunt, quoniam ab ipſo & electi & conſecrati fuerunt : in aliis verò omnibus à nullis aliis fieri licet, niſi Vicariis Chriſti. Sunt autem Vicarii Chriſti Clerici in electione, Epiſcopi in conſecratione. Cæteri omnes petere quidem Epiſcopum poſſunt, eligere verò vel conſecrare non poſſunt. Quicumque igitur alio modo quaſi ſub nomine Pontificis Eccleſiam vel poteſtatem Eccleſiaſticam ſibi vindicare præſumit; hic jam non per oſtium intrat, ſed aliundè aſcendit : ut meritò non inter Epiſcopos computetur. Iſte aliis benedictionem non porrigit, ſed peſtem & vulnus potiùs inferre videtur quàm ſalutem, qui tantâ præſumptione Dei maledictionem meretur. Nam Epiſcopus ſine Canonica electione eſt quaſi arbor ſine radice : arbor autem quæ radicem non habet, etiamſi folia habeat, fructum ferre nullatenùs valet, &c. Et omnis qui Sacramentis Eccleſiæ cæmento charitatis non jungitur, injuriam quidem Eccleſiæ facit, ſed quaſi paries luteus diſſipatur : qui licèt dealbari poſſit ad tempus, ejus ſubitâ diſſolutione, qui antè confidebant in eo premuntur. Hac igitur ſimilitudine rectè colligitur, quòd qui ad injuriam ſanctæ Eccleſiæ Eccleſiaſticum ordinem & maximè Pontificatum aſſequitur, ſuam deſtructionem inprimis, deindè populi mortem operatur, & tunc Eccleſia injuriam pariter ſuſtinet, & verecundiam, quando in eligendo Pontifice Canonica perit electio, & quod vita meritis, & ſapientiæ, doctrina atque ſacris ordinibus debetur, illis quaſi imponitur, quibus nec bona*

Digitized by Google

vitæ merita, nec ſapientia doctrina vel ſacri ordines ſuffragantur. Iſti terrenum imò paludoſum habent fundamentum; & ideò corruunt, qui tali fundamento ædificantur. De talibus enim dictum eſt in pſalmo, projeciſti eos dum allevarentur. Gravius nihil eſt apud Chriſtum Eccleſiæ injuriâ, cujus Sacramenta qui perversè ſuſcipiunt, cum Chriſto eſſe vel prodeſſe non poſſunt. Et aliquantò inferiùs, *ſunt quidem qui Romanæ Eccleſiæ omnia licere putant, & quaſi quâdam diſpenſatione, aliter quàm Scriptura præcipit eam facere poſſe. Quicumque itaque ſapit, deſipit: Nam Romana Eccleſia poſt Petrum minimè licet, quod Petro non licuit, Petro quæ liganda erant ligandi, & quæ ſolvenda ſolvendi, eſt à Chriſto data poteſtas: non quæ liganda ſolvendi, vel quæ erant ſolvenda ligandi conceſſa facultas. Petrus etiamſi aliquando aliter egit, Paulus licèt in converſatione novitius ei in faciem reſiſtere minimè timuit.*

Hâc Goffredi Cardinalis ſententiâ octo notatu digna comprehenduntur. Primò, illum hæc ſcripſiſſe ſub Gregorio VII. quo tempore ferro atque igne certabatur, ut ſacræ electiones reſtituerentur liberæ, & inveſtituræ abrogarentur. Secundò, demonſtrat electiones juris eſſe divini, ac ſpeciem Sacramenti præ ſe ferre; quia ſicut Baptiſmus habet aquam pro materia, & invocationem Spritus ſancti per horum verborum prolationem? *Ego te baptiſo in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti* pro forma; ſimiliter ordinationem Epiſcoporum habere electionem perſonæ pro materia & conſecrationem pro forma: ita ut alterum ſine altero nihil proſit: *Ut qui benè electus eſt, juſtè conſecretur*, ait, *alioquin fit quædam prava ſimulatio in Eccleſia, & Eccleſiaſticæ dignitatis illuſio non parva: nam quicumque canonicè non electus, quaſi ſacrandus accedit, execratus recedit, & falsò nominatur Epiſcopus, &c.* Tertiò, obſervat Chriſtum eligendo Apoſtolos atque diſcipulos ſacras inſtituiſſe electiones, deindè eoſdem conſecraſſe, quando ſuum communicavit Sacerdotium; adeò ut illos minimè ordinarit, niſi poſt electionem præviam, & hinc innoteſcit Cardinalem Vindocinenſem tenere poteſtatem clavium toti Eccleſiæ collatam unà cum Sacerdotio Chriſti. Quartò, Ordinationem Canonicam Epiſcopi ab electione & conſecratione Canonica pendêre; neminemque ſe ad hoc intrudere, ſed legitimè vocari oportere: ſicut Apoſtoli & diſcipuli vocati ſunt à Chriſto. Quintò, electionem & conſecrationem Epiſcoporum à Vicariis Chriſti duntaxat fieri poſſe, Vicarios autem Chriſti in electione quidem eſſe Clerum, in conſecratione Epiſcopos: quod capi debet juxta formam introductam, ubi Canones Nicæni in deſuetudinem venerunt: quoniam Eccleſiæ primitivæ temporibus, Epiſcopi deligebantur à Clero & populo diœceſis & ab Epiſcopis Provinciæ, ut ſupra docui, deindè conſecrabantur manuum impoſitione, de qua lib. 4. Sextò quod ait cæteros omnes, id eſt, Principes & populum petere quidem poſſe Epiſcopum, eligere verò non poſſe, æquivocatione laborat; ſi enim de activa electione capiatur, verum eſt; ſi de activa & ſubjectiva, hoc eſt de conſenſu & teſtimonio Laïcorum in ſacris electionibus, falſum, ut ſupra notavimus. Septimò, valdè dignum videtur obſervatione, *illos qui abſque Canonica Electione etiam ſub nomine Pontificis Eccleſiam vel poteſtatem Eccleſiaſticam ſibi vindicare præſumunt, jam non per oſtium intrare, ſed aliundè aſcendere, ut meritò non inter Epiſcopos, ſed inter fures & latrones computentur; neque benedictionem, ſed peſtem & Dei maledictionem po-*

Digitized by Google

pulo inferre. Octavò, perhibet nullo modo licere Romanæ Eccleſiæ ſacras electiones abrogare, & quicumque aliter ſentit, deſipere; quæ omnia vellem Redargutor cum ſuis erroneis & temerariis opinionibus concordaret: nam lib. de ſuprema poteſtate parte 1. quæſt. 2. verſùs finem, ait, *eſſe in Pontificis poteſtate jus Eccleſiaſticum aut in parte aut in totum abrogare & de eo cum Fidelibus ut viſum fuerit diſpenſare.* Et parte 3. quæſt. 6. verſus finem, *Pontificem Romanum Epiſcopatus & reliqua beneficia conferendo, nihil quicquam contra jus divinum & naturale peccare: ſed pro ſuæ poteſtatis plenitudine lectiones antiquas abrogare potuiſſe.* Quæ omnia huic falſo principio quòd Papa ſit abſolutus Monarcha Eccleſiæ. Cardinalis de Alliaco lib. de Eccleſiæ auctoritate parte 1. quæſt. 3. docet etiam electiones eſſe juris divini & naturalis. *Quando Chriſtus præfecit B. Petrum omnibus Chriſtianis*, ait, *dans ſibi poteſtatem ut ubi vellet ſedere, eligeret, ita ut eſſet quodammodò proprius illorum Epiſcopus, non privavit illos jure naturali largè ſumpto, quod omnibus competit, quibus eſt aliqua præficienda poteſtas, ſive ſæcularis, ſive Eccleſiaſtica: videlicet eligendo ſibi Rectorem, niſi per illos quibus eſt præficienda hujuſmodi poteſtas, vel per eorum ſuperiorem contrarium ordinatur. Ergo cùm B. Petrus elegerit Sedem Romæ, ſequitur quòd Romani habent jus eligendi Succeſſorem B. Petri qui eis præficiendus eſt in ſpiritualibus, & habent Romani ex jure naturali largè ſumpto, ut ſupra tactum eſt, & per conſequens ex jure divino extendendo jus divinum ad quodcumque jus naturale, ex eo ſcilicet, quia tale jus eſt à Deo conditore.*

Gerſonius de vita ſpirituali animæ ſecundâ lectione Corollario 7. ſub finem, ait *hanc propoſitionem eſſe purè juris divini; Sede vacante electio ſummi Pontificis fieri debet*, hanc verò aliam pertinere ad jus divinum ex quadam neceſſaria connexione. *Electio ſummi Pontificis* ſpectat ad Cardinales, ratio eſſe videtur, quòd univerſalis Eccleſiæ conſenſu hæc forma eligendi per Cardinales introducta ſit. Cardinalis Cuſanus diffuſior eſt in hac materia, ut capite 5. probavimus: lib. autem 2. cap. 32. de concordantia ante medium dicit *omnem curam reformationis ſtare in hoc, ut Præſides, Rectores & Gubernatores boni conſtituantur, quoniam ſi lex quæ animata eſſe debet in terris bona non eſt, quale periculum ſubjectis immineat facilè ſcire quiſque poteſt.* Deinde aliquantò poſt aſſerit, *electiones de divino jure eſſe, præſertim quòd invitus Epiſcopus non detur populo, & conſequenter eſſe contra omnem rationem dare non expetitum.* Et aliquantò inferiùs. *Undè licèt Romanus Pontifex aliquando pro neceſſitate vel utilitate Eccleſiæ laxare poſſet præcepta Canonica quæ nullatenùs mutilanda ſunt, his caſibus ceſſantibus, ut hoc Innocentius & Gelaſius dicunt quæſt. 7. Can. Etſi illa, & cap. Quod pro remedio; tamen omnia jura electionis tollere penitùs & ſuæ diſpoſitioni reſervare Eccleſiaſticarum rerum diſpoſitionem puto Papam non poſſe, quoniam electio divini & humani juris eſſe & præceptum Dei eſt, cui Papa obedire tenetur, qui terminos Patrum transferre non debet.* Gilbertus Genebrardus libello *de jure ſacrarum electionum* cap. 3. diſertè aſſerit electiones juris eſſe divini, in eamque rem profert D. Cypriani teſtimonium epiſt. 68. ſupra laudatum. Cardinalis Bellarminus ſupra cap. 4. prolatus ex lib. 1. de Rom. Pontifice cap. 12. circa medium perhibet electiones inſtitutas à Chriſto, dum aſſerit, *Claves dari à Chriſto in electione Pontificis non novâ traditione, ſed antiquâ inſtitutione.* Quam ſententiam à Cajetano fermè ad verbum mutuatus eſt, lib. de inſtitutione

Digitized by Google

Pontificatus cap. 3. circa medium. Cùm Papa eligitur (inquit Cajetanus) *nec ſecum adfert claves, neque ab Eccleſia illas accipit, ſed à Chriſto, non novâ traditione, ſed antiquâ; illâmet quâ tradidit Petro : Eccleſia ſiquidem miniſterio electionis perſonam deputat, quæ Petro ſuccedat. Chriſtus autem in B. Petro cuilibet Succeſſori claves tradidit.* Hæc Cajetanus. Cùm igitur Dominus claves tradat, dum Pontifex canonicè eligitur, oportet electiones inſtitutas eſſe à Deo tanquam medium ad propagandas claves neceſſarium, juxta Cajetani & Bellarmini opinionem : quod enim dat eſſe, dat conſequentia ad eſſe. Hic ego diſputo ad hominem, ut loquuntur in ſcholis.

Decimò quartò, pag. 48. Elenchi probare laborat teſtimonio Cardinalis Alliaceni & Almaïni antiquam formam eligendi legitimè & canonicè ad hodiernam nominationem & collationem redactam à ſummo Pontifice, quos auctores quia græcâ fide caſtratos atque mutilos exhibet, iteratoque ſub finem ſui Elenchi profert : nos ibidem de illis ex rei veritate dicemus.

XXV. Sed ut hanc diſputationem de ſacris electionibus in pauca reducamus : primò, tenendum illas quoad rem & ſubſtantiam juris eſſe divini & naturalis : quoad modum verò & exiſtentiam, ſæpè variaſſe apud diverſas nationes, pro varietate locorum atque temporum : ſiquidem moralia & politica ſunt mutationi obnoxia, quamquàm à Deo inſtituta. Secundò, notandum ſucceſſiſſe miſſioni & vocationi factæ à Domino de Apoſtolis & diſcipulis, & continuò Apoſtolos elegiſſe & miſiſſe Epiſcopos, Presbyteros atque Diaconos : adeò ut jure dici poſſit electiones eſſe tanquàm divinum ſeminarium & legem animatam Eccleſiæ, quorum ope ſi ulla unquam ſolida Eccleſiæ reformatio certè futura eſt. Nam teſte B. Ambroſio epiſt. 82. ad Eccleſiam Vercellenſem circa medium, *in Paſtore vita formatur omnium, eligiturque ex omnibus qui medeatur omnibus.* Optima enim vita Paſtorum diſciplina eſt omnium maximè efficax. Tertiò, antiquitus nullos Epiſcopos & Sacerdotes ordinari conſueviſſe, niſi priùs à Clero & populo canonicè electos, & Clerum jus quidem activè, populum autem paſſivè eligendi, ac ſeſe liberè ſubjiciendi, electis Paſtoribus retinere ſolitos, eoque jure nullo modo privari poſſe. Quartò, duplicem eſſe viam propagandæ Eccleſiæ & conferendorum beneficiorum, ordinariam ſcilicet atque extraordinariam, quarum hæc locum habet duntaxat in prima Eccleſiarum fundatione, aut ubi aliqua evidens ac urgens neceſſitas occurrit, quæ Eccleſiam ad eas adigit conditiones, ut loco juris communis & ordinarii jure extraordinario uti oporteat. Cujus neceſſitatis cognitio, ſicut & cætera moralia & politica ab veræ & non fictæ aut ſimulatæ prudentiæ regulis dependet. Cæterum hodie Eccleſiam redactam eſſe ad jus extraordinarium. Quintò, via propagandi Sacerdotii Chriſti per jus commune & ſacras electiones ſine ullo labore, ſumptu & circumcurſatione exterarum Provinciarum demonſtrat quidem à priori regimen Eccleſiæ eſſe Ariſtocraticum, & ſtatum ejuſdem eſſe electivum non hæreditarium, & continuò omnes reſignationes in favorem quibus cuncti abuſus hodie foventur, eſſe peſtilentes & ſimoniacas : *ſiquidem non valent niſi ex communi errore quod facit jus :* nempè Papam tanquàm abſolutum Monarcham Eccleſiæ hanc labem ſimoniæ, quæ maximo eſt quæſtui Curiæ Romanæ eluere. Profectò niſi quæſtui eſſent ejuſmodi reſignationes, non ita probarentur

Digitized by Google

Romæ. Sextò, cùm ſtatus aut principatus Eccleſiæ ſit electivus, nulla quidem poteſt dari ratio cur hodie per ſacras electiones uni Romanæ Eccleſiæ quæratur & detur Epiſcopis aliis verò Eccleſiis non. Item ſeptimò, Lector obſervabit in regno Franciæ nullos infeſtiores fuiſſe *libello de Eccleſiaſtica & politica poteſtate* ejuſque auctori, quàm Eccleſiaſticos quibus ſacrarum electionum abrogatio & diſciplinæ Apoſtolicæ corruptela magno & notiſſimo erant emolumento : hinc illæ querelæ Cardinalis Perronii in ſacro Regis conſiſtorio de quibus lib. 2. cap. 2. hujus defenſionis.

XXVI. Verùm quando certiſſimum eſt Clerum & populum hoc fine & propoſito Paſtores ſibi deligere, ut officio ſuo aſſiduè & perſonaliter non per Vicarios excubent : hercle diſputationi de ſacris electionibus quæſtio de Paſtorum reſidentia adnaſcitur. Quocirca videndum eſt utrùm juris ſit divini, an Eccleſiaſtici tantùm. Quæ res nunquàm controverſa fuit, quamdiu ſacræ electiones fuerunt in uſu. Illis autem abrogatis ubi homines obnoxii perſpexerunt ſummam manum abſolutæ monarchiæ impoſitam, & Papam velut abſolutum Eccleſiæ monarcham ac dominum, omnia beneficia, atque ipſos Epiſcopatus conferre, iſtinc cauſæ ſuæ firmamentum hauſerunt, ut probarent reſidentiam non eſſe juris divini, ſed humani per Papam diſpenſabilis : qua de re per ſex integros menſes velitatum in Synodo Tridentina nec quicquam reſolutum eſt. Quæ noſtri ſæculi fœlicitas eſt? Porrò, reſidentiam juris eſſe divini probat Cajetanus 2. 2. quæſt. 185. art. 5. cui hoc præfixit argumentum S. Thomas. *Utrùm liceat Epiſcopo propter aliquam perſequutionem corporalem deſerere gregem ſibi commiſſum.* At in Synodo Tridentina frater Bartholomæus Caranza Miranda Dominicanus qui ſummam ſcripſit Conciliorum , Jacobus Naclantius Epiſcopus Elagienſis & Dominicus à Soto etiam Dominicanus conformiter ad propoſitum Cajetani diſputarunt, ac privatos tractatus ediderunt. Soti diſputationem habes lib. 10. de juſtitia & jure. Dehinc Franciſcus Turrianus eandem viam trivit, antequàm nomen dediſſet Sodalitio Jeſuitico, & cum Ambroſio Catharino Polito Dominicano Minorenſi Epiſcopo manus conſeruit. Cæterum Tridenti frequentes fuerunt qui reſidentiam juris eſſe tantùm Eccleſiaſtici propugnarunt. Maximè Itali, quorum duo opuſcula ſuper hac controverſia elucubrarunt Thomas Campegius Epiſcopus Feltrenſis & Ambroſius Catharinus Epiſcopus Minorenſis. Dehinc Leonardus Venetus Canonicus Regularis etiam ſymbolam ſuam contulit, potiùſque ad Campegii & Catharini, quàm ad aliorum ſententiam declinat. Ego quidem axiomate xxxv. apologiæ de Paſtorum reſidentia diſſerui, atque juris eſſe divini & naturalis oſtendi; quocirca illinc fundamenta petenda ſunt, ne eadem videar iterare : *præcipuum & à quo cætera pendent eſſe Chriſtum ſolam dediſſe poteſtatem miniſterialem, non dominium aut potentatum aliquem Eccleſiaſticis : atque illos ſacris electionibus canonicè conſtitui voluiſſe, & conſequenter teneri perſonaliter ad reſidendum, quoniam nullus miniſter poteſt ordinare ſuum miniſterium atque officium implere per Vicarios.* Quâ de cauſâ paſſim Scripturæ munus Paſtorum deſignant per nomina jugis atque continui actus, uſus atque officii, exercitii & perſonalis præſentiæ ac miniſterii. Cætera depulſione argumentorum Campegii & Catharini ſatis patebunt.

Primò, ex doctrina S. Thomæ & rei veritate ſtatuunt jus divinum id eſſe propriè

Digitized by Google

quod Deus proprio ore loquutus eſt ac expreſſit; atque ex eo quod ſic expreſſum eſt, manifeſtam & neceſſariam conſequentiam deduci oportere, ita ut non ſit opus alio novo præcepto, quoniam ut ait Catharinus, in illo undè deducitur ſatis continetur. Exempli gratiâ, quoniam Chriſtus injungit ut proximum diligamus ſicut noſmetipſos Mathæi 5. ex hoc præcepto clarè deducitur, uſuram jure divino prohibitam; tametſi nullum aliud de illa haberemus præceptum prohibitivum ſubinfert Catharinus eo ipſo quod Chriſtus dixit *qui vos ſpernit me ſpernit*, non continuò ſequi omnia quæ jure Canonico nobis præcipiuntur juris eſſe divini: ut enim aliquid ſit juris divini, oportet ſuper illum præceptum manifeſtum cadere, & non ſuper neceſſitatem obtemperandi. Quare concludit quæſtionem in eo verti, an ex aliquo expreſſo Dei præcepto vi conſequentiæ evidentis & neceſſariæ elici poſſit reſidentia perſonalis.

Secundò, Campegius ait reſidentiam eo modo poſſe dici juris eſſe divini, quo decreta Conciliorum & Pontificum, quia inſtinctu Catholico Patrum conſenſu ſtatuuntur: Catharinus autem contendit nullo Scripturæ loco videri præcipi: & ideò jura ipſa Canonica dum Epiſcopos non reſidentes vituperant, id non facere, non quaſi contra jus divinum, ſed contra Canonum inſtituta faciant.

Tertiò, quidquid ſuaptè natura mutabilitatem & varietatem recipit materiæ gratia, & ab Eccleſia determinationem accipit; quantò ad hoc non eſt juris divini, ſed Eccleſiaſtici. Exempli gratiâ, confeſſio peccatorum juris eſt divini quoad ſubſtantiam; quod verò tali tempore, tali modo, &c. fiat, hæc ſpectant ad jus Canonicum. Quòd autem reſidentia Epiſcopi, id eſt, aſſiduitas ejus ſit ſubjecta varietati coactus eſt fateri Cajetanus.

Quartò, ſtatuunt Epiſcopatum quoad ordinem, & conſequenter etiam curam & officium Epiſcopale eſſe de jure divino, quia inventum & inſtitutum eſt à Chriſto, qui dixit Petro, *paſce oves meas*; atque alios Apoſtolos fecit pariter Epiſcopos cùm dixit, *ſicut miſit me Pater & ego mitto vos.* Et hinc ſequitur quòd Epiſcopatus aut poteſtas Epiſcopalis nullo modo tolli poteſt ab Eccleſia, quoniam eſt divinæ inſtitutionis & immediatè à Chriſto.

Quintò, concludit Catharinus unum dumtaxat eſſe Epiſcopum verbo Chriſti inſtitutum: licèt enim Dominus omnes Apoſtolos ſuos crearit Epiſcopos, nullus tamen illorum ſucceſſorem habuit tanquàm ipſius verbis inſtitutum, niſi ſolus Petrus; quia quod dictum illi eſt, paſce oves meas, non minùs dictum fuiſſe ſucceſſoribus cenſeri debet.

Sextò, Catharinus contendit omnes particularium Eccleſiarum Epiſcopos præter Petrum, id eſt Romanum Pontificem habere ſuum Epiſcopatum, aut quòd ſint Epiſcopi ab ipſo Petro; non tamen quòd ſint tanquàm ab illo delegati, aut ejus Vicarii, ſed tanquàm ordinarii, creati tamen ab illo; Nam in univerſali cura Petro commiſſa hoc ſimul continebatur ut provideret particularibus Provinciis & Civitatibus, de Epiſcopis. Cùm ergo jure divino unicum dumtaxat ſit univerſale ovile cujus Paſtor eſt Petrus & Romanus Pontifex Petri ſucceſſor, certè ejuſdem eſt diœceſes & particularia ovilia dividere & conſtituere, atque etiam unire: & ſicut habet imponere curam, ita etiam à cura abſolvere & mutare perſonas; atque arbitrari de cura & reſidentia, ſicut viderit Eccleſiæ expedire. Quapropter S. Thomas docet;

Digitized by Google

quòd omnis poteſtas, præſertim ſpiritualis in mundo à ſuprema poteſtate Papæ dependet : undè omnes dicere poſſumus, quòd de plenitudine ejus omnes accepimus. Si igitur mea Epiſcopalis poteſtas non eſt immediatè à Deo, ait Catharinus, ſed à ſummo Pontifice, certè Papæ providentia regulatur; hancque doctrinam omnem Chriſtianum debere non ſolùm concedere, ſed & profiteri perhibet.

Septimò, cùm nulla vox Dei faciat hunc vel illum Epiſcopum, ut dicamus immediatè illi datam eſſe curam à Deo, & conſequenter jure divino præceptam reſidentiam, ſine qua præſtari cura non poteſt, ſed hoc totum habeat à Petro & ab Eccleſia; profectò reſidentia Paſtorum eſt juris Eccleſiaſtici, non divini. Quamvis ergò Epiſcopatus abſolutè in ſe conſideratus, & cura illi annexa in genere juris ſit divini, tamen applicatio ipſius Epiſcopatus & cura huic vel illi Epiſcopo data, & quòd hunc vel illum habeat gregem & Epiſcopatum ſibi commiſſum non eſt immediatè à Deo, ſed à Petro, undè B. Paulus ut ſignificaret quomodò ſumus Epiſcopi *dixit, in quo vos poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei :* intelligens Spiritu ſancto fieri, quod per Epiſcopos ritè diſponitur. Itaque omnis obligatio Epiſcopi particularis circa curam gregis ſibi crediti ab illo deſcendit; à quo Epiſcopatum accepit : & continuò quoque normam curandi gregis ab eo debet accipere. Etſi autem ſit Petri & ſucceſſorum tradere poteſtatem & juriſdictionem, non tamen aliter tradere, quàm quemadmodùm ei tradita fuit, hoc eſt in ædificationem, non in deſtructionem, id eſt, ut paſcant greges non ſemetipſos. Quamobrem licèt ſit Petri Epiſcopos inſtituere & deſtituere ac mutare : non tamen hoc ei pro voluntate, ſed ex cauſa facere licet, prout viderit expedire in bonum Eccleſiæ; quòd ſi aliter faciat, non dicam tenere factum, ſed verè dicam de malefacto redditurum illum rationem in die Domini : hæc dixerim, ait Catharinus, ut lector intelligat quantùm interſit inter ea quæ juris divini ſunt, quæ ſcilicet ab ore Dei ſtatuta & immutabilia ſunt, & inter alia quæ immediatè veniunt ab Eccleſia, quoniam hæc poſteriora ſubduntur Pontificiæ poteſtati.

Octavò, licèt Epiſcopus particularis non teneatur curare gregem immediatè præcepto Dei, ac propterea jure divino; attamen quamprimum accepit Epiſcopatum, tenetur jure divino parère Petro, qui ei portionem ſui gregis in curam diſpartivit, & vocavit eum in partem ſolicitudinis : quia juris eſt divini illum Petro obtemperare : ſicut enim tenetur homo confiteri & communicare in ſolemnitate Paſchali, etiam ſub pœna damnationis æternæ, quamquam tamen hæc circumſtantia temporis Paſchalis non ſit juris divini, ſimiliter dicimus deberi curam & reſidentiam ab Epiſcopo, non quia juris eſt divini in hoc loco, ſed quia juris eſt divini Epiſcopum obedire Pontifici, quatenuus illi præcipit ut reſideat. Nam modum reſidentiæ Pontifex in ſuis Canonibus determinat, quoniam quæ hujuſmodi ſunt, mutationi & variationi ſubjecta ſunt, & ideò ad jus Eccleſiaſticum ſpectant, ſicut accidit in his quæ ſunt juris naturalis indeterminata, quorum determinatio ſpectat ad jus civile

Nonò, Catharinus concedit inſtitutionem Epiſcopatus eſſe juris divini & de jure divino habere annexam curam gregis. Nihilominùs applicationem Epiſcopatus ad hanc aut illam perſonam cum omni ſua obligatione ad reſidendum non eſſe immediatè

Digitized by Google

diatè à Deo, ſed ab homine. Et hic eſt locus in quo decipiuntur adverſarii (inquit:) putant enim eo ipſo quòd Epiſcopatus eſt de jure divino conſideratus in genere, continuò ſequi de ſingulis Epiſcopis, quòd & ipſi jure divino, hoc eſt à Deo immediatè inſtituti ſint, ita ut illorum Epiſcopatus & cura reſidentiæ non ſubjaceat poteſtati & arbitrio Papæ, ſicut verè non ſubjaceret, ſi jure divino hoc eſt à Deo immediatè commendaretur, ſicut & ex hoc quòd jejunium in genere eſt de jure divino, non ſequitur quòd jejunium quadrageſimale ſit de jure divino & conſequenter immutabile: ſimiliter ex hoc quòd reſpublicæ & magiſtratus rerumpublicarum ſunt juris naturalis, non ſequitur hunc & illum magiſtratum eſſe de jure naturali. Statuit ergo ſolum Epiſcopatum Romanum immediatè à Deo applicari perſonæ, id eſt Papæ; quoniam ſoli Petro dictum eſt à Chriſto, *ego tibi dabo claves regni Cœlorum, paſce oves meas, &c.* reliquos autem à Petro ipſo accipere claves aut ſaltem ſub Petro: quod dico (inquit) propter Apoſtolos, qui immediatè acceperunt claves à Chriſto, quoniam Chriſtus in hoc facto Petrum prævenit.

Decimò, quod objicitur Paſtoralem curam abſque perſonali reſidentia præſtari non poſſe, nullam habet evidentiam, ait: quoniam certum eſt Epiſcopos munera Epiſcopalia per Vicarium exercere poſſe, & plurimos caſus occurrere in quibus non ſolùm Epiſcopo abeſſe licet, verumetiam neceſſe eſt ut magis ſuæ privatæ & Catholicæ Eccleſiæ utilitati conſulat. Cujus rei innumeræ occurrunt hiſtoriæ, ut de B. Timotheo Epheſino Epiſcopo, qui juſſu Pauli Apoſtoli Eccleſiis ſervivit plurimis, ac ſeſe Romam ab Epheſo & Corintho non ſemel & iterùm Româ in Jeruſalem contulit.

Undecimò, Campegius adnectit, quòd ſi reſidentia foret de jure divino; cùm nemo poſſit in duobus locis reſidere, ſequi Romanos Pontifices nunquàm uni & eidem Epiſcopo duas potuiſſe Eccleſias committere; attamen B. Gregorium Agnello Fundorum Epiſcopo Terracinenſem Eccleſiam commendare, *atque adeò Cardinalem Sacerdotem ejuſdem Eccleſiæ Terracinenſis ita conſtituere, ut nihilominùs Pontifex Fundenſis Eccleſiæ quam priùs habebat eſſe non deſinat. 21 quæſt. 1. can. Relatio & can. Illud quoque. Item 16. quæſt. 1. can. Et temporis qualitas.* Similiter idem Gregorius Miſſenatem & Cumanum Epiſcopum unit. Inſtat Campegius, ſi Reſidentia juris ſit divini, B. Paulinum Nolæ Epiſcopum non potuiſſe totum gregem deſerere, ut ſeſe ad unicum filium cujuſdam viduæ redimendum ſervituti miniſtraret: de qua re S. Gregorius lib. 3. dialogorum accumulat, & S. Remigium non potuiſſe cum Rhemenſi Eccleſia Laudunenſem Eccleſiam regere, quod tamen feciſſe teſtantur hiſtoriæ, & præſertim Antonius 3. parte ſummæ, titulo 1. cap. 21. & hæc ſunt figmenta adverſariorum contra reſidentiam jure divino præſcriptam: dehinc tranſeunt ad reſponſionem argumentorum contrariorum, quæ priuſquam depellamus, operæ pretium eſt ſuperiora fundamenta diruere, quod perfacile eſt ex certiſſimis principiis Ariſtocratici regiminis lib. 2. & 3. hujus defenſionis conſtitutis. Enimverò Caranza, Naclantius, Dominicus à Soto, Turrianus, & alii quos ſupra enumeravi, cùm abſolutam Papæ Monarchiam quaſi jure divino conſtitutam mordicùs propugnent, certè Catharini & Campegii firmamenta neque demoliri neque probare poſſunt reſidentiam juris eſſe divini: ratio eſt, quoniam Catharinus & Campegius ſuam opi-

nionem ſolâ abſolutâ Papæ Monarchiâ fulciunt, quam alii nequidem extremis digitis audent attingere.

Cæterùm ut adverſarios ſuis armis oppugnemus. Primò decrevi demonſtrare quemadmodùm ex hoc divino præcepto, *diliges proximum tuum ſicut teipſum*, Mathæi 5. perſpicuè colligitur uſuram eſſe prohibitam, tametſi alio præcepto divino non interdiceretur, ſimiliter ex verbis & præceptis Domini neceſſitate evidentis ac neceſſariæ conſequentiæ clarè deduci reſidentiam intrinſecè ac eſſentialiter annexam eſſe miſſioni, inſtitutioni atque ordinationi Paſtorum. Ita ut nihil ſecundario præcepto opus ſit, quoniam hoc in primo undè elicitur ſatis clarè continetur: & inde dignoſcitur reſidentiam juris eſſe divini. Profectò hæc verba Chriſti, Mathæi 5. *Vos eſtis lux mundi, vos eſtis ſal terræ.* Item *quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in Cælo Mathæi 18.* & Joannis 20. *ſicut miſit me Pater & ego mitto vos, quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt. Item docete omnes gentes baptiſantes eos, &c. paſcite qui in vobis eſt gregem Dei, providentes non coactè ſed ſpontaneè ſecundùm Deum, neque turpis lucri gratiâ, ſed voluntariè, neque ut dominantes in Cleris, ſed formâ facti gregis ex animo 1. Petri 5. & actorum 20. attendite vobis ex univerſo gregi in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.* Item prioris ad Corinthios cap. 9. *ſi evangeliſavero, non eſt mihi gloria; neceſſitas enim mihi incumbit, væ enim mihi ſi non evangeliſavero.* Hæc inquam verba Domini & Apoſtolorum vim habent præcepti, quia aut ſunt jus divinum clarè poſitum à Deo, aut juris divini declaratio facta ab Apoſtolis: & inde evidenter ac neceſſariò colligimus curam paſtoralem & continuam reſidentiam eſſe perneceſſariam: & conſequenter jure divino præceptam: quoniam impoſſibile eſt ejuſmodi præcepta divina implere abſque perſonali reſidentia. Qui autem hâc de re ambigunt, iis perſimiles videntur, qui negarent ex lege & inſtituto naturæ notiſſimo atque evidentiſſimo oculum ſeipſo teneri, jugiter prælucere ac inſervire animalibus; quod enim eſt oculus corpori animalium, hoc ipſum ordo hierarchicus eſt in Eccleſia ſervatâ proportione rei naturalis ad moralem. Quocirca Dominus Mathæi 5. *Vos eſtis lux mundi, non poteſt civitas abſcondi ſupra montem poſita, neque accendunt lucernam & ponunt eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo ſunt. Sic luceat lux veſtra coram hominibus ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum qui in Cælis eſt.* Item 13. ad Hebræos, *obedite præpoſitis veſtris & ſubjacete eis, ipſi enim pervigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri.* Procul dubio lux abſens aut ſub modio deliteſcens & ſal longè ab hominum uſu ſepoſitum hoc ipſum eſt Paſtor non reſidens. An quiſquam poteſt canonicè ligare & ſolvere, remittere ac retinere peccata, id eſt pervigilare quaſi rationem pro animabus gregis redditurus, niſi ipſemet caſus & cauſas omnes ligandi atque ſolvendi diligenter perveſtigarit & cognoverit? quandoquidem in conceſſo eſt apud omnes judicium diſcretionis debere præire judicium auctoritatis & juriſdictionis, quia ut ait S. Leo 26. *quæſt. 1. Can. manet Petri privilegium, ubicumque ex ipſius æquitate fertur judicium.* Verùm æquitas accuratiſſimam rei indagationem deſiderat. Et his de cauſis Chriſto, ſolâ poteſtate miniſteriali ſpirituali, non abſoluto imperio Eccleſiaſticos donavit, voluitque inſuper Paſtores à Clero & populo deligi, ut cognoſcerent ſe jure divino & naturali ob-

Digitized by Google

ſtringi ad reſidentiam. Quotuſquiſque dives atque opulentus agricola quempiam opilionem paſtorem & miniſtrum ſuo præfecit gregi, ut ſecluſo caſu neceſſitatis gregem per Vicarium & mercenarium non per ſeſe perſonaliter paſcat? hercle paſtor qui pro gregis ſibi commiſſi cuſtodia Vicarium ſufficit, nec per ſe officium obit, à Domino abdicari & Vicarius in illius locum gregi præfici debet. Et ne hîc ſim in re clariſſima longior, vide xxxv. axioma apologiæ. Quòd ſi quiſpiam argutulus fortè objiciat, *vos eſtis lux mundi, vos eſtis ſal terræ* & cætera, quæ pro ſententiæ noſtræ firmamento poſuimus non pertinere ad præceptum; quoniam nullam vocem præceptivam aut imperativam continent: Reſpondebis aliqua quidem eſſe præceptiva aut imperativa, alia verò quamquàm voce non ſint, reipſa tamen eſſe; quatenùs purum putum actum, uſum, exercitium, ac juge & continuum officium naturâ ſuâ ſignificant. Undè nihil opus voce imperativâ aut præceptivâ, ſed duntaxat indicativâ & declarativâ officii: quoniam ut dixi oculus quem natura in capite animalium quaſi in arce & ſpecula ad pervigilandum collocat, unà eidem oculo præceptum atque imperium pervigilandi & aſſiduè præeundi ſicut miniſtro atque inſtrumento animalis dedit, eamque ob cauſam Dominus poteſtatem Eccleſiaſticam eſſe miniſterialem ſpiritualem, atque Epiſcopos & Papam ipſum oculis comparari. Quod autem Catharinus inſtat, hanc vocem Chriſti, *qui vos audit me audit, & qui vos ſpernit me ſpernit*, non efficere ut illa omnia quæ ab Eccleſiaſticis officiis aut ab Eccleſia ipſa ſciſcuntur vim præcepti divini habeant, fateor quidem & pluribus Gerſonio explicatur lib. de vita ſpirituali animæ, cujus Analyſim texuimus & ad calcem apologiæ noſtræ edi voluimus.

Ad ſecundum facilis eſt ſolutio ex reſponſione ad primum; & quamquàm in decretalibus Clericis non reſidentibus abdicatio vel quid ſimile non imponatur, indè tamen inferri non poteſt reſidentiam non eſſe juris divini; quoniam pœna debita violationi reſidentiæ ut juris eſt divini, divino tribunali reſervatur. Addo ampliùs interdum Canones declarare & continere præcepta divina & ſæpè divinis præceptis quemadmodum pœnæ contra tranſgreſſores addere. Quocirca multa vituperantur à Patribus antiquis velut facta contra Canones, quæ tamen non in Canones tantùm, ſed etiam in jus divinum impingunt; propterea quòd ejuſmodi Canones facti ſunt ad declarationem & inculcationem præceptorum Dei; ex quo fit ut aliquando divina præcepta vocentur etiam ſtatuta Patrum à Doctoribus Eccleſiæ.

Ad tertium argumentum ductum à mutabilitate & varietate, reſpondeo fallere ab Elenchi ignoratione. Duplex enim eſt jus divinum, alterum quod verſatur in materia neceſſaria, eſtque abſolutè immutabile, ut Sacramenta atque alia ejuſmodi: alterum, quod verſatur in materia morali & politica mutabili, quoad modum obſervationis, non quoad ſubſtantiam rei. Hinc fit ut Theologi conſtituant quædam præcepta quæ ad ſemper & pro ſemper, alia quæ ad ſemper & non pro ſemper obligant. Certè præceptum eſt juris divini *non concupiſcere rem, bovem, aſinum proximi, &c.* Nihilominùs caſus aliquis puta extrema neceſſitas non modò concupiſcentiam, verumetiam uſurpationem bonorum proximi reddit licitam ad neceſſitatis & vitæ ſuſtentationem: Item ut magis ad hominem argumenter atque urgeam adverſarios. Præceptum eſt divinum ut electio fiat ſummi Pontificis Sede vacante, attamen id intelligitur ſicut omnia alia moralia, prout prudens definierit & recta ratio

Digitized by Google

dictaverit: quando ſcilicet id Canonicè fieri poteſt: ex quo fit ut ſæpè legamus Sedem vacaſſe, aliquando duos, aliquando tres, & aliquando ſeptem annos. Quid ergo mirum reſidentiam Paſtorum, quæ res eſt moralis & politica, modum recipere à prudentia & recta ratione, ac varietati ſubjectam eſſe? Profectò Epiſcopus non eſt magis Eccleſiæ ſuæ obligatus, quàm vir conjugi: Et quamvis connubium ſit individua viri cum uxore conjunctio, ac individuam vitæ conſuetudinem importet, nihilominùs poteſt maritus juſtis de cauſis ab uxore ſua aliquamdiu abeſſe, ut rectè ait Gentianus Hervetus epiſtolâ ad Salmeronem.

Quartum argumentum nihil habet difficultatis quod nos morari debeat.

Quintum in petitionem principii impingit, nihilque probat: ſupra docui ex ſacra Scriptura & communi conſenſu Patrum, omnes Epiſcopos eſſe individuè & in commune omnium Apoſtolorum atque etiam ipſius Petri ex æquo ſucceſſores, ſicut & humanum Epiſcopum, hocque nihil derogare Primatui Pontificis.

Sextum ſimiliter nihil probat, ſed ſupponit Petrum ejuſque ſucceſſores tanquàm abſolutos Eccleſiæ Monarchas poſitos fuiſſe à Chriſto, juxtà opinionem S. Thomæ & aſſeclarum, quam lib. 3. demoliti ſumus. Eſt enim merum commentum ſacræ Scripturæ, doctrinæ Patrum & praxi Eccleſiæ primitivæ ſub octo primis univerſalibus Conciliis obſervatæ penitùs contrarium. Hîcque Catharinus ex facto, id eſt ex hodierna praxi Curiæ Romanæ, quæ Eccleſiæ Catholicæ jura ſibi vindicat, de juris quæſtione ſtatuit, ut aliorum argumentorum ſolutione patebit. Cæterum omnis poteſtas ſpiritualis toti Eccleſiæ Sacerdotali vel ordini hierarchico, non uni Petro credita eſt, ut fingunt Thomiſtæ; de qua re aliàs abundè diximus, atque oſtendimus *Papam per & propter Eccleſiam* more aliorum Epiſcoporum habere claves & miniſtrum eſſe, non Dominum aut abſolutum Monarcham Eccleſiæ. Cæterum quod ait Catharinus, ſuam Epiſcopalem poteſtatem non eſſe immediatè à Deo ſed à ſummo Pontifice, toto errat Cælo, quandoquidem poteſtas Epiſcopalis duo dicit, ordinem ſcilicet aut characterem & titulum vel diœceſim, aut populum ipſum gerendum: quorum neutrum eſt à Pontifice. Nam ordo immediatè procedit à Deo per Eccleſiæ Sacerdotalis miniſterium, ſicut gratia Baptiſmi & aliorum Sacramentorum à Spiritu ſancto per miniſterium Presbyterorum derivatur: undè & ipſe Papa ordinem atque characterem Epiſcopalem habet ab Eccleſia more aliorum Epiſcoporum. Porrò qui eſt ordine Epiſcopali donatus, poteſtatem habet Epiſcopalem habitu quidem & in actu ſignato, nihilque ei deeſt præter exercitium atque exequutionem quæ confertur, quando Epiſcopo datur materia, populus & diœceſis. Olim quidem dum ſacræ electiones vigebant, titulus Epiſcopalis & materia per Cleri & populi electionem conferebatur, quæ electio ſucceſſit miſſioni factæ à Chriſto, ut aliàs docui: ſed proh dolor! Curia Romana nullum unquam quietum ſpiritum ducere voluit, præſertim à ducentis annis, quandiu ſacras electiones ſtare atque obſervari vidit, aliâ enim ratione ſuam abſolutam monarchiam architectari non poterat. Quid ergo Catharinus Epiſcopus Minorenſis habet à Pontifice? populum & diœceſim regendam ſcilicet; quoniam ut dixi, abrogatis electionibus Romani Pontifices in Cleri & populi jura invaſerunt. Clerus autem & populus cùm ſibi Paſtores cooptarent, illos ad perſonalem reſidentiam & actu paſcendum gregem, non ut evagarentur, & curiam Principum ſectaren-

Digitized by Google

tur, deligebant : at curia Romana illos ſola voluit deligere, *ut Romæ Epiſcopi perpetuo verſarentur, ne vileſcat curia Pontificis, ne deſint Cardinalibus anteambulones. O tempora! O mores!* inquit Bartholomæus Caranza, qui aliquos in Tridentina Synodo hæc ipſa dicentes ſe audiviſſe narrat tractatu quem ſcripſit de reſidentia, & ita *jam Epiſcopi per & propter curiam Romanam non per & propter Eccleſiam* eſſe videmus. Undè omnes Epiſcopi ſe non ut antea *ſolius Dei, ſed etiam ſanctæ Sedis Apoſtolicæ gratià factos Epiſcopos*, meritò quidem prædicant & gloriantur, & hoc ipſum eſt quod Catharinus venditat, *ab operibus eorum cognoſcetis eos*, inquit Dominus, nam curiæ quàm Eccleſiæ Epiſcopos eſſe potiùs exoptant.

Ad ſeptimum quinque reſpondeo : Primum quod perhibet, nullâ Dei voce Epiſcopalem curam immediatè concedi à Deo, & conſequenter reſidentiam non eſſe juris divini, &c. vehementer fallitur, cùm enim jure divino Eccleſia propaganda ſit ad poſteros, ut electio ſummi Pontificis declarat, hîc ego argumentor ad hominem, quoniam abſolutæ monarchiæ patroni hoc principium certiſſimum & fide Catholicâ tenent, ut reverà tenendum eſt: profectò quæcumque dicta & præcepta ſunt Apoſtolis atque diſcipulis, dicta quoque eorumdem ſucceſſoribus creduntur & intelliguntur. Alioqui Eccleſia jam pridem & ab ſui ortus initio deperiiſſet, aut ſaltem non eſſet ejuſdem ſpeciei cum Apoſtolica Eccleſia, quod dicere hæreticum eſt, undè hæc verba ad omnes Epiſcopos æquè pertinent quàm ad Apoſtolos. *Quæcumque alligaveritis ſuper terram erunt ligata & in Cœlis, ſicut miſit me Pater & ego mitto vos : accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, ite docete omnes gentes baptiſantes eos, &c. hoc facite in meam commemorationem Lucæ 22. vos eſtis lux mundi, vos eſtis ſal terræ.* Et alia quæ in reſponſione ad primum argumentum explicavimus Quibus quidem demonſtratur Paſtores obligari ad pervigilandum, tanquàm rationem reddituros pro animabus populi ſibi commiſſi; & conſequenter teneri ad perſonaliter reſidendum, atque aſſiduò incubandum officio. Siquidem ab Chriſti Sacerdotio communicato Eccleſiæ his verbis *hoc facite in meam commemorationem*, tota Epiſcopalis poteſtas quoad habitum & in actu ſignato manat, & conſequenter etiam cura quæ neceſſariò Chriſti Sacerdotium ad actuum hierarchicorum functionem ſequitur. *Quod enim dat eſſe, unà dat conſequentia ad eſſe.* Enimverò ubi eſt ſemel fundata & conſtituta Eccleſia, Chriſti promiſſa & chariſmata æternùm durant & durabunt. Quarè, Mathæi ultimo pollicetur ſe futurum cum Eccleſia ad conſummationem ſæculi. Secundò, negatur Catharino præceptam reſidentiam totam eſſe à Petro & ab Eccleſia, & continuò juris eſſe Eccleſiaſtici non divini; hoc enim falſum eſſe claret ex antecedentibus & præſertim ex reſponſione ad primum, necnon etiam aliis quæ infra ſuo ordine dicentur. Accedit inſuper intrinſecè atque eſſentialiter annexam eſſe miſſioni, inſtitutioni atque ordinationi Paſtorum. Tertiò, quod ait de Epiſcopatu abſolutè & in genere & quoad applicationem conſiderato, facilè intelligitur & ſolvitur ex reſponſione ad ſextum argumentum; in quo notavimus Epiſcopatum duo dicere, ordinem aut characterem & titulum vel diœceſim, atque ordinem immediatè à Deo manare per Eccleſiæ miniſterium; deindè titulum & diœceſim conferri per electionem Cleri & populi; & conſequenter etiam curam paſtoralem & reſidendi partim eſſe a Deo ordinem conferente; partim à Clero & populo qui ſibi jure divino & na-

Digitized by Google

turali Paſtorem cooptat, ad perſonaliter reſidendum & pervigilandum in ſalute gregis, ſicut videmus opulentum Agricolam, Paſtorem atque Opilionem legere, qui gregem ſuum perſonaliter non per Vicarium cuſtodiat, ſecluſo caſu neceſſitatis: mera ergo ſunt figmenta & petitiones principii quæ hîc commemorat Catharinus ex praxi hodierna Curiæ Romanæ de tota quæſtione juris ſtatuens. Quartò, verba ſancti Pauli Actor. 20. *Attendite vobis & univerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, &c.* demonſtrat Epiſcopos immediatam habere auctoritatem à Deo & Spiritu ſancto. Cùm enim Dominus ſuum Sacerdotium & Epiſcopatum crediderit toti Eccleſiæ Sacerdotali indiviſim & in commune, ut per Eccleſiæ miniſterium propagaretur ad poſteros operatione & virtute Spiritûs ſancti, ſicut de Sacramentorum adminiſtratione diximus paulò antè: inſurgit Epiſcopos ritè & canonicè ordinatos ab Eccleſia immediatè inſtitutos & poſitos eſſe à Spiritu ſancto. Quarè Ambroſius jam aliàs laudatus à me in ſuo Paſtorali. *Quis dat, frater, gratiam Epiſcopalem (inquit) Deus, an homo? Reſpondeo ſine dubio, Deus: ſed tamen per hominem dat Deus, homo imponit manus, Deus largitur gratiam, Sacerdos imponit ſupplicem dexteram, & Deus benedicit potenti dextrâ: Epiſcopus initiat ordinem, & Deus tribuit dignitatem.*

Concludamus igitur ſicut diviſio & proprietas bonorum, quamquàm jure gentium introducta, tamen ubi ſemel poſita eſt jure naturæ vindicatur: ita quamquàm diſtributio & limitatio Epiſcopatuum atque diœceſeum, non jure divino, ſed Eccleſiaſtico inſtituta ſit, nihilominùs poſtquàm eſt conſtituta juris eſſe divini & naturalis, ut unuſquiſque Epiſcopus in ea reſideat, & pervigilet diœceſi quæ illi regenda obtigit. Quintò, ſemper continuat in Elencho à petitione principii, dum comminiſcitur eſſe Petri & Succeſſorum ejus Epiſcopos inſtituere & deſtituere ac mutare: hoc enim Pontifici arrogat quod eſt proprium Eccleſiæ, cui Chriſtus ſupremam & architectonicen poteſtatem ſpiritualem contulit; adeò ut etiam ipſum Papam inſtituat Epiſcopum & Papam, atque in certis caſibus deſtituat 4. & 5. ſeſſione Conſtantienſis Synodi.

Octavum nihil penè probat, ſed in Elenchum à petitione principii alludit, quaſi Papa eſſet abſolutus Eccleſiæ Monarcha; cæterùm quia Pontifex poteſtatem habet ſuper particulares Eccleſias ad juris divini, naturalis & Canonici exequutionem, fateor quidem Epiſcopos in hoc caſu teneri Petro & ejus Succeſſoribus obtemperare, aliâ lege id pernego. Et cùm Eccleſiæ regimen ſit Ariſtocraticum, Papa ſecluſo conſenſu Eccleſiarum non poteſt leges ferre, quæ vim obligandi Eccleſias habeant. Hinc verò facilè datur intelligi, quâ ratione modum reſidentiæ determinare debeat, nimirùm ut juris divini, naturalis & Canonici vindex atque exequutor, non ut Monarcha abſolutus & Dominus gregis.

Nonò, ſemper eandem cantilenam perſonat Catharinus, cujus argutiæ plus ſatis reſponſione ad ſextum & ſeptimum depulſæ ſunt. Quod verò ſuas argutias comparatione Reipublicæ & Magiſtratuum confirmare laborat, herclè decipit aut decipitur ab Elenchi ignoratione, quoniam Chriſtus Sacerdotium ſuum in duos diſtinctum ordines, Epiſcopalem & Presbyteralem, ita communicavit Eccleſiæ, ut llos ordines immobiliter ad regendam Eccleſiam permanere voluerit. At non ita

Digitized by Google

eſt de poteſtate politica, quæ licèt quoad inſtitutionem & ſubſtantiam juris ſit divini immobilis, tamen ſubjectivè & quoad exercitium eſt in Democratiam, Ariſtocratiam & Monarchiam variabilis & mutabilis. Demùm quod ſtatuit ſolum Romanum Epiſcopatum à Deo applicari perſonæ Papæ, & omnes Epiſcopos habere claves à Papa: atque Chriſtum, quando claves contulit Apoſtolis, Petrum prævenisse, &c. pura puta ſunt commenta Cajetani lib. 3. hujus defenſionis confutata. Jam dixi *Papam eſſe Epiſcopum & Papam per & propter Eccleſiam ſicut & omnes alios Epiſcopos*, atque Chriſtum indiviſim & in commune Sacerdotium ſuum cum clavibus contuliſſe ordini hierarchico, ne unquàm perire poſſet.

Ad decimum tria dico: Primum, pernego miniſterialem poteſtatem delatam Eccleſiæ pati poſſe ut Epiſcopi & Paſtores alii ſuam poteſtatem exerceant per Vicarios: quaſi Chriſtus voluiſſet Miniſtrum, alium ſibi Miniſtrum ſecluſo caſu neceſſitatis ſubrogare, & charitatis quæ finis eſt omnis præcepti atque miniſterii Eccleſiaſtici nullo modo perferre poteſt. Undè Chriſtus petro, *Petre, diligis me? paſce oves meas.* Certè qui per Vicarium gregem abſque neceſſitate regit, nequaquàm Dominum diligit, ut hîc præcipit Chriſtus. Secundò, fateor Paſtores aliquando poſſe abeſſe à grege, ut vir prudens definierit, & recta ratio dictaverit: vide reſponſionem ad tertium. Tertiò, malè Catharinus ducit argumenta ab Epiſcopis Eccleſiæ Apoſtolicæ; quia tunc temporis cùm nondum ſufficienter promulgatum eſſet Evangelium, omnes Epiſcopi erant univerſales, aut curam univerſalem gregis capeſcebant propter neceſſitatem publicandi Evangelii. Actor. 20. *Attendite vobis & univerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.* Quid ergo mirum ſi S. Timotheus ſemper Epheſinæ Eccleſiæ, cujus privatim curam gerebat non hæſerit? cùm hodie etiam neceſſitate poſtulante Epiſcopis ab Eccleſiis ſuis abeſſe liceat; undè etiam legimus in primitiva Eccleſia Euſebium Samoſatenſem Epiſcopum & nonnullos alios quaſi Epiſcopos univerſales, curam aliarum Eccleſiarum ſuſcepiſſe, ut ſupra notavimus.

Undecimò, Campegius peccat Elenchi ignoratione: cum enim S. Gregorius videret totam Italiam populationibus Longobardorum ita vaſtari, ut impoſſibile eſſet Paſtores in multis Eccleſiis dilapidatis atque everſis conſtitui: prudenter quidem Eccleſias illas everſas propinquis Epiſcopis, qui talem ruinam paſſi non fuerant commendabat: ut illarum quaſi propriarum curam haberent; id eſt, ibidem ordines conferrent, atque populum paſcerent, quod officium eſt ſummæ charitatis: & paſſim ejus rei exempla occurrunt in epiſtolis B. Gregorii, de quibus plura dicentur in diſputatione Cardinalium origine cap. 3. libri 4. hujus defenſionis libelli de Eccleſiaſtica & politica poteſtate. Idemque pariter eſt judicium de unione duorum Epiſcopatuum, Miſſenatis nimirùm & Cumani. Cauſam unionis claram habes Can. & temporis qualitas 16. quæſt. 1. At factum B. Paulini extraordinarium eſt, undè non poteſt trahi argumentum, eſtque veriſimile ſpeciali revelatione Dei virum ſanctiſſimum ſeſe ſervituti mancipaſſe: atque hâc ratione Deum tanti viri operâ ad Wandalos convertendos ad fidem atque alios Chriſtianos captivos redimendos, ſicut reverà plurimos redemit, uti voluiſſe. Prætereà B. Remigii atque Genebaldi Archiepiſcopi Laudunenſis hiſtoria divino afflatu non caret: undè habetur S. Remigium Genebaldum

Digitized by Google

poſtquàm ab Angelo accepit peccatum Genebaldi ei remiſſum eſſe. Hic enim cùm in conjugio vixiſſet & communi conſenſu uxoris utrique regularem vitam profeſſi fuiſſent, electus Epiſcopus Laudunenſis aliquantò poſt cum uxore conſuevit, filiumque ex illa habuit, quem Latronem nominavit, cùmque peccatum ſuum B. Remigio confeſſus eſſet, Remigius curam Epiſcopatus Laudunenſis geſſit, quoad Genebaldus pœnitentiam impleviſſet.

Et hæc de Campegii & Catharini fundamentis. Jam videamus quomodò ſeſe ab argumentis, quibus probatur reſidentia juris eſſe divini, expediant.

Porrò quia objicitur Chriſtum in perſona Petri omnibus Paſtoribus futuris dixiſſe *paſce oves meas* Joannis ultimo, & continuò omnes Paſtores teneri perſonaliter paſcere ex Domini præcepto, cùm Chriſtus non dixerit *paſcere facias, ſed paſce*, quod actum, exercitium atque officium aſſiduum ſignificat: Reſpondet Catharinus hoc argumentum in duobus peccare: alterum eſt quòd Chriſtus illa verba ſoli Petro & non aliis Apoſtolis, multòque minùs Epiſcopis dixerit, teſte ipſo Cajetano: alterum quòd Lutherus hoc uteretur argumento: ut enim probaret quòd non ſoli Petro hæc dicta fuerunt, quoniam Dominus per illa verba exigeret perſonalem curam & reſidentiam, ut per ſeſe ipſum paſceret oves, quod erat impoſſibile uni Papæ: undè concludebat Lutherus, quòd illa verba non ad unum Petrum attinebant: at nos cum Catholicis dicimus, ait Catharinus, illa verba ad ſolum Petrum pertinuiſſe, atque adeò pertinere, ut tamen non tam arctè intelligi debeant: ut Papa cogatur omnes oves per ſeipſum paſcere: quoniam Princeps Paſtorum, quas oves per alios paſcit per ſeipſum paſcere videtur, juxtà communem regulam, qui per alium facit, per ſeipſum, &c. Inſuper attexit magnum eſſe errorem dicere Papam eodem modo eligi & fieri ab hominibus, quo & alii Epiſcopi eliguntur. Cùm (inquit) in Pontifice nuda ſit electio per homines, non collatio poteſtatis Papalis: contra autem aliis Epiſcopis defertur poteſtas & juriſdictio ab hominibus vel mediante homine, id eſt Papâ, cui datum eſt, non tantùm ut habeat poteſtatem, verumetiam ut aliis conferat, & aliter ſentire, deſipere eſt, & doctrinam ſchiſmaticam tradere Papæ: ſi doctrina huic contraria ſchiſmatica eſt, oportet quidem omnes Patres Eccleſiæ primitivæ, qui ſub octo primis univerſalibus Conciliis octingentorum annorum atque ampliùs lapſu floruerunt, eſſe ſchiſmaticos & cum Luthero ſentire, quippè qui doceant Chriſtum his verbis *paſce oves meas, &c.* nihil dixiſſe Petro, quod non etiam aliis Apoſtolis eorumque ſucceſſoribus ex æquo competeret, quam in rem toto lib. 2. cap. 6. diſſeruimus & lib. 3. cavillationes Cajetani, quem Catharinus hîc laudat abſterſimus. Profectò iſte auctor tantâ eſt ingenii confidentiâ, ut quæcumque effutit, nullis rationibus validis fulciat, ſed ſolis Elenchis à petitione principii implicet, quaſi Papa eſſet Dominus & non miniſter Eccleſiæ. Cæterùm eadem planè eſt ratio electionis Papæ atque aliorum Epiſcoporum, ut aliàs docui, ita ut Papa auctoritatem & juriſdictionem ſuam & per & propter Eccleſiam Chriſti Sponſam ſortiatur, quod identidem eſt dicendum.

Ad ſecundum de boni Paſtoris deſcriptione intrantis per officium, atque ovibus præeuntis, & animam ſuam pro ovibus exponentis, &c. Joannis 10. opponit Catharinus has conditiones propriè pertinere ad Chriſtum, nullumque ibidem extare præ-

ceptum

Digitized by Google

ceptum de reſidentia, ſed tantùm explicari quoſdam actus Paſtorales, ut vocare oves nominatim, ante eas ire, hæcque videri deſiderare præſentiam Paſtoris. Verumtamen ad ſolum Chriſtum ſpectare, & quamquàm omnes teneamur nos quantum poſſumus conformare Chriſto, nihilominùs nullum inde præceptum elici poſſe ut ſtrictè teneamur illud ſervare. Subnectit multos decipi, dum admonitiones quæ paſſim occurrunt in Scripturis capiunt pro præceptis. Quòd ſi præcepta ſunt, non Dei quidem præcepta ſunt, ſed Prophetarum & Apoſtolorum, & cùm Salomon proverbior. 27. ait, *agnoſce vultum pecoris & curam gregis habe* Eccleſiaſtici 32. Nam (inquit) hæc non dicuntur præcipiendo ſed commemorando quæ conveniebant: ſicut dum B. Petrus ait epiſt. 1. cap. 5. *paſcite qui in vobis eſt gregem Dei.* Quòd ſi velimus juris eſſe divini, cuncta quæ ſuggeruntur viris Dei à Spiritu ſancto, eaque pro præceptis habere, profectò ad jus divinum redigendum erit non modò jus Eccleſiaſticum, ſed & civile, quoniam per *Deum ipſum Reges regnant & legum conditores juſta decernunt.* Proverb. 8. Hâc autem ratione, omnia jura confundimus & vanè diſſerimus, rem non explicantes ſed implicantes. Quarè in primo Concilio Carthaginenſi Can. 6. Gratus Epiſcopus Carthaginis dixit; & Apoſtolorum ſtatuta ſunt, quæ dicunt, *nemo militans Deo ingerit ſe negotiis ſæcularibus.* Ex quo apparet non auſum dicere, illud divinum eſſe præceptum ſed Apoſtolicum ſtatutum.

Hæc adverſum quinque oppono. Primùm quamquàm verba Chriſti Joannis 10. ego ſum Paſtor bonus litteraliter de Chriſto intelligantur, nihilominùs & ad alios Paſtores præceptivè extendi, quoniam tota religio Chriſtiana conſiſtit in Chriſti imitatione quantum noſtra conditio pati poteſt, maximè ubi aliis præceptis Evangelicis & ratione officii Paſtoralis nobis crediti id facere tenemur: undè Apoſtolus 1. Corinth. XI. *Imitatores mei eſtote ſicut & ego Chriſti.* Et epiſtolâ priore Joannis cap. 3. in hoc cognoſcimus charitatem Dei, *quoniam ille animam ſuam pro nobis poſuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere* accedit etiam quod finis legis Evangelicæ & charitas Mathæi 22. & Roman. 13. & quamquàm vulgò dicatur inter Theologos finem præcepti non cadere ſub præceptum, quia internus eſt, attamen quoniam Chriſtus in præceptum paſcendi unà inſeruit & præceptum dilectionis, ideò debemus & ex charitate munus paſcendi obire. Si diligis me paſce oves meas Joannis ultimo. Quem ad locum Gloſſa ex Auguſtino, *paſce agnos meos non ut tuos; quoniam gloriam meam in eis quære non tuam, mea lucra non tua, quia dilectio Dei probatur dilectione proximi.* Et aliquantò poſt, *paſcere oves eſt credentes ne deficiant confortare, terrena ſubſidia ſi neceſſe eſt ſubditis providere, exempla virtutum præbere, adverſariis obſiſtere, peccantes corrigere.* Item Lyranus, *ter dictum eſt paſce ad ſignificandum quod habens curam animarum debet ſubditos paſcere paſtu verbi Dei & boni exempli, & prout poteſt etiam ſubſidio temporali.* Hinc fit, ut innumeri boni Paſtores Eccleſiæ Chriſtum imitantes ejuſdem vitam pro grege effuderint: quoniam verbo atque exemplo debent gregem paſcere: hoc autem niſi à præſentibus atque reſidentibus Prælatis nullo modo effici poteſt. Certè charitas nos obligat ut quæcumque per noſipſos facere poſſumus, ea per alios minimè exerceamus, ſi modò majus aliquod bonum non impediant: undè exemplo Chriſti qui cùm homines aliâ viâ quàm aſſumendo naturam humanam & mortem acerbiſſimam patiendo ſalvare poſſet, nihilominùs ut ſuam immenſam

Digitized by Google

charitatem erga homines propalaret, & nos ad charitatem mutuam inflammaret; *ipſemet exinanivit ſemetipſum, in ſimilitudinem hominum factus eſt*, Philipp. 2. Concludamus ergo locum hunc Joannis, *ego ſum Paſtor bonus*, interpretativè & ratione aliorum præceptorum quibus officium Paſtorale ſtrictè præcipitur, pertinere quoque ad præceptum reſidendi. Præſertim verò propter naturam poteſtatis miniſterialis ſpiritualis, quæ ſola credita eſt Paſtoribus, nec, ut dixi, tolerare poteſt ut miniſter per alium Miniſtrum Vicarium, officium ſuum obeat.

Secundò, quod aſſerit Catharinus textum, *agnoſco vultum pecoris*, non Dei ſed Salomonis eſſe præceptum, turpiter allucinatur: an quiſquam eſt Paſtor & Opilio inter Agricolas qui cæcus Paſtorale officium exercere queat: vel qui nullam gregis notitiam habeat. Hercle quidem ſicut natura quæ oculum animalium inſtituit ad videndum, eidem oculo naturalem injunxit obligationem ad invigilandum & conſulendum ſaluti animalium, & continuò præceptum eſt juris naturæ ut oculus invigilet: ſic etiam quamprimum alicui cura gregis imponitur, unà & præcipitur ut vultum pecoris agnoſcat: quia quod dat eſſe, dat conſequentia ad eſſe: & delirat validè qui hoc non videt.

Tertiò, hinc facile eſt judicare quidnam tenendum ſit de hoc præcepto Principis Apoſtolorum, *paſcite qui in vobis eſt gregem Dei:* vim habet ex naturâ miniſterialis poteſtatis impoſitæ ordini hierarchico Mathæi 20. *Qui voluerit inter vos primus eſſe, erit veſter ſervus, Reges gentium dominantur eorum, vos autem non ſic, ſed qui major eſt in vobis fiat ſicut minor, &c.* Lucæ 22. & Joannis ultimo *paſce oves meas:* Quartò, inane eſt effugium quòd perhibet Catharinus jura confundi, & non modò Eccleſiaſtica, ſed & jura civilia hâc ratione ad jus divinum redigi: quia Sapiens dixit, per me Reges regnant, &c. Etenim nihil quicquam aliud ad jus divinum ſpectare aſſerimus, quàm quod eſt planè atque apertè in ſacris Scripturis præceptivum aut quod neceſſitate conſequentiæ poteſt indè elici. De quâ re diſſeruimus initio lib. 2. hujus defenſionis. Verùm quinam ſenſus ſit horum verborum *per me Reges regnant*, aliàs explicabitur. Quintò, licèt Gratus Carthaginenſis Epiſcopus dixerit ſtatutum eſſe Apoſtoli, ut *nemo militans Deo ſe de negotiis ſæcularibus implicet*; hoc tamen non obſtat quin ad divinum præceptum pertineat, & eo quidem modo quo & hoc aliud effatum ejuſdem Apoſtoli, *omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.* Roman. 13. Nam utrumque eſt Apoſtoli & Dei: Apoſtoli quidem ut enunciantis, declarantis & evulgantis more præconis, Dei verò ut inſpirantis atque dictitantis ad erudiendam Eccleſiam; quoniam Deus nobis voluntatem ſuam per Apoſtolos ſuos declaravit; undè *ſcripta Apoſtolorum ſunt declarationes juris divini.* Cæterùm ex cauſis eſſentialibus poteſtatis Eccleſiaſticæ ſatis liquet Clericos omnes abduci à negotiorum ſæcularium tractatione: unde etiam Chriſtus de cauſa fratrum in paternam hæreditatem diſſidentium noluit decernere Lucæ 12. & Joannis 18. pronunciat *regnum ſuum non eſſe de hoc mundo.*

Ad tertium, quòd Epiſcopi dicantur ſuccedere in locum Apoſtolorum, quòdque Apoſtolis ita credita ſit cura Evangelii prædicandi, ut hoc-ipſum per ſeipſos facerent, dicente Apoſtolo, *væ mihi, ſi non evangeliſavero, neceſſitas enim mihi incumbit 1. Corinth.* Et conſequenter etiam Epiſcopos qui Apoſtolis ſucceſſerunt, te-

Digitized by Google

neri etiam perſonaliter & non per alios evangeliſare, continuòque reſidere. Campegius & Catharinus reſpondent Epiſcopos non eſſe Succeſſores Apoſtolorum in officio Apoſtolatus, ratione cujus obligabantur perſonaliter evangeliſare tanquàm teſtes oculati geſtorum Chriſti, in quo officio nullum habuerunt ſucceſſorem. Subinfert Campegius etiam Paulum evangeliſaſſe per Timotheum, & Petrum per alios, cùm impoſſibile eſſet illos per mundum univerſum paſcere & evangeliſare, ideòque alios potuiſſe aſſumere in partem ſolicitudinis.

Verùm hæc reſponſio fallit ab Elenchi ignoratione, quia licèt Apoſtolis tanquàm teſtibus præordinatis geſtorum Chriſti, impoſitia fuerit provincia evangeliſandi, & eo ipſo quòd Chriſtum Dominum viderunt atque audierunt evangeliſantem, atque in aliis etiam prærogativis Apoſtolatus, nullos habeant Succeſſores, hoc tamen non impedit, quin Epiſcopi illis in provincia evangeliſandi ſucceſſerint. Quotuſquiſque negare poteſt primum & præcipuum Epiſcopatus eſſe ut hierarchiſet, *illuminando per publicationem atque explicationem doctrinæ*; hocque niſi faciant Epiſcopi, in hanc Apoſtoli maledictionem incurrere, *væ mihi niſi evangeliſavero.* Cæterùm evangeliſare omnes complectitur actus hierarchicos officii Epiſcopalis, qui niſi à perſonaliter reſidentibus compleri nullo modo poſſunt: quique de hac re, meridie quidem lucere ambigunt. At verò præceptum evangeliſandi moraliter capiendum eſt, ideòque nihil mirum ſi Apoſtoli ſibi coadjutores Epiſcopos adſciverint, Paulus quidem Timotheum, & ita de aliis.

Ad quartum, quòd in Epiſcoporum conſecratione, Epiſcopo conſecrato dicatur, *vade, prædica populo Dei.* Reſpondent hoc non eſſe Dei, ſed Eccleſiæ præceptum, & continuò ſequi obligationem prædicandi non eſſe juris divini, ſed eccleſiaſtici, adnectunt prætereà hæc non eſſe tam rigidè & ad litteram capienda, ut Epiſcopus teneatur per ſeipſum prædicare, cùm per alios id facere valeat: hocque eſſe inter Apoſtolos & Epiſcopos diſcrimen, quòd cùm illi eſſent teſtes oculati geſtorum Chriſti, miſſi eſſent in mundum univerſum ad convertendas gentes, ideòque tenerentur perſonaliter prædicare gentibus quæ ipſi vidiſſent: at Epiſcopalem prædicationem eſſe pro Fidelibus jam converſis. Quare Epiſcopo recenter conſecrato dici conſueviſſe, *vade ad prædicandum populo Dei*, & non ad prædicandum Gentibus: & ideò ubi Epiſcopus non eſt aptus ad concionandum, id per alios debet perficere, alioqui certè peccaſſet S. Valerius Hipponenſis Epiſcopus, qui B. Auguſtinum ſibi accerſiverit, eamque ob cauſam laudatur, idemque pariter innumeri alii fecerunt.

Profectò quot hîc verba, tot effugia ad abuſus & corruptelas aulicorum Epiſcoporum excuſandas: hoc pronuntiatum, *vade & prædica populo Dei*, huic quidem divino præcepto innititur, *vos eſtis lux mundi*, *vos eſtis ſal terræ*, *paſce oves meas*, *&c. quæcumque ligaveritis ſuper terram*, *&c.* Quibus omnibus munus hierarchiſandi Epiſcopis imponitur ex proprii officii ratione. Cùm ergo prima & præcipua pars Epiſcopalis muneris & actuum hierarchicorum ſit illuminare per doctrinam, hoc ipſum Epiſcopi per ſeſe & ex proprii officii ratione gerere, ſicut lux & oculus per ſeſe prælucere ac pervigilare debent. Quòd verò Epiſcopi ab aliquot ſæculis munus prædicandi per alios exercent; hoc Curiæ Romanæ ambitioni potiſſimùm

Digitized by Google

debetur : quæ ſacras abrogavit electiones, & ſibi-ipſi, non Eccleſiæ Epiſcopos idoneos atque propitios cooptat. Nugæ autem meræ ſunt, quòd Catharinus ait Epiſcopos tantum populo Dei, & non Gentibus convertendis deligi : quaſi verò hæreticis ad fidem convertendis non deberent etiam inſudare. Certè hæretici per analogiam Gentibus reſpondent. Omitto prætereà multas adhuc Gentes ad fidem convertendas ſupereſſe. Quod attinet ad S. Valerium Hipponenſem Epiſcopum alia res eſt, tum quia doctus erat, & à Clero & populo canonicè electus fuerat, hocque unum ei deerat, quòd cùm Græcus eſſet natione, ſatis commodè latinè concionari non poterat : quare B. Auguſtinum Coëpiſcopum ſibi adſcivit in ſubſidium, itaque propter neceſſitatem prædicandi Evangelii duo erant Epiſcopi in uno & eodem Epiſcopatu, hacque de cauſâ meritò zelus Valerii laudatur. At quotuſquiſque Epiſcoporum hodiernorum, qui omnia in luxum abſumunt, hunc Epiſcopi Hipponenſis zelum erga populum ſibi creditum æmulatur ? cùm experientiâ compertum ſit vix illos Quadrageſimali Concionatori velle juſta dependere, atque Hebertum Eccleſiæ Pariſienſis Pœnitentiarium, virum optimum & doctiſſimum videamus à decem atque ampliùs annis pondus diei perferre, & nihilominùs Præbendâ ſibi jure debitâ carere. Quâ tamen alii innumeri in curanda cute omninò occupati gratuitò donantur, ſed ut uno verbo os occludamus adverſariis, ne hîc nos circa Hipponenſis Epiſcopi hiſtoriam diutiùs fatigent, oppono quemadmodùm unica hirundo non facit ver, ſimiliter ab unico exemplo extraordinario jus aut argumentum trahi non oportere, ut probetur Epiſcopos non teneri perſonaliter ad concionandum. De innumeris aliis quos Catharinus commemorat, non eſt valdè laborandum, quia dari non poſſunt niſi his poſtremis ſæculis, quibus, ut jam dixi, Curia Romana ſibi & non Eccleſiæ ambit Epiſcopos, id adeò ut in ejus verba jurare, atque Majeſtatem illius comiter tueri Sacramento adigantur, tanquam ſubditi & ligei homines, ut in feudis appellant.

Ad quintum, quod Apoſtolus aſſerit Epiſcopum Doctorem eſſe debere : & continuò fruſtra id eſſe ſi per alios docere & prædicare poſſet : Item quod apud Ezechielem 33. hæc Paſtoris officia declarentur. *Sanare ægrotos, conſolidare infirmos, alligare confractos, reducere abjectos, revocare devios, requirere perditos : denique bene habentes cuſtodire & conſervare, &c.* Hæcque nullo modo effici poſſe niſi à continuò reſidentibus, cujuſmodi etiam ſunt officium viſitandi, ordinandi, confirmandi, & alia quæ ſi quis dicat poſſe fieri per titulares Epiſcopos eſſe per accidens; quæ autem ſunt per accidens eſſe fortuita, & contemni ab arte. His reſpondet Catharinus atque Campegius, quamquàm oporteat Epiſcopum eſſe Doctorem, id eſt, docere quæ ad fidem & religionem ſpectant, non tamen ſequi quòd aſſiduè reſideat aut prædicet, ſed ut de alienis doctrinis judicare queat, & ſaltem docere quandoque poſſit præſens ſermone, quandoque epiſtolis ut fecerunt Apoſtoli, Cyprianus, Ambroſius, Auguſtinus, &c. Quarè doctrina non ſemper aſſiduè exigebat præſentiam atque reſidentiam. Quâ ratione etiam ſolvuntur quæcumque de aliis officiis Epiſcopi allata ſunt. Certè cùm meſſis ſit multa & diœceſes amplæ ac latæ, neceſſe eſt Epiſcopos habere multos cooperatores atque adjutores *cap. inter cætera de officio judicis ordinarii :* eamque ob cauſam ſacris Canonibus Archidiaconi inſtituuntur velut oculi Epiſcoporum. Et hinc fit

Digitized by Google

ut liceat uti opera atque miniſterio titulariorum Epiſcoporum, puta ſi Epiſcopus infirmâ valetudine laboret, vel de alia cauſâ abeſſe cogatur, &c. undè quamquàm inſtitutio titulariorum ſit per accidens, hoc impedimento eſſe non poteſt, quominùs liceat illorum operâ uti, ſi modò boni eligantur. Quod attinet ad locum Ezechielis, reſpondent preſsè intelligi de Chriſto vero Paſtore ſicut & cap. 10. Joannis, ego ſum Paſtor bonus, &c. Item quamquàm dicto capite omnia enumerentur officia boni Paſtoris, *ſanare ægrotos, conſolare infirmos, &c.* tamen non indè ſequi, nec benè concludi, Epiſcopos teneri illa aſſiduò & per ſe-ipſos præſtare, ut jam dictum eſt de aliis Officiis Paſtoralibus. At hæc non eſt reſponſio ſed mera veritatis illuſio. Singula expendamus. Primùm, jam ſemel dixi, eſtque iteratò dicendum contra hominum iſtorum cavillationes, præceptum reſidentiæ Epiſcoporum eſſe moraliter intelligendum, ut prudens & recta ratio definierit; id eſt, quando, quatenùs & quouſque poteſt fieri, idque non impedit quin Epiſcopi habeant Coadjutores, non dico titularios, ſed viros bonos & doctos qui illi ſint ſubſidio; quandoquidem titularii Epiſcopi ſunt monimenta corruptelæ ſæculorum poſteriorum: quibus videmus mercenarios & lupos pro veris Paſtoribus ſubſtitui. Hercle quidem cùm tempore Damaſi Papæ Chorepiſcopi, qui erant velut Suffraganei & Coadjutores Epiſcoporum, in oppidis in magnum Epiſcoporum opprobrium increbreſcerent, Damaſus Papa illos abdicandos eſſe concludit epiſt. 5. ubi obiter Paſtorum negligentiam caſtigat: *Nobis relatum eſt quoſdam Epiſcoporum propter ſuam quietem Chorepiſcopis plebes ſuas committere ut illicita atque prohibita agant, eoſdem Chorepiſcopos ea quæ ſolis Pontificibus debentur ſibi uſurpare, & ipſos in ſua quiete torpere: & curam ſibi a Deo commiſſam negligere, cùm Dominus dicat, bonus Paſtor animam ſuam ponit pro ovibus ſuis, & vocat eas nominatim & cognoſcit ſuas, & ſuæ cognoſcunt eum.* Et item, *ſicut novit me Pater, & ego agnoſco patrem, & animam meam pono pro ovibus meis. De mercenario autem quid dicat, bene noſtis: quia videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit, & lupus rapit, & diſpergit oves & reliqua: pro talibus verò negligitur cura Eccleſiæ & ejus ſtatus perturbatur, & ideò ſunt prohibiti in tantum, ut ſi aliqui ex his reperti fuerint, à proprio decident gradu; illi namque Epiſcopi qui talia ſibi præſumunt, videntur mihi eſſe meretricibus ſimiles, quæ ſtatim ut pariunt infantes ſuos aliis nutricibus tradunt educandos, ut ſuam citiùs libidinem explere valeant. Sic & iſti infantes ſuos id eſt populos ſibi commiſſos aliis educendos tradunt ut ſuas libidines expleant, id eſt, ut pro ſuo libitu ſecularibus curis inhient, & quod unicuique viſum fuerit liberiùs agant. Pro talibus enim animæ negliguntur, oves pereunt, morbi creſcunt, hæreſes & ſchiſmata prodeunt, Eccleſiæ deſtruuntur, Sacerdotes vitiantur & reliqua mala proveniunt. Non taliter Dominus docuit, nec Apoſtoli inſtituerunt: ſed ipſi qui curam ſuſcipiunt, ipſi peragant, & ipſi proprios manipulos Domino repræſentent. Nam ipſe ovem perditam diligenter quæſivit, ipſe invenit, ipſe propriis humeris repertavit, noſque idipſum facere perdocuit. Si ipſe pro ovibus tantam curam habuit, ipſe docuit, ipſe curavit, ipſe ſanavit, ipſe propriis humeris reportavit, atque in tantum dilexit, ut etiam animam ſuam multas ſuſtinens injurias, multa opprobria, multaſque paſſiones pro nobis tonderet, quid nos miſeri & deſides dicturi ſumus, qui etiam pro ovibus nobis commiſſis curam impendere negligimus & aliis educandas tradimus? corrigantur hæc fratres neceſſe*

Digitized by Google

eſt; quia qui plus laborat, majorem mercedem accipiet; nam non ampliùs quàm duos ordines inter diſcipulos Domini eſſe cognovimus, id eſt duodecim Apoſtolorum & ſeptuaginta diſcipulorum: undè iſte tertius Choreþiſcoporum proceſſerit, funditus ignoramus: & quod ratione caret extirpare neceſſe eſt. Hæc Damaſus de Chorepiſcopis, quæ multò magis intelligi debent de Titulariis hodiernis. Nam ut ſæpè jam monui, ratio & natura miniſterialis poteſtatis non patitur miniſtrum ſibi alium miniſtrum ſubrogare, omneſque abuſus illinc naſcuntur, quòd & Papa & Epiſcopi arbitrentur ſe Dominos non miniſtros gregis; nec deſunt adulatores qui illis idipſum perſuadeant, & hinc illæ lacrymæ & querelæ noſtræ juſtiſſimæ. Demùm quòd perhibent textum Ezechielis de ſolo Chriſto intelligi, ſibi-ipſis falsò blandiuntur, & à B. Gregorio planè confutantur homil. XI. ſuper Ezechielem. Quandoquidem eſt prophetia quæ nobis pœnas otioſis & deſidibus Paſtoribus certiſſimè debitas exhibet. Undè idem Gregorius in hæc verba, *ſanguinem ejus de manu ſpeculatoris requiram: in his verbis quid nobis notandum eſt, quid ſolicitè cogitandum, niſi quia nec ſubjectus ex culpa præpoſiti moritur, nec præpoſitus ſine culpa eſt, quando verba vitæ non audiens ex ſua culpa moritur ſubjectus? ſed ſanguinem ſubjecti de manu ſpeculatoris requirit; quia ipſe hunc occidit, qui eum tacendo morti prodidit: in quibus utriſque penſandum eſt quantum ſibi connexa ſunt peccata ſubditorum, atque Præpoſitorum: quia ubi ſubjectus ex ſua culpa moritur, ibi is qui præeſt, quoniam tacuit, reus mortis tenetur, &c. Et ſi quando vos ad iniquitatem deſluitis, etiam ex noſtro hoc reatu eſt, quod obſiſtentes atque reclamantes in pravis deſideriis non habetis. Vobis ergo & nobis parcitis, ſi à pravo opere ceſſatis. Vobis & nobis parcimus, quando hoc quod diſplicet non tacemus. O quàm liber à commiſſorum ſibi ſanguine fuerat prædicator egregius qui dicebat: mundus ſum à ſanguine omnium. Non enim ſubterfugi, quominus annuntiarem omne conſilium Dei vobis. Si enim non annuntiaſſet, mundus à ſanguinè non eſſet, ſed quibus omne conſilium Dei annuntiare ſtuduit, ab eorum ſanguine mundus fuit.* En igitur genuina loci Ezechielis interpretatio ex B. Gregorio, cui multò magis æquum eſt quàm adulatoribus & hominibus obnoxiis auſcultare.

Ad ſextum, quòd jure divino debeatur merces Epiſcopo & Paſtoribus. Nam Mathæi & Lucæ 10. *dignus eſt operarius mercede ſuâ*, & Corinth. 9. non alligabis os bovi trituranti, &c. & continuò etiam Epiſcopus jure divino reſidere debeat: opponunt hanc falſam eſſe collectionem, quia inde ſequeretur Religioſos jure divino debere ſuam prædicationem populo: quoniam Religioſi prædicaverint, illis de jure divino debebitur ſtipendium pariter ſi juris eſt divini, quòd artificibus & mercenariis debetur merces, etiam juris erit divini ipſum opus mercenarii: & ſic omnes artes mechanicæ juris erunt divini.

Procul dubio hæc mera ſunt figmenta ſophiſtica, quæ peccant ab Elenchi ignoratione. Nam Epiſcopo & Paſtoribus miſſis à Chriſto aut ab Eccleſia ideò jure divino & naturali debetur merces, & conſequenter etiam illi jure divino & naturali debent reſidere, quoniam illorum miſſioni atque ordinationi jure divino & naturali annexus eſt titulus & cura diœceſis aut parœciæ. Quòd de Religioſis prædicantibus verbum Dei aſſeri non poteſt: cum mittantur & ordinentur abſque ullo titulo & cura diœceſis vel parochiæ: inſuper hæc non ſunt conſectaria: jure divino & naturali debetur

Digitized by Google

merces operariis & artificibus, ergo illorum opera ſunt juris divini & naturalis.

Ad ſeptimum, quòd ſi reſidentia jure divino non debeatur perſonaliter, ſequitur omninò tolli poſſe ab Eccleſia contrariâ conſuetudine aut etiam à Papa. Negant adverſarii conſequentiam: quia ſicut omnis lex debet eſſe juſta & rationabilis, ut ſit lex, ita vel conſuetudo vel decretum Papæ juſtum eſſe debet; alioqui purus eſſet abuſus, cui recta ratio manifeſtè repugnaret: neque convenit ut Prælati à Spiritu ſancto poſiti in cura ovium Chriſti (quamquàm mediante Petro) ab illa cura ſine juſta ratione ſeſe expediant, aut ceſſent abſque ſummi Pontificis judicio, à quo conſtituti ſunt. Nam injuſtum eſſet aliquem perpetuò abeſſe ab Eccleſia ſua; quia ut Gregorius IX. ait, *licet longevæ conſuetudinis non ſit levis auctoritas, non tamen uſque adeò valitura eſt ut juri poſitivo debeat præjudicium facere, niſi fuerit rationabilis & legitimè præſcripta.* Hæc Gregorius, cui multò magis eſt auſcultandum quàm Cajetano exiſtimanti jus poſitivum facilè tolli poſſe conſuetudine; fateor tamen, inquit Catharinus, pœnas quæ lege Eccleſiaſticâ ſtatuuntur contra non reſidentes, poſſe tolli longâ conſuetudine: at abſolutè quòd non reſideant Epiſcopi nullâ lege fieri poteſt; quoniam manifeſtam iniquitatem contineret contra ipſius rei naturam: Item, cùm ſit juris divini, ut Papa habeat auctoritatem ferendi leges & ipſam reſidentiam præcipiendi: contra jus divinum faceret relaxando aut tollendo reſidentiam. Itaque concludit Epiſcopos habere præceptum & modum reſidentiæ ab ipſo Papa: cui cùm data ſit poteſtas in ædificationem non in deſtructionem, id eſt, ut oves curentur, non negligantur aut deſerantur, non poteſt abrogare legem reſidendi, ſed dumtaxat modum illius præſcribere & de reſidentia diſpenſare.

In hâc reſponſione ad ſeptimum argumentum duo ſunt potiſſimùm capita: primum eſt, an jus poſitivum longâ conſuetudine tolli valeat, ut Catharinus adversùs Cajetanum diſputat: quâ de re nolo inpræſentiarum diſſerere: quoniam plurimæ aliæ rationes nobis ſuppetunt, quibus Catharini argumenta contra reſidentiam convellamus; alterum caput eſt, Papam legem & modum reſidendi præſcribere, quod negatur: eſtque ſuperiùs abundè confutatum, ubi fundamenta adverſariorum decuſſimus, quæ hoc nituntur falſo atque erroneo Elencho, quòd Papa ſit abſolutus monarcha non miniſter Eccleſiæ. Cæterum non Papa ſed ipſe Chriſtus legem reſidendi præſcripſit, quæ intrinſecè ac eſſentialiter miſſioni atque ordinationi Paſtorali annexa eſt, ut ſuperiùs docui.

Octavò, ſic proceditur ad hominem. Quando placet Catharino & Campegio reſidentiam ſolùm deberi humano non divino jure, ab illis petitur utrùm ſi tolleretur adhuc deberetur: concedentibus verò nullam deberi quia ſublata eſt, ſic urgetur, ergo poſſet Epiſcopus impunè non reſidere: ergo etiam antè Canones de reſidentia latos poterat Epiſcopus non reſidere; reſpondet Catharinus uno dato abſurdo nihil repugnare & aliud ſequi abſurdum; & ſemper præceptam eſſe reſidentiam ab Eccleſia, tametſi autem Canonibus non fuiſſet expreſſa, nihilominùs in Epiſcopi creatione ſubintelligi: quia confeſtim ut creatur Epiſcopus ipſo facto illi injungitur onus curandi atque paſcendi gregem, hoc autem illi ab Eccleſia injungitur: ſicut Petro præceptum eſt à Chriſto ut oves ſuas paſceret: undè quatenùs expoſcit cura Paſtoralis eatenùs & debetur reſidentia.

Digitized by Google

Hic reſponſione Catharinus ſuam cauſam jugulat, quoniam clarè demonſtrat jure divino & naturali intrinſecè ac eſſentialiter injungi reſidentiam Paſtoribus in ſua inſtitutione & miſſione, ſicut natura ipſi oculo intrinſecum præceptum illuminandi corpus tradit, dum oculum procreat, & in capite tanquàm in ſpecula collocat. Nam reſidentia eſſentialiter concomitatur paſcendi officium, ut ſuperiùs oſtendimus.

Ad nonum de ſponſo & ſponſa, quòd Epiſcopi ſint Eccleſiæ ſponſi & debeant aſſiduè cum ſua Eccleſia conſueſcere atque reſidere, quia quos Deus conjunxit homo non ſeparet, &c. Reponit Catharinus hoc argumentum ſibi maximè favere, quoniam (inquit) manifeſtè videmus quòd Papa amovet & diſjungit Epiſcopum à ſua Eccleſia, & in aliam transfert quam illi conjungit cap. inter corporalia de translatione Epiſcopi in Decretalibus. At (inquit) ſi talis conjunctio eſſet à Deo immediatè inſtituta, Papa id nullo modo facere poſſet; ſi enim carnalia matrimonia ſeparare non poteſt, quantò minùs ſpiritualia? Certè, inquit, nulla eſt poteſtas in terris quæ Papatum vel Papam ipſum qui verè ſit Papa, deſtituere poſſit. At Papa ipſe quamquàm non poſſit Epiſcopatum, id eſt, officium atque ordinem Epiſcopalem abrogare, poteſt tamen hunc & illum Epiſcopum ordinare, idque, ſi juſta adſit cauſa, jure factum erit: ſi verò non adſit, nihilominùs factum & abdicatio vim habebit inter homines; Pontifex autem de injuria reddet rationem coram Deo.

Tota hæc reſponſio Catharini nullo alio quàm imaginario fundamento abſolutæ monarchiæ Pontificis fulcitur: nam homo obnoxius ex iis quæ hodie fiunt, regimine Ariſtocratico & jure communi viâ facti oppreſſis de tota juris quæſtione ſtatuit, atque poteſtatem miniſterialem Eccleſiæ relictam in deſpoticum imperium transformat. De qua opinatione audi quod Almaïnus contra Petrum Paludanum decernat in quæſtione reſumptiva antè medium. *Petrus de Palude tractatu ſuo de Eccleſiaſtica poteſtate artic. 5. & 6. dicit unum quod eſt mirandum, quòd Rex non poteſt deponere vaſſalum ut alterum inſtituat, imò ſi deponat, non tantùm peccat, ſed etiam nihil facit; Papa autem ſi deſtituat magis bonum ſine cauſa, & loco ejus ponat minùs bonum, licèt peccet, tamen inſtitutio tenet, ſi autem minùs bonum deſtituat ut ponat magis bonum, tenet inſtitutio & non peccat, quæ profectò ſententia eſt igne digna*, ait Almaïnus, *cùm conſtet Prælatos & Titularios verum jus habere, quo nullus invitus ſine cauſa rationabili privari poteſt.*

Leonardus Venetus Canonicus regularis in tractatu quem ſcripſit de reſidentia, argumentis quibus Epiſcopi per metaphoram capiti & oculis comparantur, ut quòd ſint caput & oculi Eccleſiæ, item quòd appellentur lux mundi, lumen & ſponſi Eccleſiæ, reſpondet ejuſmodi comparationes minùs videri ad propoſitum, ut inde validum eruatur argumentum, quoniam teſte B. Dyoniſio de divinis nominibus, Theologica myſtica non eſt diſputativa nec argumentativa. Undè in ſimilitudinibus ejuſmodi ſæpè major eſt diſſimilitudo, quoniam diverſa eſt ratio corporis myſtici & naturalis. At repono juxtà regulam ſecundam lib. 2. cap. 2. explicatam, diſtinguendum eſſe inter metaphoras & ſenſum myſticum: quoniam alius eſt alio abſtruſior, ex quo ſenſus verus elici non poteſt abſque varia, multiplici & forti ratiocinatione: quare ejuſmodi metaphoræ parum aut nihil habent de jure divino contra quam accidit in re præſenti:

Digitized by Google

præſenti : quid enim verius, certius atque evidentius etiam atque etiam abſque ulla aut ſaltem cum exigua ratiocinatione, quàm Chriſtum eſſe Caput & Sponſum Eccleſiæ propter intimam ejus unionem cum Eccleſia? quid enim certius atque evidentius quàm eſſe ſolem juſtitiæ, & lumen mundi, atque hæc nomina & qualitates proportione ſervatâ communicaſſe Apoſtolis atque diſcipulis : & conſequenter etiam Epiſcopis atque Presbyteris curam animarum gerentibus convenire adeò ut rectè per analogiam has & ſimiles collectiones facere poſſimus. *Quod eſt lumen ſolis mundo, oculus corpori, ſal alimentis, hoc ipſum eſt Epiſcopus Eccleſiæ.* Cujus collectionis evidentia & ſenſus tam clarus atque evidens eſt, ut etiam pueris notus ſit : utque adverſarios argumento ad hominem confodiamus. Si hæc eorum collectio de metaphoris & ſenſu myſtico locum habeat, quid eveniet, non dicam illorum abſolutæ monarchiæ, ſed Primatui Romanæ Eccleſiæ qui ſolummodò erui poteſt per variam, multiplicem & fortem ratiocinationem ex metaphoris atque allegoriis hujuſmodi? *Tu es Petrus aut petra, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, tibi dabo claves regni Cælorum, &c. Paſce oves meas, paſce agnos meos, &c.* dicam certè quod verum & notiſſimum eſt multo expeditiùs & procliviùs colligi poſſe ex Scripturis reſidentiam juris eſſe divini, quàm Eccleſiæ Romanæ Primatum, idque ſi quis in dubium revocet, velim ipſe periculum faciat, & in aciem utrinque explicet locos Scripturæ, unde reſidentia & Primatus neceſſitate conſequentiæ inferri poſſunt. Nam intrinſecè atque eſſentialiter miſſioni, inſtitutioni, atque ordinationi Paſtorum annexa eſt cura & reſidentia. Undè ex omnibus Scripturæ locis, quibus poteſtas Eccleſiaſtica inſtituitur & confertur, rectè & facilè induci poteſt. At Romanæ Eccleſiæ Primatus ut eruatur, etiam atque etiam magnam vim animo noſtro facere debemus : hâcque in re plus valet Eccleſiæ conſenſus quàm ullus Scripturæ locus, quoniam eo ipſo quòd Chriſtus dixerit Petro, *tu es Petrus aut petra, tibi dabo claves regni Cælorum, &c. Paſce oves meas, &c.* non inde poteſt directè & clarè colligi hæc omnia ad Romanam Eccleſiam pertinere. Aliud enim eſt abſolutè loqui de Primatu, & aliud de Eccleſiæ Romanæ primatu : quem nodum diſſolvendum relinquo oppugnatoribus reſidentiæ Paſtorum tanquàm jure divino minùs inſtitutæ. Quorum argumenta opinioni tantùm imaginariæ de abſoluta Papæ monarchia incumbunt. Verùm quantis ſit fabricis & molitionibus impeditum, ne reſidentia juris eſſe divini in Tridentino Concilio ſtatueretur, diſces ex luculentiſſima epiſtola * Gentiani Herveti ad Alphonſum Salmeronem Theologum ſocietatis, quam exhibuimus in hiſtoria Tridentinæ Synodi.

XXVII. Sed ex longa, utiliſſima tamen digreſſione me tandem recipio ad Vallium, qui pag. 49. ſui Elenchi conſuetos ſuæ Rhetoricæ flores, muſivaque opera in Anonymum ſpargit, *quem ait cæcutire, ſibi-ipſi apertè contradicere, & cum Luthero deſipere, quando dixit omnem principatum quoad vim coactivam ab hominum conſenſu pendere : Nam Lutherus docet neque Papam, neque Epiſcopos, neque ullum hominem jus habere inſtituendi, vel unicam ſyllabam ſuper hominem Chriſtianum ſine ejus conſenſu*, inquit Redargutor. Deinde pag. 51. aſſerit *coactionem & conſenſum ſic inter ſeſe pugnare, ut nequidem per abſolutam Dei potentiam ſimul cohærere queant*,

* *Legitur hæc epiſtola ad calcem hujus voluminis.*

Digitized by Google

quia coactio eſt in invitum ac renitentem, conſenſus autem à liberrima voluntate manat. Et hæc eſt decima quinta Vallii Redargutio in caput 2. libelli de Eccleſiaſtica & politica poteſtate. Eudemon Joannes Presbyter & Theologus Societatis in epiſtola ad amicum Gallum ſuper libro Joannis Barclai de hoc Richerii proloquio diſputans. *Omnis principatus quoad vim coactivam ab hominum conſenſu pendet, illud appellat immane pronunciatum Regibus & reſpublicis exitiabile: atque Richerium quia Jeſuita non eſt, à viris primariis ferri & laudari;* propria ſunt verba.

Verùm hæc mera ſunt commenta & calumniæ quibus auctorem innocentem opprimere voluerunt: quamquàm hac in parte nihil à communi Theologorum, nequidem à Vallii & Jeſuitarum ſententia diſcrepet. Nam hoc effatum quod immane & exitiale vocant, veriſſimum & certiſſimum eſt, præſertim in ſtatu aut principatu electivo, qualis eſt Eccleſia, & ita quidem Cardinalis Cuſanus docet lib. 2. de concordantia cap. 15. *Cùm naturâ omnes ſint liberi*, ait, *tunc omnis principatus, ſive conſiſtat in lege ſcripta, ſive viva, apud Principem per quem coërcentur à malis ſubditi, & eorum regulatur libertas ad bonum metu pœnarum, eſt à ſola concordantia & conſenſu ſubjectivo. Nam ſi naturâ æquè potentes & æquè liberi homines ſunt, vera & ordinata poteſtas unius communis æquè potentis, naturaliter nonniſi electione & conſenſu conſtituitur, 2. diſt. cap. Lex, & 8. diſt. Ea quæ contra, ubi dicit pactum inter ſe civitatis aut gentis conſuetudine vel lege firmatum.* Idem lib. eodem cap. 34. ad calcem. *Ex ſubjectorum electione & conſenſu radicatur Superiorum poteſtas ſuo modo coactiva in eos; qui enim primò erant liberi eligendo ſuper ſe Præſidem ſe ei ſubjiciunt. Undè ex hoc fundamento ſuperiùs ſæpè dicitur poteſtatem coactivam aut Principis aut legis ex approbatione per ſe ad hoc, communi conſenſu tanto vel expreſſo conſtitutum robur habere: ſic enim dicitur quamquàm omnis poteſtas deſurſum ſit, ſive coactiva, ſive œcumenica, regulativa & ordinativa: tamen ad hoc ut ipſa extrinſecè in actum prorumpere poſſit, homines Chriſtianos liberos regulando vel cogendo, tunc recta regula prærequirit ſubjectionem liberam eorum, cùm ipſi ex lege Fidei Chriſtianæ & naturali jure non arctentur extra terminos libertatis.* Quæ ſententia Cuſani luculentiùs explicabitur lib. 4. cap. 6. & 7. ubi omnium Theologorum atque ipſius Vallii conſenſione convincam, *leges non obligare niſi recipiantur, atque in hominum mores tranſeant.* Ac propterea hominum conſenſionem neceſſariò exigere. Accedit, quamquàm juriſdictio habitu & in actu ſignato cum Epiſcopali aut Sacerdotali conferatur, ut demonſtratum eſt, nihilominùs ad ejuſdem uſum atque exercitium ſubditorum conſenſum flagitari. Quocirca ex Durando & Gerſonio ſupra monui *juriſdictionem Eccleſiaſticam verè aut interpretativè liberam eſſe circa perſonas in quas exercetur: ita ut nemo invitus doceatur Evangelium, baptiſetur, confirmetur, vel abſolvatur in foro conſcientiæ.* Procul dubio effatum quod immane atque exitiale Regibus criminantur, locum etiam habet in quocumque Regio, juſto atque legitimo principatu, explicitè nimirùm aut implicitè, verè aut interpretativè, expreſſè aut tacitè: & quidem priori modo in regnis electivis, quale eſt Poloniæ principatus. Poſteriori in aliis etiam hæreditariis, verbi cauſâ, quamprimum Franci Duce Pharamundo in Gallias invaſerunt, at lege regiâ ſupremam dirigendi & cogendi poteſtatem in illum transfuderunt, verè explicitè atque expreſſè conſenſum dederunt ut monarchicè gubernarentur: dehinc in diem

Digitized by Google

hodiernum *idem conſenſu tacitè, interpretativè* atque implicitè decurrit & continuat, quibus accuratè ponderatis omnes calumniæ adverſariorum exarmatæ ruunt.

Quòd autem Vallius me imperitiæ accuſat, ac ſi pugnantia loquerer, ipſemet valdè imperitus eſt: dum non attendit actionem & conſenſum, quamquàm uno & eodem tempore de uno atque eodem dici nequeant, tamen nihil repugnante, quin ſeparatim aut reſpectu diverſarum circumſtantiarum temporis perſonarum, &c. tribuantur alicui. Nam communitas aut reſpublica quæ lege regiâ ſummum transfert imperium in regem, conſenſu quidem ſuo idipſum ratum efficit; atque in vim hujus conſenſus univerſalis Reipublicæ homines ſingulares & privati cives, ſi legibus parère detrectent, coguntur & caſtigantur à Principe. Magiſter Georgius Froger Vallii diſcipulus & librorum ejuſdem magnificus & fiduciarius approbator in notis, quas contra libellum de Eccleſiaſtica & politica poteſtate ſcripturivit, cauſatur leges punitivas teſte Ariſtotele 5. Ethnicorum ad Nicomachum cap. 2. tranſire in rem judicatam, non ex hominum conſenſu, ſed ex natura commiſſæ vel omiſſæ, quæ talem pœnam exigit. Sed fallit aut fallitur Elenchi ignoratione: etſi enim leges humanæ pœnales certam pœnam delictis irrogant in actu primo, nihilominùs revera mitti non poſſunt in rem judicatam, niſi recipiantur: quia teſtimonio omnium Theologorum atque ipſius Vallii actualis obligatio legum pendet à conſenſu & receptione hominum.

Hîc prudens omitto nonnullos mihi improperio vertiſſe, qui hâc formulâ, *omnis principatus quoad vim coactivam ab hominum conſenſu pendet*, deſignare voluerim excommunicationem ferri non poſſe in invitum, quæ putida eſt calumnia, ſatis depulſa præſtitutis rationibus. Cùm enim Papa cæterique Paſtores Eccleſiæ jure electionis, non ſanguinis aut hæreditatis conſtituantur: inſurgit neceſſariò in vim conſenſus veri aut interpretativi Eccleſiæ Catholicæ & diœceſis, cui datur Papa & Epiſcopus; homines privatos Eccleſiam audire nolentes, cenſuris Eccleſiaſticis innodari & caſtigari.

FINIS LIBRI SECUNDI.

Digitized by Google

LIBER TERTIUS.

CAPUT PRIMUM.

I. Regulæ & fundamenta adverſariorum cum veris atque orthodoxis regulis & fundamentis comparantur & diſturbantur.

II. Locus Tertulliani in gratiam abſolutæ poteſtatis Petri ſuo genuino ſenſu aſſeritur.

III. Quid ſibi velit Optatus, dum ait ſolum Petrum claves regni Cælorum cæteris communicandas accepiſſe à Chriſto, & unicam eſſe in tota Eccleſia Cathedram Epiſcopalem, in qua omnium primus ſederit Petrus, &c.

IV. Leonis Magni teſtimonia de Petri ſuper alios Apoſtolos privilegiis explicantur.

V. Quid tenendum ſit de B. Gregorii teſtimonio aſſerentis Petrum univerſo gregi, & reliquos Apoſtolos quaſi in partem ſolicitudinis miſſos, ut contendit Baronius.

VI. Quo ſenſu S. Gregorius Romanum Pontificem caput Fidei appellarit.

VII. Gratiani teſtimonia pro abſoluta Monarchia expenduntur.

VIII. Quâ notione capiendum ſit, quod Gratianus poſt Nicolaum I. Papam aſſerit omnes Eccleſiæ dignitates per Romanam Eccleſiam inſtitutas: hancque ſolam fundatam à Chriſto, & B. Petro terreni ſimul atque Cæleſtis imperii jura commiſſa fuiſſe, Romanamque Eccleſiam eſſe matrem Fidei.

I. FUndamentis cauſæ noſtræ bene atque validè meo judicio conſtitutis, ſupereſt de imaginariis adverſariorum dicamus, eaque demoliamur: quod ut certâ methodo fiat, novem regulas quibus fulciuntur novem regulis cap. 2. libri 2. ſupra explicatis opponemus. Quo ex utrorumque comparatione Lector de veritate hujus controverſiæ ſtatuere valeat: equidem illorum fundamenta in apertum exponere, confutare eſt. Primùm enim contra expreſſam voluntatem & facta Chriſti Evangelio clariſſimè conſignata: necnon etiam contra praxim Eccleſiæ primitivæ (quæ certiſſima eſt divinæ voluntatis interpres in ratione regiminis & po-

Digitized by Google

litiæ Eccleſiæ) quoddam jus divinum imaginarium & typum & analogiam regiminis Monarchiarum temporalium contra naturam & cauſas eſſentiales poteſtatis miniſterialis Eccleſiæ comminiſcuntur. Ad hanc imaginariam regulam omnes Pontificum Conſtitutiones, Bullas, Decretales & Cenſuras ad Eccleſiæ regimen hodiernum ſpectantes componunt & modulantur; ſicque juris quæſtionem quæſtione facti, id eſt, hodiernâ praxi definiunt, aut potiùs opprimunt. *At quotuſquiſque eſt tam vanus & temerarius qui ſine ullo teſtimonio divino affirmet ea eſſe, quæ Dominus dicere noluerit? ait S. Auguſtinus tractatu 96. in Joannem.*

Secunda regula eſt, quòd jure divino, complexo, metaphorico, allegorico & parabolico obſcuro, contra omnes Logicæ & Theologiæ leges ad conſtituendum dogma Catholicum de abſoluta infallibili Papæ Monarchia abutantur, quaſi ex his Scripturæ locis, *tu es Petrus & ſuper hanc petram, &c. paſce oves meas, &c.* præter S. Petri Primatum & Decanatum ſuper alios Apoſtolos quicquam aliud colligi poſſet: atque abſoluta Monarchia & Primatus non res eſſent toto Cælo diſcrepantes.

Tertia, contra jus divinum, naturale & Canonicum poteſtatem miniſterialem ſpiritualem Eccleſiæ in dominatum & poteſtatem abſolutè atque intrinſecè cogendi adinſtar ſæcularis Monarchiæ transformant, ut Turrecremata lib. 2. de Eccleſia cap. 26. & 47. Bellarminus 5. de Rom. Pontifice & lib. adversùs Barclaium atque omnes alii ſcriptores Romani, de quibus aliàs. Profectò Dominus his conceptis formulis ſuos dominari, hoc eſt, per vim & coactionem externam abſolutè imperare vetat Math. 20. *Quicumque voluerit inter vos major fieri, ſit veſter miniſter. Reges gentium dominantur, vos autem non ſic.* Lucæ 22.

Quartò, quia ſummam totius auctoritatis Eccleſiaſticæ ad Chriſti Sacerdotium tanquàm ad cauſam efficientem minimè referunt, ſed ſophiſticè contendunt per communicationem Sacerdotii Chriſti ſolam poteſtatem ordinis in corpus verum, & in foro tantùm interno Pœnitentiæ conferri, atque his verbis, *paſce oves meas, &c.* ſupremam juriſdictionem in foro èxterno & contentioſo ſoli Petro & Papæ, ut eam aliis communicet, reſervari: effectum pro cauſa, hoc eſt, non cauſam pro cauſa uſurpant, ac ſophiſticè ea diſtinguunt & ſeparant, quæ Chriſtus cum ſuo Sacerdotio cumulatè & conjunctim contulit.

Quintò, contra Scripturæ & Patrum teſtimonia, ac praxim Eccleſiæ primitivæ, cavillantur aliam fuiſſe Petri & cæterorum Apoſtolorum poteſtatem: quaſi Petrus eſſet Paſtor ordinarius, & reliqui Apoſtoli dumtaxat legati extraordinarii: ex quo doloſè inferunt longè aliam fuiſſe poteſtatem Apoſtolorum & Epiſcoporum qui Apoſtolis ſucceſſerunt: quod tamen & falſum & erroneum eſſe docuimus ſupra.

Sextò, fingunt per adeptionem ordinis ſolam poteſtatem in corpus Chriſti verum & in foro tantùm conſcientiæ, minimè verò poteſtatem juriſdictionis in foro externo dari: quod repugnat doctrinæ Patrum & legi divinæ, quæ hæc non diſtinguit, neque nos debemus diſtinguere, ut loquuntur Juriſconſulti.

Septimò, locos Patrum oratorios, obſcuros & ambiguos paſſim velut dogmaticos venditant, contra omnia Theologiæ & Logicæ principia: neque ejuſmodi locos ad ullam cauſam eſſentialem poteſtatis Eccleſiaſticæ, niſi fortè ad unum Petrum aut Papam revocare queant: Petrus autem & Papa ſunt membra, inſtrumenta

Digitized by Google

& miniſtri, non cauſæ eſſentiales Eccleſiæ, quæ æternæ & immortales eſſe debent.

Octavò, nullos Patres ſuæ opinionis auctores, ſed ſolos Pontifices in ſua cauſa, vel homines dedititios, ambitioſos, adulatores, atque alios quærentes quæ ſua, ſunt, non quæ Chriſti, Philipp. 2.

Nonò, Concilia ipſa & Canones Pontifici tanquàm abſoluto Monarchæ ſubjiciunt, atque moderna Concilia Florentinum & Lateranenſe, quæ ſuis nævis non carent, antiquis atque indubitatis Conciliis præponunt: utque multa paucis complectar, illorum Monarchia his duobus Elenchis ſophiſticis tota incumbit: nimirùm à dicto ſecundùm quid ad dictum ſimpliciter, & à ſuppoſitione principii. Fingunt enim Dominum conſtituiſſe Petrum Eccleſiæ Monarcham & Caput viſibile Eccleſiæ, abſque quo Eccleſia nullo modo poſſet conſiſtere. Deindè proportione gubernationis Monarchiarum mundi, quæcumque lubet placita comminiſcuntur; quaſi Chriſtus Eccleſiam ſuam ad normam ſtatus politici terreni gubernari voluiſſet: ſicut hodie magnâ parte à Curia Romana regitur. Prætereà ubi nihil habent firmi quod opponant, ſæpè vociferantur Lutherum, Calvinum atque alios hæreticos ita ſentire: ſic enim Religione injectâ ignaros atque idiotas percellere conantur.

II. Verùm pergamus ad examen auctoritatum & rationum quibus ſuam opinionem roborant. Certè miratus ſum quemdam virum primarium objeciſſe Tertullianum nominatim docere *claves ſoli Petro, id eſt perſonaliter ei datas lib. de pudicitia cap. 21.* Quandoquidem Tertullianus librum hunc ſcripſit contra Eccleſiam Catholicam cùm eſſet errore Montani inquinatus, & privatim negat Eccleſiam Romanam habere poteſtatem remittendi peccata commiſſa in Deum, cujuſmodi ſunt Mœchiæ & alia peccata quæ vocat mortalia; quæ à ſolo Deo & Eccleſia ſpirituali poſſe remitti perhibet: non quidem inficiatur unumquemque noſtrûm peccata in ſe commiſſa poſſe ſeptuagies ſepties remittere juxtà præceptum Chriſti Mathæi 18. cujuſmodi ſunt injuriæ quibus alius ab alio afficitur. Cæterum per Eccleſiam ſpiritualem non Epiſcopos ſeorſim vel collectim ſumptos, ſed SS. Trinitatem intelligit: aitque Apoſtolos ſi unquam peccata mortalia in Deum remiſerint, hoc non ex diſciplina & lege ordinaria, ſed ex poteſtate abſoluta Dei & lege extraordinaria exercuiſſe, ſicut dum mortuos ſuſcitabant, aut alia patrabant miracula. Quocirca concludit poteſtatem remittendi ejuſmodi peccata delatam Petro Mathæi 16. & Apoſtolis 18. fuiſſe perſonalem: neque ad poſteros tranſiſſe mortuis Apoſtolis: ſed ſoli Deo & Eccleſiæ ſpirituali reſervatum ut ejuſmodi peccata condonet: idque probat, quoniam Chriſtus per Petrum poteſtate extraordinariâ Eccleſiam ædificare voluit: En ſumma erroris Tertulliani, cujus hîc verba exſcribam. *De tua nunc ſententia quæro: undè hoc jus Eccleſiæ uſurpes? ſi quia dixerit Petro Dominus, ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: tibi dabo claves regni cæleſtis: vel quæcumque alligaveris vel ſolveris in terra, &c. idcircò præſumis & ad te derivaſſe ſolvendi & alligandi poteſtatem, id eſt, ad omnem Eccleſiam Petri propinquam: qualis es evertens atque commutans manifeſtam Domini intentionem perſonaliter hoc Petro conferentem: ſuper te (inquit) ædificabo Eccleſiam meam, & dabo tibi claves, non Eccleſiæ, &c. Et in ipſo Eccleſia exſtructa eſt, id eſt ſuper ipſum, &c.* Hæc Tertullianus, qui antequam hæreſi Montaniſtarum eſſet

Digitized by Google

contaminatus, docuit Dominum Petro & per Petrum Eccleſiæ claves reliquiſſe, in ſcorpiaco adversùs Gnoſticos cap. 10.

III. Baronius tomo 1. Annalium ad annum Chriſti 34. ubi de Primatu Petri velitatur num. 201. perhibet *Optatum docere Petrum meruiſſe omnibus præferri Apoſtolis, & claves regni Cælorum communicandas cæteris ſolùm accepiſſe bono unitatis.* Hìc integrum locum Optati ex lib. ſeptimo hiſtoriæ Africanæ exſcribam: ut enim convinceret Donatiſtas non debuiſſe ſchiſma facere propter nonnullos, qui ſacros libros tempore perſequutionis Decii Imperatoris comburendos tradiderant, oſtendit à majore ad minùs, longè majorem culpam fuiſſe in Petro quàm in illis ſacrarum Scripturarum traditoribus, & tamen Chriſtum, ut demonſtraret unitatem Eccleſiæ ſervandam, neque propter quorumdam Paſtorum errata ſchiſma eſſe faciendum, dediſſe claves Petro, quamvis ter Dominum abnegaſſet, cujus trinam negationem quovis alio genere peccati majorem ſic indicat. *Gravius eſt enim negare eum qui loquutus ſit, quàm tradidiſſe verba quæ loquutus ſit. Et cùm hæc ita ſcripta ſint, tamen bono unitatis B. Petrus, cui ſatis erat ſi poſtquàm negavit ſolam veniam conſequeretur, & præferri Apoſtolis omnibus meruit, & claves regni Cælorum communicandas cæteris ſolus accepit.* Et aliquantò inferiùs. *Potuit utique caput Apoſtolorum ita ſe gubernare, ut nihil incurreret quod doleret: ſed ideò in uno titulo ejus multa videntur errata, ut poſſit oſtendi bono unitatis omnia debere Deo ſervari, & neſcio an in altero hoc genus peccati tanti ponderis eſſe poſſit, quanti in B. Petro fuiſſe manifeſtum eſt: quiſquis enim fortè in aliqua perſequutione negavit Filium Dei, in comparatione B. Petri videtur leviùs deliquiſſe ſi negavit quem non vidit, ſi negavit quem non agnovit, ſi negavit cui nihil promiſit, ſi ſemel negavit, &c.* Quo ex textu claret Optatum multa per Anxeſim dicere, ut œconomiæ ſuæ & propoſito inſerviat: & conſequenter non omnia eſſe dogmatica, cujuſmodi eſt *ſolum Petrum claves regni Cælorum communicandas cæteris Apoſtolis* accepiſſe: hoc enim omnium Patrum antiquorum atque ipſius Bellarmini teſtimonio falſum eſt. Quocirca Baronio hunc locum venditanti conſenſum Catholicum atque inſuper unius judicium nullum eſſe opponimus. Vide octavam regulam cap. 2. libri 2. ſupra poſitam. Cæterum genuinus & dogmaticus Optati ſenſus eſt, Petrum tanquàm os & Coryphæum Apoſtolorum & ſymbolum ac figuram unitatis Eccleſiæ claves accepiſſe à Chriſto communicandas quidem non cæteris Apoſtolis qui honore & poteſtate Petro erant æquales, ſed Epiſcopis qui erant ubique terrarum conſtituendi ad promulgandum Evangelium. Neque ſolus Petrus ita claves communicavit, ſed omnes alii Apoſtoli qui etiam Epiſcopos conſtituerunt, ſicut & Petrus. Profectò in legendis Patrum libris ſemper meminiſſe debemus regulæ Auguſtini Can. ego ſolis diſt. 9.

Bellarminus lib. 1. de Rom. Pontifice cap. 25. alium locum profert Optati lib. 2. ſtatim initio, undè infert *Petrum & Caput Eccleſiæ & ejus Cathedram unicam dici in tota Eccleſia*, locus autem Optati integer ſic habet. *Igitur negare non potes ſcire te in urbe Roma Petro primo Cathedram Epiſcopalem eſſe collocatam: in qua ſederit omnium Apoſtolorum Caput Petrus; undè & Cephas appellatus eſt. In qua una Cathedra unitas ab omnibus ſervaretur, ne cæteri Apoſtoli ſingulas ſibi quiſque defenderent, ut jam ſchiſmaticus & peccator eſſet qui contra ſingularem Cathedram alteram collocaret. Ergo Ca-*

Digitized by Google

thedra unica quæ eſt prima de dotibus, ſedit prior Petrus, cui ſucceſſit Linus, Lino ſucceſſit Clemens, Clementi Anacletus, &c. Julio Liberius, Liberio Damaſus, Damaſo Siricius hodie qui noſter eſt ſocius, cum quo nobis totus orbis commercio formatarum in una Communionis ſocietate concordat, &c.

At primum reſpondeo, Bellarminum corrumpere textum Optati ut proclivius ſuam ſententiam corroboret: ubi enim Optatus habet, *in qua una Cathedra unitas ab omnibus ſervaretur, &c.* Bellarminus legit, *in quo uno Petro ſcilicet Cathedra unitas ſervaretur*: quaſi verò hæc unitas Cathedræ à ſolo Petro aut à Papa efficienter & non ſymbolicè penderet: ſiquidem nomine unius Cathedræ, una fides & doctrina Evangelica intelligitur, quam Petrus confeſſus eſt Mathæi 16. *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Neque his contentus Bellarminus, ubi Optatus legit, *ergo Cathedra eſt unica, quæ eſt prima de dotibus*, ſedit prior Petrus &c. Contra ille ſubſtituit, *ergo Cathedra una eſt quæ eſt prima de dotibus in ea ſedit primus.* Secundò, urgeo Optatum hoc in loco alludere ad Cypriani ſententiam lib. de unitate Eccleſiæ ſupra explicatam, ubi ait: *Primatus vero Petro datur ut una Chriſti Eccleſia & Cathedra monſtretur, &c.* Quæ verba convincunt Petrum aut Papam eſſe ſymbolum, non cauſam efficientem unitatis. Ut enim Cathedra S. Thomæ verbi gratiâ eſt ſymbolum doctrinæ ejuſdem, ita & hæc una Cathedra Petri figura eſt doctrinæ Evangelicæ, auctore Hieronymo, Chryſoſtomo, Bedâ & aliis ſupra laudatis. Porrò cùm una atque individua ſit ubique hæc fides, *tu es Chriſtus Filius Dei vivi*, ſicut etiam doctrina Evangelica quam cuncti Apoſtoli promulgarunt: & Paulus eam Romæ prædicarit ſicut & Petrus, imò plus omnibus aliis Apoſtolis laborarit in Evangelio prædicando. Certè hæc Cathedra nihilò magis ad Petrum quàm ad Paulum pertinet, niſi ratione Primatus unici Petri, qui eſt figura & ſymbolum unitatis hujus doctrinæ & Cathedræ. Tertiò, notandum mentem Optati eſſe demonſtrare, Donatiſtas qui ſchiſma fecerant nullo modo eſſe participes unitatis hujus Cathedræ & doctrinæ Evangelicæ, quando nullam cum Eccleſia Catholica communionem inirent, & continuò extra Eccleſiam, idque ſolâ lectione textus Optati liquet: quod antè illum Cyprianus de Novatianis probarat lib. de unitate Eccleſiæ, ut ſuperiùs oſtendimus. Quartò, quod ſpectat ad nomen capitis ab Optato uſurpatum, non eſt capiendum in eam partem, ut Papa aliquid in Eccleſiam influat, vel quòd ſit primus & Princeps Miniſtrorum Chriſti, ut lib. 2. docuimus. Mirum autem eſt Optatum vocem *Tò* Cephas interpretari caput, id enim apertè repugnat Sententiæ Evangelii Joannis cap. 1. verſu 42. ubi docet Cephas ſignificare Petram, vox enim eſt Syriaca non Græca.

IV. S. Leo Magnus permulta dixit oratoriè quæ ab adverſariis dogmaticè capiuntur. Primùm, ſermone tertio in die anniverſario ſuæ aſſumptionis ad Pontificatum, fundamenta abſolutæ Monarchiæ ſic delineavit: *Magnum & mirabile, dilectiſſimi, huic viro conſortium potentiæ ſuæ tribuit divina dignatio: & ſi quid cum eo commune cæteris voluit eſſe Principibus, numquam niſi per ipſum dedit quicquid aliis non negavit.* Item ſermone 2. in natali Apoſtolorum Petri & Pauli exponens hunc locum, *Ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua. In Petro ergo omnium fortitudo munitur, & divina gratiæ ita ordinatur auxilium & firmitas, quæ per Chriſtum Petro tribuitur, per Petrum Apoſtolis conferatur.* Item epiſt. 93. editionis Romanæ

quæ

Digitized by Google

quæ in collectione Conciliorum Binii eſt 89. *Sed hujus muneris Sacramentum ita Dominus ad omnium Apoſtolorum officium pertinere voluit, ut in beatiſſimo Petro Apoſtolorum omnium ſummo principaliter collocaret, ut ab ipſo quaſi quodam capite dona ſua velut in corpus omne diffunderet, ut exortem ſe myſteris intelligeret eſſe divini, qui auſus fuiſſet à Petri ſoliditate recedere; hunc enim in conſortium individuæ unitatis aſſumptum, id quod ipſe erat voluit nominari, dicendo, tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Item epiſt. ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem Epiſcopum quæ eſt 84. Binii omnium primus quod ſciam meminit plenitudinis poteſtatis ad mentem recentiorum, quaſi Papa eſſet abſolutus monarcha. *Vices noſtras ita tuæ credimus charitati* (*inquit*) *ut in partem ſis vocatus ſolicitudinis, non in plenitudinem poteſtatis.* Deinde ſub finem epiſtolæ. *Hæc connexio totius corporis unanimitatem requirit; ſed præcipuè exigit concordiam Sacerdotum: quibus cùm ſit dignitas communis, non eſt tamen ordo generalis, quoniam & inter beatiſſimos Apoſtolos in ſimilitudine honoris fuit quædam diſcretio poteſtatis: & cùm omnium par eſſet electio, uni tamen datum eſt ut cæteris præmineret. De qua forma Epiſcoporum quoque orta eſt diſtinctio, & magnâ diſpoſitione proviſum eſt, ne omnes ſibi omnia vendicarent, ſed eſſent in ſingulis provinciis, quorum inter fratres haberetur prima ſententia, & rursùs quidam in majoribus urbibus conſtituti ſolicitudinem ſuſciperent ampliorem, per quos ad unam Petri Sedem univerſalis Eccleſiæ cura conflueret, & nihil uſquam à ſuo capite diſcederet, &c.*

Hi autem & ſimiles loci, qui apud Leonem Magnum leguntur, dehinc occaſionem multis Pontificibus ſuas dilatandi fimbrias præbuerunt. Nam ſicut à Rege Franciæ, verbi cauſâ, omnis auctoritas & juriſdictio proportionatim & reſpectivè in Proreges, Legatos Principis, Parlamenta & reliquos regni Magiſtratus dimanat: ſimiliter finxerunt à S. Petro & ejus Succeſſoribus totam juriſdictionem Eccleſiaſticam in reliquos Epiſcopos, Archiepiſcopos & Primates vel Patriarchas haud aliter fluere, quàm *unguentum in capite quod deſcendit in barbam Aaron atque oram veſtimenti ejus.* Porrò cùm obſervarent ſacram Scripturam cum univerſis Patribus clarè aſſerere Chriſtum ex æquo, individuè & in commune Sacerdotium ſuum cum juriſdictione clavium contuliſſe Apoſtolis: atque omnes Apoſtolos *honore & poteſtate pares eſſe Petro*, ut vim hujus argumenti declinarent, ut jam dixi, commenti ſunt Chriſtum ſeparatim contuliſſe poteſtatem ordinis, à poteſtate juriſdictionis in foro exteriore: hancque uni Petro creditam ut eam communicaret aliis. Item finxerunt cæteris Apoſtolis ſupremam poteſtatem delatam velut Legatis extraordinariis, & non tanquàm Paſtoribus ordinariis, atque etiam cum quadam juridica ſubjectione ad Petrum Paſtorem ordinarium, imò Ordinarium Ordinariorum, ut loquuntur: cui ſoli Chriſtus dixit, *paſce oves meas.* Sic enim de Turrecremata lib. 2. de Eccleſia cap. 12. Cajetanus de comparatione auctoritatis Papæ & Concilii cap. 3. & 4. Bellarminus lib. 1. de Rom. Pontifice cap. 12. quibus diſtinctionibus de poteſtate ordinis & juriſdictionis hæc verba Leonis originem præbuiſſe arbitror, quoniam inter beatiſſimos Apoſtolos in ſimilitudine honoris quædam fuit diſcretio poteſtatis. Quam loquendi formulam Baronius lib. 1. annalium ad annum Chriſti 34. num. 203. haud aliter urget, quàm aliquod divinum Oraculum Evangelii fide tenendum. His

Digitized by Google

autem atque ſimilibus Pontificum dictis in ſua cauſa opponendum eſt quod Pariſienſis Cancellarius jam aliàs prolatus ſtatuit lib. 2. articulorum contra Petrum de Luna in probatione tertiæ concluſionis : ſcilicet , *illa jura eſſe reverenter gloſſanda & interpretanda ad invariabilem legem Chriſti. Et ſi quis velit illa tenere in ſuis terminis protervè & rigidè , nos cum omni libertate talia ſcripta negare , & per conſequens non eſſe canonica : quoniam nullum jus eſt cenſendum , quod divinæ legi convincitur contraire.* De epiſtola Leonis ad Theſſalonicenſem Epiſcopum res ſic habet, ille mandarat Theſſalonicenſi Præſuli , ut quaſdam controverſias in Illyrio ſibi proximo definiret (Illyrium autem Romano Patriarchæ ſubjiciebatur) cùmque Theſſalonicus Epiſcopus mandati fines exceſſiſſet , meritò à Leone Magno reprehenditur qui in ejuſmodi reprehenſione multa blandiente Cathedrâ effundit , ut cum D. Bernardo loquar. Verùm reſcire oportet (hoc enim ad Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ notitiam ſpectat) morem inſtituendi & remittendi Legatos in exteras Povincias, quem Romani Pontifices diligenter prudenterque excoluerunt , non parvam acceſſionem incremento poteſtatis abſolutæ præbuiſſe de poteſtatis plenitudine , quàm in partem ſit capienda docet Synodus Conſtantienſis ſeſſione 8. decernens Papam habere poteſtatem ſuper Eccleſias diſgregatas pro juris divini, naturalis & Canonici exequutione : atque etiam ut leges condat in actu primo. Cæterum S. Leo clarè oſtendit Metropoles Eccleſiaſticas ad Typum Metropolium Imperii erectas, *dum perhibet Epiſcopos in majoribus urbibus* conſtitutos majorem ſuſcepiſſe ſolicitudinem.

V. Baronius ad annum Domini 34. num. 203. ut probet Petrum univerſo gregi, reliquos autem in partem dumtaxat ſolicitudinis quoad juriſdictionem evocatos à Chriſto : hunc D. Gregorii textum in aciem explicat ex epiſt. 38. lib. 4. ad Joannem Conſtantinopolitanum. *Certè Petrus Apoſtolus primum membrum ſanctæ & univerſalis Eccleſiæ eſt : Paulus & Andreas, Joannes quid aliud quàm ſingularum plebium capita? Et tamen ſub uno capite omnes membra ſunt Eccleſiæ; atque ut cuncta brevi cingulo loquutionis aſtringam, ſancti ante legem, ſancti ſub lege, ſancti ſub gratia, omnes hi perficientes Corpus Domini in membris ſunt Eccleſiæ conſtituti.*

Reſpondeo ex communi & Catholico conſenſu omnium Patrum atque adeò ipſiuſmet Bellarmini conſtare totum orbem terrarum committi regendum Apoſtolis ex æquo Joannis 20. *ſicut miſit me Pater & ego mitto vos.* Item Mathæi & Marci ultimo. Euntes *in mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ.* Itaque contendo hunc communem conſenſum totius Eccleſiæ Catholicæ unius Gregorii opinioni meritò præponi : cùm exploratiſſimum habeam virum ſanctiſſimum atque humillimum idem facturum, & certum ſit adverſarios non poſſe aciem horum locorum Scripturæ & conſenſus Catholici Patrum aliter declinare, quàm Elencho à ſuppoſitione principii, fingendo ſolum Petrum fuiſſe ordinarium Paſtorem, alios verò Apoſtolos ſolummodò legatos extraordinariâ poteſtate donatos.

VI. Bellarminus in reſponſione apologiæ pro juramento fidelitatis quam ſub nomine Mathæi Torti edidit, & poſtea ut ſuam approbavit §. XLII. diſputat quid ſit Papam eſſe *Caput fidei*, captatâ occaſione ex hoc loco D. Gregorii lib. XI. epiſt. 42. ad Epiſcopum Panormitanum, cui Gregorius Pallium miſerat, & in hujus muneris adornationem ita ſcripſerat, caveret, *ne Apoſtolicæ Sedis reverentia ullius præſumptione*

Digitized by Google

turbaretur. Tunc enim (*inquit*) *ſtatus membrorum integer manet, ſi caput fidei nulla pulſet injuria, & Canonum manet incolumis atque intemerata ſemper auctoritas: ut ſicut à nobis hujuſcemodi decoris uſum ad Sacerdotalis officii honorem accepiſſe te gaudes, ita etiam morum atque actuum probitate ſuſceptum adornare contendas officium. Sic etenim alterno eris decore conſpicuus, ſi ad hujuſcemodi corporis habitum mentis quoque tua bona concordant.* Bellarminus autem docet Papam dici *caput fidei à B. Gregorio, nihil aliud ſignificare, quàm eſſe Caput Fidelium, Caput Eccleſiæ, Caput per quod Eccleſia fidem & diſcit & docet.* Quæ verba in bonum ſenſum capi poſſunt modò Bellarminus ejuſmodi vocibus æquivocis infallibilem Papæ monarchiam inſtaurare nolit. Fateor quidem Papam eſſe caput, id eſt, primum & principem omnium fidelium. Fateor quoque & caput Eccleſiæ ad eundem modum dici poſſe. Item caput eſſe per quod Eccleſia fidem diſcat & doceatur, modò Eccleſia pro cœtu fidelium non pro hierarchico ordine collectim ſumpto capiatur: quia certum eſt Chriſtum toti Eccleſiæ Sacerdotali, non uni & ſoli Petro ſeorſim ſumpto claves & gratiam infallibilitatis conceſſiſſe, multòque potiorem eſſe Eccleſiæ & Concilii quàm Papæ auctoritatem: Sed verba D. Gregorii dogmaticè expendamus: *tunc ſtatus membrorum integer manet, ſi fidei caput nulla pulſet injuria:* ita meus Codex legit, *non pulſetur*, ut habet Bellarminus. Primò *ſtatus membrorum integer manet*, amphibologià laborat: *omnes enim unum corpus ſumus in Chriſto, alter alterius membra*, neque ullo modo eſſe poſſumus membra Papæ, quocirca hæc verba S. Gregorii *ſtatus membrorum &c.* oratoriè capienda ſunt, continuòque etiam hæc alia, *ſi fidei caput nulla pulſet injuria*, ſi quidem *tò caput fidei* relationem dicit ad hanc aliam formulam *tò ſtatus membrorum &c.* neque *tò* caput ullum alium dogmaticum ſenſum poteſt admittere, quàm ſi intelligamus Papam ratione Primatus, & *tanquàm os omnium Epiſcoporum & Succeſſorem Petri*, omnibus aliis præire in edenda fide, ſicut Petrus aliis Apoſtolis anteivit; nequaquàm verò quòd ſolus Papa ſit cauſa efficiens decretorum fidei, aut ei donum infallibilitatis competat. Eâdem pariter notione Legati Cæleſtini PP. I. in prima Synodo Epheſina ad calcem actionis 2. vocant Petrum *totius Fidei Caput*, vide collectionem Binii tomo 1. Conciliorum, in tomo 2. Epheſini Concilii cap. 15.

VII. Gratianus *2. quæſt. 7. Can. Petrus*, perſuadere vult S. Gregorium docere poteſtatem regni accepiſſe lib. 9. epiſt. 39. ad Theotiſtam Patritiam circa medium. *Petrus*, ait Gratianus, *poteſtatem regni acceperat: & tamen idem Apoſtolorum primus querimoniæ contra eum à fidelibus facta, cur ad gentes intraſſet, non ex poteſtate officii* (*quà poſſet dicere, oves Paſtorem ſuum non accuſent, nec reprehendant*) *ſed ex ratione divinæ virtutis quà gentiles acceperant Spiritum ſanctum, reſpondit.* Neque diſſimili argumento Vallius utitur lib. de ſuprema poteſtate, parte 1. quæſt. 8. paulò ante medium. Chriſtus (inquit) paſſim regni nomine in ſacris litteris Eccleſiam ſignificavit Lucæ 16. *Simile eſt regnum Cælorum decem Virginibus vel homini Patrisfamilias, ſagenæ miſſæ in mare, ut luculenter docet Gregorius in Evangelia: atqui Regno Rex eſt eſſentialis, & abſque eo nequidem dari, ſed ne cogitatione quidem poteſt apprehendi: igitur nec Eccleſia abſque ſummo Pontifice.* Quod argumentum traxiſſe videtur à Bellarmino lib. 2. de Conciliorum auctoritate cap. 14. Verùm oppono longè aliud eſſe

Digitized by Google

dicere *Petrum poteſtatem regni cæleſtis accepiſſe ut quæcumque in terra ligaret vel ſolveret, eſſent in cælo ligata & ſoluta*, ſicut explicatè loquitur Gregorius, & perſuadere velle cum Gratiano atque Vallio Petrum abſolutè poteſtatem regni accepiſſe à Chriſto, ita ut non teneretur rationem eorum quæ geſſit reddere Eccleſiæ: Nam cùm poteſtas Petri ſit in ordine ad regimen Ariſtocraticum & communionem Sanctorum, quæ nec cogi nec abſolutè poteſt imperari, D. Petrus Eccleſiæ quidem poſcenti rationem ſuæ converſationis cum gentibus debebat reddere: non quòd Eccleſia ignoraret Evangelium prædicandum eſſe gentibus (hoc enim Chriſtus disertè docuerat Mathæi & Marci ultimo) ſed quia putabat nondum illud tempus adveniſſe, atque Judæos priùs eſſe informandos quàm gentes erudirentur: verumtamen ſingularis pietas Cornelii tempus anticipavit, effecitque ut B. Petrus extraordinariè à Deo edoceretur de Cornelii converſione actorum x.

VIII. Idem Gratianus *diſt. 22. Can. Omnes*, efficere vult ſolam Romanam Eccleſiam à Chriſto fundatam, reliquas verò Eccleſias auctoritatem ab Romana Eccleſia mutuari: quem Canonem ex epiſtola Nicolai PP. ad Mediolanenſes decerpſit, atque ita legit: *Omnes ſive Patriarchii cujuſlibet apices, ſive Metropoleon, Primatus, aut Epiſcopatuum Cathedras, vel Eccleſiarum cujuſlibet ordinis dignitates inſtituit Romana Eccleſia. Illam verò ſolus ille fundavit, & ſuper hanc petram fidei mox naſcentis erexit, qui B. Petro æternæ vitæ clavigero terreni ſimul & cæleſtis imperii jura commiſit. Qui autem Romanæ Eccleſiæ privilegium ab ipſo ſummo omnium Eccleſiarum Capite traditum auferre conatur, hic procul dubio in hæreſim labitur, dicenduſque eſt hæreticus: fidem quippè violat qui adversùs illam agit, quæ mater eſt Fidei, &c. Undè & ipſe Ambroſius ſe in omnibus ſequi Magiſtram ſanctam Romanam profitetur Eccleſiam.* Hactenùs Canon Gratiani, cui pariter videtur opitulari Reſponſorium ſextæ Lectionis Feſti Apoſtolorum Petri & Pauli 29. Junii: *Tu es Paſtor ovium, Princeps Apoſtolorum, tibi tradidit Deus omnia regna mundi, & ideò tibi tradita ſunt claves regni cælorum.*

Porrò hæc objectio quinque capit puncta, quibus ſingulatim ſatisfacio. Primùm, quòd dicitur omnes Patriarchatus, Metropoles, Primatus, Cathedras Epiſcopatuum, atque dignitates Eccleſiarum omnium inſtitutas per Romanam Eccleſiam, æquivocum eſt. Si enim nomine Romanæ Eccleſiæ Eccleſiam univerſalem ſignificant, concedo hoc ſenſu verè dici poſſe Romanam Eccleſiam inſtituiſſe Patriarchatus, Metropoles, &c. Si autem de ſolo Papa, aut de ſola Diœceſi Romana agatur, falſum eſt illam inſtituiſſe Patriarchatus, Metropoles, Epiſcopatus, &c. De Patriarcharum inſtitutione conſule librum 1. Hiſtoriæ noſtræ Conciliorum Generalium. Non quidem abnegarim poſt translationem Imperii ad Francos, Pontifices Romanos quoſdam Primatus, Metropoles, & Epiſcopatus inſtituiſſe: quia tum abſoluta Monarchia gliſcebat, anteà verò id feciſſe pernego. Secundò, quòd Nicolaus & Gratianus perhibent Chriſtum ſolam fundaſſe Romanam Eccleſiam, ſi de Diœceſi Romana & Papa privatim loquantur, hoc falſum atque erroneum eſt; verum autem ſi de tota Eccleſia Catholica aut univerſo ordine hierarchico, quem Chriſtus immediatè fundavit, ut libro precedenti docuimus. Tertiò, hæc formula, *qui terreni ſimul & Cæleſtis imperii jura commiſit B. Petro, &c.* homonymiam præ ſe fert. Itaque his verbis innuere volunt Papam aut Eccleſiam Romanam aliquid ha-

Digitized by Google

bere juris à Chriſtō in res temporales ad Reges & Principes exauctorandos, hoc quidem ut falſum atque erroneum negamus. Sin verò deſignant Petrum & Eccleſiam poſſidere à Chriſto facultatem ſpiritualem, ita ut quæcumque in terris Canonicè ligaverint, ligata perdurent in Cœlo, & contra quæ ſolverint Canonicè in terris, ſoluta maneant in Cœlo. Id ultro concedimus : & ad hunc ſenſum ſolemne Reſponſorium feſti Apoſtolorum capi oportere contendimus, *tibi tradidit Deus omnia regna mundi, &c.* Enimverò non tantum Petro, ſed & omnibus Apoſtolis ex æquo tradita ſunt omnia regna mundi ad prædicandum Evangelium omni creaturæ, &c. Quartò, ſi per Eccleſiæ Romanæ privilegium à Chriſto traditum, ſignificent Primatum cum cæteris privilegiis quæ communi Eccleſiæ Catholicæ libero conſenſu Romanæ Eccleſiæ accreverunt, annuo hæreſim eſſe ea tollere aut impugnare. Quòd ſi horum privilegiorum obtentu nobis ſuam abſolutam infallibilem monarchiam venditent; negatur eſſe hæreſim aut ſchiſma, vel etiam ullum peccatum hanc fictitiam monarchiam abnegare & profligare : maximè verò hodie quando à novis Theologis tanquàm dogma Catholicum obtruditur. Et ita jugum intolerabile conſcientiis imponitur. Quod ne fiat, Theologi ex officio impedire, atque adversùm clamare tenentur. Ne humanæ adinventiones pro jure divino aſſerantur. Cæterum quòd Gratianus Romanam Eccleſiam *matrem fidei* nuncupat, eundem habet ſenſum cum verbis Gregorii *caput fidei* ſupra explicatis. Quintò, locus S. Ambroſii cap. 1. lib. 3. de Sacramentis ſic concipitur: ubi enim de Chriſto, qui pedes Apoſtolis abluit, diſputat, Reſpondet Romanam Eccleſiam hanc conſuetudinem abluendi pedes illis quos baptiſant non retinuiſſe, & ſe illam preſſè ſequi : Non ignoramus, ait, quòd *Eccleſia Romana hanc conſuetudinem non habeat, cujus typum in omnibus ſequimur & formam.* Et aliquantò poſt, in omnibus cupio ſequi Eccleſiam Romanam, hæc ibi.: agitur autem de ritibus & cæremoniis ſacris quæ magna ex parte fluxerunt ab Eccleſia Romana principe, quam Typum & formam aliarum meritò vocat Ambroſius. De his autem quæ ad doctrinam & fidem aut politiam & regimen Eccleſiæ ſpectabant, apprimè norat ex praxi Eccleſiæ Synodicè conſtitui oportere Canone 5. Synodi Nicænæ.

Digitized by Google

CAPUT SECUNDUM.

I. D. Thomam primum omnium ſcholaſticorum Theologica argumenta excogitaſſe ad propugnandam abſolutam Papæ monarchiam, ſuique ordinis immunitates contra jus commune & regimen ariſtocraticum invectas.

II Octodecim argumenta D. Thomæ pro abſolutâ monarchiâ depelluntur.

III. De via & ratione quâ Chriſtus voluit omnes chriſtianos in unitatem fidei convenire.

IV. Explicatio dogmatica hujus loci : fiet unum Ovile & unus Paſtor, *quo adverſarii paſſim abutuntur.*

V. Solus Chriſtus propriè eſt ſponſus Eccleſiæ, Papa & alii Epiſcopi dumtaxat paranymphi.

I. Divus Thomas primus omnium Scholaſticorum Theologica argumenta ad propugnandam abſolutam monarchiam Papæ edolavit, quò faciliùs privilegia atque immunitates ordini ſuo in perniciem juris communis & Ariſtocrati regiminis Eccleſiæ, conceſſa roboraret adversùs Pariſienſem Academiam, quæ novitate ejuſmodi privilegiorum ante incognitorum excitâ, jus commune contra Privilegiatos tutabatur. Quæ controverſia eidem B. Thomæ anſam præbuit tractatum quemdam lucubrandi, & magnificè inſcribendi *contra impugnantes Religionem*, à dicto ſecundùm quid ad dictum ſimpliciter: quaſi verò jus commune & Ariſtocraticum regimen contra immoderata privilegia Religioſorum eſſet Religionem abſolutè impugnare: ſed ita fuit concipiendus ejuſmodi tractatus ad majorem creandam invidiam ſcholæ Pariſienſi, & percellendos animos ſimplicium. Opinionem D. Thomæ totus ordo Dominicanorum mordicus tuetur: Joannes autem de Turrecremata etiam Dominicanus Doctorque Pariſienſis, qui Baſileenſi Concilio interfuit & pro Eugenio acerrimè depugnavit, undè etiam Galero Cardinalitio poſtea donatus eſt, ſummam fecit omnium argumentorum B. Thomæ de auctoritate ſummi Pontificis, quæ argumenta in unum conjecit opuſculum tribus & ſeptuaginta quæſtionibus conſtans, illudque tribus libris ſummæ ſuæ de Eccleſia præmiſit, atque Juliano Cardinali ſancti Angeli nuncupavit; qui primis ſeptem annis Baſileenſis Concilii, Eccleſiæ reformationem in capite & in membris ſtrenuè promovit in Baſileenſi Concilio tanquàm Martini V. atque Eugenii IV. Legatus; ſed tum demùm Cardinalis ab Eugenio ad partes Curiæ Romanæ abductus, relicto Baſileenſi Concilio ſeceſſit Ferrariam.

II. Ut igitur ad collectanea ex D. Thomæ quæſtionibus veniamus, Turrecremata

Digitized by Google

quæſt. 1. hoc fundamentum omnium placitorum B. Thomæ defigit ex lib. 4. ſentent. diſt. 24. quæſt. ultimâ, ſcilicet *omne particulare regimen debere reduci ad aliquod univerſale, quia alioqui non poteſt reduci ad unum : ex quo concludit gubernationem Epiſcopalem reduci ad Papalem.* Deindè ad auctoritates, quibus probatur datam juriſdictionem in commune omnibus Apoſtolis Joan. 20. reſpondet Chriſtum, ut in hac conferenda poteſtate ordinem aliquem ſignificaret, primùm ſoli Petro dediſſe claves ut oſtenderet ab eo debere iſtam poteſtatem deſcendere : ac propterea eidem dixiſſe ſingulariter, *confirma fratres tuos* : *& paſce oves meas*, id eſt loco mei, ut dicit Chryſoſtomus.

Secundò, ibidem ex lib. 4. cap. 76. ſummæ D. Thomæ contra Gentiles. *Quamvis populi per diverſas Diœceſes diſtinguantur*, ait, *tamen ſicut una eſt Eccleſia, ita oportere eſſe unum populum Chriſtianum : & ſicut in uno ſpeciali populo & diœceſi requiritur unus Epiſcopus qui ſit totius populi caput, ita & in toto populo Chriſtiano requiri quòd ſit unum totius Eccleſiæ Caput.*

Tertiò, ad unitatem Eccleſiæ requiri quòd omnes Fideles in Fide conveniant : & quoniam circa ea quæ ſunt Fidei ſæpè convenit quæſtiones moveri, ne per diverſitatem ſententiarum divideretur Eccleſia, oportere ad unitatem Eccleſiæ conſervandam, quòd ſit unus qui toti Eccleſiæ præſit, & hunc eſſe ſummum Pontificem. Non eſt ergo dubitandum quin ex ordinatione Chriſti unus toti Eccleſiæ præſit (inquit.)

Quartò, nulli dubium eſſe debet Chriſtum non defuiſſe in neceſſariis. Porrò neceſſarium eſſe ut Eccleſiæ regimen ſit optimè ordinatum utpotè per eum diſpoſitum, per quem Reges regnant & legum conditores juſta decernunt : opportunum autem regimen multitudinis eſt, quod regatur per unum : quod patet ex fine regiminis quod eſt pax ; pax enim & unitas ſubditorum eſt finis regentis : unitatis autem cauſa congruentior eſt unus quàm multi.

Quintò, Eccleſia militans à triumphante per ſimilitudinem derivatur : in triumphante autem unus præſidet, ſcilicet Deus, ergo & in Eccleſia militante unus eſt ſummus Pontifex, Vicarius Chriſti, qui præſidet univerſis, Joannis 10. & *& fiet unum ovile & unus Paſtor, &c.* Et hinc eſt quod Dominus dixit Petro antè Aſcenſionem : *Paſce oves meas*, Joannis ultimo, & *confirma fratres tuos*, Lucæ 22.

Sextò, ſi quis dicat, quòd unus Paſtor & unum Caput eſt Chriſtus, qui eſt unus & unicus Eccleſiæ Sponſus, non ſufficienter reſpondet : manifeſtum eſt enim quòd omnia Eccleſiaſtica Sacramenta ipſe Chriſtus perficit, ipſe eſt enim qui baptiſat, qui peccata dimittit, &c. Et tamen quia corporaliter, non cum omnibus Fidelibus præſentialiter erat futurus, elegit miniſtros per quos prædicta Sacramenta Fidelibus diſpenſaret ; eâdem ratione ergo, quia præſentiam corporalem erat Eccleſiæ ſubſtracturus, oportuit ut alicui committeretur, qui loco ſui Eccleſiæ gereret curam : & hinc eſt, quod Petro dicit antè aſcenſionem, *paſce oves meas, &c.* & *confirma fratres tuos*, & hæc de prima quæſtione.

Septimò, quintâ quæſtione ait, S. Thomam ad id quòd Gregorius Magnus nomen Epiſcopi univerſalis detrectat, reſpondere tractatu contra impugnantes religionem id fieri, non quòd Papa minimè habeat auctoritatem imme-

Digitized by Google

diatam & plenam in qualicumque Eccleſia, ut proprius & ſpecialis illius Eccleſiæ rector, ſic enim ceſſarent omnium aliorum Pontificum poteſtates.

Octavò, in quæſt 11. dicit Chriſtum propriè loquendo eſſe Sponſum Eccleſiæ, Papam verò, quia obtinet vicem Sponſi in tota Eccleſia univerſali, etiam Sponſum dici, & ad dictum Bernardi, quòd non ſit Sponſus ſed paranymphus & amicus Sponſi, opponit ideò Epiſcopos dici paranymphos, quòd non ſibi ſed Chriſto deſponſent Virgines.

Nonò, in quæſtione 14. ex tractatu contra impugnantes religionem citat *Canonem Omnes diſt. 22.* quo edicitur illos in hæreſim labi, qui non obediunt Eccleſiæ Romanæ quæ eſt mater Fidelium, citatque Cyrillum Alexandrinum lib. 2. theſaurorum præcipiente, *ut membra maneamus in capite noſtro Apoſtolico Throno Romanorum Pontificum, à quo noſtrum eſt quid credere & tenere debeamus ipſum venerantes, ipſum rogantes præ omnibus. Quoniam ipſius ſolùm eſt reprehendere, corrigere, ſtatuere, ſolvere, & loco illius ligare qui ipſum ædificavit & nulli alii, &c.* undè infert, quicumque dicit non eſſe obediendum in his, quæ per Papam ſtatuuntur, in hæreſim labi.

Decimò, quæſt. 15. & 4. ſentent. diſt. 14. colligit omnes eſſe ſchiſmaticos qui non obediunt Romano Pontifici, quia neceſſarium ſit dare unam poteſtatem Epiſcopalem regitivam reſpectu totius Eccleſiæ ſupra poteſtatem Epiſcopalem: & ideò qui hanc poteſtatem negant, dicuntur ſchiſmatici, quaſi diviſores Eccleſiaſticæ unitatis.

Undecimò, quæſt. 16. aſſerit potiùs obediendum Papæ quàm alteri cuicumque poteſtati: quia (inquit) ſicut ſe habet poteſtas ad omnem creatam poteſtatem, & poteſtas Imperatoris ad poteſtatem Proconſulis, ſic etiam ſe habet poteſtas Papæ ad omnem poteſtatem in Eccleſia, quia ab ipſo Papa gradus dignitatum diverſi in Eccleſia diſponuntur & ordinantur, undè ejus poteſtas eſt quoddam Eccleſiæ fundamentum Mathæi 16. idque iterùm recoquit quæſt. 23. & quæſt, 64. probat potiùs Papæ quam Regi obediendum.

Duodecimò, quæſt. 19. ex tractatu D. Thomæ contra errores Græcorum cap. 69. ait Canonem Concilii Chalcedonenſis ita edicere, *ſi quis Epiſcopus prædicatur infamis, liberam habeat ſententiam appellandi ad beatiſſimum Epiſcopum antiquæ Romæ, quem habemus petram refugii, & ipſi ſoli liberâ poteſtate loco Dei ſit jus diſcernendi Epiſcopi infamiam, ſecundùm claves ſibi à Domino datas, & omnia ab eo definita teneantur, tanquàm à Vicario Apoſtolici Throni:* citat quoque Cyrillum in theſauro, de quo frequentem habet mentionem.

Decimò tertiò, quæſt. 22. probat ex 4. ſentent. diſt. 29. Papam habere plenitudinem poteſtatis Pontificiæ, quaſi regem in regno, & Epiſcopos tantùm aſſumi in partem ſolicitudinis, ſicut judices qui ſingulis præficiuntur Civitatibus.

Decimò quartò, quæſt 24. dicit Papam ideò poſſe uti clave in quemlibet, quoniam habet indiſtinctam poteſtatem ſuper omnes. At Epiſcopos tantùm ſub Papa habere diſtinctas poteſtates, eamque ob cauſam non poſſe uti clavibus in quemlibet, ſed in eos tantùm, qui eis venerunt in ſortem. Et idcircò narrat Cyrillum docere *omnes jure divino caput inclinare Pontifici Romano, & tanquàm ipſi Domino Jeſu eidem obedire.*

Decimò

Digitized by Google

Decimò quintò, quæſt. 28. ex 4. ſentent. diſt. 17. quæſt. 47. dicit Papam eſſe immediatum Prælatum cujuslibet Fidelis : ejus fundamentum eſt, quòd poteſtas Epiſcopalis & Presbyteralis ſubordinata ſit poteſtati Papæ; & quod Romana Eccleſia nullis Synodicis Conſtitutionibus cæteris Eccleſiis prælata ſit, ſed Domini voce primatum obtinuit, diſt. 22. can. Quamvis.

Decimò ſextò, quæſt. 49. ex ſecundâ ſecundæ quæſt. 3. in ſolutione ad tertium ait auctoritatem infallibilem decernendi principaliter reſidere in ſummo Pontifice, citatque *can. quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres & Coepiſcopos noſtros non niſi ad Petrum, id eſt ſui nominis & honoris auctorem referre debere 24. quæſt. 1.*

Decimò ſeptimò, quæſt. 58. reſpondet *ad Canonem Zozimi contra ſtatuta Patrum condere aliquid vel mutare, ne quidem hujus ſedis poteſt auctoritas 25. quæſt. 1. aitque intelligi in his quæ ſunt juris divini, non quæ ſunt juris poſitivi, quia hæc ſunt relicta diſpoſitioni Papæ, & ſanctos Patres nihil poſſe ſtatuere in Conciliis abſque auctoritate Papæ, ſine qua etiam Concilium congregari non poteſt.*

Decimò octavò, quæſt. 72. ex commentariis D. Thomæ cap. 2. ad Galatas lectione 3. de reprehenſione Petri, quem Gloſſa dicit à Paulo tanquàm à pari correptum, *opponit S. Thomas Paulum parem fuiſſe Petro in exequutione auctoritatis, non regiminis.*

Et hæc ſunt præcipua fundamenta ſcholæ Dominicanorum, quæ poſt S. Thomam à Cardinalibus de Turrecremata & Cajetano ſupra modum ampliata ſunt : omnia autem dicuntur à proportione & firmitate regiminis monarchiarum temporalium, quaſi miniſterialis, ſpiritualis & temporalis poteſtas iiſdem cauſis & principiis eſſentialibus conflaretur : quod eſt non modò abſurdum, ſed & erroneum; longè enim diverſa eſt ratio & natura materialis atque ſpiritualis gladii, rerum temporalium atque animarum. Ex quo accidit ut Reſpublicæ & monarchiæ temporales abſque abſoluto imperio regi nullo modo poſſint, à quo Eccleſiaſticum regimen eſſentialiter abhorret : quia anima quæ eſt ſubjectum poteſtatis Eccleſiaſticæ à ſolo interno principio movetur, & unitas vel communio Sanctorum, quæ eſt finis regiminis Eccleſiæ, liberè ſuaviterque per actus hierarchicos doceri & ſuaderi, non cogi aut monarchicè ab uno imperari poteſt.

Certè hæc omnia argumenta fruſtrantur à ſuppoſitione principii & à dicto ſecundùm quid ad dictum ſimpliciter; adeò ut S. Thomas ex praxi regiminis quod ſuo tempore obtinebat, de toto regimine Eccleſiæ abſolutè ſtatuat, id eſt quæſtione facti quæſtionem juris probare, omneſque Patres Eccleſiæ primitivæ, erroris, ſchiſmatis atque hæreſeos damnare, ſi hæc monarchia juris eſt divini, ut prætexunt. Verùm ſigillatim omnia ponderemus. Primùm reſpondeo, gubernationem particularem ad generalem reduci non abſoluto unius monarchæ imperio, ſed viâ & adjumentis, lege divinâ, naturali & canonicâ præſcriptis ſecundùm actus hierarchicos, illuminando per doctrinam, purgando & perficiendo ex more & praxi Eccleſiæ primitivæ, quæ Synodos liberas frequenter cogebat, atque diſciplinam Eccleſiaſticam Canonibus, non abſolutâ poteſtate ſanciebat. Vide lib. 1. hiſtoriæ noſtræ Conciliorum. Quod autem obtendit S. Thomas Chriſtum dediſſe claves uni Petro, ut om-

Digitized by Google

nem poteſtatem Eccleſiaſticam iſtinc repeti oſtenderet, id quidem eſt pro certo venditare, quod eſt poſitum in controverſia, atque libro ſuperiore abundè confutatum. Porrò de hoc loco. *Ego rogavi pro te Petre ut non deficiat fides tua,* dicetur libro ſequenti cap. 5.

Ad ſecundum, annuo ſicut in unaquaque diœceſi unus debet eſſe Epiſcopus non plures juxta octavum Nicænum, ſic Chriſtum unicum conſtituiſſe primatem in Eccleſia qui caput miniſteriale Eccleſiæ dici poteſt, quoniam primus eſt & Princeps Miniſtrorum Eccleſiæ. At pergo, caput miniſteriale poſſe quicquam influere in Eccleſiam: hoc enim ſoli Chriſto Capiti eſſentiali proprium eſt, qui pollicitus eſt ſe perpetuò adfuturum Eccleſiæ, Mathæi ultimo.

III. Ad tertium concedo omnes fideles oportere in unitatem fidei convenire. Sed nego id debere aut poſſe canonicè fieri abſoluto unius dominatu ut in monarchiis temporalibus aſſolet: quæ quidem potentiâ & ſapientiâ mundanâ à qua Eccleſia abhorret, acquiruntur & conſervantur. Siquidem ut Chriſtus omnem ſuis miniſtris occaſionem ſuperbiendi, dominatus mundani, tyrannidis aut abſolutæ monarchiæ affectandæ auferret, & ne etiam error unius abſoluti monarchæ totam Eccleſiam in errorem præcipitaret: (nam quales ſunt in Republica Principes, tales & conſueverunt eſſe cives) voluit homines ſalvos facere & regere per ſtultitiam crucis, prædicationis Evangelii, humilitatis & manſuetudinis. Ex quo accidit ut Romanus Pontifex in Synodis celebrandis præter jus regulariter convocandi Synodos, præſidendi in eis & prærogativam ſuffragii ac concluſionis, nihil quicquam jure divino ſuper alios Epiſcopos obtineat: deindè ubi Canones ſunt legitimè conditi, eos quidem poteſt exequutioni mandare erga omnes Eccleſias particulares & de illis diſpenſare in bonum & utilitatem, non privatorum, ſed totius Eccleſiæ: eoſque in caſu quo Eccleſia, ſi congregata eſſet in Concilium, diſpenſaret.

Quartò, fateor Eccleſiæ regimen eſſe optimè & congruenter ad cauſas eſſentiales poſitas à Chriſto ſapientiſſimo legislatore inſtitutum: undè cùm Evangelium ſit lex gratiæ & perfectæ libertatis, atque animas hominum habeat pro materia, quæ ſolo interno principio moventur, planè repugnat Eccleſiam per unum monarcham abſolutè eoque modo regi quo Regnum Franciæ à Rege gubernatur. Quod autem urget S. Thomas, unum eſſe congruentiorem cauſam unitatis quàm multos, verum eſt in temporalibus monarchiis, ubi monarcha eſt cauſa efficiens unitatis: ut patet de Chriſto Capite eſſentiali Eccleſiæ, & de Rege Galliæ reſpectu regni ſui in quo abſolute imperat & cogit unitatem. Falſum verò in monarchiis electivis & Ariſtocratico regimine temperatis: in quibus monarcha potiùs eſt ſymbolum & figura quàm cauſa efficiens unitatis, ſicut de Petro & Eccleſia liquet: in qua quidem leges & Canones non Prælati abſolutè imperant. Præterea quotuſquiſque neſcit olim fuiſſe & hodie etiam multa exiſtere genera rerumpublicarum atque formas gubernandi populares aut Ariſtocraticas quæ legitimè reguntur, pacemque atque unitatem feliciùs conſervant ac retinent, quàm multa regna & monarchiæ abſolutæ? Certè idem D. Thomas lib. de regimine principum aſſerit regimen purè monarchicum etiam in temporalibus non abſolutè cenſeri omnium optimum, ſed tantùm per accidens & ſecundùm quid, nimirùm poſitâ hominum ſtultitiâ & iniquitate, cùm enim ſtultorum atque nefariorum

Digitized by Google

infinitus ſit numerus, & ſinguli quæ ſua ſunt non quæ boni publici quærant: ideò longè præſtat uni & ſoli eſſe prædæ quàm multis, dato quòd temporale regimen terminos juſtæ gubernationis, ut ſæpè contingit, excederet. Legendus Almaïnus de poteſtate Eccleſiaſtica & Laïca quæſt. 3. cap. 5.

Quintum facile depellitur ex antecedentibus reſponſionibus. Diverſa enim eſt ratio triumphantis & militantis Eccleſiæ, poteſtatis Chriſti & Petri, Domini & ſervi: in Eccleſia triumphante, omnes fini ultimo ſunt uniti & *conſummati in unum*: undè non poſſunt ab illo fine, cui tamen liberè uniuntur, divelli. At in Eccleſia militante liberè & ſuaviter docendi ſunt homines, & ſponte ad Sanctorum communionem per actus hierarchicos alliciendi, ut hâc ratione piorum numerus à turba reproborum, & paleæ atque zizania à frumento ſecernantur. Quandoquidem per imperium abſolutum effici non poteſt à Papa aut aliis Prælatis, cùm ſolâ poteſtate miniſteriali ſpirituali præditi ſint: quæ cogere non poteſt quod præcipit. Verùm de his infra uberiùs cum Bellarmino.

IV. Ad ſextum omnes auctores qui commentaria lucubrarunt in caput 10. Joannis, *fiet unum Ovile & unus Paſtor*, docent hoc nominatim de uno Chriſto intelligi, idque ſeries contextus demonſtrat, *ego ſum Paſtor bonus, &c. alias oves habeo quæ non ſunt ex hoc ovili: & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet unum ovile & unus Paſtor: propterea me diligit Pater; quia ego pono animam meam & iterùm ſumo eam.* Quibus verbis Dominus indicat, *ſe morte ſuâ facturum unum ovile ex Judæis atque Gentilibus: juxta dictum Apoſtoli* Epheſior. 2. *Ipſe eſt pax noſtra qui fecit utraque unum & medium parietem maceriæ ſolvens inimicitias in carne ſua, ut duos condat in ſemet-ipſo in uno novo homine faciens pacem.* Undè & Scriptura Chriſtum vocat lapidem angularem conjungentem utroſque populos. Lyranus, *fiet unum Ovile & unus Paſtor, id eſt, una Eccleſia ex Judæis & Gentilibus collecta: & unus Paſtor eſt Chriſtus: alii autem non ſunt niſi Vicarii illius Paſtoris.* Idem quoque docet Maldonatus. Negamus ergo hunc locum ullo modo conducere ad ædificandam Papæ monarchiam, cùm ei poteſtas ſolùm miniſterialis ſpiritualis conceſſa ſit in ordine ad regimen Ariſtocraticum, & cæteri Apoſtoli ex æquo ſint Paſtores cum Petro, qui nihil habet ſuper alios præter Primatum; ſicut videmus Decanum Facultatis Theologiæ reliquos Doctores ſolâ prærogativâ Decanatus antecellere: neque octingentis circiter annis, quibus Canones Nicæni ſervati ſunt, unquam auditum Papam velut Monarcham abſolutum imperaſſe Eccleſiæ. Imò verò Canone 6. Nicæno reliqui Patriarchæ tantummodò habebant poteſtatis in ſuo Patriarchatu, quantùm & Papa in proprio: certumque eſt ex epiſtola Patrum Africanorum ad Celeſtinum I. Papam Eccleſiam non agnoviſſe Romanum Epiſcopum pro Monarcha, qualem hîc nobis fingit S. Thomas. Quam in rem lege librum 1. hiſtoriæ noſtræ Conciliorum. Porrò quàm hoc infirmum & imbecille ſit argumentum B. Thomæ, Lectori judicandum relinquo: eo enim ipſo quòd Chriſtus Auctor primuſque Adminiſtrator Sacramentorum reliquerit aliquos Miniſtros qui ea exercerent & adminiſtrarent, quoniam corporaliter & perſonaliter non perpetuò futurus erat nobiſcum. S. Thomas concludit etiam Chriſtum debuiſſe aliquem relinquere, qui ejus loco & auctoritate Eccleſiam viſibiliter monarchicè gubernaret: eamque ob rem dixiſſe Petro antè

Digitized by Google

aſcenſionem, *paſce oves meas & confirma fratres tuos.* Eſt autem mera petitio principii : at ſupra lib. 2. cap. 6. diſputavimus de dogmatico ſenſu horum verborum, *paſce oves meas* : & infra de hoc alio textu, confirma fratres tuos, dicetur.

Cæterùm quamquàm hæc probatio D. Thomæ nullius omninò ſit momenti, nihilominùs paſſim venditatur ab ejus aſſeclis Cardinalibus de Turrecremata, Cajetano, Bellarmino, Baronio, Sebaſtiano Baradio, multiſque aliis abſolutæ Monarchiæ patronis, quos uno verbo depellere poſſumus : puta hîc opus eſſe clariſſimè oſtendere, quidnam Chriſtus lege Evangelicâ fieri voluerit, & quid Apoſtoli Patreſque Eccleſiæ primitivæ obſervaverint : fruſtra enim contra hæc opponunt quæſtionem facti, id eſt praxim hodiernam, cui uſus Eccleſiæ primitivæ penitùs repugnat. Verumtamen quia fide Catholicâ decretis Synodi Conſtantienſis hæreo, contendo hodie Papam dici poſſe Paſtorem Ovilis Chriſti, quatenùs poteſtatem habet ſuper Eccleſias particulares diſgregatas pro juris divini, naturalis & Canonici exequutionem, utque etiam condat leges in actu primo ſi res exigat.

Septimò, de nomine Epiſcopi univerſalis, vide quid præcedenti libro cap. 4. diſſeruimus in analyſi collectaneorum S. Gregorii ; quæ autem narrat S. Thomas, fallunt Elencho à ſuppoſitione principii.

V. Ad octavum, certum eſt unum & ſolum Chriſtum propriè loquendo eſſe Sponſum Eccleſiæ, quia auctor eſt & cauſa efficiens gratiæ & Sacramentorum in quibus Eccleſia juſtificatur, efficiturque tota pulchra ſine macula & ruga : Papam verò atque alios Epiſcopos eſſe dumtaxat paranymphos, quia ſunt miniſtri, atque inſtrumenta quibus Chriſtus Sponſus utitur, ut ſponſam vivificet & in thorum vitæ æternæ intromittat.

Nono, ſatisfactum eſt capite præcedenti hujus libri in explicatione Canonis Omnes diſt. 22. Verùm quòd B. Thomas ad ſuæ opinionis firmamentum libros Theſauri Cyrilli Alexandrini perſæpè laudat, vehementer fallitur, oportetque illum alios Theſauri libros vidiſſe, quàm quos habemus : idque argumento eſt quantùm rudibus & imperitis ſæculis antè typographiam inventam, etiam bonis & doctis viris, qualis erat Thomas Aquinas, illuſum ſit. Cajetanus interdùm etiam hujuſmodi Theſauros Cyrilli ad ſuorum placitorum confirmationem profert, ſed carbones ſunt, non Theſauri.

Decimo quoque ſatisfactum eſt capite præcedenti in explicatione Canonis Omnes diſt. 22.

Undecimum fruſtratur Lectorem Elencho à ſuppoſitione principii, quaſi Papa eſſet conſtitutus Monarcha abſolutus Eccleſiæ : quando autem Papa & Rex aliquid imperant, utri potiùs obediendum ſit, Almaïnus non ex petitione principii, ſed dogmaticè diſſerit, lib. de poteſtate Eccleſiaſtica & Laïca quæſt. 3. ſub finem cap. 8. circa medium ; de qua re alibi dicetur.

Duodecimum docet quàm miſerè ſit illuſum B. Thomæ, cui Canones falſi Concilii Chalcedonenſis pro genuinis obſtruſi ſunt. Vide quæ ad nonum diximus.

Decimum tertium continuat in Elencho à petitione principii : neque ſatis eſt dicere Papam eſſe in Eccleſia quaſi Regem in regno, niſi id jure divino, naturali & Canonico probetur : probari autem minimè poteſt, niſi forſan à poſteriori ex ho-

Digitized by Google

dierna praxi Eccleſiæ & decretalibus Pontificum, quæ nihil conducunt ad juris quæſtionem evolvendam.

Ad decimum quartum de hac poteſtate indiſtincta Papæ ſuper alios ex inſtituto diſputabimus hoc libro cap. adversùs Suarem.

Ad decimum quintum tria reſpondeo. Primùm nego ex jure communi & diſciplina Eccleſiæ primitivæ Papam eſſe immediatum Prælatum cujuslibet Fidelis. Conſule quæ obſervavimus ad Cenſuram Joannis Angeli lib. 2. cap. 5. & infra lib. 4. cap. 3. num. 64. Secundò latet æquivocatio in his verbis, *poteſtas Epiſcopalis & Presbyteralis ſubordinata eſt poteſtati Papæ.* Equidem annuo ſubordinatam eſſe primatui, nego tanquàm abſolutæ Monarchæ, ut contendunt adverſarii: Primatus poſitus eſt in ordine ad regimen Ariſtocraticum, *utque honorum ac dignitatum gradus & ordines quibuſque ſuos ſervet, non invideat aut imminuat, ut ait S. Bernardus.* Monarcha autem omnia facit ex animi ſui arbitrio, *mutatque quadrata rotundis, utque lubet licet:* hoc autem Papam jure facere poſſe negamus. Tertiò quænam Romana Eccleſia habeat à Deo & ab Eccleſia explicatum eſt lib. ſuperiore cap. 6. num. 5. ubi actum eſt de Primatu. Conſule apologiam noſtram pro Eccleſiæ & Concilii auctoritate, quam in eum finem lucubravimus, ut Curiam Romanam ab Eccleſia, id eſt, jus humanum à divino ſecerneremus.

Decimum ſextum fallit à ſuppoſitione principii, & Papæ auctoritatem in ſua cauſa venditat. Porrò de infallibili auctoritate agetur lib. 4. cap. 4.

Decimo ſeptimo, Canonem Zozimi contra ſtatuta Patrum, &c. infra lib. 4. cap. 4. explicabimus.

Decimo octavo, quid ſit *Paulum fuiſſe æqualem Petro in exequutione auctoritatis non regiminis*, diſputabitur ſtatim contra Cajetanum, hoc enim merum eſt figmentum veritati illudendæ adinventum, quod valde miror in S. Thoma viro & piiſſimo & doctiſſimo, ſed proh dolor! nullus eſt hominum qui ſarcinam ſuam non vehat, quam omnino exuere difficillimum præſertim ubi res noſtra agitur.

Digitized by Google

& in membris promovebant, reſponderent: verùm quia Cardinalis Cajetanus etiam Dominicanus omnia Turrecrematæ argumenta ad incudem revocavit, ac ſtupendis ſcholæ argutiis & ſubtilitatibus veſtivit, ne cum faſtidio identidem illa argumenta frequentare & diſſolvere cogamur, prætermiſſo opere de Turrecremata libros Cajetani examinabimus, & unà probationes Turrecrematæ profligabimus. Cauſam ſcribendi Thomæ de vio Generali ordinis Dominicanorum, controverſia ſuborta inter ſecundam Synodum Piſanam & Julium II. Papam pro Eccleſiæ reformatione in capite & in membris attulit. Cùm enim Julius Papa & antequam eligeretur, & ſtatim poſtquam eſt electus Pontifex, ſolemniter promiſiſſet atque etiam ſcripto juraſſet, ſe liberum Concilium pro Eccleſiæ reformatione in Capite & in membris indicturum, idque tamen facere detrectaret, hac de cauſa interpellatus, ut ſponſioni ſuæ ſatisfaceret atque neceſſitati reformandæ Eccleſiæ provideret, id facere recuſaſſet; aliquot Cardinales cum Maximiliano Imperatore & Rege Franciæ Concilium Generale pro Eccleſiæ emendatione in Capite & in membris indixerunt & convocarunt Piſis. Julius autem ut hoc propoſitum diſturbaret, viciſſim Concilium indixit in Baſilica Lateranenſi: Cajetanus verò *anno 1512.* ut geſta Julii contra Synodum Piſanam defenderet, tractatum compoſuit de *comparatione auctoritatis Papæ & Concilii*. In quem Jacobus Almaïnus Doctor Pariſienſis ſcripſit, & Cajetani fundamenta dilapidavit. Cajetanus denique aliquantò poſt reſpondit Almaïno duobus libellis: altero quem inſcripſit, *Apologia de comparata auctoritate Papæ & Concilii*: altero *Tractatus de divina inſtitutione Pontificatus*. Quibus libris Almaïnus præmaturâ morte abreptus, fatis enim ceſſit anno 1515, ſatisfacere non potuit. Quocirca ego non tantùm his poſtremis lucubrationibus, verumetiam omnibus argumentis Cajetani reſpondebo: atque methodi gratiâ hoc caput in ſeptem quæſtiones partiar, quarum prima & ſecunda propugnabit fundamenta ſcholæ Pariſienſis, quæ fruſtra Cajetanus aggreditur. Tertia ponet atque demolietur Cajetani firmamenta. Quarta diſſipabit reliquas probationes, &c. Porrò ſequemur ordinem & capita librorum Cajetani, ut unuſquiſque ea poſſit faciliùs videre, & in ejus argumenta penetrare, quæ Deo favente ſic in apertum proponemus, ut nemo ſit, modò illa intellexerit, & anticipatis opinionibus non divexetur, quem non puduerit tot cavillationum atque argutiarum, cùm penitùs ab animi Chriſtiani candore & verecundia abhorreant.

QUÆSTIO PRIMA,

DE FUNDAMENTO JURIS NATURÆ Scholæ Pariſienſis.

II. Primum fundamentum Scholæ Pariſienſis ab Almaïno poſitum, eſt lege naturali conſtare, Deum & naturam priùs, immediatiùs atque eſſentialiùs ſeſe addixiſſe toti Eccleſiæ Sacerdotali, quam omnes Apoſtoli individuè & in commune repræſentabant, quàm uni & ſoli Petro, & continuò ſummam totius auctoritatis Ec-

cleſiaſticæ priùs toti hierarchico ordini competere, quàm uni Papæ: quod principium evidentiſſimum & Catholicum demonſtratum eſt ſupra cap. 1. libri 2. non modo ex cauſis eſſentialibus poteſtatis Eccleſiaſticæ, verumetiam ex ipſo Almaïno & Bellarmino; ſed à Cajetano his rationibus impugnatur parte 1. ſuæ Apologiæ cap. 1. quod ſicut regimen domeſticum & politicum æſtimandum eſt ex natura & cauſis eſſentialibus ſuæ inſtitutionis, ita & Eccleſiaſticum. At Chriſtus Caput homogeneum Eccleſiæ auctor eſt atque fundator regiminis Eccleſiæ. Undè Joannis 15. ait: *Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos.* Ergo cùm idem Dominus ſit auctor hujus regiminis, & non aliqua communitas: atque etiam ipſemet Chriſtus ſibi Petrum Vicarium conſtituerit Joannis ultimo, *paſce oves meas*: oportet quidem ſecundùm conſequentiam juris naturalis, ut ad ipſum Chriſtum, non ad communitatem ſpectet, ordinare de Vicario ſuo, etiam abſente Chriſto. Quapropter efficit Cajetanus quòd ſicut Chriſtus princeps Eccleſiæ, non à communitate Eccleſiæ naturaliter habet auctoritatem: ita etiam nec Petrum Vicarium qui eam repetit à ſolo Chriſto: Addit, *Eccleſiam ſervam natam eſſe; adeò ut jure principatus careat in hac parte. Nam ſignum infallibile ſervitutis Eccleſiæ, communitatis quoad jus principatus eſt, quod non poteſt ſibi-ipſi regimen retinere, nec duobus aut tribus committere, hoc tamen poſſe quamcumque communitatem liberam manifeſtum eſſe* ait. Undè concludit hic fruſtra peti argumenta à ſimilitudine corporis politici eligentis Principem ſuum, ut oſtendatur Papam ab Eccleſia pendêre, ſicut Princeps à populo, aut Republica, qui illum elegit dependet. Ad hoc Cajetani Principium ſex reſpondeo. Primùm quod aſſerit unamquamque rem ſecundùm naturam ſuam, id eſt cauſis eſſentialibus ſuæ inſtitutionis ponderari debere, lubenter amplector, quoniam Cajetani argutias omninò profligat: cùm enim Primatus & quoad naturam & quoad exercitium res ſit planè moralis & politica, non metaphyſica, certè diſputatio quæ de illo inſtituitur omninò moraliter & politicè, non metaphyſicè per inauditas animi abſtractiones, vanaſque argutias & ſubtilitates tractari debet: alioqui rei natura & conſequenter veritas ipſa evertitur. Ex quo fit ut hæc controverſia (exceptis Theologiæ principiis) quibus ad ordinem diſciplinæ atque unitatem fidei retinendam Primatum eſſe neceſſarium convincimus, potiùs ſecundùm jus Canonicum & praxim Eccleſiæ primitivæ, quàm ad normam Theologiæ Scholaſticæ expendi debent: quinque aliter faciunt, ut Turrecremata, Cajetanus, Bellarminus, Suares, Vallius & alii, naturæ bellum inferunt: eſſentque magis ridendi quàm confutandi, niſi ipſo uſu compertum eſſet imperitos ejuſmodi ſophiſticis argutiis & cavillationibus adeò captari, ut eas pro jure divino habeant, & contra ſentientes ſchiſmatis ac hæreſeos damnent, quod eſt intolerandum.

Secundò, annuimus Chriſtum eſſe cauſam & Fundatorem regiminis Eccleſiæ atque Primatus, & continuò etiam ad illum pertinere ex conſequentia juris naturalis & inſtitutionis Eccleſiæ de Vicario ſibi ordinare, ut reverà Apoſtolos omnes Vicarios ſuos & Proreges in æquali poteſtate, & Petrum illorum Primatem inſtituit, Primatem dico, non monarcham, ut fingit Cajetanus à petitione principii.

Tertiò, quod dicit, abſente Chriſto, non ſpectare ad communitatem Eccleſiæ de Vicario Chriſti & principe Eccleſiæ ordinare, laborat æquivocatione; ſi enim per

Digitized by Google

per ordinare Vicarium & Principem intelligit inſtituere poteſtatem Pontificiam & Papalem quoad rem & ſubſtantiam tranſeat, quoniam pridem inſtituta eſt à Chriſto. Si autem poſtquàm eſt ſemel inſtituta à Domino, negit eam reverà & formaliter reſidere in Eccleſia, & conſequenter mortuo Papâ, eidem actu deferri qui canonicè deligitur, hoc abſolutè inficiamur: quia ut aliàs diximus, Sacerdotio Chriſti communicato Eccleſiæ, poteſtas ordinis & juriſdictionis cum Papali, Epiſcopali & Presbyterali dignitate formaliter, eminenter & quoad habitum ineſt, actus verò atque exercitium defertur per ſacras electiones: quæque in contrarium adverſarii comminiſcuntur meræ ſunt imaginationes.

Quartò, abſolutè negamus Cajetano, Papam nihilo magis ſuam debere poteſtatem ab Eccleſia repetere quàm Chriſtum: Deus bone! quàm longè diſpar eſt ratio Domini & OEconomi, capitis eſſentialis & miniſterialis, Fundatoris atque Miniſtri Eccleſiæ, quod quidem notius eſt, quàm ut ampliori probatione indigeat. Poſtquàm enim Chriſtus ſemel inſtituit poteſtatem Eccleſiaſticam, voluit ut ab Eccleſia propagaretur, & communicaretur omnibus Eccleſiæ Miniſtris, Pontifici videlicet, Epiſcopis, Presbyteris, Diaconibus, &c. idque quotidianus uſus demonſtrat, quem qui non videt, naturali & divino lumine caret.

Quintò, blaſphemat, dum perhibet Eccleſiam Sponſam Chriſti chariſſimam & immaculatam omnium Fidelium atque ipſius Papæ matrem & Dominam ac Magiſtram eſſe *Servam natam reſpectu Pontificis Romani*: genuina ſunt verba hominis. Quod autem inducit *ſignum infallibile ſervitutis Eccleſiæ eſſe quoad jus principatus, quòd Eccleſia non poſſet ſibiipſi regimen retinere, nec duobus aut tribus committere.* Planè ſophiſticum eſt: ſiquidem imaginatur Papam ſolâ poteſtate miniſteriali præditum, eſſe abſolutum Eccleſiæ monarcham, ſed jam multocies dixi, eſtque ſæpiùs iterandum primatum & monarchiam res differentes eſſe. Et quamquàm Primatus quoad eſſentiam & inſtitutionem juris ſit divini, immutabilis, tamen ſubjectivè quoad exiſtentiam, limitationem, exercitium & exequutionem, pendêre omninò ab Eccleſiæ definitione ſtatutis & ariſtocratico regimine: ut patet ex Can. 6. Nicæno de Patriarcharum limitatione: Certiſſimum autem eſt, quando & ipſe Primatus & ariſtocraticum regimen ſunt divinæ inſtitutionis, neque Eccleſiam Primatum, neque ſimiliter Primatum poſſe ullo modo regimen ariſtocraticum abrogare. Quòd ſi ſervituti eſſet tribuendum, ut cavillatur Cajetanus, quòd Eccleſia Primatum abrogare non poſſet, à pari & fortiore inferre liceret Papam eſſe ſervum Eccleſiæ, hic enim adverſarius ſuis magnificis vocabulis numerandus eſt, quoniam Papa Sacerdotium Chriſti & unà cum Sacerdotio auctoritatem ſuam mutuatur ab Eccleſia, quæ cùm deligit & deligendo eidem Eccleſiam regendam ſubjicit, tanquàm Primati, non tanquàm abſoluto monarchæ, quod eſt frequenter inculcandum. Hîc etiam omitto Papam remiſſionem peccatorum ſuorum ab Eccleſia matre petere, hunceque articulum fidei, ut ſæpè diximus, more aliorum hominum profiteri. *Credo ſanctam Eccleſiam Catholicam, Sanctorum communionem, remiſſionem peccatorum.* Tametſi autem Eccleſia Papam cooptare teneatur, hoc tamen nihilo magis poteſt Eccleſiæ ad ſervitutem imputari, quàm humanæ voluntati, quòd in finem velut in bonum ſibi connaturale & conveniens, quâdam neceſſitate, ſponte tamen feratur: certè præceptis divinis obtemperare non eſt ſervitus,

Digitized by Google

ſed libertas ſumma & regnum : quia *ſervire Deo, regnare eſt.*

Ad ſextum oppono bene atque appoſitè argumenta efformari à ſimilitudine corporis politici aut Reipublicæ Regem aliquem liberè cooptantis ad Eccleſiam, quæ Papam deligit : ut enim regnum Poloniæ Regem cooptando eidem regiam auctoritatem confert, ita & Eccleſia, quæ architectonicè & per dominium juriſdictionem Eccleſiaſticam poſſidet, eligendo Papam eidem exercitium atque exequutionem ejuſmodi juriſdictionis impartitur, quantum indicat expedire pro Eccleſiæ bono. Nam, ut dixi, definitio & limitatio adminiſtrationis atque exercitii primatus, pendet ab Eccleſia, hæcque tam plana ſunt ex iis quæ lib. 2. propoſuimus, ut qui ea conſideratè examinarit, de veritate nullo modo ambigere poſſit.

QUÆSTIO SECUNDA.

DE FUNDAMENTO JURIS DIVINI Scholæ Pariſienſis.

III. Alterum fundamentum Scholæ Pariſienſis ab Almaîno explicatum, eſt *Chriſtum toti Eccleſiæ individuè & in commune ſummam & architectonicen poteſtatem clavium detuliſſe hoc oraculo, dic Eccleſiæ : qui Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus. Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis, &c.* Math. 18. De quo fundamento Almaïnus libro de Eccleſiæ auctoritate cap. 6. & 7. fuſè diſſerit, & nos ſupra lib. 2. dogmaticè illud examinavimus : ſic autem à Cajetano oppugnatur. Primùm cap. 2. ſuæ Apologiæ, ubi quærit quid ſibi velint hi termini, *dic Eccleſiæ* : vel (inquit) de omni aut de parte, de Catholica vel de ſingulari Eccleſia; de Eccleſia indiſtinctè, aut de hac vel illa diſtinctè, puta Mediolanenſi, Bononienſi ſcilicet intelliguntur. De univerſali autem Eccleſia hæc capi non poſſe ideò probat, quia nemo obligatur eam adire, eique fratrem incorrigibilem denunciare : hoc enim eſſet impoſſibile, cùm Generale Concilium ſemper congregatum eſſe non poſſit : idemque judicium eſſe ait, de Eccleſia hac determinatè ſumpta, ac de univerſali : quoniam Dominus non præcipit ut hanc vel illam determinatè adeamus. Itaque efficit ſermonem eſſe de Eccleſia indefinitè & indiſtinctè : ita ut ſenſus ſit cuilibet Eccleſiæ, non hanc vel illam determinando, datam poteſtatem judicandi de fratre peccante : ita ut forum rei ſequendum ſit, id eſt, Eccleſia hominis peccantis, ut ei peccatum denuncietur, ac proindè non ſolam Eccleſiam rei & peccantis eſſe propriam Eccleſiam, ſed quamcumque aliam Eccleſiam ſuperiorem Eccleſiæ in qua habitat reus, concluditque hunc ſenſum eſſe litteralem hujus loci, *dic Eccleſiæ.* En ſumma capitis 2. apologiæ Cajetani.

Capite autem 3. perhibet, *dic Eccleſiæ*, idem eſſe atque dic auctoritativè ſacro conventui : ac proindè hoc intelligi de Eccleſia, incluſo Prælato, juxta Gloſſam. Undè cùm Papa ſit Paſtor univerſalis, eo abſente non poteſt Eccleſia univerſalis, cui aliquis defertur, ullam habere auctoritatem, ſicut nec ulla Eccleſia, ſecluſo ſuo

Digitized by Google

Prælato, quemquam ligare aut abſolvere valet. Hinc autem inducit Cajetanus Pariſienſes fruſtra & perperàm docere Eccleſiam univerſalem etiam abſente Papâ habere auctoritatem. Nam ſi communitas Fidelium immediatè auctoritatem haberet à Deo, poſſet etiam invito Epiſcopo ligare & abſolvere, quod eſt erroneum. Quocircà ſtatuit nomine Eccleſiæ ſolos intelligi Prælatos, non alios Fideles, & Concilium Generale abſente Papâ nullam habere auctoritatem.

Cap. 4. ejuſdem Apologiæ uberiùs tractat quæ 2. capite delibarat, nempè *To dic Eccleſiæ*, non poſſe intelligi de Eccleſia univerſali, etenim cùm poteſtas Eccleſiaſtica his verbis fundetur. *Quodcumque ligaveris ſuper terram, Mathæi 16. & Mathæi 18. Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis ſuper terram, &c. Item Joannis ultimo, Paſce oves meas, conſurgit non dari intenſivè majorem poteſtatem Eccleſiæ, quàm Petro* : quia ſicut dictum eſt Eccleſiæ, *quæcumque alligaveritis*, Mathæi 18., ita & Petro, *quodcumque ligaveris*, Mathæi 16. Item ſicut præcepit Dominus, *dic Eccleſiæ*, ita & Joannis 10. ait, *fiet unum Ovile & unus Paſtor*. Ergo tam clarè ex his locis colligetur Petrum eſſe ſupra Eccleſiam, quàm Eccleſiam ſupra Petrum : ſicque Chriſtus erectione duorum tribunalium æqualium perplexas oves reddidiſſet, adeò ut obediant cui velint, aut neutri ſi velint, id eſt, neque Pontifici, neque Eccleſiæ. Quare ſtatuit, *dic Eccleſiæ*, non poſſe intelligi de univerſali Eccleſia, quoniam alioqui fatendum eſſet Chriſtum ſapientiſſimum Legislatorem multitudinem principatuum ſeſe mutuò impedientium inſtituiſſe, & conſequenter malè Eccleſiæ conſuluiſſe. Subjungit manifeſtam ſequi contradictionem, dato quòd his verbis, *dic Eccleſiæ*, Chriſtus immediatè dederit auctoritatem Eccleſiæ; quoniam una & eadem Eccleſia eſſet, & non eſſet ſimpliciter ſuperior alterâ Eccleſiâ : nam eo ipſo quòd quælibet Eccleſia immediatè auctoritatem obtinet à Chriſto in ſuos, inſurgit Eccleſiam univerſalem tanquàm totum eſſe ſuperiorem quâcumque Eccleſiâ particulari, quæ dumtaxat habet rationem partis & membri. Verùm eo ipſo quòd quælibet Eccleſia immediatè habet à Deo intenſivè æqualem poteſtatem in ſuos, relinquitur Eccleſiam univerſalem non poſſe aliquid ſubtrahere de poteſtate & juriſdictione, quam particulares Eccleſiæ habent à Deo : & continuò univerſalem Eccleſiam non eſſe ſimpliciter ſuperiorem Eccleſiâ particulari : undè pariter efficitur ſubditos non magis teneri parêre univerſali Eccleſiæ, quàm particulari, quia par in parem non habet imperium : utraque enim ſuam poteſtatem immediatè poſſidet à Deo. Attexit Chriſtum hoc effato, *dic Eccleſiæ*, nullam omninò dare poteſtatem Eccleſiæ, ſed tantùm præcipere delationem fratris peccantis pervicaciter, quò à Judice Eccleſiaſtico caſtigetur : & ſi eum non audiat, tanquàm Ethnicus & Publicanus habeatur. Ibidem verò ſupponi poteſtatem aliàs dandam : quia ibi eam ſolummodò promittit, & Joannis ultimo immediatè confert Petro his verbis, *paſce oves meas*; deindè, mediante Petro, aliis Eccleſiis ſecundùm curſum ordinarium: quamvis etiam concedi poſſet poteſtatem Eccleſiaſticam Eccleſiis conceſſam, mediantibus aliis Apoſtolis per quamdam diſpenſationem : ſenſus eſt Cajetani reliquos Apoſtolos non fuiſſe Paſtores ordinarios ſicut Petrum, ſed dumtaxat Legatos extraordinarios : quod ſæpè inculcat poſt Turrecrematam.

Capite 5. Apologiæ hæc omnia illuſtrat ſimilitudine hominis, qui videt quidem

Digitized by Google

& audit, ſed mediantibus oculis atque auribus: ita, inquit, Eccleſia habet juriſdictionem & poteſtatem ligandi atque ſolvendi, ſed ratione Capitis, id eſt, Petri & Papæ, contenditque Chriſtum nuſpiam Eccleſiæ ratione ſuæ totalitatis promiſiſſe claves aut juriſdictionem, ſed tantùm ratione partis nobilioris, id eſt, Petri Capitis.

Capite 6. concludit: ſi Eccleſia in Concilium Generale congregetur, Concilium nullam habere poteſtatem diſtinctam à poteſtatibus partialibus ſingulorum Prælatorum, ſed tantùm ex partialibus poteſtatibus quamdam totalem conſurgere per viam communionis ſeu accumulationis Epiſcoporum, Archiepiſcoporum, Primatum, prout ſummo Pontifici qui eſt Princeps Eccleſiæ videbitur: & cujus poteſtas omnes alias poteſtates complectitur. Nunquam autem cenſetur communicare totam ſuam auctoritatem Synodo, ſed quantùm expedit ad res tractandas. Quare licèt ſtatutis Synodalibus Papa conſentiat, nunquàm tamen intelligitur ſe ſubjicere poteſtati coactivæ Synodi: ex quo pariter evenit, ut ſi tota Eccleſia, ſecluſo Papâ, aliquem Eccleſiæ regendæ præficeret, ille ita eſſet ſubditus Papæ, ut non poſſet à caſibus reſervatis Papæ abſolvere. Hinc ſimiliter Cajetanus inducit, Papam poſſe omnia Concilii Generalis ſtatuta, quæ etiam ſuo conſenſu & auctoritate condita eſſent, abrogare: idque (inquit) facere non poſſet, ſi Eccleſia ratione ſuæ totalitatis immediatè poteſtatem haberet à Deo. Quæ rationes Cajetani huic vulgari proloquio regiminis Monarchiarum temporalium incumbunt, ſcilicet *Regem nunquam ſibi ligare manus*. Hæc autem cum tanta verborum profuſione & tantologia diſputantur ſex primis capitibus primæ partis apologiæ de *comparata auctoritate Papæ & Concilii*, ut mirabile ſit hominem doctum non eorum quæ diceret puduiſſe: eaque non accuratè recognoviſſe, & in pauciora contraxiſſe. Proculdubio qui ejuſmodi velitationes accuratè legerit, & bene intellexerit, cognoſcet propoſitum fuiſſe Cajetano ſubtilitatibus ſcholaſticæ Theologiæ potiùs veritatem involvere, quàm explicare.

Verùm ſingula expendemus, eaque ad octodecim articulos analyticè revocabimus: & ne hîc amphibologiâ aut ullâ æquivocatione laboremus; primò, notandum hoc oraculo, *dic Eccleſiæ, &c.* ordinem hierarchicum Chriſti Sacerdotio præditum intelligi: & à Chriſti Sacerdotio tanquàm à cauſa efficiente juriſdictionis Eccleſiaſticæ cunctam poteſtatem Papalem Epiſcopalem & Presbyteralem profluere.

Secundò, ex praxi Eccleſiæ ſacris conſignata Canonibus liquêre, quinam ſit adeundus ut frater pervicax deferatur & accuſetur. Siquidem Eccleſia primitiva hæc tribunalia conſtituit, Epiſcopale, Synodi Provincialis, Concilii Generalis, &c. adeò ut pateat ex 5. Canone Niceno, Epiſcopos ſingulos proprium & peculiare tribunal habere, & ſi contingeret quempiam à ſuo Epiſcopo excommunicari, & fortè exiſtimaret ſe Epiſcopi ſententiâ gravari, potuiſſe ad tribunal Synodi Provincialis confugere: ubi controverſia de integro ab omnibus Epiſcopis Provinciæ recognoſcebatur. Atque ipſamet ſententia Epiſcopi etiam Romani firmabatur aut infirmabatur, ſi quem excommunicaſſet; utque gravatis omnibus via expeditior eſſet, bis in ſingulos annos Synodi Provinciales habebantur. Quòd ſi accideret negotium eſſe hujuſmodi, ut Synodo Provinciæ decidi nequiret, patebat via per appellationem ad ampliorem communionem Sanctorum & plenius Concilium; tumque temporis Romani Epiſcopi Ec-

Digitized by Google

cleſiis ſibi tanquam Archiepiſcopis aut Metropolitanis ſubditas ex Synodi Nicænæ præſcripto bis annuatim congregabant & moderabantur. Et quoties opus eſſet Synodos generales cum aliis Patriarchis procurabant, & ab Imperatoribus impetrabant, non autem abſolutè aut monarchicè dominabantur, ut ſomniant adverſarii. Vide Lector librum 1. hiſtoriæ noſtræ Conciliorum Generalium : Et quoniam Cajetanus ejuſque aſſeclæ plus auctoritatis teſtimonio Papæ quàm Conciliorum deferunt, eos ſententiâ Felicis Papæ II. oppugnabimus, qui epiſt. 1. ad Epiſcopos Ægypti hunc textum *dic Eccleſiæ* ſic interpretatur, ut *primò Epiſcopum, deindè omnium ultimo Synodum adeundam decernat : hos enim gradus in accuſatione fratris ſervandos narrat ex Eccleſiæ praxi.* Et ita omnibus argutiis Cajetani occurritur.

Tertiò, quòd perhibet Chriſtum non præcipere ut univerſalem Eccleſiam adeamus, quia hoc eſſet impoſſibile, ei abſolutè negamus id eſſe impoſſibile, ſi rationem habeamus diſciplinæ Canonibus Nicænis præſcriptæ, quæ vult primò forum rei, id eſt Epiſcopum adiri. Deindè ab Epiſcopo ad Synodum Provincialem, & à Provinciali ad generalem procedi, ita ut ultima reſolutio controverſiarum fiat in Synodis, ſi minùs ab Epiſcopo ſeorſim ſumpto definiri queant.

Quartò, concedimus *dic Eccleſiæ* ſignificare, dic auctoritativè, aut Prælato auctoritatem habenti, idque lib. 2. cap. 4. & 5. explicavimus ex Chryſoſtomo & permultis aliis Patribus: vide axioma XVI. apologiæ noſtræ.

Quintò, fallit à ſuppoſitione principii, dum aſſerit Eccleſiam abſente Papâ nullam habere auctoritatem; quaſi Papa eſſet abſolutus Monarcha Eccleſiæ, quod pernegamus.

Sextò, fruſtra & ſupervacuè mentionem facit communitatis Fidelium, quaſi aliquam auctoritatem haberet à Chriſto ſecluſo ordine hierarchico : quia nullus Catholicus id unquam aſſeruit.

Septimò, cavillatur dum perhibet his verbis *dic Eccleſiæ*, univerſalem Eccleſiam non poſſe intelligi : eo quòd ſequeretur Chriſtum duo tribunalia æqualia aut plures principatus intenſivè æquales erexiſſe, nam poteſtas Papæ poteſtati Eccleſiæ & Concilii tanquàm pars ſuo toti ſubordinatur, non contra.

Octavò, negatur æqualem poteſtatem intenſivè conferri Petro his verbis, *Quodcumque ligaveris, & paſce oves meas*, quam Eccleſiæ, Mathæi 18. *dic Eccleſiæ, &c.* quandoquidem Eccleſia collectim ſumpta Chriſti Sacerdotium cum juriſdictione Eccleſiaſtica totaliter architectonicè & per dominium poſſidet : Papa verò & alii Prælati ſingulariter ſumpti, partialiter, quoad uſum & exequutionem regiminis duntaxat, niſi fortè aliquas condant leges in actu primo, de qua re aliàs dicetur.

Nonò, hæc verba, *fiet unum Ovile & unus Paſtor* Joannis 10. nullo modo cauſam Cajetani juvant : de quibus vide analyſim argumentorum B. Thomæ cap. præcedenti ad ſextum.

Decimò, nulla ex eo emergit contradictio, quòd his verbis *dic Eccleſiæ* poteſtas tunc univerſali Eccleſiæ cum particularibus Eccleſiis conferatur à Chriſto : quoniam particulares Eccleſiæ ſubſunt univerſali tanquàm pars toti : & conſequenter Epiſcopus ſingularis etiam Romanus ſubditur Provinciali Synodo, juxtà quintum Canonem Nicænum : idque ipſe Cajetanus non obſcurè *cap. 7. tractatus de divina inſtitutione*

Digitized by Google

quam alium in Primatem eligere præter Petri ſucceſſorem. Cùm autem claves architectonicè poſſideat, limitatio & regulatio Primatus pendet ab Eccleſiæ definitione, ut praxis Eccleſiæ Canone 6. Nicæno conſecrata demonſtrat. De qua librum 1. hiſtoriæ noſtræ Conciliorum Generalium conſulito.

Decimò octavò, facultas Pariſienſis octavo articulo contra Joannem Angeli, hanc propoſitionem, *Papa poteſt totum jus Canonicum deſtruere & novum conſtituere, velut ſcandaloſam, blaſphematoriam, notoriè hæreticam & erroneam meritò damnavit.* Et ita patet quid tenendum ſit de hac Cajetani aſſertione. *Papa poteſt omnia ſtatuta Concilii Generalis etiam ſuo conſenſu condita abrogare.* Hoc autem ab homine anhelante ad Cardinalatum prædicari quid mirum? quando ipſe ſibi fingit Papam eſſe eſſentiale & abſolutum Caput & Monarcham Eccleſiæ, ut in partem aliquam hujus pretii veniat, ſicut paulò poſt ſub Leone X. à quo factus eſt Cardinalis, venit. Atque inſuper ſuis Manlianis imperatis acceſſionem fecit Luthero ab Eccleſia Romana diſcedendi.

QUÆSTIO TERTIA.

DE FUNDAMENTIS CAJETANI.

Tibi dabo claves. Paſce oves meas.

IV. Vindicatis ſcholæ noſtræ fundamentis contra Cajetani argutias ſupereſt de adverſarii firmamentis videamus. Cæterum libro inſcripto de *divina inſtitutione Pontificatus*, quem omnium poſtremo lucubravit, à capite primo ad undecimum ſcholaſticè & profuſiſſimè velitatur in explicatione horum textuum, *tu es Petrus, & ſuper hanc petram, &c. paſce oves meas, &c.* eoſque vertit atque invertit ut ſuam abſolutam Monarchiam indè exſculpat. Capite 2. in eos primùm velitatur, qui aſſerunt claves non abſolutè datas Petro, ſed ſecundùm quid, id eſt ejus tantùm beatitudini & puritati morum, ex quo efficere volunt Prælatos malis moribus inquinatos neque ligare, neque ſolvere: quam opinionem Cajetanus meritò reprehendit velut hæreticam: ſiquidem damnatur in Synodo Conſtantienſi, Seſſione 8. articulo 4. errorum Joannis Wicleff. qui aſſerebat *Epiſcopum aut Presbyterum mortali peccato inquinatum, neque Sacramenta conficere, neque adminiſtrare poſſe.* Poſteà tranſit ad explicationem hujus textus, *tu es Petrus, & ſuper hanc petram, &c.* idque quia iterùm inculcat, ſequentibus capitibus, ne cum faſtidio toties eadem iterare cogamur, plura hîc dicere ſuperſedebimus.

Capite 3. impugnat ſententiam eorum, qui claves datas Petro non tàm ſuo privato quàm totius Eccleſiæ nomine docent. At uni Petro proprio nomine collatas perhibet: tum quia fructus & præmium confeſſionis factæ à Petro eſt collatio clavium; unde Chriſtus non Primatui, ſed Petri perſonæ fidem profitenti claves ſpondet, tibi dabo claves, &c. Deindè ſi Petro tanquàm Primati & non ſingulariter datæ eſſent claves, ſenſus planè eſſet myſticus & parabolicus, non litteralis, quando Chriſtus dixit Petro, *tibi dabo claves,* ratio eſt, quoniam Petrus propter Primatum ſuum Eccleſiam figurabat: idque pertinet ad myſticum & parabolicum ſenſum; quatenùs unitatem Eccle-

Digitized by Google

ſiæ deſignabat. Quare Auguſtinus ait claves non tam uni, quàm unitati datas. At verò (inquit Cajetanus) ſenſus myſticus & parabolicus litteralem ſenſum excludere non debet, quando non eſt contrarius ſenſui litterali: Quod autem Auguſtinus aſſerit, *quæ dicuntur de Petro non habere illuſtrem ſenſum, niſi cùm referuntur ad Eccleſiam, cujus Petrus agnoſcitur in figura geſtaſſe perſonam*: ea ſic interpretatur Cajetanus, ut patet Auguſtinum oſtendere voluiſſe ſenſum myſticum & parabolicum hac in parte clariorem atque illuſtriorem eſſe ſenſu litterali: quia nemo neſcit Eccleſiam habere claves: at non ita clarum datas perſonæ ſingulari Petri: & idcircò tot quæſtiones emergunt circa ſenſum litteralem hujus loci. *Tibi dabo claves.* Cùm ergo hîc duplex occurrat ſenſus, litteralis nimirùm & parabolicus, & litteralis potior ſit, ſoluſque conducat ad dogmata ſtabilienda; oportet quidem hæc verba, *tibi dabo claves*, ſingulariter & litteraliter priùs de Petro quàm de tota Eccleſia intelligi, & continuò Catholicâ fide tenendum, datas eſſe claves ſingulariter perſonæ Petri non tanquàm figuram Eccleſiæ gerenti.

Capite 4. ejuſdem libri hæc ipſa ampliùs enucleat enumeratione omnium circumſtantiarum textus Scripturæ: ac primum docet ſoli Petro & non aliis Apoſtolis hanc fidem revelatam, *tu es Chriſtus Filius Dei vivi:* & collationem clavium eſſe præmium Confeſſionis hujus fidei: nullo modo autem conſtare Scripturis id revelatum cæteris Apoſtolis: Petro autem id manifeſtum eſſe verbis Domini. *Beatus es Simon Barjona quia caro & ſanguis non revelavit tibi, &c.* ſubjungit tantam tamque diligentem eſſe circumſtantiarum de ſingulari perſona Petri enumerationem, ut nulla unquam accuratior ab ullis notariis fieri potuerit: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus: & tibi dabo claves regni Cælorum:* Id verò planè convincere Chriſtum ſingularem curam de perſona Petri præ aliis habuiſſe, ſicut & Lucæ 22. Cùm enim omnes expetiti eſſent a ſatana, tamen Dominus pro ſolo Petro *orat. Oravi pro te, non pro vobis*, imò alios Petro commendavit. Deindè ſi Petrus geſſit perſonam aliorum quando reſpondit Chriſto, tu es Chriſtus Filius Dei vivi, id poteſt intelligi tripliciter, vel ex officio, quia curam eorum habet: vel per viam commiſſionis, puta quia Apoſtoli commiſerunt Petro ut nomine omnium reſponderet, vel per viam ratificationis, quia reſponſio Petri grata fuit omnibus. Quoad primum, reſpondet eſſe non poſſe: quia Petrus nondum eſſet à Chriſto conſtitutus Paſtor Eccleſiæ, ut curam Apoſtolorum gereret: quoad ſecundum, dicit nullum extare in Scripturis veſtigium hujus commiſſionis, & proinde ſequi, quòd Apoſtoli ſolummodò per viam ratificationis Confeſſionem Petri approbaverint. Et ad hunc ſenſum putat interpretandos Patres, qui aſſerunt Petrum nomine omnium fidem edidiſſe, ſcilicet, quia Apoſtoli factum Petri approbarint, concluditque caput 4. affirmando puram eſſe petitionem principii, dicere Chriſtum claves promiſiſſe omnibus Apoſtolis, quando dixit Petro, *tibi dabo claves.*

V. Capite 5. notat Dominum quatuor promiſiſſe Petro perſonaliter ſumpto; primò, ut eſſet Petra & fundamentum Eccleſiæ, *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Secundò, ut haberet claves Eccleſiæ, *& tibi dabo claves.* Tertiò, ut non in uno cælo, ſed in cælis ſolveret, quod auctore Origene ſignificat perfectionem ſuper alios Apoſtolos. Quartò, quòd ligaret etiam in cælis & in terra. Subjungit duplicem eſſe actum clavium totalem ſeu adæquatum, & partialem ſeu inadæquatum: & poſteriorem à priori diſtare tanquàm partem à toto, & infe-

Digitized by Google

rius à ſuperiori : atque nomine clavium contendit totum vel plenitudinem poteſtatis ſigillatim concedi Petro Mathæi 16. nomine autem facultatis ligandi & ſolvendi actum partialem & inadæquatum promitti Eccleſiæ Mathæi 18. & Joannis 20. *Sicut miſit me Pater, ita mitto vos, claves non totaliter, ſed partialiter & inadæquatè dari Apoſtolis : eamque ob cauſam Petrum ita claudere, ut nemo aperiat, & ſic aperire, ut nemo claudat, eo quòd claves habeat, ut caput Eccleſiæ & Paſtor ipſorum etiam Apoſtolorum.* Quocircà efficit, hæc duo propria & particularia eſſe Petro, ut ſit *fundamentum Eccleſiæ, & ut claves totaliter poſſideat.* Undè contra communem Theologorum ſententiam, qui duas tantùm claves conſtituunt, nimirùm ordinis & juriſdictionis, Cajetanus tertiam addidit propriam ſoli Petro, ſuperiorem illis duabus clavibus, quam didicit à Chriſto explicari *nomine clavium regni Cælorum : tibi dabo claves regni Cælorum Mathæi 16. idque ſignificat actum adæquatum. Nam (inquit) aperire & claudere regnum Cælorum actus ſunt longè ſuperiores omnibus actibus judicialibus, tam clavium juriſdictionis quàm clavium ordinis.* Dehinc tranſit ad particularem interpretationem hujus loci, *ſicut miſit me Pater & ego mitto vos* Joannis 20. quem de ſolo Apoſtolatu, id eſt, de poteſtate extraordinaria conceſſâ Apoſtolis tanquàm Legatis capi oportere contendit: alioqui falſum eſſe ait, quod ab antiquis Patribus dicitur, nimirùm omnes Apoſtolos honore & poteſtate æquales aut pares fuiſſe : idemque perhibet eſſe judicium de his aliis teſtimoniis, *euntes in mundum docete omnes gentes, &c.* Mathæi & Marci ultimo. Concluditque Petrum ſuper cæteros Apoſtolos habere quòd ſit fundamentum Eccleſiæ, & quòd habeat claves regni Cælorum, atque aliud eſſe habere claves ut Apoſtoli habuerunt, & aliud ut Petrus tanquàm caput & Paſtor etiam ipſorum Apoſtolorum.

Capite 9. 10. & 11. hoc aliud Chriſti effatum, *paſce oves meas*, torquet atque detorquet in omnes formas ad ſuam effingendam Monarchiam. Summa autem illius opinionis eſt, Petrum illis verbis conſtitui tanquàm caput & Paſtorem ordinarium, Apoſtolos verò tanquàm Legatos Chriſti, & tamen dici Paſtores dominici gregis, quoad Apoſtolatum cap. 9. deindè cap. 10. ſtatuit Petrum miſſurum fuiſſe Apoſtolos niſi à Domino præventus fuiſſet, id eſt, niſi ipſe Chriſtus Petrum anticipatione præveniſſet in Apoſtolorum miſſione, & cap. XI. quamquàm paſcere non ſignificet principari & dominari, tamen ſignificare actum Eccleſiaſtici Principis & præſupponere principatum, &c.

Sed hujus quæſtionis analyſim ad quindecim quæſtiones revocabimus, & ne hîc vagemur, primò revocandum in memoriam, quòd aliàs ſæpè diximus claves à Chriſto, tum ipſimet Eccleſiæ cùm Petro, ſed ut ait Toſtatus lib. 2. laudatus diversâ ratione delatas, quoniam Eccleſia eas poſſidet totaliter, architectonicè quoad dominium & proprietatem : Petrus verò & alii Apoſtoli ac ſingulares Prælati diſtributim ſumpti, partialiter, quoad uſum, miniſterium exercitium & exequutionem dumtaxat. Quocirca ſi Petrus conſideretur ut perſonam totius Eccleſiæ atque unitatem omnium Prælatorum figurabat aut repræſentabat, Chriſtus Mathæi 16. eidem claves architectonicè & quoad dominium pollicetur, danturque actu & formaliter quando Apoſtolis ſuum contulit Sacerdotium : Item Joannis 20. *ſicut miſit me Pater & ego mitto vos.* Item Mathæi & Marci ultimo, Euntes in mundum univerſum docete omnes gentes, &c. Si verò Petri tanquàm privati Apoſtoli & ſingularis perſonæ habeatur ratio, eidem quoque Dominus claves promittit, ſed quoad exercitium & exequutionem quam Joannis

S ſ

Digitized by Google

ultimo actu conſequitur his verbis, ***paſce oves meas.*** Quibus bene intellectis proclive cuique erit omnes Cajetani argutias exſtirpare: ſiquidem paſſim in Elenchum à petitione principii impingit.

Secundò, quod objicit fructum confeſſionis Petri eſſe clavium collationem & adoptionem: hoc nihilo magis Cajetani quàm cauſam noſtram promovet: quia ex conſenſu omnium antiquorum, quos libro ſuperiore exhibuimus, Petrus non ſuam unius, ſed totius Eccleſiæ Catholicæ fidem nomine omnium Apoſtolorum confitetur: & conſequenter promiſſa Chriſti facta Petro ad omnes Apoſtolos ex æquo pertinent, excepto Primatu: cuncti enim ſunt ex æquo petra & fundamentum Eccleſiæ, ex æquo claves acceperunt, ex æquo beati ſunt, &c.

Tertiò, quod narrat de ſenſu myſtico & parabolico reſpectu Petri Eccleſiæ unitatem figurantis, &c. ſi per ſenſum myſticum & parabolicum aliquid involutum & implicatum deſignat: ita ut ad id cognoſcendum multiplici & anxiâ ratiocinatione opus ſit: planè ei negamus ſenſum eſſe parabolicum aut myſticum, ſcilicet Petrum tanquàm Eccleſiæ figuram geſtantem loquutum pro omnibus, & pro omnibus etiam claves accepiſſe eo modo quo explicavimus reſponſione ad primum, ut enim non eſt ſenſus myſticus & parabolicus Decanum & Præpoſitum alicujus collegii & ſocietatis pro ſuo collegio & ſocietate loqui, atque reſponſa dare & accipere; ſed res vera, hiſtorica, moralis, politica & ordinaria eſt: ita etiam contendimus Petrum tanquàm os & figuram Apoſtolorum non myſticè aut parabolicè, ſed verè, moraliter & politicè reſpondiſſe, ut fieri aſſolet in omnibus corporibus politicis: eſtque ſtupendum adverſarios rem clariſſimam & planè moralem ad ſenſum abſtruſum & myſticum deflectere: cùm res morales & politicæ capi debeant in propriis terminis.

Quartò, dum perhibet exploratum eſſe omnibus, Eccleſiam habere claves: paucos autem cognoſcere uni Petro ſingulariter & perſonaliter datas, & proindè ſenſum parabolicum eſſe clariorem ſenſu litterali hac in parte, &c. Profectò argumento ad hominem cauſam ſuam interimit, & ſententiam communem confirmat, nimirùm claves priùs atque immediatiùs datas unitati quàm uni, & toti Eccleſiæ quàm perſonæ Petri: cauſa autem hujus notionis inde ducitur, quòd omnes videant, etiam ipſum Papam more aliorum omnium ſubditum eſſe Sacerdotio Chriſti, juſtificari in Eccleſiæ Sacramentis, & peccatorum ſuorum remiſſionem ab Eccleſia petere: huncque articulum fidei profiteri; ***Credo ſanctam Eccleſiam Catholicam, remiſſionem peccatorum.*** Et ita patet quare Auguſtinus dixerit, ***ea quæ dicuntur de Petro ſingulariter non habere illuſtrem intellectum, niſi ad Eccleſiam referantur, &c.*** ratio eſt; quia claves adæquatè toti Eccleſiæ per modum efficientis, conſervantis & propagantis, Petro autem & ſingularibus Prælatis quoad uſum & exequutionem regiminis inadæquatè & partialiter tantùm creditæ ſunt.

Quintò, verum eſt ſecundùm ſenſum litteralem Petrum perſonaliter accepiſſe claves, atque etiam quatenùs Eccleſiam repræſentabat: unum enim non excludit aliud: ſicut operatio animæ in oculo, operationem ejuſdem in cerebro minimè excludit.

Sextò, cùm Chriſtus ſemper palam loquutus & concionatus ſit, & myſteria Evangelii privatim omnibus Apoſtolis revelarit, certè hæreſis eſt dicere, illis hanc fidem, *tu es Chriſtus Filius Dei vivi*, minimè revelatam fuiſſe: vide cap. 3. lib. 2. hujus defenſionis & cap. 4. in analyſi ſententiæ Hylarii num 22.

Digitized by Google

Septimò, enumeratio circumſtantiarum quam oſtentui habent adverſarii, *Beatus es Simon Barjona, tu es Petrus & ſuper hanc petram: tibi dabo claves, &c.* neque probat ſoli Petro datas claves, neque etiam negat datas eſſe collectim Eccleſiæ: nam cùm Mathæi 16. Chriſtus Petro figuram Eccleſiæ gerenti verbis de futuro pollicetur claves: verbis autem de præſenti eas actu conferat toti Eccleſiæ Joannis 20. certè ſicut Philoſophi *potentiam cognoſcunt per actum:* ita etiam hæc verba de futuro *tibi dabo*, capi atque interpretari debent juxtà collationem actualem clavium quæ fit Joannis 20. Quod ſpectat ad hunc textum, *ego rogavi pro te Petre*, Lucæ 22. aliàs explicabitur.

Octavò, triplex illa Cajetani quæſtio utrùm Petrus tanquàm Paſtor Apoſtolorum velut eorum procurator fidem profeſſus ſit: vel quia Apoſtoli poſt factum illud ratum gratum habuerint, meræ ſunt argutiæ quibus luci meridianæ tenebras vult effundere: Etſi enim Petrus nondum eſſet actu conſtitutus Primas & anteſignanus aliorum Apoſtolorum, tamen jampridem fuerat deſignatus à Chriſto quamprimum Petrum vidit, *tu vocaberis Cephas*, inquit, Joannis 1. & ab eo tempore Petrus inter Apoſtolos ſemper & primus omnium fermè loquitur: omneſque Patres diſertè docent Petrum velut os & Coripheus Apoſtolorum loqui pro omnibus: quia ætate alios anteiret.

Nonò, non poteſt eſſe petitio principii dicere, Chriſtum omnibus Apoſtolis claves promiſiſſe in perſona Petri: quando conſtat actu & de facto omnibus collatas tum Sacerdotii Chriſti collatione, cùm etiam Joannis 20. & Mathæi ac Marci ultimo. Siquidem *potentiæ diſtinguuntur & cognoſcuntur per actus & exercitium, ut facultas videndi per actum videndi, &c.*

Decimò, abſolutè negamus quicquam perſonaliter promiſſum aut datum Petro excepto primatu, quod non etiam fuerit aliis Apoſtolis collatum: cuncti enim ex æquo ſunt fundamenta, habent claves, & non tantùm in uno Cælo, ſed in omnibus etiam Cælis ſolvunt: de qua Origenis argutia, vide quæ lib. 2. cap. 4. notavimus in collectione Origenis.

Undecimò, hic locus Eſaïæ 22. & Apocalypſ. 3. *claudit* & nemo aperit, aperit & nemo claudit, ad litteram de Chriſto intelligitur qui clavem habet abſolutæ auctoritatis & excellentiæ, neque Petro aut Eccleſiæ poteſt ullo modo competere, quia ſolam clavem puri miniſterii poſſident.

Duodecimò, mera ſunt ambitioſorum atque obnoxiorum hominum commenta dicere Petrum totaliter & adæquatè: alios verò Apoſtolos partialiter & inadæquatè claudere & aperire, ſolvere & ligare, &c. cùm, ut omnes Patres docent, ſint *honore & poteſtate pares*; neque præ illis quicquam habuerit Petrus, excepto primatu, vel primo gradu Sacerdotii Chriſti.

Decimò tertiò, ſomnium eſt ægri hominis, non dogma Theologicum, fingere tertium genus clavis Cælorum proprium & peculiare Petro diſtinctum à clave ordinis & juriſdictionis. Undè Bellarminus, quamquàm omnia alia Cajetani argumenta in propriis ferè terminis uſurpet, tamen hoc improbat lib. 1. cap. 12. de Rom. Pontifice: quia (inquit) *hæc doctrina ſubtilior quàm verior nobis videtur; eſtque inauditum in Eccleſia alias eſſe claves quàm ordinis & juriſdictionis, & planus eſt ſenſus illorum verborum, tibi dabo claves, & quodcumque ſolveris ſuper terram, &c.* Hæc

Digitized by Google

Bellarminus. Profectò, juriſconſultorum regula hìc apprimè quadrat; ubi lex non diſtinguit, neque nos diſtinguere debemus.

Decimò quartò, illudit à petitione principii dum hoc teſtimonium, ſicut miſit me Pater & ego mitto vos, Joannis 20. de ſolo Apoſtolatu atque extraordinaria poteſtate Apoſtolorum interpretatur, quaſi Apoſtoli fuiſſent Legati & non ordinarii Paſtores ſicut Petrus: hæc enim mera ſunt figmenta: hicque locus, *ſicut miſit me Pater*, pertinet ad poteſtatem ordinariam omnium Epiſcoporum qui ſucceſſerunt Apoſtolis, ut lib. 2. cap. 3. oſtendimus, & infra ampliùs diſputabitur.

Decimò quintò, quæcumque memorat de hujus loci explicatione paſce oves meas: quaſi ſolus Petrus eſſet Paſtor ordinarius, & principatum quemdam monarchicum habuiſſet ſuper alios Apoſtolos; adeò ut illos miſiſſet, niſi per anticipationem fuiſſent miſſi à Chriſto, & ſimilia, meræ ſunt imaginationes ſophiſticæ, quæ ſolâ hodiernâ praxi & quæſtione facti nituntur, quaſi qui diceret, hodie Pontifex abſolutâ utitur monarchiâ, ergo eſt à Chriſto inſtituta: nam ex iis quæ Cajetanus fieri vidit, à Julio II. de tota quæſtione juris decernit. Quod eſt ridiculum. Cæterum qualem Papa & Epiſcopi habeant principatum docui lib. 2. cap. 2. in explicatione tertiæ regulæ, quam Lector conſulet.

QUÆSTIO QUARTA.

DE RELIQUIS CAJETANI ARGUMENTIS.

VI. Ut omnes Cajetani probationes methodicè examinentur, ſingula capita *tractatus de comparatione auctoritatis Papæ necnon etiam illius apologiæ* examinabimus; ordiemurque à capite 3. & 4. memorati tractatus, ubi probare nititur cæteros Apoſtolos ſubjectos fuiſſe Petro: ejus fundamentum eſt Chriſtum Joannis 20. voluiſſe ut unum eſſet Ovile & unus Paſtor, atque Joannis ultimo conſtituiſſe illum unum Paſtorem: & conſequenter cunctas oves Chriſti, quarum numero Apoſtoli comprehenduntur, eſſe de Ovili Chriſti, & proinde Apoſtolos ſubjectos regimini paſtorali Petri: undè colligit Petrum fuiſſe inſtitutum Paſtorem univerſalis Eccleſiæ, majorem auctoritate omnibus Apoſtolis, ita ut ab illo tanquàm à Capite Eccleſiæ poteſtas & juriſdictio in totam Eccleſiam diffundatur jure ordinario: quamquàm jure extraordinario res aliter habeat, hocque ſuum fundamentum ut Cajetanus cum Patribus antiquis conciliet, aſſerentibus omnes Apoſtolos honore & poteſtate æquales fuiſſe, ita philoſophatur. Quamquàm primâ fronte difficile appareat ab ipſo capite Petro poteſtatem in totum Eccleſiæ corpus derivari, tamen ſi ſubtiliter contemplati fuerimus, videbimus de facto omnia vera eſſe ſimul: quia ſicut naturaliter homo hominem generat, & ſupernaturaliter etiam procreatur à Deo per creationem, ita in Eccleſia duobus modis aliquid fit, ordinariè nimirùm & extraordinariè; priori modo cùm Epiſcopus ſervato juris ordine creatur ſecundùm Canones: poſteriori, cùm ſpeciali gratiâ Principis conſtituitur, ut D. Ambroſio contigit, qui ex Catechumeno effectus eſt Epiſcopus contra Canones. Similiter Chriſtus in Eccleſia primitiva hâc dupli-

Digitized by Google

ci viâ uſus eſt, & quidem ordinariâ, dum inſtituit, ut perpetuò ſervaretur principatus Monarchicus, atque Petrum unicum totius Eccleſiæ Caput & Paſtorem conſtituit, à quo in omnes alios poteſtas ordinis & juriſdictionis ordinariè derivaretur, idque omnes ſacri auctores volunt, cùm docent omnes pendêre à Petro. Cæterùm idem Dominus viam extraordinariam ſervavit, quando ex ſpeciali gratia prævenit D. Petrum & contulit Apoſtolis auctoritatem gubernandi, ordinandi, judicandi, &c. quam poteſtatem iidem Apoſtoli erant accepturi à Petro, niſi Chriſtus Petrum prævenisſet. Pari quoque modo niſi idem Dominus Apoſtolos inſtituiſſet Sacerdotes in ultima cœna, omnes erant accepturi ordinem Sacerdotalem à Petro, hancque præventionem nihil obſtare ait ſupremæ auctoritati Petri erga alios Apoſtolos. Quocirca concludit Chriſtum hâc præventione id ex gratia & via extraordinaria dediſſe Apoſtolis ſubditis Petro quod jure ordinario erant accepturi à Petro, niſi Chriſtus Petrum antevertiſſet, utque hæc ſua commenta ampliùs muniat inter Petri & aliorum Apoſtolorum poteſtatem, quinque aſſignat differentias. Prima, quòd Petri auctoritas ſit ordinaria, reliquorum verò Apoſtolorum extraordinaria, & ex mera gratia atque præventione Chriſti. Secunda, quòd Petrus factus ſit generalis & ordinarius Vicarius Domini: cæteri autem Apoſtoli tanquàm legati ſeu delegati à Chriſto 2. Corinth. 5. *pro Chriſto legatione fungimur.* Tertia, quòd poteſtas juriſdictionis aliorum Apoſtolorum non eſſet ſupra ſe invicem, ſed ſuper alios Epiſcopos & Fideles: contra autem poteſtas Petri erat non tantùm ſuper alios Epiſcopos & Fideles, verumetiam ſuper omnes Apoſtolos qui erant oves Chriſti, undè hoc oraculo, *paſce oves meas*, commendantur & committuntur paſcendi Petro. Quarta, quoniam poteſtas aliorum Apoſtolorum temporanea fuit, neque tranſmiſſa eſt ad poſteros ſicut poteſtas Petri, quæ perpetua eſt, & ad ejuſdem ſucceſſores tranſmeat, idque Patres Eccleſiæ (inquit) docere volunt, aſſerentes claves datas Petro in perſona Eccleſiæ, quia Eccleſiam repræſentabat. Quinta, quòd poteſtas aliorum Apoſtolorum fuerit tantùm exequutiva, Petri autem præceptiva & legiſlativa: quoniam ei ſoli dictum eſt, *paſce oves meas*; hanc autem quintam differentiam D. Thomas 2. cap. ad Galatas excogitavit, affirmans cæteros Apoſtolos pares fuiſſe *Petro in exequutione auctoritatis, non regiminis.* Quare in præfatione ſolemni feſti Apoſtolorum, Apoſtoli *non abſolutè appellantur Vicarii Chriſti, ſed operis Chriſti Vicarii:* ſolus enim Petrus propriè eſt Chriſti Vicarius; hæc illuſtrat exemplis, nam Epiſcopis & fratribus prædicatoribus officium quidem prædicandi verbum Dei competit, ſed differenter (inquit) illis quidem propriâ & nativâ auctoritate, prædicatoribus autem tanquàm delegatis à Papa. Similiter Petrus ex propria paſtorali auctoritate Eccleſiam gubernat, alii verò Apoſtoli ex privilegio Chriſti delegantis, & mittentis eos ad exequutionem regiminis quod Petrus conſtitueret. Quas rationes Cajetanus inculcat ad nauſeam cap. 4. memorati tractatus de comparatione auctoritatis Papæ.

Analyſim hujus quæſtionis ad octo puncta reducemus: primùm fruſtra deſudat Cajetanus in hoc textu ad ſuum propoſitum effingendo, *fiet unum Ovile & unus Paſtor*, quia ut ſeries contextus declarat, litteraliter de ſolo Chriſto intelligitur, ut contra D. Thomam cap. præcedenti reſponſione ad ſextum oſtendimus.

Secundò, ſubtilis contemplatio quâ pollicetur ſe Patres cum ſuis principiis concor-

Digitized by Google

daturum, ſuos conatus planè condemnat, quoniam moralia & politica, cujuſmodi hæc ſunt, non amant ſubtiliter & metaphyſicè ſed in propriis terminis tractari.

Tertiò, admittimus Paſtores viâ ordinariâ atque extraordinariâ creari poſſe: de qua re, ne ſim cuiquam faſtidio, lege cap. 7. libri 2. numero 22.

Quartò, ſicut legimus in Sacris Scripturis Deum viâ extraordinariâ hominem produxiſſe per creationem; & quotidie experimur viâ ordinariâ generationis etiam naſci: ita Evangelium nos docet Chriſtum tanquàm poteſtate excellentiæ præditum Eccleſiam fundaſſe, inſtituiſſe, eique Sacerdotium ſuum cum poteſtate clavium actu detuliſſe quaſi per viam extraordinariam creationis. Deindè conſtat eandem Eccleſiam poſtquam eſt ſemel fundata à Chriſto demùm per viam ordinariam propagatam ab Apoſtolis & Patribus Eccleſiæ primitivæ. Siquidem actorum 1. D. Mathias & 6. Diaconi viâ extraordinariâ inſtituuntur: idemque nos docent hiſtoria Eccleſiaſtica & Canones, quibus edicitur neminem habendum Epiſcopum, qui non ſit à Clero & populo electus & ab Metropolitano confirmatus; idque inſuper declarat hodierna Romani Pontificis electio. Quæ omnia tam clara & perſpicua ſunt, ut à nemine revocari queant in ambiguum. At verò Petrum creatum fuiſſe Monarcham Apoſtolorum, & Chriſtum quando Apoſtolos inſtituit, eiſque poteſtatem ordinis & juriſdictionis in commune detulit, Petrum in officio ſuo paſtorali anticipaviſſe: hoc quidem alibi præterquam in phantaſia & libris Cajetani atque aliorum obnoxiorum nuſpiam extat: undè quâ confidentiâ obtruditur, eâdem multòque ſeveriore repudiatur: meritò certè: quoniam Petrus ſolâ poteſtate miniſteriali, non excellentiæ præditus eſt, ideòque Apoſtolos creare nullo modo potuit. Utque ratio Cajetani procederet, demonſtrare debebat poſt Chriſti aſcenſionem Petrum vel potuiſſe inſtituere Apoſtolos, vel de facto aliquos inſtituiſſe pari poteſtate præditos cum Joanne, Paulo, Andræa, &c.

VII. Quapropter hic ejus Elenchus à petitione principii jure deſpuitur, eique clariſſimè & validiſſimè oſtendit Almaînus, Eccleſiam poſt Chriſti Aſcenſionem potuiſſe Petrum in Primatem cum eadem poteſtate quam habuit à Chriſto inſtituere, niſi Chriſtus Eccleſiam præveniſſet: ratio evidentiſſima & certiſſima Almaini eſt, quoniam Eccleſia poteſtatem habet à Chriſto creandi ſummum Pontificem; tum per communicationem Sacerdotii Chriſti, quod architectonicè poſſidet, cùm etiam per electiones: & de facto Sede vacante illum quotidie creat viâ ordinariâ ſicut & alios Epiſcopos: ex quo inſurgit argumento ad hominem, niſi Chriſtus viâ extraordinariâ inſtituiſſet Petrum Primatem, atquè Eccleſiam anticipaſſet, Eccleſiam quidem potuiſſe Petrum inſtituere in æquali poteſtate quam habuit à Chriſto: ſiquidem Sacerdotio Chriſti communicato Eccleſiæ, Papalis, Epiſcopalis & Presbyteralis poteſtas atque dignitas formaliter & quoad habitum ineſt. Actus verò atque exercitium defertur per electiones & traditionem tituli Papalis, Epiſcopalis & Presbyteralis: neque Cajetanus quicquam habet firmi quod adversùm opponat: Primùm fingit collatione ordinis ſolam poteſtatem in Chriſti Corpus verum & dumtaxat in foro interno pœnitentiæ conferri; quod ei abſolutè negatur. Secundò, tractatu de divina inſtitutione Pontificatus cap. 3. circa medium, ait, cùm Papa eligitur, non accipere claves ab Eccleſia, ſed à Chriſto, non novâ ſed antiquâ traditione: quam opinionem ut falſam confutavimus lib. 2. cap. 4. num. 58. Tertiò, cap. 1. ſuæ apologiæ objicit Leonis magni teſtimo-

Digitized by Google

nium *diſt. 19. Can. ita Dominus* §. *ut ab ipſo Petro quaſi quodam capite dona ſua velut in corpus omne diffunderet : ut exortem ſe myſterii intelligeret eſſe divini, qui auſus fuiſſet à Petri ſoliditate recedere, &c.* Sed oppono huic teſtimonio Leonis in ſua cauſa tantum fidei habendum, quantum concordat juri divino, naturali & canonico, ut cap. 1. apologiæ, cauſatur Gelaſium Papam docere *ſanctam Romanam Eccleſiam nullis Synodicis conſtitutis cæteris Eccleſiis prælatam eſſe, ſed Evangelicâ voce Domini & Salvatoris Primatum obtinuiſſe diſt. 21. Can. quamvis & diſt. 22. Can. omnia & Can. ſacroſancta.* At reſpondeo ejuſmodi Canones loqui de inſtitutione primatus quoad factum Chriſti : & non de poteſtate quam Eccleſia habuit inſtituendi Petrum, niſi Chriſtus Eccleſiam per anticipationem præoccupaſſet: hîc enim Cajetanum ſuis bellulis diſtinctionibus atque reſponſis flagellare lubet.

Quintò, quòd dicto cap. 1. apologiæ urget, poſito quòd Chriſtus poteſtatem electivam Papæ toti Eccleſiæ contulerit, ut perhibet Almaïnus, ſequi Clerum & populum Romanum injurioſè ſibi ſolis hanc poteſtatem uſurpaviſſe, antequàm inſtitutum eſſet ut Papa à Cardinalibus de toto orbe aſſumptis cooptaretur, ut fit hodie. Reſpondeo Cajetanum hâc temerariâ objectione telum fortiſſimum ſuppeditare ſectariis ad Eccleſiæ Romanæ Primatum, quaſi jure divino inſtitutum, debellandum : verumtamen ut illum velut divinitus inſtitutum vendicemus, contendo poſtquàm ſanctus Petrus ſedem fixit Romæ, Clerum & populum Romanum jure divino naturali Epiſcopum Romanum delegiſſe, atque univerſalem Eccleſiam ſuo tacito conſenſu & communicatione, illam Cleri & populi Romani cooptationem approbaſſe : tandemque formam eligendi Papam miniſterio Cardinalium ejuſdem Eccleſiæ conſenſu comprobatam fuiſſe.

Sextò, quod ſpectat ad quinque differentias, quas inter Petri & aliorum Apoſtolorum poteſtatem aſſignat, mera eſt cavillatio ac petitio principii : verbi gratiâ, quòd poteſtas Petri eſſet ordinaria, aliorum verò Apoſtolorum extraordinaria & delegata. Profectò hæc vox Apoſtoli, *pro Chriſto legatione fungimur*, æquè & indiviſim aliis quàm Petro convenit : undè ſunt ex æquo Vicarii, Legati & Proreges Chriſti, quia omnes indiviſim Sacerdotio Chriſti donati ſunt : atque omnibus dicitur, *quæcumque alligaveritis, ſicut miſit me Pater & ego mitto vos, euntes in mundum prædicate Evangelium, &c.* neque Petrus ſuper alios quicquam aliud habet, excepto Primatu aut primo gradu hujus legationis & Vicariatus Chriſti.

Septimò, quòd aſſerit poteſtatem aliorum Apoſtolorum fuiſſe ſupra ſe invicem : Petrum autem juriſdictionem ſuper alios habuiſſe, ampliùs tractatur à Franciſco Suare, de quo infra cap. 6. hujus libri.

Octavò, quænam poteſtas Apoſtolorum tranſierit vel non tranſierit ad poſteros cap. 6. hujus libri cum Bellarmino diſputabitur : ubi diſcrimen ordinariæ atque extraordinariæ poteſtatis Apoſtolorum evolvemus.

Nonò, petitio & principii aſſerere poteſtatem aliorum Apoſtolorum fuiſſe tantùm exequutivam, & poteſtatem Petri ordinativam & conſtitutivam regiminis : cùm omnes & intenſivè & extenſivè æqualem habuerint poteſtatem : idque non tollit Primatum. Porrò regimen Eccleſiæ, ut aliàs ſæpè obſervavi, eſt Ariſtocraticum, & exequutio regiminis ad Papam alioſque Epiſcopos reſpectivè & proportionatim ſpectat : ita ut

Digitized by Google

unuſquiſque Epiſcopus jure divino tantùm habeat poteſtatis in ſua privata diœceſi, quantùm Papa in univerſali Eccleſia diſgregata, ut ipſemet Bellarminus fatetur lib. 5. de Rom. Pontifice cap. 3. §. Item ſi Papa. Equidem cuncta adverſariorum argumenta huic ſophiſtico incumbunt principio : ſcilicet Petrum conſtitutum fuiſſe abſolutum Eccleſiæ Monarcham : quod tamen velut *antopiſon* à Curialibus venditatur : adeò quidem ut qui ei contradicere audeant Romæ infra hæreticos amandentur : & ſecuriùs ac magis impunè de omnibus myſteriis Chriſtianæ Religionis, quàm de abſoluta Papæ Monarchia his moribus corruptiſſimis diſputetur.

QUÆSTIO QUINTA.

VIII. capite 4. tractatus de comparatione auctoritatis Papæ & Concilii, argumentum ſcholæ Pariſienſis ductum à cap. 8. actorum exagitat : nam eo ipſo quòd Eccleſia Petrum & Joannem miſerit in Samariam, colligitur Petrum non fuiſſe Monarcham Eccleſiæ, ſed ariſtocraticæ moderationi Collegii Apoſtolici ſubjectum. Contra opponit adverſarius patere ex Theologis non oportere mittentem eſſe majorem miſſo : cùm filius mittatur à Patre & Spiritu ſancto, quibus tamen eſt æqualis : & ita Cajetanus efficit Petrum & Joannem non poteſtativè, vel auctoritativè miſſos. Contra Almaïnus cap. 7. de Eccleſiæ auctoritate poſt medium, ſic Cajetanum profligat. *Hæc conſequentia eſt optima (inquit) Spiritus ſanctus mittitur : ergo eſt à filio vel inferior eo : & ſic oportet Cajetanus fateatur, quòd Petrus ſit ab Eccleſia. Similiter nec poteſt rationabiliter dici quòd Petrus miſſus ſit conſilio & non præcepto : cùm non fuerit ſolus, ſed Joannes cum eo.* Huc uſque Almaïnus, in quem Cajetanus cap. 18. apologiæ ita ratiocinatur : *Spiritùs ſanctus mittitur à ſeipſo, imò etiam filius mittitur à Spiritu ſancto qui eſt à filio, & tamen non eſt à ſeipſo, nec inferior ſeipſo, ergo illinc malè infertur Petrum eſſe inferiorem Eccleſia aut ab Eccleſia.* Sed rependo Cajetanum & aſſeclas hîc ſuo abuti ingenio, primùm, quia res morales & politicas quæ præciſè in propriis terminis capiendæ ſunt, ad res Theologicas omnium difficillimas & abſtruſiſſimas cujuſmodi ſunt perſonæ Trinitatis detorqueant : quotuſquiſque neſcit longè diverſam eſſe rationem miſſionis politicæ & perſonarum divinarum ? accedit etiam omnem ſimilitudinem ſemper aliquid habere diſſimilitudinis etiam in rebus homogeneis, quantò magis in miſſione divinarum perſonarum. Secundò, Cajetanus manifeſtè peccat in placita S. Thomæ, in cujus tamen verba juravit : nam communis eſt omnium Theologorum conſenſus parte 1. quæſt. 43. articulo 4. *miſſionem perſonarum divinarum in interna ſui ratione importare proceſſionem ab alio ſecundùm originem : ideòque Patrem cùm non ſit ab alio, nullo modo ei convenire ut mittatur.* Itaque cùm filius neque à ſeipſo, neque à Spiritu ſancto procedat, eidem penitùs repugnat vel à ſeipſo, vel à Spiritu ſancto mitti, contra quam argutatur Cajetanus : ego hîc argumentor ex B. Thomæ principiis ad hominem. Tertiò, compertum eſt ab alio juridicè & poteſtativè mitti in politicis qui non ſit eo à quo mittitur inferior : Petrum verò ita miſſum actor. 8. probat Almaïnus, quia S. Joannes cum illo mittitur. Quartò, & aliud exemplum hujus ſuperioritatis ac eminentiæ legitur actor. xi. ubi Eccleſia quamquàm ſciret

ſciret optimè Evangelium aliquando gentibus prædicari oportere tamen à Petro auctoritativè rationem ſuæ converſationis cum gentibus ideò exegit, quòd duceret Petrum tempus à Chriſto ſtatutum prævertiſſe prius enim Judæis quàm gentibus Evangelium prædicari oportebat ut jam notavi. Verùm demonſtrabo hujus miſſionis Petri à priori repetendam ex his quæ lib. 2. docuimus de Chriſti Sacerdotio & clavibus immediatè conceſſis Eccleſiæ per dominium & proprietatem: Petro autem & ſingularibus Prælatis quoad executionem & exercitium dumtaxat.

IX. Capite 5. ejuſdem tractatus, Cajetanus in aciem explicat argumenta ſcholæ Pariſienſis de immediata Eccleſiæ auctoritate. Deindè cap. 6. eacum ſuis placitis confert. Ac primo quærit quidnam Pariſienſes nomine Eccleſiæ deſignent, quando aſſerunt Eccleſiam immediatè auctoritatem habere à Chriſto, & eſſe ſupra Papam. Porrò triplicem inſtituit comparationem inter Papam & Eccleſiam. Prima eſt, quâ Eccleſia aut Concilium ſumitur, Papâ Capite Eccleſiæ ſecluſo. Altera eſt inter Papam & Eccleſiam vel Concilium præſente atque Præſidente Papâ: tertia eſt inter Papam & Concilium auctoritate Papæ indictum & firmatum, ut verbi causâ Baſileenſe Concilium: hâc poſitâ triplici comparatione pro fundamento certiſſimo defigit Papam ſemper ſumi, ac intelligi debere tanquàm Caput Eccleſiæ univerſalis etiam collectim ſumptæ: non autem dumtaxat ratione ſingulorum membrorum aut Eccleſiarum particularium diſgregatarum: idque probat ex Conſtantienſi Concilio, *non eſt ſcintilla apparentia quòd oporteat eſſe unum caput in ſpiritualibus regens Eccleſiam, &c.* ſeſſione 12. art. 27. errorum Joannis Hus. Subnectit & alia quædam teſtimonia in eundem finem quibus aſſeritur Papam eſſe Caput totius Eccleſiæ aut univerſalis Eccleſiæ: atque etiam Pontifices Romanos bullas ſuas ſic ſolitas inſcribere. Ego N. Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus, &c. Cùm igitur Papa ſit Caput Eccleſiæ univerſalis primùm ſequitur, dato quòd Eccleſia aut Concilium eam repræſentans capiatur ſecluſo Papâ: tunc Eccleſiam eſſe corpus diminutum, truncum, mutilum, acephalum: & continuò non poſſe Eccleſiam univerſalem conſtituere: ſicut nec vacante Sede Eccleſia dici poteſt univerſalis, niſi imperfectè, quæ imperfectio eſt conditio diminuens atque detrahens qualitati univerſalis Eccleſiæ. Itaque ſi quis dicat Eccleſiam hoc modo, id eſt ſecluſo Papâ captam habere immediatè auctoritatem à Chriſto: Cajetanus contendit illum incidere in errorem Joannis Hus damnatum Conſtantiæ; ratio eſt, quia ille negat oportere eſſe unicum Caput in Eccleſia: & hæc de prima comparatione. Secunda, eſt totam Eccleſiam aut Concilium univerſale ſumptum conjunctim cum Papa non eſſe majoris auctoritatis quàm ſolum Papam & ſeparatim ſumptum à Concilio aut Eccleſia univerſali: Nam ait Cajetanus, perſona & auctoritas Papæ omnes alias poteſtates Eccleſiaſticas univerſim & eminenter continet cum poteſtate electiva Papæ: quoniam Papa ſibi poteſt deligere ſucceſſorem. Sicut S. Petrus B. Clementem adoptavit 8. quæſt. 1. Can. ſi Petrus. Attexit Papam etiam ſtatuere quando & quâ ratione fieri debeat electio ut ſit valida: nempè à duabus partibus Cardinalium ad minùs. Quocirca concludit Eccleſiam immediatè quidem habere à Chriſto auctoritatem, ſed ratione capitis, quia Deus primùm & immediatè influit in caput, & per caput in reliquum corpus: quemadmodum fieri videmus in humano corpore, nam à capite omnis motus & ſenſus diffunditur in totum corpus. His poſitis notat facilè judicari quid tenendum ſit de ter-

Digitized by Google

tia comparatione Concilii approbati à Papa, cum ipſo Papa abſente à Concilio. Siquidem Concilium approbatum ut v. g. Baſileenſe quod à Martino V. & Eugenio IV. indictum & approbatum fuerat, non majoris auctoritatis erat quàm ipſe Eugenius ſolus abſens à Concilio, ut patet diſt. 17. per totum & extravagante de electione cap. ſignificaſti. Quapropter efficit Pariſienſes, dum perhibent majorem eſſe Concilii quàm Papæ auctoritatem totum regimen monarchicum Eccleſiæ pervertere, ac democraticum efficere: ſicut dum S. P. Q. Romanus dicitur auctoritatem habere ſupra Imperatorem.

Supereſt hæc omnia analyticè evolvamus & pro cauſæ noſtræ firmamento præfigamus, quando ſchola Pariſienſis poſt Synodum Conſtantienſem docet Concilium immediatè ſuam habere auctoritatem à Chriſto non à Papa, & eſſe ſupra Papam: non hæc in eam partem capere, ut contemptâ auctoritate Pontificia, Concilium cogi & celebrari velit: imò verò conformiter ad praxim Eccleſiæ primitivæ aſſerit abſque ſententia Papæ Concilium haberi non debere, ut axiomate XXVI. & XXXI. apologiæ noſtræ diſputavimus.

Secundò, dum Cajetanus de Papa ut de capite loquitur, ſemper fallit à ſuppoſitione principii & à dicto ſecundùm quid ad dictum ſimpliciter, quaſi Papa eſſet Caput eſſentiale & abſolutus Monarcha Eccleſiæ, ita ut ab illo tota auctoritas Eccleſiæ flueret & repeteretur, ſicut videmus omnes Proreges, Magiſtratus, Officiarios & Parlamenta regni Galliarum ſuam auctoritatem à Rege Franciæ repetere. Certè longè differunt Primatus & Monarchia. Verùm Papam Caput eſſe Eccleſiæ nihil aliud ſignificat, quàm eſſe Principem Miniſtrorum Chriſti & Eccleſiæ, & Primatum habere in Eccleſia ad exequutionem regiminis Ariſtocratici, atque etiam ad condendos Canones in actu primo, ſi res poſtulet, quod eſt frequenter dicendum contra calumniatores meos.

Tertiò, propoſitio Joannis Hus, ideò damnata eſt à Patribus Conſtantienſibus, quòd ſimpliciter & abſolutè Primatum Eccleſiæ Romanæ negaret, adeò ut nihil planè neceſſum eſſet Papam eſſe Caput Eccleſiæ univerſalis etiam per mundum diſperſæ & congregatæ: in qua tamen Primatum tenet. Cæterùm Almaïnus cap. 8. de Eccleſiæ auctoritate reſponſione ad primum argumentum, huic petitioni Cajetani ita ſatisfacit. *Joannes Patriarcha Antiochenus vir profectò doctiſſimus, qui interfuit Concilio Baſileenſi, negat quòd Papa ſit Caput totius Eccleſiæ categorematicè, etiam loquendo de capite miniſteriali (notum eſt de capite principali) conſiderato (inquit) quod eſſe caput denotat præeminentiam & ſuperioritatem, quam ſummus Pontifex non habet ſuper Eccleſiam, cùm non ſit Dominus Eccleſiæ ſed miniſter. Dictum eſt enim Petro à Chriſto, tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & non ædificabo Eccleſiam tuam. Major eſt autem qui recumbit, & minor qui miniſtrat, juxtà dictum Salvatoris. Eſt ergo miniſter inferior & non ſuperior dominâ. Reſpectu tamen Eccleſiarum particularium Papa eſt caput miniſteriale: quia ratione miniſterii Petro commiſſi habet ſuper eas ſuperioritatem.* Concludit Almaïnus *ad omnes auctoritates ſonantes quòd Papa ſit caput Eccleſiæ, reſpondendum quòd ſit diſtributio pro particularibus Eccleſiis & non pro tota*, id eſt, hoc intelligi non de Concilio Generali, quod eminet ſupra Papam, ſed Eccleſiis ſingularibus diſtributim non collectivè in Synodum adunatis. Quem nodum Cajetanus cap. 2. apologiæ ſolvere nititur, ſed præter petitionem principii ut aſſolet nihil quicquam ef-

Digitized by Google

ſutit, ſcilicet malè duci argumentum à regno, quod poteſtatem Regi confert, ad Eccleſiam quæ non confert auctoritatem Pontifici : cùm certum ſit Papam non gerere vices Eccleſiæ, ſicut Rex Poloniæ verbi causâ gerit vices Regni : Nam, inquit Cajetanus, Papa eſt ſolius Chriſti non Eccleſiæ Vicarius : contra demonſtratum eſt toto libro 2. cum Sacerdotio Chriſti claves datas eſſe totaliter per dominium & architectonicè toti Eccleſiæ ; Petro autem & ſingularibus Prælatis diſtributim ſumptis partialiter quoad uſum, exercitium, miniſterium atque exequutionem : & continuò Petrum & Papam eſſe Miniſtros Eccleſiæ, adeò ut Papa hodie per & propter Eccleſiam exiſtat, ut aliàs probavimus.

Quartò, continuat in Elencho à petitione principii, dum ait Concilium ſecluſo Papâ eſſe imperfectum & acephalum, neque univerſalem Eccleſiam conſtituere. Profectò cùm tota auctoritas Eccleſiaſtica à Chriſti Sacerdotio efficienter oriatur, & Chriſti Sacerdotium cum Sanctorum communione eminenter & perfectiſſimè exiſtat in Synodo generali, idem planè eſt Papam Concilio præferre, ac ſi ſupra Chriſtum ipſum ejuſque Sacerdotium extolleretur: quod impium eſt. Accedit Papam ſecundùm omnia genera cauſarum eſſentialium Eccleſiæ poſſe dumtaxat habere rationem membri atque inſtrumenti non capitis Eccleſiæ. Vide axioma xv. & xvi. apologiæ noſtræ. Quod autem Cajetanus cap. 3. ſuæ apologiæ objicit, Canonem de inſtitutione Patriarchatus Conſtantinopolitani non arguere ſuperioritatem Concilii ſupra Papam, cùm id factum ſit tolerantiâ Papæ, confutatur à me in hiſtoria Concilii Chalcedonenſis.

Quintò, petitio etiam eſt principii dicere, auctoritatem Papæ complecti omnes auctoritates & poteſtates Eccleſiaſticas. Hoc enim propriè dicitur de Chriſti Sacerdotio & Concilio Generali. Cæterùm de B. Clementis electione ad Sedem Romanam vide ſupra cap. 7. lib. 1. num. 19. Quod autem urget adverſarius, Papam ſtatuiſſe ut electio Pontificis Romani fieret à duabus partibus Cardinalium ad minùs : intelligit decretum Alexandri III, PP. cap. 1. Synodi Lateranenſis. Sed repono id non abſolutâ poteſtate aut proprio & privato motu Papæ invaluiſſe, ſed conſenſu Catholico Eccleſiæ, à quo formalis ratio obligandi legum & Canonum Eccleſiaſticorum proficiſcitur : quandoquidem leges Papæ non obligant niſi recipiantur.

Sextò, ſophiſticè Papa ut Caput Eccleſiæ capiti humano comparatur : qui caput humanum eſt eſſentiale ac naturale caput corporis humani : adeò ut neceſſe ſit corpus interire capite ſublato. At Papâ mortuo, Eccleſia non perit : de qua re fuſiùs aliàs. Vide axioma xv. apologiæ.

Septimò, quod perhibet totam Conciliorum auctoritatem à Sede Apoſtolica pendêre diſt. 16. per totum : & cap. ſignificaſti, &c. Almaïnus cap. 8. de Eccleſiæ auctoritate ad ſextum opponit, *ejuſmodi auctoritates à Cajetano, ut ſuam opinionem confirmaret, adductas eſſe quidem ſummorum Pontificum, ſibi utplurimum id tribuentium, quod proprium eſt Eccleſiæ,* Joannes autem Major poſt Gerſonium aliàs prolatum contendit *ejuſmodi auctoritatibus tantùm eſſe fidei habendum, quantùm juri divino, naturali & canonico conſentiunt.* Subjungit Almaïnus *regulariter & ordinariè Concilia congregari & indici à Romano Pontifice, ſed poſtquàm ſemel congregata ſunt, immediatè auctoritatem ſuam habere à Chriſto.*

Digitized by Google

Octavò, petit ſemper principium dum aſſerit Pariſienſes, quando Concilium ſupra Papam extollunt, Monarchicum in regimen in Democraticum tranſmutare: etenim homo Cardinalatûs ſitiens fingit Petrum conſtitutum Monarcham abſolutum Eccleſiæ: permultaque alia contra conſcientiam propriam comminiſcitur. Almaïnus memorato cap. 8. de Eccleſiæ auctoritate reſponſione ad tertium, ſic Cajetani petitionem depellit *opponendo regimen non ideò dici Monarchicum quòd unus & ſingularis homo totâ communitate aut toto regno ſuperior & potentior ſit, ſed quoniam totius communitatis vices gerit, & potentior eſt quocumque alio ſingulari & particulari homine regni aut communitatis: & ad hunc modum Papam eſſe ſuperiorem quolibet Epiſcopo, Archiepiſcopo, Patriarcha & aliis Eccleſiis particularibus diſgregatis: quamquàm ſit ſubditus Concilio Generali Eccleſiam univerſalem repræſentanti*: ut definitum eſt 4. & 5. ſeſſione Conſtantienſis Synodi & ſeſſione 8. articulo 41. condemnationis errorum Joannis Wicleff. Ad hæc Cajetanus cap. 4. ſecundæ partis apologiæ meras argutias quæ nos morari non debent, effutit, ſiquidem (ait) quamvis aliqua communitas verbi causâ Regnum Poloniæ Regem deligat: tamen quia in tota communitate ſupremum regimen & tribunal habitat, ideò regimen populare dici: & idem eſſe in Eccleſia, dato quòd Papa ſit ſubditus directioni & coactioni Concilii: ſed qui ejuſmodi homini Monarchiam quam animo concepit planè abnegarit, ut eſt abneganda, certè omnes ejus conatus ruent, *eſt enim vis feſtucaria, ut Gallorum proverbio dicitur, quaquò magis molitur eò minùs promovet* apud bene intelligentes. Porrò quamquam in regno Poloniæ poteſtas ſtatuendi regiminis atque ſupremum tribunal ſit penes populum: tamen quia exequutio pertinet ad regem, ideò Monarcha rectè appellatur, ſicut in Eccleſia vocamus Papam Monarcham Eccleſiæ, quia ei ratione Primatûs incumbit mandare exequutioni jus divinum, naturale & canonicum erga particulares Eccleſias diſgregatas.

QUÆSTIO SEXTA.

X. Capite 7. tractatus de auctoritate Papæ & Concilii rationes ſuperiùs à ſe pro abſolutâ Papæ Monarchia poſitas, quinque argumentis roborare conatur. Primò, quòd Chriſtus dixerit Joannis 10. *fiet unum Ovile & unus Paſtor*: & Joannis ultimo curam hujus Ovilis ſic commiſerit Petro, *paſce oves meas*: quibus vocibus Petrum non modo ſingularium ovium, ſed totius Eccleſiæ quæ totum quoddam ex omnibus ovibus conflatum ſignificat, Paſtorem inſtitui undè Eccleſia canit in ſolemni collectu *Deus omnium Fidelium Paſtor & Rector famulum tuum N. quem Paſtorem Eccleſiæ tuæ præeſſe voluiſti, &c.* Secundò, Eccleſia aut Concilium diſtinctum à Papa, aut eſt oves, aut Ovile, aut Paſtor (inquit) at non oves, quia ex utriſque ovibus Judæis nimirùm & gentilibus Chriſtus pollicetur Ovile conſtituendum, & proinde Petrus non habet curam alicujus particularis ovis aut ovilis, ſed totius & univerſalis ovilis. Præterea Concilium non poteſt eſſe Paſtor: quia cùm Dominus unicum Paſtorem, Petrum ſcilicet conſtituerit Joannis ultimo. Si Concilium eſſet Paſtor, ſequeretur duos eſſe Paſtores contra Dominum aſſerentem fiet unus Paſtor &

Digitized by Google

unum Ovile. Ergo Concilium eſt tantùm ovile, & totum non pars ovilis: ſed cùm eſſe non poſſit, niſi per relationem ad Paſtorem, ſtatuendum Eccleſiam congregatam in Synodum Generalem eſſe unum Ovile, unius Paſtoris Papæ ſcilicet, qui eſt Cuſtos & Rector gregis Domini. Tertiò, Papa non minùs eſt Epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ, quàm quilibet Epiſcopus eſt Paſtor ſuæ privatæ diœceſis: verùm quilibet Epiſcopus, Pariſienſis verbi causâ, eſt Epiſcopus ſingularum perſonarum & totius diœceſis Pariſienſis collectim ſumptæ. Ergo etiam Papa eſt Epiſcopus non modò ſingularum Eccleſiarum, verùm etiam totius Eccleſiæ Catholicæ congregatæ in Synodum generale. Quartò, niſi Papa eſſet ſuperior Concilio, eſſent duæ ſupremæ poteſtates in Eccleſia Dei, & conſequenter multitudo quæ peſſima eſt cap. 12. metaphiſicè in hunc ſcopum & propoſitum coacervat plures auctoritates Pontificum Romanorum in ſua cauſa aſſerentium ſibi plenitudinem poteſtatis, id eſt abſolutam monarchiam deberi & de jure ſupra jus poſſe diſpenſare. Subnectit Concilia nullam poſſe figere legem Romanæ Eccleſiæ cap. *ſignificaſti de electione* & electi poteſtate: idque etiam S. Thomam confirmare. Quintò, Papa eſt proximus & immediatus Chriſti Vicarius & Apoſtolorum, ergo nullam habet in terris poteſtatem ſupra ſe antecedens patet in ſæpèdicta condemnatione articulorum Joannis Wicleff. Articulo 37. *Eccleſia Romana eſt ſynagoga ſathanæ, nec Papa eſt proximus & immediatus Vicarius Chriſti & Apoſtolorum* conſequentia etiam patet, quia proximo & immediato nihil eſt immediatius aut propinquius. Quòd ſi Eccleſia, ut à Papa diſtinguitur, immediatè auctoritatem à Chriſto ſupra Papam haberet; certè Eccleſia non Papa proximus atque immediatus eſſet Vicarius Chriſti, quod eſt impoſſibile, ſic enim duo eſſent ſubordinata tribunalia ambo æque proximè & immediatè conſtituta à Chriſto. Sextò, proponit definitionem Concilii Florentini quam dicit celebriorem, eo quòd facta ſit ex Orientali & Occidentali Eccleſia ſimul junctis: atque ſtatutis ſolius Eccleſiæ Occidentalis anteferendam: Verùm in concluſione memorati Concilii in Bulla Eugenii, *Papa vocatur ſucceſſor B. Petri, verus Chriſti Vicarius, totius Eccleſiæ Caput & omnium Chriſtianorum Pater ac Doctor, &c.* Quamobrem concludit illos qui tam evidentibus Scripturæ & Sanctorum Patrum teſtimoniis refragantur hæreticis eſſe perſimiles.

Capite 8. præfati tractatus oppugnat decreta Synodi Conſtantienſis & Baſileenſis.

XI. Capite 9. contendit omnes Auguſtini & aliorum Patrum auctoritates quæ aſſerunt claves datas Eccleſiæ in perſona Petri, nihil aliud eſſe, quàm claves & Juriſdictionem datam Primatui, id eſt officio Petri in æternum duraturo: adeò ut Petro atque ejus ſucceſſoribus ex officio incumbat influere in totum corpus Eccleſiæ: & ideò quæ capiti data dicuntur, cenſeri data & conceſſa toti corpori & ſuppoſito: undè homo dicitur videre per oculum & ratiocinari ope capitis. Et ad hoc propoſitum cap. 12. ſuæ apologiæ citat Auguſtini teſtimonium de agone Chriſtiano cap. 30. ubi ait cùm claves Petro datæ ſunt, datas etiam Eccleſiæ: & cùm ei dicitur, ad omnes dici *paſce oves meas:* hæc autem in eam partem rapit Cajetanus, ut fingat Auguſtinum docere claves datas Petro pro ſe & ſucceſſoribus ſuis: quia (inquit) his verbis *paſce oves meas,* Petro datur Papatus pro ſe & ſucceſſoribus: igitur (inquit) ratione officii capitis perpetui in Eccleſia, Auguſtinus dicebat, quòd Petrus perſonam Eccleſiæ gereret.

Digitized by Google

Et capite 10. tractatus de comparatione auctoritatis Papæ & Concilii ad caput 16. incluſivè adversùs Gerſonium : deindè ſequentibus capitibus diſputat quomodò Papa propter hæreſim ſubjicitur Concilio, &c. Cæterùm ut de hujus ſextæ quæſtionis analyſi inquiramus, primùm fruſtra hoc oraculum Domini venditat. *Fiet unum Ovile & unus Paſtor*, ut capite præcedenti in analyſi opinionis B. Thomæ oſtenſum eſt : quia hic textus litteraliter de Chriſto animarum noſtrarum ſummo Paſtore intelligitur.

Secundò, cùm regimen Eccleſiæ ſit ariſtocraticum ut toto lib. 2. probavimus, oportet neceſſariò Primatum Petri ejuſque officium Paſtorale capi in ordine ad regimen ariſtocraticum, ut praxis Eccleſiæ lib. 1. hiſtoriæ Conciliorum Generalium explicata demonſtrat. Quamquàm igitur Concilium ſit, oves & ovile Chriſti, tamen quia Eccleſiæ regimen eſt ariſtocraticum, partes ſunt Concilii, Petri aliorumque Paſtorum auctoritatem diſtributim ſumptam dirigere, limitare, regulare, definire & coërcere : Petrus verò & ejus ſucceſſores nullam aliam habent poteſtatem in Concilio quàm ut eidem præſint, atque ſubductis Patrum ſuffragiis concludant, Sacramenta Patribus adminiſtrent, verbum Dei concionentur, atque alia obeant quæ à Concilio collectim ſumptò perfici nequeunt : & ne ſim longior adi XXIII. axioma noſtræ apologiæ.

Tertiò, de duobus Paſtoribus contra hanc vocem Domini. *Fiet unum Ovile & unus Paſtor :* Jam reſponſum eſt hoc litteraliter capi de Chriſto, atque omnes Apoſtolos ex æquo fuiſſe Paſtores cum Petrò : verùm ſemper adverſarii ſe aut alios fruſtrantur à ſuppoſitione principii : quaſi Petrus fuiſſet Monarcha Eccleſiæ & Apoſtolorum. Nam Primatus & Monarchia res ſunt maximè differentes ; & Papa non poteſt dici Monarcha niſi ſecundùm quid, puta ratione exequutionis regiminis, &c. axiomate XXXI. apologiæ noſtræ.

Quartò, valdè diſparata eſt comparatio inter ſingularem Epiſcopum ſuamque privatam diœceſim, & Epiſcopum Romanum cum Generali Concilio totam Eccleſiam Catholicam repræſentante. Nam Sacerdotium Chriſti & Sanctorum communio totaliter & adæquatè, perfectiſſimè & eminentiſſimè ac ſufficientiſſimè continetur & repræſentatur Concilio Generali : adeò quidem ut ariſtocraticum regimen Eccleſiæ ibidem ſuis abſolutum ſit numeris : quod de Papa aut de ſingulari Epiſcopo & privatâ aliquâ diœceſi aſſeri nequit : cùm inadæquatè & partialiter non eminenter Sacerdotium Chriſti & Sanctorum communionem ac regimen ariſtocraticum contineant & repræſentent. Quocirca ex praxi Eccleſiæ primitivæ omnia negotia diœceſis non Synodo diœceſanâ, ſed Concilio Provinciali definiebantur, omnibus Epiſcopis cum ſuo Metropolitano Synodicè in Sanctorum communionem confluentibus : ut can. 5. Nicænæ & 2. Synodi Conſtantinopolitanæ decernitur. Almaïnus de auctoritate Eccleſiæ cap. 8. ad tertium & Joannes Major cap. 18. commentariorum in Mathæum ad hoc argumentum reſpondent. *Pariſienſem Epiſcopum verbi causâ poſſe aliquid peragere quod à nullo alio ſua diœceſis poteſt. Solus enim poteſt ſacros ordines conferre, confirmare, excommunicare : quia non ſolùm gerit vicem ſuæ privatæ diœceſis in ordine ad populum ſibi commiſſum, ſed etiam totius Eccleſiæ univerſalis in ordine ad eundem populum. At Papa nihil poteſt quod Concilium ampliùs atque eminentiùs facere non poſſit : cùm ſit conflatum ex Epiſcopis & Eccleſiâ collectim ſumptâ. Adde Præterea Pariſienſem diœceſim, cui præficitur diœceſanus*

Epiſcopus, habere Concilium univerſale tanquàm ſupremum tribunal, cui & diœceſis & ipſe Epiſcopus ſubjicitur: contra verò generale Concilium nemini ſubjici.

Quintò, quod objicit de multitudine principatuum, jam ſolutum eſt ſupra. Siquidem poteſtas Papæ ſubordinatur poteſtati Concilii & ariſtocratico regimini Eccleſiæ, & multitudo principantium propriè invenitur in anarchiis.

Sextò, cùm Dominus toti Eccleſiæ collectim ſumptæ quoad dominium, ſingularibus autem Prælatis diſtributim ſumptis, quoad uſum, miniſterium & exequutionem claves crediderit: indè proclive eſt judicare, & Papam & Eccleſiam ſuo quemque modo & captu poſſe immediatos Chriſti Vicarios appellari: *ſiquidem in moralibus nihil repugnat immediato dari aliquid immediatius, ſicut certum eſt claves immediatiùs ac eſſentialiùs datas Eccleſiæ quàm Petro.* Itaque Papa tanquàm individuum & ſuppoſitum ſingulare eſt immediatus Chriſti Vicarius ad exequutionem regiminis, atque etiam ut leges condat in actu primo: & hoc ſtatum aut principatum Monarchicum Eccleſiæ efficit. At Eccleſia collectim ſumpta, quatenùs individuum aut ſuppoſitum juris regimen ariſtocraticum efficiens, immediata Chriſti Vicaria dicitur. Almaïnus de auctoritate Eccleſiæ cap. 8. ad quintum. *Papa eſt immediatus Chriſti Vicarius quantùm ad exercitium poteſtatis immediatè à Chriſto inſtitutæ & collatæ Eccleſiæ. Quemadmodum Reges ſunt Miniſtri Dei in vindictam malefactorum* Roman. 13. Joannes Major Commentar. in cap. 18. Mathæi. *Papa eſt immediatum Caput à Chriſto in ſuo genere, id eſt, quoad miniſterium & exercitium poteſtatis: & Eccleſia eſt immediata à Chriſto in ſuo genere tanquàm Domina & Chriſti Sponſa.*

Septimò, locus Florentini Concilii parum juvat Monarchiam Cajetani: ut probabitur in hiſtoria Baſileenſis Synodi: quòd ſi evidentibus Scripturæ & Patrum antiquorum teſtimoniis refragari ſapit hæreſim, ut rectè ait adverſarius, proculdubio ipſe tanquàm ſorex ſuo judicio propriâ teſtificatione periit coram Deo, ubi nullus erit locus argutiis, effugiis aut viæ facti: quandoquidem nullis dogmaticis Scripturæ aut Patrum ſententiis, ſed putidis tantùm cavillis Cajetanus nititur, proque una vel altera Pontificum in ſua cauſa vel aliorum hominum obnoxiorum opinione, ei centum atque ampliùs Patrum & locorum Scripturæ teſtimonia cum praxi univerſalis Eccleſiæ ſub octo primis generalibus Conciliis exhibebimus.

Octavò, decreta Synodi Conſtantienſis & Baſileenſis Deo bene propitio à ſophiſticis Cajetani & aliorum Elenchis vindicabimus lib. 3. & 4. hiſtoriæ Conciliorum Generalium.

Nonò, quod perhibet Petrum tanquàm caput influere in corpus Eccleſiæ, ſupra confutatum eſt: Nam ſolus Chriſtus ut caput internum ac eſſentiale influit: Petrus verò cùm ſit dumtaxat caput externum miniſteriale, mutabile, operam ſolùm externam per adminiſtrationem actuum hierarchicorum exhibens, nihil planè influit. Undè Papâ mortuo non moritur Eccleſia, ſicut capite humano amputato perit corpus humanum axiomate xv. apologiæ. Porrò valdè mirabile eſt Cajetanum hoc in loco aſſerere claves & juriſdictionem dari à Chriſto Primatui Petri: & tamen id nominatim negare cap. 3. de divina poteſtate Pontificatus, *ubi docet claves eſſe præmium confeſſionis factæ à Petro, & claves non dari Primatui, ſed perſonæ fidem profitenti:* quâ ratione efficere vult Petrum perſonaliter ſumptum, non ut Eccleſiam repræſentat, eſſe petram & funda-

Digitized by Google

mentum Eccleſiæ, alioqui ratio & analogia petræ & fundamenti priùs, excellentiùs atque immediatiùs toti hierarchico ordini quàm uni Petro competeret: quod Cajetanus pernegat.

Decimò, contra mentem Auguſtini ejuſdem textum de agone Chriſtiano detorquet. De quo conſule cap. 4. lib. 2. in analyſi teſtimoniorum Auguſtini: petitiones autem Cajetani contra Gerſonium ſeipſis ruunt; ſi ad firmamentum ſcholæ Pariſienſis comparentur.

QUÆSTIO SEPTIMA.

QUO IN CASU PAPA DEPONI POSSIT A CONCILIO.

XII. Cùm Julius II. P. P. ſuis militaribus geſtis ac manlianis imperiis Eccleſiam notoriè ſcandaliſaret; eamque ob cauſam Piſanum Concilium ſecundùm Eccleſiam in capite & in membris reformandam indictum fuiſſet: Cajetanus ut cauſæ Julii anhelando ad Cardinalatum patrocinaretur, hanc conſeruit diſputationem cap. 27. tractatus de comparatione auctoritatis Papæ & Concilii & cap. 25. & 26. apologiæ ſuæ hinc autem efficere molitur ſolùm fidem eſſe ſimpliciter neceſſariam, ut aliquis fiat & maneat Papa, quamquàm alioqui deſperatis eſſe moribus. Itaque propter ſolam hæreſim notiſſimam Papam abdicari poſſe concludit. Quia hæreſis ex Chriſtiano non Chriſtianum facit. Atque ſtatum hominis Chriſtiani funditùs evertit: fundamentum illius eſt quod Chriſtus Mathæi 23. dixerit *ſuper Cathedram Moſis ſederunt Scribæ & Phariſæi. Omnia ergo quæcumque dixerint facite: ſecundùm autem opera eorum nolite facere.* Item cap. 2. prioris epiſtolæ Petri *obedite præpoſitis veſtris non tantùm bonis, ſed etiam diſcolis.* Hinc verò colligit ſubditos debere Prælatis ſuis quamquàm malè viventibus obedire: modò bonam doctrinam & fidem retineant: & conſequenter Papam ex nativo officio Papatus obligare ſolummodò ut bonâ doctrinâ non item bonis moribus paſcat: & quamdiu habet fidem formatam, cenſeri vivere in Papatu tanquàm ſanum & integrum: ſi autem à fide excidat, tunc eſſe tanquàm mortuum, neque poſſe ampliùs doctrinâ paſcere: quibus confirmandis adglutinat: Can. nemo judicabit primam ſedem 9. quæſt. 3. Tanti autem has ſuas commentationes æſtimat Cajetanus, ut à nullo poſſe diſſolvi arioletur. Contra autem Almaïnus cap. 12. de Eccleſiæ auctoritate demonſtrat putida eſſe effugia: atque homines cujuſcumque ſint conditionis etiam Papalis poſſe cenſuris Eccleſiaſticis affici, & Eccleſiaſticâ communione excludi, ſi pervicaces atque incorrigibiles ſint, conformiter ad præceptum Chriſti. *Dic Eccleſiæ* Mathæi 18. & ad cap. 7. prioris ad Cornithios: ſi *is qui frater nominatur inter vos eſt fornicator aut avarus, aut idolis ſerviens, aut maledicus, aut ebrioſus, aut rapax, cum ejuſmodi nec cibum ſumere quod ſi quiſpiam dicat hos & ſimiles locos Scripturæ ſolummodò capi oportere de Chriſtianis qui habent ſuperiorem Eccleſiaſticum, non de Papa,* (inquit Almaïnus) *ego ſimiliter dicam de aliis teſtimoniis quibus probatur hominem hæreticum vitandum poſt unam & ſecundam correptionem cap. 3.* ad Titum & ſecundâ epiſtolâ Joannis, *nolite eum recipere, nec ei ave dixeritis, ita ut ſenſus ſit Papam etiam hæreticum*

Digitized by Google

ticum minimè vitandum, quia non major eſt ratio, cur hos ultimos textus univerſim & abſolutè de omnibus hominibus, ne quidem Papâ dempto intelligamus, quàm priores, dic Eccleſiæ. Quod verò Cajetanus 2. parte apologiæ cap. 26. ait Scripturam loquentem de hæreticis neminem excipere, nequidem Papam aut Prælatos: in aliis verò criminibus excipere, quando dicit Scribas & Phariſæos quamquàm malè viventes audiendos, & obediendum eſſe præpoſitis ſuis quamquàm diſcolis: ita ut præceptum de audiendo Prælato eique obediendo quamquàm diſcolo comprehendat in ſe mandatum de tolerando eodem. Contra oppono hæc intelligi de privatis & ſingularibus perſonis, non de Eccleſia collectim ſumpta, cui Chriſtus architectonicè & per dominium claves commiſit: Non enim cuiquam privato licet in Prælatum ſuum inſurgere; at Eccleſiæ, abſolutè negatur. Enimverò cùm ſtatus Eccleſiæ ſit electivus, non hæreditarius, atque in ſtatu electivo, præſertim purè miniſteriali & ſpirituali, qualis eſt poteſtas paſtoralis Eccleſiaſtica quæ vim & coactionem externam neſcit per materialem gladium, eadem prorſus ſit ratio Prælatorum, quæ legum & Canonum creandorum: ita ut cauſâ legis ceſſante, etiam lex non quidem à privatis ſed publico conſenſu abrogetur: à pari inſurgit quoque Prælatos ab officio incorrigibiliter ceſſantes, & Eccleſiam notoriè ſcandaliſantes abdicari poſſe ab Eccleſia, cùm præſertim deſinant eſſe ſal & lumen mundi: *ſal infatuatum ad nihilum valet niſi ut mittatur foras & conculcetur ab hominibus Mathæi 5. & can. non omnes 2. quæſt. 7. §. non eſt facile ſtare loco Pauli.* Auguſtinus 2. lib. adversùs Creſconium cap. 11. *neque enim Epiſcopi propter nos ſumus, ſed propter eos quibus verbum & Sacramentum dominicum adminiſtramus, ac per hoc ut eorum ſine ſcandalo gubernandorum ſeſe neceſſitas tulerit: ita vel eſſe, vel non eſſe debemus, quod non propter nos, ſed propter alios ſumus.* Quâ ſententiâ nulla clarior. Item *cauſa & quæſt. jam laudata can. præſumant Prælati non debere ſe reprehendi vel accuſari pro eo quòd Canones non eos paſſim conſtituunt accuſandos, quod tamen negatur ſolis criminoſis, cùm de reprehendendo veritas ipſa conſtituat, ſi malè loquutus ſum, teſtimonium perhibe de malo.* Quem textum Auguſtini Gratianus abſolutæ monarchiæ aſſertor fruſtra ad ſolum errorem in fide abſtrahit juxtà Cajetani opinionem. Accedit & conſtitutio Synodi Conſtantienſis ſeſſione 4. & 5. decernentis Papam directivo & coactivo judicio Concilii ſubjici, non tantùm in caſu hæreſeos, ſed quotieſcumque agitur de Eccleſia in capite & in membris reformanda, &c.

Vallius lib. de ſuprema poteſtate parte 3. quæſt. 9. & 10. hanc eandem diſputationem iiſdem argumentis quibus & Cajetanus munit, negatque ſcholam Pariſienſem tenere, Papam ſecluſo caſu hæreſeos abdicari poſſe: idque ſolummodò tribuit Gerſonio, Almaino & quibuſdam privatis Doctoribus, non facultati collectim ſumptæ, quam ejus opinionem lib. 1. cap. 1. num. 12. debellavimus. An poteſt ſine pudore inficiari totam ſcholam Pariſienſem fide Catholicâ tenuiſſe & mordicus defendiſſe decreta Synodi Conſtantienſis de Concilii auctoritate ſupra Papam? ſanè cùm Dominus venerit in mundum, non ſolùm ut vitam habeamus, ſed ut abundantiùs habeamus Joan. 10. hocque nullo modo eſſe poſſit, ſi Prælatis impunè liceat quicquid libuerit: oportet neceſſariò concludere Eccleſiam collectim ſumptam, non privatos (inquam) habere poteſtatem cogendi in ordinem Prælatos juxtà oraculum Domini, *dic Eccleſiæ*, & decreta Synodi Conſtantienſis: de qua re olim, cùm Apoſtolica diſciplina vigeret,

atque Synodi frequentes liberè haberentur non ambigebat, eſtque compertum multos Epiſcopos gradu ejectos propter vitioſos & corruptos mores, quorum cauſa nihil à cauſa Papæ hac in parte diſcrepat; quia ſolo Primatu Papa Epiſcopis antecellit ſecundùm jus divinum. Sed ad Almaïnum redeo, qui ut ampliùs in opinionem Cajetani invadat, contendit illum fruſtra docere ſolam fidem non bonos mores requiri, ut aliquis ſit Pontifex: cùm fieri poſſit ut aliquis occultus hæreticus eligatur in Papam & Papatum acceptet, ſitque verus Papa, quamquàm fidem non haberet: undè colligit ad eſſe Papæ, neque fidem neque eſſe Chriſtianum ſimpliciter requiri, ſed dumtaxat characterem indelebilem baptiſmi, & continuò falſam eſſe Cajetani aſſertionem. Adnectit præterea, auctore Cajetano, cùm Papa hæreticus non ipſo facto depoſitus, ſed per Concilium deponendus ſit; ſequi Concilium eſſe ſupra Papam. Quam Almaini petitionem ut Cajetanus declinet, ſophiſticas præſtigias comminiſcitur: puta Concilium deponendo Papam hæreticum non habere auctoritatem in Papam aut Papatum, ſed in perſonam cui adjunctus eſt Papatus, in illam conjunctionem, ut illam diſſociet: quod perinde eſt ac ſi quis cavillaretur Regem verbi causâ non habere poteſtatem gladii materialis in hominem ſceleratum, ſed dumtaxat in conjunctionem animæ illius cum corpore: quæ profectò tam abſurda ſunt, ut meritò repudientur à Bellarmino lib. 2. de Romano Pontifice cap. 30. equidem ego hîc cum magno animi mœrore dicere cogor, adulatores qui ſcripſerunt Papam eſſe infallibilem & à nemine judicari poſſe, omneſque judicare: cauſam certiſſimam præbuiſſe innumeris abuſibus, corruptelis & ſchiſmatibus, quibus Eccleſia Chriſti Sponſa hodie infeſtatur; Spiritus Dei, Eccleſiæ Gubernator & Rector mirum in modum contriſtatur, hæreſes & ſchiſmata foventur ac pullulant; atque ipſi Pontifices magnâ laborant invidiâ. Lege Cardinalem Cuſanum lib. 2. de concordantia cap. 18. ubi quærit *an Papa alio in caſu quam hæreſeos deponi poſſit*, & hanc diſputationem excitat, *utrùm ſummus Pontifex excommunicari poſſit*: tractaturque ab Almaïno per modum collationis cum Magiſtro Ludovico Ber, *in quæſtione reſumptivâ de dominio naturali, Civili & Eccleſiaſtico*. Haſque rationes dubitandi promit adversùs Synodi Conſtantienſis & Baſileenſis decreta. Primùm, quòd Papa ſicut jure divino tenetur quemlibet Chriſtianum paſcere; ita & omnes Chriſtianos obligari ab eodem pabulum ſpirituale accipere Joannis ultimo, *paſce oves meas*: ergo quamdiu manet Papa non poteſt ab ejus communione excludi: cùm nequidem Concilium Generale nos à præcepto divino abſolvere queat. Secundò, ſi ſummus Pontifex poſſet excommunicari à Concilio abſque depoſitione; poſſet etiam remanere excommunicatus diſſoluto Concilio. Sed hoc poſito, quis eum abſolveret? nemo autem id facere poſſet niſi in articulo mortis. Tertiò, ſi ſummus Pontifex poſſit excommunicari à Concilio: ergo & in Canonem latæ ſententiæ à Concilio incurrere poterit, ſicut eſt Canon de ſemel confitendo annuatim ad diem Paſchæ, quarè eſſet excommunicatus ipſo facto, ſi non ſemel confiteretur in anno. Quo dato multa emergunt incommoda, cùm enim quilibet excommunicatus careat exercitiò juriſdictionis: poſito quòd Papa non ſatisfeciſſet præcepto confitendi, nullus actus juriſdictionis exercere poſſet: & continuò collationes beneficiorum, diſpenſationes, excommunicationes & alia ejuſmodi quæ perageret, planè irrita eſſent. Quartò, non eſſet orandum pro ſummo Pontifice. Quintò, non eſſet ampliùs Caput Eccle-

Digitized by Google

ſiæ, & Eccleſia Capite careret. Sextò, ad Canones Synodi Conſtantienſis & Baſileenſis latos ſub pœna ſuſpenſionis reſpondet, videri intelligendos de ſuſpenſione ab exercitio juriſdictionis fori externi tantùm. Septimò, ad hanc objectionem Curatus manens Curatus poteſt excommunicari, excipit diverſam eſſe rationem Curati & Pontificis: quia Pontifici jure divino omnes oves Chriſti ſubjiciuntur, ideòque ipſo remanente Papâ videtur impoſſibile ut excommunicetur: contra autem, quia Curato ex jure tantùm poſitivo hæ atque illæ oves ſubjiciuntur, nihil mirum eſſe eum etiam manentem Curatum poſſe excommunicari.

Et hæc (inquam) per modum collectionis poſito quòd Papa jure divino ſit Monarcha Eccleſiæ. Verùm lib. de auctoritate Eccleſiæ & præſertim cap. XI. & XII. & XIII. aſſertivè declarat quid ſentiat. Cæterum proclive eſt cuique ex principiis lib. 2. poſitis hæc argumenta diſſolvere; puta quòd Chriſtus Mathæi 18. *dic Eccleſiæ, &c.* legem fixerit Catholicam, cui omnes peccatores ſubjecit, nequidem Papâ dempto, axiomate XVI. apologiæ noſtræ. Item quòd Sacerdotium ſuum cum poteſtate clavium architectonicè & quoad dominium toti Eccleſiæ Sacerdotali collectim & individuè contulerit; Petro autem & ſingularibus Prælatis quoad exercitium & exequutionem juris divini, naturalis & Canonici dumtaxat. Ex quo fit ut Concilium Generale poſſit non modò Papam ad tempus ſuſpendere, quoad actum & exercitium juriſdictionis Papalis, verumetiam actu abdicare Papatu, atque alium creare Papam. Igitur, quoad primum reſpondemus verum eſſe, quamdiu Papa manet Papa, nec ab Eccleſia ſuſpenditur ab officii Papalis exercitio. Secundum fingit difficultatem cui Concilum facilè provideret committendo provinciam abſolvendi Papam Synodo Provinciæ juxtà Canonem 5. Nicænum 2. Conſtantinopolitanum, vel etiam Oſtienſi Epiſcopo qui illum conſecrat, &c. Tertium argumentum aſſeritur ab Almaïno tanquàm fide Catholicâ tenendum 4. ſentent. quæſt. 1: diſt. 17. fol. 70. col. 4. editionis Ægidii Germontii Typographi Pariſienſis, ubi ait *hæreſim eſſe in Francia dicere Papam non teneri Canonibus Conciliorum Generalium.* Quartò ad incommoda quæ poſt Papam excommunicatum emergunt, reſpondetur omnes Epiſcopos jure divino eſſe auctoritate æquales, & id ipſum poſſe in ſua diœceſi quod Papa erga totam Eccleſiam, ut ſupra docuit Joannes de Pariſiis lib. 2. cap. 5. & Bellarminus 5. de Rom. Pontifice cap. 3. §. Item ſi Papa. Prætereà Eccleſiam virtualiter, ſupplectivè, architectonicè & eminenter habere poteſtatem Papalem: atque omnibus difficultatibus naſcentibus mederi poſſe in Synodo Provinciali: tuncque temporis idem eſſe ac ſi ſedes vacaret, aut ſi Papa non eſſet canonicè electus: inſuper ea quæ Papa excommunicatus gereret, vim poſſent obtinere ex ratihabitione Eccleſiæ, &c. Quarto certum eſt non eſſe orandum pro Papa excommunicato. Quinto reverà Papa excommunicatus non eſſet Caput Eccleſiæ, ſed Eccleſia ejus defectum ſupplet, quia architectonicè Sacerdotium Chriſti cum clavibus poſſidet. Quibus bene conſideratis claret Papam poſſe cenſuris Eccleſiaſticis more aliorum hominum innodari: quæque in contrarium opponuntur, illudunt à petitione principii, quaſi Papa jure divino eſſet abſolutus Eccleſiæ Monarcha. Sed ut hanc diſputationem adversùs Cajetanum abſolvamus, Cardinalis Bellarminus in reſponſione ad apologiam Magiſtri Pauli Veneti Servitæ conſideratione 8. diverſos auctores qui de Papæ poteſtate ſupra Concilium tractarunt,

Digitized by Google

laudat, atque inter alios Cajetanum ipſum, *quem dicit hanc controverſiam tam firmis & ſolidis fundamentis conſtituiſſe, ut qui capax & idoneus ad Cajetani rationes intelligendas fuerit, nihil ampliùs poſſit deſiderare.* Quæ dum apud me perpendo, mirari deſino, cur olim Protagoras diceret *omnia eſſe qualia cuique viderentur :* certè ut quondam neſcio quis prædicabat, Athenienſes apud Athenienſes perfacilè laudantur. Verùm quia ipſius Bellarmini teſtimonio Cajetani rationes difficillimæ ſunt ut à paucis capiantur, peto ab adverſariis quâ confidentiâ ne dicam temeritate ex ejuſmodi ſcholaſticis argutiis dogmata fidei Catholicæ efficere moliuntur : cùm dogma fidei, præſertim in rebus moralibus & politicis, quales ſunt Primatus & juſta Eccleſiæ gubernatio, luce meridiana clarius atque evidentius eſſe debeat.

Digitized by Google

CAPUT QUARTUM.

I. Jeſuitas in omnibus ſuis operibus Theologicis quæſtiones de abſolutâ Papæ monarchiâ conſerere, quo id fine faciant.

II. Alphonſi Salmeronis rationes, quibus efficere tentat Petro dominium atque proprietatem clavium traditam à Chriſto; aliis verò Apoſtolis ſolum miniſterium atque exercitium.

III. De Maldonati argumentis, quibus fruſtra probare molitur, fidem Petri alterius fuiſſe generis à fide aliorum Apoſtolorum, eamque ob cauſam Petrum hoc ſingulari privilegio ſuper alios donatum, ut eſſet Vicarius Chriſti, caput & fundamentum ſuper quod Eccleſia ædificaretur: & claves haberet diſtinctas ab aliorum Apoſtolorum clavibus, ita ut ſic clauderet, ut nemo aperiret, ſicque aperiret ut nemo clauderet.

IV. Barradius ea diffusè tractat, quæ compendiosè à Maldonato diſputantur.

I. POſt Cajetanum nemo uberiùs, laborioſiùs & doctiùs Nicolao Sandero hanc evolvit controverſiam octo libris de viſibili Monarchia Eccleſiæ, quos anno 1571. edidit: quandoquidem ſcholaſtica argumenta Cajetani, Patrum & Conciliorum teſtimoniis munire tentat, adeò ut Sandero Bellarminus ejuſque ſodales multum debeant: itaque ne eadem ſemper iterare cogamur, Sanderi firmamenta in Analyſi librorum Bellarmini excutiemus. Cæterùm omnibus Scriptoribus Societatis hoc propoſitum videtur, ut abſolutam Papæ Monarchiam directè & indirectè, oportunè atque importunè inſtruant, ideòque nullus ſodalium Theogicos præſertim libros lucubravit, in quos ejuſmodi placita tanquàm fide catholicâ credenda non artificiosè conjecerit: prætextu quidem controverſiarum de Religione Catholica fulciendarum, ſed reverâ ut Jeſuitæ ſuo quarto voto opitulentur, ſuumque dominatum, privilegia & immunitates moderatas ferruminent. At tantùm abeſt ut ejuſmodi diſputationes imaginariæ de abſoluta Monarchia Hæreticis ad Religionem Catholicam adlactandis uſui eſſe poſſint, cùm eos potiùs fugent & ab Eccleſiæ Romanæ aditu procul arceant. Prætereà omnes abuſus & corruptelas fovent, diſciplinam Apoſtolicam evertunt & pro jure divino, pura puta humana inſtituta oggerunt, ſicut hâc defenſione demonſtrabitur: Porrò quia longum nimis & faſtidioſum eſſet omnes Auctores Societatis recenſere, aliquos ex claſſicis delectu habebo.

II. Alphonſus Salmeron tomo 4. Commentariorum in Evangelia 3. parte tractatu 2. perhibet quæ à D. Auguſtino in ſuis ſermonibus & concionibus exponuntur po-

Digitized by Google

„ pulo : videlicèt quòd „ D. Petrus eſſet Petra Eccleſiæ, eſſe ſolidiora & præponenda iis „ quæ ſibi & muſis canens retulit ad Eccleſiam & Petram Chriſtum in libris retracta- „ tionum. „ Item eodem tomo & parte tractatu 4. contendit Dominum noſtrum „ omnia quæ ad externam juriſdictionem eccleſiaſticam pertinent, his verbis & tibi „ dabo claves regni cælorum uni & ſoli Petro, cæteris autem Apoſtolis ſolum uſum „ atque exercitium clavium mediante Petro tradidiſſe, eamque ob cauſam Papam eſſe ordinarium ordinariorum. „ Cùm autem obſervaret Chriſtum præcepiſſe ut contro- „ verſiæ Eccleſiaſticæ ad tribunal Eccleſiæ deferrentur judicandæ Mathæi 18. „ dic Ec- „ cleſiæ &c. Reſpondet hæc verba eſſe tantùm de futuro, & ſolummodò continere „ prædictionem rei futuræ, quam Chriſtus implere potuit per Petrum dantem cæteris „ Apoſtolis juriſdictionem, licèt per ſeipſum proximè non contuliſſet. Nam etſi multa „ Dominus dediſſet Apoſtolis, numquam ſine Petro dedit. Quæ verò Petro ſingu- „ lariter dedit, etiam in aliorum præſentia, ſoli tamen Petro convenire intelliguntur, „ & licèt jus clavium & paſcendi à Domino etiam ad reliquos Apoſtolos tranſierit, per „ Petrum tranſivit, per quem Dominus aliis contulit quidquid aliis non negavit, ut S. Leo Pontifex teſtatur. “ Itaque concludit Apoſtolos ſolam poteſtatem ordinis immediatè habuiſſe à Chriſto, & juriſdictionis mediante Petro. Adjungit hæc verba Chriſti : *pax vobis, ſicut miſit me Pater ita & ego mitto vos* : Accipite Spiritum S. quorum remiſeritis peccata Joannis 20. intelligi de poteſtate juriſdictionis in foro conſcientiæ, non de poteſtate juriſdictionis in foro exteriori. Denique hoc teſtimonium, ***euntes in mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ***, “ tantùm „ pertinere ad prædicationem Evangelii & facultatem baptiſandi quam Chriſtus præ- „ cepit exerceri erga populum qui nondum eſſet Chriſtianus, ſuper quem propriè „ non eſt juriſdictio, quia, ut ait Apoſtolus, nihil ad vos ſpectat de iis qui foris ſunt judicare. “ Quamquàm verò hæc argumenta Salmeronis facilè ex Analyſi librorum Cajetani ſolvi poſſint, cùm iiſdem planè principiis nitantur : tamen ſigillatim à me explicabuntur. Quoad primum fruſtratur Lectorem ab ignoratione Elenchi ; quoniam contra communem & Philoſophorum & Theologorum ſententiam aſſerit plus habendum fidei concionibus popularibus, quàm iis quæ conformiter ad naturam & cauſas eſſentiales rerum ſcripta ſunt : quæ aſſertio indigna eſt hominis Theologi: Nam conciones utplurimùm ad ſolam popularem auram & facilitatem perſuadendi aptantur, eſtque præceptum Ariſtotelis nunquam aut raro dogmatica Oratoriis admiſcenda, & permulta falſa eſſe probabiliora veris & dogmaticis : populus enim non eſt capax dogmaticorum. Inſto etiam Auguſtinum in ſuis ſermonibus obiter tantùm ac bis aut ſemel de hac populari interpretatione, *quòd Petrus eſſet Petra Eccleſiæ*, mentionem feciſſe : alteram verò dogmaticam identidem frequentaſſe & inculcaſſe tanquàm ſcitu neceſſariam, ut lib. 2. cap. 4. oſtendi.

Secundò illudit à petitione principii, dum fingit dominium & proprietatem clavium datum Petro his verbis, *tibi dabo claves &c.* cæteris autem Apoſtolis ſolum uſum mediante Petro his aliis, *ſicut miſit me Pater, & ego mitto vos &c.* quæ ſuprà plus ſatis explicata & confutata ſunt adverſùs Cajetanum cap. 3. hujus libri & toto lib. 2. Inſto prætereà Bellarminum fateri ſupremam juriſdictionem his verbis, *ſicut miſit me Pater & ego mitto vos*, collatam Apoſtolis.

Digitized by Google

Tertiò, quamquàm hæc verba, *dic Eccleſiæ, quæcumque alligaveritis &c.* ſint de futuro, tamen reverà & formaliter continent poteſtatem ſtatim exercendam poſt Aſcenſionem Domini, ut pueris notum eſt.

Quartò, ecquis Theologorum ferat argumentationes conſerentem à poſſe ad eſſe hoc modo. *Chriſtus implere potuit per Petrum hanc pollicitationem dic Eccleſiæ &c. atque aliis Apoſtolis juriſdictionem conferre mediante Petro: igitur ita factum eſt, aut effici debet.* Ita Vallius 1. parte libri de ſuprema poteſtate quæſt. 4. Dum enim ei objicitur Chriſtum dixiſſe Petro, *paſce oves meas* non tuas, & *continuò inde ſequi Petrum eſſe miniſtrum, non abſolutum monarcham Eccleſiæ: at Chriſtus* (inquit) *ſi voluiſſet, dicere potuiſſet, paſce oves tuas & Eccleſiam tuam.* O admirabilem dianœam & Theologiam! quaſi hîc ageretur de poſſibili & non de facto ſecundùm legem ſacris Evangeliis conſignatam: idque demonſtrat quàm adverſarii nudi atque inopes à bonis & validis argumentis exiſtant, & quid non comminiſcantur ut ſuas exponant merces.

Quintò, B. Leonis argumentum in ſua cauſa nullum eſt, quando ſacræ Scripturæ & catholico conſenſui Patrum manifeſtè repugnat, de quo vide caput 1. hujus libri.

Sextò, fateor quidem Theologos ad cognoſcendam naturam poteſtatis, ordinis, & juriſdictionis rectè & appoſitè differentiam inter utramque poſuiſſe: quia ſi formaliter & objective conſiderentur, certè à ſe invicem diſtinguuntur: imò etiam ſæpè eas reipſa ſeparatim exerceri videmus. At verò ſi ejuſmodi diſtinctiones comparentur ad locos Scripturæ, quibus Chriſtus individuè & in commune Apoſtolis aut ſacerdotium ſuum, aut poteſtatem remittendi & retinendi peccata detulit: ego pernego locum ullum habere poſſe; tum quia ut lib. 2. cap. 2. & 3. docuimus, facultas clavium ligandi & ſolvendi, remittendi & retinendi peccata, atque alia ejuſmodi ad juriſdictionem ſpectantia referuntur ad Chriſti ſacerdotium, ſicut effectus ad propriam cauſam. Accedit quoque Chriſtum nunquàm ſacerdotium ſuum Lucæ 22. aut etiam facultatem retinendi & remittendi peccata Joannis 20. contuliſſe abſque poteſtate juriſdictionis in foro exteriore: ſic enim docent omnes Patres. Quæcumque verò afferuntur in oppoſitum, putidæ ſunt petitiones principii: certumque eſt ex praxi Eccleſiæ primitivæ nemini unquàm collatum ordinem Epiſcopalem & Presbyteralem abſque certo titulo, id eſt, diœceſi aut parœcia: imò verò priuſquàm Epiſcopi aut Presbyteri conſecrarentur, ante à Clero & populo deligi conſueverant, ut patet ex iis quæ toto lib. 2. diſſeruimus. Cæterùm Salmero de veritate textuum Scripturæ, hîc non ex antiqua ſed hodierna praxi Eccleſiæ judicat, ſicque quæſtione facti quæſtionem juris definit; ac ſi quis diceret hodie, ita vivitur, ergo ſemper ab initio ſic factum eſt.

Septimò, eadem planè eſt ratio horum verborum. *Euntes in mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ*, Mathæi & Marci ultimo: atque horum verborum: *ſicut miſit me Pater, & ego mitto vos*, Joannis 20. Ita ut certiſſimum & fide catholicâ credendum ſit, Chriſtum cum poteſtate prædicandi unà quoque dediſſe poteſtatem juriſdictionis ad Eccleſiam regendam neceſſariam: juxta vulgare axioma. *Quod dat eſſe, dat conſequentia ad eſſe, & fruſtra fieri per plura, quod poteſt fieri per pauciora & æquè bene.* Quæ omnia uſu primitivæ Eccleſiæ tam clarè roborantur, ut illi ſoli hoc in ambiguum vertere poſſint, qui ex ſolis commentariis recentiorum ſapiunt. Equidem toto libro 2. paſſim, ſed præſertim cap. 3. docui Chriſtum eodem titulo mi-

Digitized by Google

ſuiſſe Apoſtolos & Diſcipulos, quò à Patre ſuo miſſus fuerat, ſcilicet in poteſtate miniſteriali, nuda omni dominatu & poteſtate abſolutè cogendi.

III. Joannes Maldonatus in cap. 16. Mathæi verſu 18. fatetur quidem cæteros Apoſtolos idem credidiſſe, & reſponſuros fuiſſe cum Petro, niſi Petrus eos præveniſſet. Idque auctores illos velle indicare, qui dixerunt illum pro omnibus reſpondiſſe, quique Petrum os Apoſtolorum appellaverunt: nihilominus majore fide Petrum in confeſſionem erupiſſe: hæc ille, & tamen ait, *ſi enim pro omnibus Petrus loquebatur, cur non omnibus à Chriſto dictum eſt, Beati eſtis quia caro & ſanguis non revelavit vobis? cur non omnibus mutata ſunt nomina, cur non omnibus dictum eſt, vobis dabo claves regni cælorum? Deindè cùm omnes Chriſtus interrogaſſet, cur non omnes reſponderunt? præſertim cùm paulò antè, interrogante eo quem ſe homines eſſe dicerent, non ſolus Petrus, ſed omnes aut quicumque voluerunt, reſponderint.* Præterea illos impugnat, qui dicunt Eccleſiam fundatam non ſuper Petrum ejuſque perſonam, ſed ſuper hanc fidem aut fidei confeſſionem: “ Nunc nihil magis à ſenſu Chriſti alienum cogitari potuit (in-
„ quit) quàm ut Chriſtus dicere voluerit ſuper ſeipſum aut ſuper aliam rem quàm ſuper Petrum fundaturum Eccleſiam. Primùm, quis non videt pronomen HANC, poſitum “
„ eſſe loco relativi: perinde ac ſi dixiſſet tu es petra ſuper quam ædificabo Eccleſiam meam: petrus enim & petra idem ſunt Hebraïcè, Chaldaïcè, aut Syriacè, „ in quibus linguis
„ Mathæum Evangelium ſuum, non autem Græcè ſcripſiſſe perhibet. “ Undè cùm uno
„ eodemque nomine, ſive Hebraïcè, ſive Syriacè Chriſtus dixerit tu es petra, & ſuper
„ hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: nemo profectò ſanæ mentis intelligere po-
„ tuiſſet aliam petram aut alium hominem quàm petrum ipſum demonſtrare: ſuper illum
„ ergo Eccleſiam Chriſtus ædificavit &c. His ergo verbis, & ſuper hanc petram ædifi-
„ cabo Eccleſiam meam, ſignificat hanc ſe illi eximiam & ſingularem dignitatem con-
„ ceſſurum, ut ſuper eum Eccleſiam ſuam ædificaret: id eſt eum Eccleſiæ caput con-
„ ſtitueret, ſuumque in ea Vicarium faceret. Deindè ex verbis conſequentibus, quem-
„ admodum dicit, tibi dabo claves regni cælorum, ita dicit, ſuper hanc petram *id eſt*
„ *ſuper te* ædificabo Eccleſiam meam. Idem enim diverſis verbis, diverſiſque me-
„ taphoris illi concedit: ut ipſius in Eccleſia Vicarius ſit: Quam dignitatem priùs fun-
„ damenti cùm dicit, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, deindè prin-
„ cipis aut capitis in Eccleſia ſua, cùm quaſi civitatis claves tradit metaphora declarat,
„ ſicut ipſe Chriſtus & fundamentum & caput Eccleſiæ eſt: quibus duobus nominibus atque metaphoris non duæ ſed una eademque res ſignificatur. “ Hæc ille uſque ad explicationem verſus 19.

Deindè aliquantò infrà num. 19. probat, non eamdem eſſe clavium ligandi &
„ ſolvendi poteſtatem cum poteſtate docendi: “ primùm quia docendi poteſtatem (ait)
„ non ſolis Chriſtus Apoſtolis, ſed ſeptuaginta etiam duobus Diſcipulis dederat cap.
„ 10. Lucæ. Præterea docendi poteſtatem jam Chriſtus Apoſtolis dederat cap. 10.
„ Mathæi. Clavium autem & ligandi ſolvendique poteſtatem non dederat, non eſt
„ igitur eadem poteſtas. “ Subjungit aliquantò poſt “ hoc igitur ſenſu claves Petro
„ datæ ſunt, id eſt, ſuprema ſecundùm Chriſtum in Eccleſia poteſtas, ut claudat &
„ nemo aperiat, aperiat & nemo claudat: id eſt, ut quæ ſolverit, nemo ligate,
„ quæ ligaverit nemo ſolvere poſſit: undè poteſtas Romani Pontificis ad reſervan-

dos

Digitized by Google

dos quos vocant caſus efficaciſſimè probatur : id etiam indè colligo, quòd ſoli Petro hoc loco dicatur, tibi dabo claves regni cælorum : & ita dicatur tanquàm aliis dandæ non eſſent, quia ſolus reſpondit, tu es Filius Dei vivi, ſicut ſoli dictum eſt, ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Diverſis enim metaphoris altera fundamenti, altera clavium, unus idemque principatus ſignificatur, & una alterius explicatio eſt. Non nego cæteros Apoſtolos ſuas etiam claves, id eſt ligandi ſolvendique poteſtatem habuiſſe, quemadmodùm omnes veteres Auctores docent, dicentes claves omnibus datas fuiſſe, ſed nego has de quibus agitur claves habuiſſe, & nego eas quas habuerunt, quaſque omnes ſemper Catholici verè quidem, ſed álio tamen ſenſu claves appellarunt, in ſacris uſquam litteris claves vocari : firmiſſimum etiam eſt argumentum, quòd cùm Chriſtus aliis Apoſtolis Mathæi 18. & Joannis 20. ligandi ſolvendique poteſtatem dedit, nullam de clavibus mentionem fecit. Solus ergo Petrus eas claves habuit, quibus ita aperiebatur ut nemo clauderet, ita claudebatur ut nemo aperiret : ſicut in domo etiamſi aut omnes aut multi ſuas habeant claves, ſolus autem Dominus & domi omnes & ſecretas habet : quibus cùm vult ita claudit, ut nemo aperire, ita aperit ut nemo poſſit claudere. "

Hæc Maldonatus. Jam ſingula momenta ejus ſententiæ expendamus : & primùm attendet Lector quanto animi conatu ſuas collectiones exprimat, & quàm id parum ſit ad abſolutam Monarchiam & dogma catholicum de illa inſtituendum. Quæcumque autem ille ex operoſiſſimis ratiocinationibus extundit, primatum D. Petri contra ſectarios hujus ſæculi, nihilque aliud probant.

Secundò, fruſtrà eſt in perſuadendo Patres Eccleſiæ, dum aſſerunt Petrum fuiſſe os Apoſtolorum & pro omnibus reſpondiſſe, nihil aliud indicaſſe quàm omnium eandem fuiſſe ſententiam : attamen Petrum pro ſe ſolo & uno reſpondiſſe : quandoquidem ſolâ lectione Patrum, eorum ſenſus exſplendeſcit : videlicèt Petrum omnium nomine tanquàm Eccleſiæ Primatem Catholicam Fidem edidiſſe. Hoc enim & ſeries ipſius contextus Scripturæ & ipſe Maldonatus, quamquàm repugnet, non obſcurè declarat eo ipſo quod ait, cæteros Apoſtolos idem dicturos cum Petro, niſi eos Petrus anticipaſſet.

Tertiò, Elenchum ſimulat & ſibi adverſatur diſputans cur interrogante Chriſto, *quem dicunt homines eſſe filium hominis ?* omnes Apoſtoli reſponderunt : & ad hæc verba, *vos autem quem me eſſe dicitis ?* ſolus Petrus reſponderit &c. : nam meminiſſe debet ſe dixiſſe anteà, *cæteros Apoſtolos idem dicturos cum Petro, niſi Petrus alios præveniſſet.* Proculdubio ad hanc Domini interrogationem, *quem dicunt homines eſſe filium hominis ? &c.* cauſa erat manifeſtiſſima, cur omnes reſponderint, & varia variorum hominum judicia quæ audierant referrent. At cum unica tantùm eſſet Fides Catholica, unum dumtaxat pro omnibus reſpondere oportebat : vide cap. 3. lib. 2.

Quartò, litigant de ſolo nomine qui quærunt cur Dominus dixerit ſoli Petro, beatus es, & non beati eſtis ? an ſine hæreſi negari poteſt rem ipſam, id eſt, beatitudinem æquè & intenſivè communem eſſe aliis Apoſtolis ? Eſto etiam ſoli Petro nomen immutatum : at res ipſa nominis mutatione deſignatâ omnibus ex æquo

Digitized by Google

competit, *nimirum ut ſint* petræ atque fundamenta Eccleſiæ 4. ad Epheſios & 21. Apocalypſ. Undè auctore Hieronymo *ex æquo ſuper omnes Apoſtolos Eccleſiæ fortitudo ſolidatur : ſuntque & intenſivè & extenſivè honore & poteſtate pares.* Idque non tollit primatum, ut lib. 2. probatum eſt.

Quintò, negatur eſſe alienum à ſenſu Chriſti his verbis, *tu es Petra & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, Chriſtum docere voluiſſe Eccleſiam fundatam iri ſuper ſe-ipſum aut ſuper aliam rem quàm ſuper Petrum; cùm enim Dominus Petro nomen petræ ideo communicarit, quòd hanc fidem edidiſſet, *tu es Chriſtus filius Dei vivi*, & hæc ipſa fides Chriſtum deſignet & complectatur : profectò oportet & per fidem petri & per firmitatem petræ ipſummet Chriſtum reduplicativè & ſyncategorematicè intelligi & comprehendi; quia ut adverſarii fatentur, Petrus petra dicitur ob fidei firmitatem quam habuit de Chriſto. Idque Cajetanus non inficiatur cap. 2. de primatu Petri circa medium : *undè Hieronymus exponens hunc locum ait : ſecundùm metaphoram petra rectè dicitur & ædificabo Eccleſiam meam ſuper te.* Expoſitio autem Chryſoſtomi *in idem recidit, quoniam confeſſio fidei in idem recidit cum ſoliditate & firmitate fidei Petri* : *& rursùs conſtat quòd Eccleſia magis habet pro fundamento fidem quàm fidei confeſſionem.* Hæc Cajetanus. Sive ergo quis confeſſionem fidei aut fidem ipſam Petri, petram eſſe Eccleſiæ in quam ædificatur Eccleſia aſſerat; nemo ſanæ mentis, ut Maldonati verbis utar, hâc fide aut confeſſione fidei Chriſtum poteſt excludere : & ita velint nolint adverſarii, quando Chriſtus dixit, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, reduplicativè & ſyncategorematicè demonſtravit ſe primarium eſſe fundamentum & petram eſſentialem Eccleſiæ, Petrum autem metaphoricam & analogicam dumtaxat. Itaque inter nos & adverſarios potiùs de nomine & ſignificatione vocum, quàm de re ipſa diſputatur.

Sextò, ut concedimus Chriſtum hoc oraculo, tu es petra & ſuper hanc petram, &c. conſtituiſſe Petrum Eccleſiæ Primatem Vicarium ſuum & Caput miniſteriale Eccleſiæ: ſic imus inficias ullâ quantumvis violentâ collectione animi, illinc poſſe exprimi aut probari monarchiam recentiorum, vel etiam Petrum quicquam juris ſuper alios Apoſtolos præter primatum obtinuiſſe : quia omnes ſunt ex æquo Vicarii, Legati, Proreges & OEconomi Chriſti, poteſtate, juriſdictione & dignitate pares, excepto primatu (inquam.)

Septimò, aſſentior Maldonato, poteſtatem docendi & prædicandi objectivè & formaliter diſtingui à poteſtate aperiendi & claudendi, ligandi & ſolvendi : ſed pernego illas ſeparatim collatas à Chriſto ut fit hodie : idque fortiſſimum eſt telum contra Calviniſtas qui ſolâ prædicatione Evangelii abſque poteſtate ligandi & ſolvendi peccata remitti dictitant. Et quidem Maldonatus multò efficaciùs debellaſſet Calvinum, ſi oſtendiſſet Dominum conjunctim non ſeparatim dediſſe ejuſmodi poteſtates : quæ eſt doctrina omnium Patrum antiquorum. Dum autem ille abſolutæ ſuæ monarchiæ voluit inſervire, Calvinum imbecilliùs aggreditur : ſupra toto lib. 2. docui Chriſtum mittendo Apoſtolos, non eos ad nudam prædicationem, ſed unà cum facultate prædicandi, illos juriſdictione neceſſariâ & Sacerdotio ſuo ad juſtum Eccleſiæ gubernationem armaviſſe.

Octavò, Maldonatus conſtituens clavim eminentiæ à clavibus aliorum Apoſtolorum

Digitized by Google

diſtinctam, Galli vocant *un paſſe-par-tout*, entia multiplicat abſque neceſſitate, & re-ipſa cum Cajetano ſentit, qui tertiam clavim regni Cælorum conſtituit. Quæ opinio teſte Bellarmino ſupra laudata ſubtilior quàm verior eſt. Undè lib. 4. de Rom. Pontifice cap. 3. teſtatur idem omnibus Apoſtolis dari per illa verba. *Ego mitto vos* Joannis 20. *quod Petro fuerat promiſſum per illud, tibi dabo claves & poſteà exhibitum per illud, paſce oves meas, &c.* Vide caput præcedens quæſt. 3. reſponſione ad undecimum & ſequentia argumenta.

Nonò, cùm omnes Apoſtoli Petro, & Epiſcopi Papæ jure divino ſint æquales, excepto primatu: certè reſervatio caſuum, cujus meminit Maldonatus, eſt juris merè poſitivi. Utinam adverſarii ad ſua placita conſtituenda nobis hìc præceptum & legem divinam, non imaginationes ſuas obtrunderent.

Decimò, locus Eſaïæ 22. & cap. 3. Apocalypſ. *claudit & nemo aperit, aperit & nemo claudit*, ad litteram de Chriſto capi debet: ſolus enim habet clavem auctoritatis & excellentiæ, ut docent Theologi, Petrus autem & Eccleſia puri miniſterii tantùm.

IV. Verùm ne ſæpiùs idem ſaxum volvere cogamur, hìc ea prætermitto, quæ à Sebaſtiano Barradio tom. 2. lib. 10. cap. 22. & 23. harmoniæ Evangelicæ expromuntur, quoniam nihil ab argumentis Maldonati fermè diſcrepant: eaque Barradius diffuſiùs tractat.

Digitized by Google

CAPUT QUINTUM.

I. Bellarminum controverſiam de abſolutâ & infallibili monarchiâ Papæ, omnium operoſiſſimè, ampliſſimè, majori cum judicio & artificio tractaſſe, & de diſtributione tractatus Bellarmini in quinque quæſtiones.

II. Bellarminum poſt D. Thomam & alios in ſpeciem admittere quidem monarchiam Eccleſiaſticam eſſe ariſtocratiâ & democratiâ temperatam, ſed revera & de facto id negare.

III. Quatuor eſſe digna obſervatione ad cognitionem eſſentialis regiminis Eccleſiæ, & detegendas cavillationes adverſariorum.

IV. De Bellarmini argumentis, quibus efficere conatur regimen Eccleſiæ non habitare penes Epiſcopos, id eſt, non eſſe ariſtocraticum.

V. Examinantur fundamenta de multitudine principantium comparatione Eccleſiæ militantis cum triumphante, & cum Eccleſia veteris Teſtamenti, atque alia ejuſmodi ad regimen purè monarchicum conſtituendum ſpectantia.

VI. De his Scripturæ locis, Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, tibi dabo claves &c. *quos Bellarminus ad ſuam opinionem perperam detorquet.*

VII. Hic textus, paſce oves meas, *à ſophiſticis Bellarmini cavillis vindicatur.*

VIII. Quod & quale ſit Paſtorale Eccleſiaſticorum officium, & non habere poteſtatem paſcendi in virga ferrea, ut cenſet Bellarminus.

IX. Quomodo cæteri Apoſtoli ſubditi fuerint Petro: & hunc à Paulo tanquàm ab æquali, non tanquàm ab inferiori reprehenſum fuiſſe.

X. De miſſione Petri & Joannis in Samariam, & quamobrem Eccleſia exegerit à Petro rationem ſuæ converſationis inter gentes.

XI. Cunctos Apoſtolos immediatè ordinatos fuiſſe Epiſcopos à Chriſto, non unum & ſolum Petrum.

XII. De Pauli ordinatione & Jacobi Minoris electione ad privatim regendam Diœceſim Hieroſolymitanam.

XIII. Cur Romana Eccleſia dicatur radix & matrix aliarum Eccleſiarum, & locus Cypriani in eam rem explicatus.

Digitized by Google

XIV. Quo ſenſu capiendum ſit Sacerdotalem & Epiſcopalem ordinem à Petro poſt Chriſtum cæpiſſe, ut Anacleti atque Innocentii I. epiſtolæ teſtantur.

XV. Utrùm Judas fuerit Epiſcopus?

XVI. De ſedium Patriarchalium inſtitutione.

XVII. Analyſis libri 2. Bellarmini de Romano Pontifice, & utrùm Papa poteſtatem monarchicam in alios Patriarchas & Epiſcopos exercuerit, illos inſtituendo atque deponendo, & de falſis & confictis exemplis in eam rem allatis.

XVIII. De hiſtoria Maximi Epiſcopi Conſtantinopolitani, Flaviani Antiocheni, Neſtorii, Dioſcori, Acacii, Anthemii, Polycromii Hieroſolymitani Epiſcopi.

XIX. Utrùm B. Athanaſius, Chriſoſtomus, Theodoretus & alii appellaverint ad Sedem Romanam, ut comminiſcitur Bellarminus.

XX. Explicatur Canon, Nemo judicabit primam Sedem, & de Synodo Romana ſub Sixto III.

XXI. De Symmachi papæ accuſatione, & Analyſi libri Eunodii Diaconi pro Symmacho papa.

XXII. Canon Si Papa *explicatur.*

XXIII. Analyſis libri 4. Bellarmini de Romano Pontifice, quo diſputatur, an ſolus Papa ſit judex infallibilis controverſiarum naſcentium in Eccleſia.

XXIV. Textus Deuteronomii 17. Venieſque ad Sacerdotes levitici generis, *quem corrupit Bellarminus, ſuo genuino nitori reſtituitur, & quid ſit ſedere ſuper Cathedram Moſis.*

XXV. Quarè Hieronymus petat à Damaſco facultatem dicendarum aut tacendarum trium hypoſtoſeon.

XXVI. De Caiphæ prophetia ſuper morte Chriſti, nimirum quòd expediret unum hominem mori pro populo.

XXVII. *Hæreſim Pelagianorum definitivè tantùm damnatam in prima Synodo Epheſina.*

XXVIII. *De cauſis cur falſæ opiniones de Eccleſiæ regimine crebriùs & confidentiùs aſſerantur, quàm orthodoxa Patrum antiquorum doctrina.*

XXIX. *Locus D. Lucæ* Ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua, *perperam acceptus à Bellarmino, dogmaticè evolvitur, atque alia minuta argumenta excutiuntur.*

XXX. *Quo ſenſu D. Bernardus Innocentii* II. *opem imploret adverſùs Petrum Abaillardum.*

Digitized by Google

XXXI. *Primis trecentis annis quibus nulla Concilia generalia habita ſunt, naſcentes controverſias non à ſolo Papa, ſed conſenſu catholico definitas fuiſſe.*

XXXII. *De differentia regiminis Eccleſiæ Chriſti & veteris legis.*

XXXIII. *Poſt intermiſſam conſuetudinem celebrandarum Synodorum Dei providentiam excitaſſe Univerſitates, quæ Theologiam liberè docerent, atque errores naſcentes oppugnarent.*

XXXIV. *Argumenta, quibus Bellarminus perſuadere vult Eccleſiam Romanam etiam ut particularem diœceſim errare non poſſe, dilapidantur.*

XXXV. *Epiſcopos juriſdictionem ordinariam exteriorem immediatè habere à Chriſto non à Papa.*

XXXVI. *Allucinatio Bellarmini aſſerentis Auguſtinum docere ſeptuaginta ſeniores non à Deo, ſed à Moſe immediatè habuiſſe Spiritum Dei.*

XXXVII. *Cyprianus falsò laudatus à Bellarmino, quaſi ille Papam non Eccleſiam ſoli, radici, & fonti compararet.*

XXXVIII. *Epiſcoporum juriſdictionem formaliter captam neque intendi neque remitti poſſe, ſed tantùm materialiter & quoad exercitium, & de Bellarmini fallacia æquivocationis hac in parte.*

XXXIX. *De ordinaria & extraordinaria poteſtate Apoſtolorum: quarum ordinariam dumtaxat Epiſcopis tanquàm legitimis ſucceſſoribus ſuis dereliquerunt.*

XL. *Utrùm* LXXII. *diſcipuli fuerint presbyteri.*

XLI. *Quâ ratione capiendum ſit, quod ait Apoſtolus, Epiſcopos poſitos à Spiritu ſancto ut regerent Eccleſiam Dei.*

XLII. *Bellarminus fruſtrà hunc nodum ſolvere tentat, ſcilicet Eccleſiam à ſuo ſtatu corruere Papâ mortuo, ſi modò ſolus Papa juriſdictionem habet à Chriſto: & quòd propriè loquendo ſolus Chriſtus non Papa dici debeat caput myſticum Eccleſiæ.*

XLIII. *Analyſis lib. 2. Bellarmini de Conciliorum auctoritate, in quo probare annititur Papam eſſe Paſtorem etiam totius Eccleſiæ congregatæ in Concilium, & quo ſenſu id intelligi debeat.*

XLIV. *Quomodò Papa dicatur immediatus Vicarius Chriſti, & de adverſariorum cavillationibus.*

XLV. *Analyſis capitis 16. in qua hæc alia Bellarmini propoſitio examinatur. Summa poteſtas Eccleſiaſtica non eſt in Eccleſia vel Concilio formaliter aut ſupplectivè, remoto Papâ.*

Digitized by Google

XLVI. *Quâ ratione Chriſtus toti Eccleſiæ ratione ſuæ totalitatis poteſtatem ſupremæ juriſdictionis contulerit.*

XLVII. *De Sirmienſi, Mediolanenſi, Ariminenſi & aliis Conciliabulis: undè contigerit ut repudiata ſint ab Eccleſia, an quia Romani Pontifices illa improbarunt?*

XLVIII. *Analyſis capitis 17. quâ hæc propoſitio enucleatur:* Summus Pontifex ſimpliciter & abſolutè eſt ſupra Eccleſiam univerſam & ſuper Concilium Generale, ita ut nullum in terris ſupra ſe judicium agnoſcat: *omniaque Bellarmini argumenta diruuntur.*

XLIX. *Analyſis capitis 18. quâ hæc propoſitio confutatur:* Summus Pontifex non poteſt committere neque Concilio, neque ulli homini ſupra ſe judicium coactivum, ſed tantùm directivum.

L. *Analyſis capitis 19. quâ octo argumenta ſcholæ Pariſienſis de immediata Eccleſiæ & Concilii Generalis auctoritate ſupra Papam defenduntur à cavillationibus Bellarmini.*

QUÆSTIO PRIMA.

I. CArdinalis Bellarminus hanc controverſiam omnium operoſiſſimè poſt Sanderum edolavit, quæque à Cajetano aut Turrecremata nimis argutè, ſcholaſticè & non ita clarè tractantur, ille quidem certâ viâ & ratione & cum tanta ingenii contentione explicavit, ut in hac conſtituenda controverſia meritò dici poſſit, plus operæ atque induſtriæ quàm in omnibus aliis controverſiis collocaſſe. Fore enim ſperabat, ubi perſuaſiſſet Papam eſſe infallibilem Eccleſiæ Monarcham, omnes alias controverſias quas tractabit probatu faciliores. Verùm in hac diſputatione Bellarmino ejuſque ſodalibus ſolemne eſt, ut ſua placita procliviùs defigant magno cum artificio religionem Lectoribus injicere, & ſententias, quas oppugnant, quamquàm orthodoxas, omnibuſque antiquis Patribus communes uni Luthero, Calvino, aut aliis ſuſpectis auctoribus privatim addicere: ſic enim expeditiùs imbecilla ingenia à veritatis cognitione abſterrent. Quaſi, ut Melchior Canus narrat, Petrus aut Sedes Apoſtolica mendaciis & cavillationibus hominum indigeret. Totam hanc controverſiam adversùs Bellarminum in quinque quæſtiones diſtribuam. Prima & ſecunda demolietur fundamenta, quæ ille toto libro 1. de Romano Pontifice defigit.

II. Et quidem cap. 3. hoc ſtatuit principium. *Regimen temperatum ex omnibus tribus formis propter naturæ humanæ corruptionem utilius eſt quàm ſimplex monarchia.* Deinde cap. 5. Jam verò Scholaſtici *in eo conveniunt omnes, ut regimen eccleſiaſticum hominibus à Deo commiſſum, ſit illud quidem monarchicum, ſed temperatum ut ſupra diximus ex ariſtocratia & democratia: id quod præcipuè tractant B. Thomas in 4. contra gentes cap. 76. Joannes de Turrecremata lib. 2. de Eccleſia cap. 2. Nicolaus Sanderus in libris de viſibili monarchia Eccleſiæ. Quorum veſtigiis inſiſtentes quatuor propoſitiones in me-*

Digitized by Google

dum aſſeremus, ac pro virili defendemus. Prima erit regimen Eccleſiæ non eſſe præcipuè penes populum. Secunda, non eſſe præcipuè penes principes ſæculares. Tertia, non eſſe potiſſimum penes principes eccleſiaſticos. Quarta, eſſe præcipuè penes ſummum totius Eccleſiæ Præſidem & Sacerdotem. Huc uſque Bellarminus. Ex his verò propoſitionibus primam & ſecundam intactas relinquemus, tertiam & quartam dumtaxat examinabimus: ſiquidem videndum nobis eſt ex rei veritate, an regimen Eccleſiæ ſit purè & abſolutè monarchicum, ut obtendunt adverſarii, qui tametſi in ſpeciem monarchicum regimen ariſtocratiâ & democratiâ temperari doceant, nihilominus puram putam abſolutam monarchiam de facto adſtruunt, nam perſuadere conantur Petrum Chriſto ſucceſſiſſe in viſibili & monarchico regimine, quod ipſemet Dominus exercebat, dum verſaretur in terris cum hominibus, alioqui enim (inquiunt) regimen non eſſet ſimile Chriſti regimini, à quo omnia & Apoſtoli atque Diſcipuli tanquàm à viſibili monarcha pendebant.

III. De his autem antequàm plura dicam, aliquot articulis naturam interni, eſſentialis & abſoluti regiminis Eccleſiæ aperiam, atque ab externo & univerſali regimine ſeparabo: quoniam hæc duo cavillatoriè confunduntur & conturbantur ab adverſariis, quò ſuam infallibilem monarchiam expeditiùs conſtituant, & imperitos fruſtrentur.

Prima propoſitio eſt, Chriſtum tanquàm Eccleſiæ fundatorem, eſſe abſolutum Eccleſiæ monarcham & dominum, *ipſe enim eſt Caput Corporis Eccleſiæ, qui eſt principium, primogenitus ex mortuis: ut ſit in omnibus ipſe primatum tenens cap.* 1. ad Epheſios. Quarè Eccleſiam ſponſam tanquàm corpus ſibi connaturale propter naturæ humanæ conformitatem quam aſſumpſit, vivificat, animat, atque informat, ſicut anima rationalis corpus humanum: undè non modò eſt caput eſſentiale viſibile Eccleſiæ, verùm etiam totum Eccleſiæ ſuppoſitum conſtituit, ut auctor eſt Bellarminus 2. de Conciliorum auctoritate cap. 19. & nos ſupra explicavimus cap. 1. hujus libri ſimilitudine animæ rationalis reſpectu potentiæ intelligendi, volendi, & reminiſcendi, atque patrisfamilias reſpectu familiæ, &c. *Quam ob cauſam multi ſumus unum corpus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra pro ſe invicem ſollicita, nè ſit ſchiſma in corpore cap.* 12. *ad Romanos, & prioris ad Corinthios.* Itaque ſicut *τὸ* rationale, quia eſt de hominis eſſentia, nequidem per cogitationem ab homine poteſt ſeparari: ſic lege evangelicâ ſtante Chriſtus monarcha abſolutus & caput eſſentiale viſibile, nullo modo ab Eccleſia corpore ſuo connaturali ſejungi & ſeparari poteſt, ſive rationem interni influxus gratiæ, ſive naturam regiminis abſoluti & eſſentialis conſideres. Hoc enim ſpectat ad provinciam Chriſto impoſitam à patre, ut numerus electorum impleatur. Quamobrem reliquit Spiritui ſancto regimen Eccleſiæ Joannis 14. *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum ſpiritum veritatis qui à Patre procedit.* Et Math. 28. *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi.* Quocirca minimè timendum eſt nè Chriſtus Eccleſiæ ſuæ deſit. Hoc enim impoſſibile eſt.

Secundò, quamquàm Chriſtus naturâ ſuâ propter naturam humanam quam aſſumpſit, ſit viſibilis & caput viſibile Eccleſiæ: tamen poſt ſemel fundatam Eccleſiam nihil neceſſe eſt ad naturam externi viſibilis, & miniſterialis regiminis Eccleſiæ, ut ſemper actu videatur, quia hæc actualis viſibilitas Chriſti nihil confert ad naturam & perfectionem eſſentialis & abſoluti regiminis Eccleſiæ, quod internum eſt ac ſpirituale totum pendens à Chriſto ſuppoſito Eccleſiæ, ſicut facultas volendi, intelligendi & reminiſcendi

Digitized by Google

cendi ab anima, & regimen familiæ à patrefamilias: hinc fit, *ut omnis gloria Eccleſiæ filiæ regis ab intùs* pſal. 44. & 1. Corinth. 3. *Neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus.*

Tertiò, notandum eſt Chriſtum gratiam juſtificationis atque regiminis, cæteraque Eccleſiæ chariſmata à Spiritu ſancto perfici voluiſſe, ope atque interventu ſui æterni ſacerdotii, quod Eccleſiæ diſpenſandum & propagandum reliquit per externum, viſibile & miniſteriale regimen Apoſtolorum atque Diſcipulorum, necnon etiam Epiſcoporum atque Presbyterorum, qui Apoſtolis atque Diſcipulis ſucceſſerunt. Quandoquidem ſicut anima rationalis organis corporis ad ratiocinandum, intelligendum, & loquendum utitur: ita etiam Chriſtus in externo, viſibili, & miniſteriali regimine Eccleſiæ, Apoſtolis, Diſcipulis, Epiſcopis, atque Presbyteris, velut organis atque inſtrumentis ad internum & eſſentiale regimen perficiendum, utitur. Quocirca ſicut internum, ſpirituale, & abſolutum regimen Eccleſiæ totum à Chriſto capite eſſentiali viſibili; ita externum & miniſteriale viſibile ab Epiſcopis atque Presbyteris juxta leges à Chriſto & Eccleſia poſitas neceſſariò dependet, & in finem ſæculi continuabit.

Quartò, ſacerdotium Chriſti Eccleſiæ communicatum eſſe velut animam & cauſam efficientem Eccleſiæ poſt Chriſtum, ita ut ab hac ſacerdotii communicatione totus externus & viſibilis influxus regiminis viſibilis Eccleſiæ permaneat, atque per ariſtocraticum regimen ſacerdotalis Eccleſiæ adminiſtretur, diſpenſetur, & propagetur: & quidquid Eccleſia ſacerdotalis in hac diſpenſatione & adminiſtratione canonicè facit, idipſum Chriſtus quamquàm non actu viſibilis facere cenſetur. Juxta communem regulam, qui per alium facit, per ſeipſum facere videtur: *Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit. Qui autem me ſpernit, ſpernit eum qui me miſit Lucæ.* 10. Quæ intelligenda ſunt de Prælatis canonicè gubernantibus, poſſuntque illuſtrari hâc imagine. Fingamus verbi causâ B. Ludovicum Franciæ Regem, cùm eſſet in Terræ ſanctæ ſubſidium profecturus, poteſtatem feciſſe matri ſuæ ut cum Parlamento Franciæ Regnum gubernaret, deque omnibus Regni negotiis diſponeret, atque Magiſtratus in locum demortuorum ſufficeret. Profectò qui ad voluntatem & inſtitutionem B. Ludovici attenderit, quamquàm Franciæ Regnum à Blancha matre Ludovici, mediante Parlamento gubernaretur: tamen id ſanctus Ludovicus per ſeſe facere atque regere cenſeretur. Idem eſt de Eccleſiæ regimine judicium: quamquàm enim mediante Ordinis Hierarchici gubernatione fiat, tamen à Chriſto manare cenſetur tanquàm à capite eſſentiali viſibili Eccleſiæ: & proinde nihil opus eſt alio capite naturali & eſſentiali viſibili: (quidquid Bellarminus & Vallius poſt Sanderum fingant) ſed tantùm miniſtris & capite miniſteriali, Papâ ſcilicet, Epiſcopis, &c.

Quintò, cùm Lex Evangelica (quæ docet claves immediatè datas Ordini Hierarchico) & praxis certiſſima Apoſtolorum & Patrum Eccleſiæ primitivæ uſque ad octavum generale Concilium, vera atque indubitata ſit divinæ voluntatis declaratio; hæc autem nos clariſſimè doceant regimen Eccleſiæ eſſe ariſtocraticum, & Petrum inter Apoſtolos primatum dumtaxat habuiſſe in ordine ad regimen ariſtocraticum. Sicut etiam Romanum Epiſcopum inter alios Patriarchas can. 6. Nicæni Concilii. Profectò ſequitur adverſarios fruſtrà, ne dicam temerè atque impiè, contra Legem Evangelicam & certiſſimam praxim Eccleſiæ alium Monarcham & caput eſſentiale viſibile à

Chriſto velle conſtituere : quaſi timendum eſſet, ne Chriſtus Eccleſiæ ſponſæ (quæ eſt corpus ejus connaturale) abſque hoc fictitio viſibili capite & Monarcha abſoluto, vel in ratione gratiæ juſtificantis vel neceſſarii regiminis deeſſet : quod impium eſt cogitare, nedum aſſerere & ſcribere : *quaſi ſtatueremus per inventiones humanas etiam meliùs quàm per legem evangelicam* divinam Eccleſiam regi : ut ait Gerſonius in ſermone habito Taraſcone in die Circumciſionis Domini conſiderat. 1. *O homo tu quis es qui reſpondeas Deo? numquid dicit figmentum ei qui ſe finxit : quid me fecisti ſic* 9. ad Romanos. Quocirca magnopere falluntur, vel potiùs de induſtria fallunt adverſarii, dum perſuadere conantur in externo viſibili & miniſteriali regimine Eccleſiæ Papam idipſum eſſe debere, quod fuit Chriſtus abſolutus monarcha & caput eſſentiale viſibile, cùm degeret in terris. Certè magna eſt imperitia aut potiùs malitia, tempus Eccleſiæ fundandæ à Chriſto non diſtinguere à tempore quo propagata eſt ab Apoſtolis & Epiſcopis qui ſucceſſerunt Apoſtolis. Enimverò Chriſtus qui humanitatem noſtram induit, ut Eccleſiam fundaret, atque teſtes oculatos geſtorum ſuorum haberet, reverà & de facto tanquàm abſolutus monarcha & caput eſſentiale viſibile debuit mittere Apoſtolos atque Diſcipulos, ſed poſt ab eo fundatam & inſtitutam Eccleſiam, id voluit fieri per influxum ſacerdotii ſui, & Apoſtolorum atque Epiſcoporum miniſterium & diſpenſationem : quos proinde velut Legatos, Proreges, Vicarios & procuratores ſuos conſtituit, ut quidquid canonicè facerent, Chriſti nomine & auctoritate geri cenſeretur. Quo in miniſterio Petrus ſupra alios Apoſtolos, aut Papa ſupra Epiſcopos nihil quicquam jure divino poſſidet, excepto primatu aut primo gradu Sacerdotii Chriſti. Quâ igitur fronte Petrum aut Papam Chriſto abſoluto Monarchæ & Domino, ac capiti viſibili eſſentiali conferre, aut etiam tempora fundandæ aut fundatæ Eccleſiæ confundere audent. Cæterùm, quo ſenſu Papa dici & haberi debeat caput & monarcha Eccleſiæ conformiter ad decreta Patrum Synodi Conſtantienſis, repetes ex apologia noſtra axiomate xv. & xxxi.

IV. His ita præſtitutis, Bellarmini argumenta nobis enucleanda ſunt. Nam cap. 8. libri prioris de Romano Pontifice regimen eccleſiaſticum non eſſe præcipuè penes Epiſcopos, & tenere contrarium, peculiarem eſſe errorem Joannis Hus & Calvini contententendit. Ejus notiones ſunt : *Primùm, quòd nuſquam legitur in Scripturis ſummam poteſtatem collatam Concilio Sacerdotum. Quacumque enim auctoritas Apoſtolis cæteriſque diſcipulis conceſſa eſt à Chriſto, non ſolùm omnibus, ſed etiam ſingulis conceſſa eſt* (inquit) *neque ad eam exercendam opus erat Concilio : poterant enim ſine dubio Apoſtoli ſinguli, & poſſunt etiam nunc ſinguli Epiſcopi docere, baptiſare, ſolvere, ligare, ordinare Miniſtros, &c. ſolus eſt locus Mathæi 18. ubi tribuitur aliquid Concilio, cùm dicitur, ubi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum,* & neque hîc explicatur, *quæ ſit poteſtas Concilii, ſummanè an mediocris, an infima.*

Secundò, ſi penes optimates eſſet ſummum Eccleſiæ regimen, ſequeretur Eccleſiam ferè ſemper carere rectoribus, & utplurimum neminem eſſe cui cura ſit commune bonum, proindè Rempublicam Eccleſiaſticam omnium eſſe miſerrimam. Optimates enim cùm pares inter ſe ſint, non poſſunt commune bonum ut par eſt adminiſtrare, niſi vel congregati ſint, vel aliquem elegerint magiſtratum communi conſenſu, cui omnes obediant. At in Eccleſia rariſſimè congregantur optimates ad Generale Concilium, primis enim cccc *annis nulla fuit congregatio generalis, &c.*

Digitized by Google

Tertiò, ſi eſſet in cœtu optimatum ſumma poteſtas, quò numeroſius cogeretur Concilium, eò plus haberet auctoritatis, neque unquam evenire poſſet ut minori Concilio plus tribueretur, quàm majori. At Concilium Ariminenſe Epiſcoporum DC. nullius unquam auctoritatis habitum eſt. Concilium autem primum Conſtantinopolitanum CL. Epiſcoporum ſummæ ſemper auctoritatis fuit in Eccleſia.

Quartò, Democratia quamquam ſit abſolutè peſſimum regimen, nihilominùs Ariſtocratia videtur pernicioſior Eccleſiæ, quia hæreſes omnes ab Optimatibus potiùs quàm à plebeiis hominibus excitantur, & factiones numquàm faciliùs & frequnetiùs oriuntur, quàm cùm Optimates regunt, &c.

Hæc ſunt Bellarmini argumenta, quæ ſi ad noſtra firmamenta conferantur, tanquàm fluctus in ſcopulum impacti diſſipantur.

Primùm quod ait, ſententiam quam oppugnat eſſe Joannis Hus & Calvini, negatur. Si modò cum ariſtocratico regimine Epiſcoporum etiam primatus Petri quem Hæretici negant, conjungatur, ſicut omnes antiqui Patres illum conjunxerunt.

Secundò, data eſt à Chriſto Apoſtolis & Diſcipulis poteſtas, ut eam & diſtributim & collectim quando neceſsè eſſet exercerent. Neque ad id probandum alio argumento quàm ordinariâ praxi Eccleſiæ opus eſt, videmus enim Epiſcopos & Sacerdotes ſeorſim ſumptos eam exercere, & quando opus eſt Synodos provinciales & generales haberi ad definiendas controverſias Eccleſiæ. Adi librum 1. hiſtoriæ noſtræ Conciliorum generalium.

Tertiò, quod perhibet non explicari Mathæi 18. quænam ſit poteſtas Concilii, an ſuprema, an mediocris, an infima &c. ſolutum eſt cap. 3. contra Cajetanum quæſt. 2. & ex Eccleſiæ praxi diſcimus negotia eccleſiaſtica, quæ in Epiſcopali Tribunali decidi non poterant, ſolita deferri ad Synodum provincialem can. 5. Synodi Nicænæ & à Synodo provinciali conſuetum progredi ad ampliorem Synodum.

Quartò, manifeſtè cavillatur, dum narrat Eccleſiam carere Rectoribus, dato quòd Eccleſiæ regimen ſit ariſtocraticum. Siquidem Rectores Eccleſiæ ſunt Epiſcopi, Synodi provinciales & generales cum Canonibus qui ibidem conduntur, quorum Canonum Epiſcopi ſeorſim ſumpti ſunt executores, hincque fit ut can. 5. Synodi Nicænæ edatur, bis annuatim habendas Synodos ad controverſias naſcentes definiendas, quæ diſciplina quamdiù viguit, Eccleſiæ regimen optimè habuit, contra autem omnia peſſum iverunt, poſt invectam abſolutam Monarchiam, id eſt, quando Eccleſia non Canonibus, ſed privatis motibus gubernari cœpit.

Quintò primis trecentis annis Eccleſia propter perſecutiones congregari non potuit in Concilium generale, nihilominùs frequentes Synodi provinciales habitæ, ibique plurimi canones ad optimum Eccleſiæ regimen conditi ſunt, adeò ut teſte Bellarmino lib. 1. cap. x 1. de Conciliis nulla unquàm hæreſis debellata fuerit abſque aliquo Concilio magno vel parvo.

Sextò, impoſſibile eſt Bellarminum neſcire Concilia legitima illa eſſe, quæ canonicè indicantur & habentur; contra autem illegitima quæ contra Canones coguntur: atque Synodum Ariminenſem per vim à Conſtantio Imperatore coactam, adeò ut non paucos Epiſcopos in exilium extruſerit Conſtantius, propterea quòd ſubſcribere nollent Symbolo contrario ei quod à Patribus Nicænis conditum fuerat: Cæterùm Synodus

Digitized by Google

Conſtantinopolitana quando eſt canonicè habita, nihil mirum eſt ſemper magnæ fuiſſe auctoritatis in Eccleſia: has autem argutias Bellarmini quivis facilè depellet, modò notitiam habuerit Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ.

Septimò, verſatile eſt argumentum, quo Bellarminus efficere vult; ideò improbandum ariſtocraticum regimen, quòd aliqui Epiſcopi auctores fuerunt hæreſeon: ſic enim inferri poſſet ideò primatum eſſe abrogandum, quoniam Marcellinus idolis thurificavit, Liberius Arianiſmo ſubſcripſit, & Honorius de Cathedra Monothelismum docuit, ut aliàs oſtendimus. Verùm ſi nefandum ſcelus Judæ collegio Apoſtolorum nihil nocuit: certè privati errores quorumdam Epiſcoporum non debent ariſtocratico regimini Eccleſiæ officere, cùm reatus ſint perſonales.

V. His de Ariſtocratico regimine præmiſſis, Bellarminus tranſit ad monarchicam gubernationem: & primum cap. 2. libri 1. de Romano Pontifice docet omnium gentium & nationum voce hanc Homeri ſententiam prædicari: *Rex unicus eſto, multos imperare malum.* Hocque non magis ad homines & civitates, quàm ad Deum ipſum pertinere dictitat ex Philone Judæo lib. de confuſione linguarum.

Deindè cap. 9. ejuſdem libri, ait Eccleſiam militantem gubernari debere ad formam Eccleſiæ triumphantis, citatque D. Gregorium lib. 4. epiſt. 52. & Bernardum 3. de conſiderat. cap. 10. concluditque præter Deum ſummum omnium Regem eſſe unum Angelum qui aliis Angelis præſit; & poſt lapſum Diaboli S. Michaëlem conſtitutum Principem omnium Angelorum, cap. 12. Apocalypſeos.

Tertiò, arguit in veteri Teſtamento unum fuiſſe magnum Sacerdotem aut Principem Sacerdotum, qui omnibus præeſſet: & juxta Apoſtolum hæc omnia Judæis contigiſſe in figuram eorum quæ futura erant in lege gratiæ 1. Corinth. 10.

Quartò, Eccleſiam comparari in Scripturis exercitui bene ordinato, Canticorum 6. Item regno Danielis 7. Ovili Joannis 10. Navi ſeu Arcæ Noë 1. Petri. At quando eſt exercitus ordinatus, ſi omnes Epiſcopi ſunt pares? quomodò regnum, ſi non unus Monarchiæ præeſt? quomodò unum Ovile abſque uno Paſtore ſupremo? quomodò una Domus abſque fideli diſpenſatore? quem conſtituit Dominus Lucæ 12. denique quomodò Navis, ſi unicum non habet ſummum moderatorem.

Quintò, conſtat Eccleſiam à Chriſto, dum eſſet in terris, viſibiliter monarchicè gubernatam: ita ut, quamquàm Apoſtolos & diſcipulos conſtituiſſet qui populum regerent, tamen ipſe tanquàm ſupremus Monarcha & Caput illis viſibiliter præeſſet ac imperaret: igitur ut regimen hodie maneat ejuſdem ſpeciei cum regimine quod erat, Chriſto viſibiliter verſante in terris: oportet Eccleſiam ab uno viſibili Monarcha viſibiliter gubernari: cui omnes Epiſcopi & Presbyteri ſubſint, quemadmodùm Apoſtoli atque diſcipuli ſuberant Chriſto. Quod argumentum fuſè tractatur à Sandero lib. 3. de viſibili Monarchia cap. 1.

Sextò, quibus rationibus probatur unum Epiſcopum debere præeſſe parochis, Archiepiſcopum Epiſcopis, Patriarcham Archiepiſcopis, iiſdem probari unum ſummum Pontificem præeſſe debere Patriarchis.

Septimò, non poteſt propagari Eccleſia, niſi unus ſummus Eccleſiæ Præſul exiſtat, cui ſollicitudo incumbat totius corporis conſervandi & propagandi: quomodò prædicabunt, niſi mittantur, Roman. 10.

Digitized by Google

Octavò, unitas fidei retineri non poteſt in Eccleſia, niſi unicus ſit ſummus Paſtor & Judex, qui omnes naſcentes controverſias definiat, & cui omnes acquieſcere teneantur: eſt enim *unus Deus, una Fides, unum Baptiſma*, 4. *ad Epheſios.* Et quamquàm Apoſtolus non dicat unus Pontifex maximus qui Eccleſiam in unitate contineat, tamen ſummus Pontificatus diſertè ponitur 1. Corinth. ubi Paulus ait, *& ipſe poſuit in Eccleſia, primùm Apoſtolos, deindè Prophetas, &c.* Siquidem ſumma poteſtas eccleſiaſtica non ſolùm data eſt Petro, ſed etiam aliis Apoſtolis; omnes enim poterant dicere illud Pauli, *inſtantia mea quotidiana, ſolicitudo omnium Eccleſiarum*, 2. Corinth. xi. Sed Petro data eſt ordinario Paſtori, cui perpetuò ſuccederetur; aliis verò tanquàm delegatis, quibus non ſuccederetur. Nullus enim Epiſcopus præter Romanum ſolicitudinem habuit unquàm omnium Eccleſiarum, & ſolus ipſe vocatus eſt ab omnibus Apoſtolicus Pontifex, & Sedes ejus Apoſtolica ſimpliciter & per antonomaſiam & munus ejus Apoſtolatûs. Ad hæc probanda Bellarminus adducit aliquot Hieronymi & Leonis Magni teſtimonia.

Porrò antequàm ad analyſim ſingulorum argumentorum Bellarmini veniam, hîc primam impendo regulam poſitam à me lib. 2. cap. 2. ſcilicet Chriſtum ſuis factis atque præceptis, necnon etiam geſtis Apoſtolorum & omnium antiquorum Patrum, qui ſub octo primis Generalibus Conciliis floruerunt, nobis clariſſimè & ſine ullis ambagibus voluntatem ſuam in ratione & natura regiminis Eccleſiæ perpetuò ſervandi declaraſſe, & continuò regimen Ariſtocraticum, quod toto illo tempore ſtrictiſſimè ſervatum eſt, juris eſſe divini: quam in rem lege axioma xij. noſtræ apologiæ & librum 1. Hiſtoriæ Conciliorum Generalium. Quapropter argumenta, quæ hîc ab analogia regiminis triumphantis Eccleſiæ aut Monarchiarum temporalium ducuntur, cùm ſint Evangelio, geſtis Apoſtolorum, & praxi Eccleſiæ primitivæ penitùs contraria, nullius ſunt momenti, niſi fortè inter Scholaſticos, ad eorum ingenia exercenda. Equidem quoad primum, *Rex unicus eſto, &c.* multoties ſolutum eſt in analyſi quæſtionum B. Thomæ & Cajetani ſupra cap. 2. & 3. hujus libri. Addo ampliùs Regem illum unicum viſibilem eſſe Chriſtum, quanquàm non actu videatur, quod minimè neceſſum eſt ad internum, eſſentiale & ſpirituale regimen Eccleſiæ; neque adverſarii attendunt, *ſe ſpiritualiter examinari*, quod eſt ſæpè dicendum.

Secundò, cùm argumenta etiam ab homogeneis ſimilitudinibus petita magis concionibus, quàm dogmaticis conſtituendis idonea ſint; quis patiatur adverſarios ex heterogenea comparatione triumphantis atque militantis Eccleſiæ dogma Catholicum de ſua abſoluta Monarchia conſtituere? Siquidem jus divinum debet eſſe in Scripturis clariſſimum. At ratio gubernationis Eccleſiæ triumphantis tota nobis incognita, & quod Bellarminus de S. Michaële narrat, eſt myſterium hominibus abſtruſiſſimum, continuòque figendis dogmatibus nullo modo aptum.

Ad tertium admitto Principem Sacerdotum habuiſſe primatum ſuper alios Levitas, nego Monarcham fuiſſe; aut quicquam magni momenti decernere potuiſſe abſque Synodico & Ariſtocratico Concilio Sacerdotum. Quamobrem Deuteronomii 17. Deus jubet Sacerdotes Levitici generis, non unum & ſolum Principem Sacerdotum conſuli ad controverſias definiendas, quidquid in contrarium Bellarminus

Digitized by Google

obnitatur 4. de Rom. Pontifice cap. 1. quem non puduit, proh dolor! textum Bibliorum corrumpere, nam ſingularem numerum pro plurali, nimirùm Sacerdotibus ſubſtituit.

Prætereà ſi ei gratis concedamus Sacerdotem Magnum legis Moſaïcæ fuiſſe Monarcham, nego à pari Papam eſſe debere in lege gratiæ, ac perfectiſſimæ libertatis ac manſuetudinis. Siquidem lex Moſaica erat duriſſimæ ſervitutis atque unius tantùm gentis aut populi: lex autem Chriſtiana eſt omnium nationum & populorum per totum orbem terrarum diffuſorum, quibus moderandis unus Monarcha ſatis eſſe nequit.

Ad quartum collectio illarum ſimilitudinum quas Bellarminus proponit, argumentum efficiunt topicum & Scholaſticum, concionibus popularibus aptum, non autem demonſtrationem Theologicam & dogmaticam pariunt; quæ ſimilitudines ſi preſsè & propriè capiantur, de Chriſto eſſentiali & naturali Capite ac Monarcha viſibili Eccleſiæ, quanquàm actu non videatur intelligendæ ſunt: jam enim ſupra docui ad eſſentiam & perfectionem eſſentialis atque interni regiminis Eccleſiæ, quod per externum & viſibile miniſterium Papæ, Epiſcoporum & Presbyterorum peragitur, non eſſe neceſſarium ut Chriſtus Monarcha viſibilis Eccleſiæ actu videatur de ſimilitudine fidelis Diſpenſatoris Lucæ 12. Quam Bellarminus identidem frequentat aliàs videbimus.

Quintum multipliciter illudit lectoribus, & ignoratio elenchi capit omnia. Primùm, fateor Eccleſiam debuiſſe viſibiliter & monarchicè gubernari in terris à Chriſto Monarcha & Capite eſſentiali viſibili Eccleſiæ: ſed nego idem eſſe poſſe judicium de Petro aut ejus Succeſſoribus, propter ea quæ ſupra diſſerui num. 3. hujus capitis. Secundò urgeo, ſi ad mentem & propoſitum Chriſti attendamus, qui Sacerdotium ſuum per Ariſtocraticum regimen Eccleſiæ Sacerdotalis diſpenſari & adminiſtrari voluit, fruſtrà quidem adverſarios contendere regimen Eccleſiæ idem planè eſſe debuiſſe ſub Apoſtolis & ſub Chriſto Domino abſoluto Monarchâ, dum Eccleſiam fundaret: quoniam hoc legi divinæ & inſtitutis Chriſti manifeſtè repugnat, quia Chriſtus Petrum in ordine & ad regimen Ariſtocraticum Primatem non abſolutum & infallibilem Monarcham conſtituit. Proculdubio millies dixi Primatum & Monarchiam Papæ res eſſe valdè differentes, conſule axioma xv. & xxxi. apologiæ noſtræ. Hercle quidem Papa tanquàm Primas, id eſt, primo Sacerdotii Chriſti donatus gradu, omnibus Epiſcopis & Eccleſiæ univerſali viſibiliter præeſt: minimè verò ſicut Caput viſibile & Monarcha ſuccedens Chriſto: ratio eſt, quoniam Chriſtus in ratione Capitis & Monarchæ Succeſſorem non admittit: & Papa cùm nihil in Eccleſiam influat, imò verò ſit pars, membrum atque Miniſter Eccleſiæ ſub Chriſto naturali, eſſentiali & homogeneo Capite, non poteſt dici Caput niſi moraliter, æquivocè & impropriè, ſicut Tribunus militaris aut Dux exercitus appellatur caput militum quos ducit ad bellum, ſiquidem ad rationem & naturam capitis propriè dicti, neceſſariò requiritur influxus ejuſdem naturæ. Undè cùm Dominus in Eccleſiam ſuam ſolus gratiam juſtificationis ac motuum omnium ſpiritualium & internorum, cum ipſo regimine per Sacerdotium ſuum influat, propriè quidem dicitur Caput naturale, eſſentiale & homogeneum Eccleſiæ: Papa verò quia extrinſecè Eccleſiam per actus hierarchicos ex-

Digitized by Google

ternos gubernat caput viſibile, moraliter & impropriè, quia ſolummodò quoddam externum adhibet miniſterium: & ad hunc duntaxat ſenſum certum eſt Papam poſſe nuncupari Caput viſibile Eccleſiæ, ſicut mihi compertum eſt à Scholæ Pariſienſis Doctoribus plerumque vocari contra Melanctonem & alios, qui planè negabant Primatum, aut ullo bono ſenſu Papam appellari poſſe Caput viſibile Eccleſiæ: quod aſſerere hæreticum eſt, quia ejuſmodi aſſertio Petri atque Eccleſiæ Romanæ Primatum omninò deſtruit, quem nos ſartum-tectum, velut jure divino conſtitutum vindicare cupimus.

Sexti perfacilis manet ſolutio ex antecedentibus. Hinc enim claret Papam ut Primatem non ut Monarcham abſolutum Chriſto ſuccedentem omnibus præeſſe Epiſcopis aut Eccleſiæ univerſali: inſuper accedit Bellarminum cauſam ſuam funditus perdere, dum venditat iiſdem rationibus probari Papam præſidere Epiſcopis, quibus convincitur Epiſcopum Presbyteris, aut Archiepiſcopum Epiſcopis, vel Patriarcham Archiepiſcopis. Primùm, quia octo primis Eccleſiæ ſæculis & ampliùs nunquam auditum Epiſcopos ut Monarchas præſidere Presbyteris. Hinc ille Canon 29. Concilii Carthaginenſis, *Epiſcopus ſi Clerico vel Laico crimen impegerit, deducatur ad probationem in Synodum:* & 35. *ut Epiſcopus in Eccleſia & conſeſſu Presbyterorum ſublimior ſedeat: intra domum vero, collegam ſe Presbyterorum eſſe cognoſcat.* Secundò, Archiepiſcopis Epiſcopi, & Primates aut Patriarchæ Archiepiſcopis ſolo jure humano non divino, neque etiam Monarchicè, ſed tanquàm primatum quemdam habentes præſunt.

Septimò, Bellarminus ex hodierna praxi Curiæ Romanæ de quæſtione juris abſolutè ſtatuit. Certè totus orbis Chriſtianus Can. 6. Nicæno diſtribuitur in certos Patriarchatus: & ex uſu primitivæ Eccleſiæ, non ſoli Papæ, ſed omnibus Epiſcopis cura Eccleſiæ propagandæ incumbebat: Id adeò ut quas quiſque primitus fundaſſet Eccleſias, aut populos ad Chriſtum per Evangelii prædicationem convertiſſet, illis certò præeſſet. Ex quo fit ut tam ſæpè antiqui Canones præcipiant, quatenùs antiquæ conſuetudines ſerventur, & nulli Epiſcopo in fines aut plebes alterius invadere liceat. Verùm hîc lubenter annuo Papam ratione ſui Primatus debere curam miſſiones faciendi ad convertendos infideles capeſcere: non tamen, quòd illi jure divino liceat Provincias aut terras partiri inter Principes. Hoc enim arbiter pacis inter Chriſtianos, non ut jura terreni imperii poſſidens peragit. Hercle quidem, cùm omnes ſimus in Chriſto alter alterius membra, atque Eccleſiæ regimen ſit ariſtocraticum, ſingulis Epiſcopis & de ſe invicem & de toto grege curam gerere incumbit, ut olim conſuetum erat, vigente charitate; cùm unuſquiſque Epiſcopus de proximo Eccleſiis ſibi affinibus conſuleret, atque gentes Evangelium edoceret, hoc autem qui neſciunt, planè hoſpites & peregrinos eſſe oportet in hiſtoria Eccleſiaſtica. Porrò hunc modum charitativum ſibi invicem de proximo conſulendi Dominatus Curiæ Romanæ omninò oppreſſit: eamque ob cauſam hodie Catholici Angli carent Epiſcopis, neque ullus eſt qui eis aliquos ordinare audeat.

Octavò, Illudit à ſuppoſitione principii. Adi cap. 2. hujus libri in analyſi quæſtionum B. Thomæ ad tertium & quartum argumentum. Quod autem perſuadere vult Apoſtolum 1. Corinth. 12. disertè docere *unum eſſe debere ſummum Pontificatum*

Digitized by Google

in Eccleſia his verbis, & ipſe poſuit in Eccleſia, primùm Apoſtolos, deindè Prophetas, &c. æquivocatione nos fruſtratur: nam ſi *per ſummum Pontificatum*, Chriſti Sacerdotium & Epiſcopatum, qui primò collatus eſt Apoſtolis, intelligat, hæc ejus aſſertio vera eſt: ſi autem Papatum ad formam hodierni regiminis Monarchici Romanæ Eccleſiæ, planè falſa, imò erronea eſt, negaturque hanc formam regiminis unquam Apoſtolis aut Eccleſiæ primitivæ Patribus cognitam. Præterea, quòd ſoli Petro datam eſſe ordinariam poteſtatem, reliquis autem Apoſtolis ſolummodò delegatam & & extraordinariam venditat, imaginatio eſt chimerica: negatur præterea ſolum Papam vocatum ab omnibus Apoſtolicum Pontificem, & ejus Sedem Apoſtolicam ſimpliciter. De qua re egimus lib. 1. hiſtoriæ Conciliorum Generalium. Equidem proclive eſt Bellarmino ejuſque ſodalibus, ignaros hiſtoriæ Eccleſiaſticæ & praxis antiquorum Patrum fruſtrari: quod ut faciliùs conſequantur, Poſſevinus ſuum conſarcinavit apparatum, in quo libros illorum, qui abſolutam Papæ monarchiam oppugnant, notis inuſſit, ut ſoli libri Jeſuitarum, Baronii & aliorum obnoxiorum impunè volverentur.

VI. Capite 10. libri 1. de Romano Pontifice, valdè ſudat ut Petri monarchiam probet ex cap. 16. Mathæi, *tu es petra & ſuper hanc petram, &c.* quam in rem quatuor proponit diſputationes. Prima, an Petrus ſit illa petra ſuper quam fundatur Eccleſia: & de hac re ait, quatuor eſſe ſententias: primam communem Catholicis; ſcilicet petram illam eſſe perſonam Petri, quatenùs erat Paſtor & Caput Eccleſiæ; ſecundam ait eſſe Eraſmi in caput 16. Mathæi, ſcilicet, *omnem hominem Fidelem eſſe hanc petram*; tertiam Calvini, nimirùm *illam petram eſſe ipſummet Chriſtum*; quartam Lutheri, puta *fidem ſeu fidei confeſſionem eſſe petram, de qua Dominus hic loquitur.* Quam ſuam opinionem Bellarminus lectione Syriacâ textus Evangelii munire tentat, eo quòd tum Chriſtus Syriacè hoc modo loqueretur: *tu es Cephas & ſuper hoc Cepha, id eſt, tu es petra & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Subjungit Auguſtinum ſolâ linguæ hebraïcæ imperitiâ deceptum: quia putarit Chriſtum dixiſſe, *tu es Petrus, non tu es petra, hoc eſt, tu es aliquid agnominatum & derivatum à petra*: quaſi dixiſſet, *tu es rupeus, petreus aut petrinus, quomodo à Chriſto agnominatur Chriſtianus.* Subnectit plurimos Patres docere Petrum eſſe petram ſuper quam Eccleſia ædificatur. Et quamquàm certum ſit Chriſtum eſſe petram & primum fundamentum Eccleſiæ, nihilominùs ſenſum proprium, primitivum & immediatum hujus loci eſſe, ſuper perſonam Petri Eccleſiam ædificari oportere: primò, quia *To hanc & ſuper hanc petram*, non poteſt referri ad Chriſtum petram, ſed ad Petrum petram: id eſt, ad aliquid proximum non remotum, nam proximè dictum fuerat Petro non Chriſto *tu es Cephas.* Deindè licèt Chriſtus dici poſſit petra, tamen hoc loco non eſt vocatus petra à Petro confeſſionem fidei edente, ſed Chriſtus Filius Dei vivi: debet autem *To hanc*, referri ad Chriſtum qui nominatus eſt petra, non ad Chriſtum, qui non eſt appellatus hoc nomine: denique ſi ad Chriſtum referretur, *non diceret Dominus ædificabo, ſed ædifico* Eccleſiam meam, quia jamjam in ſemetipſum Apoſtolos atque diſcipulos multos Chriſtus ædificarat. Dicit autem ædificabo, quia nondum conſtituerat Petrum fundamentum, ſed poſt reſurrectionem ſuam id futurum erat. Et hæc Bellarminus in S. Auguſtinum, cujus ſententiam propriam eſſe Calvini dicit.

Poſteà

Digitized by Google

Poſteà illos impugnat, qui aſſerunt fidem ſeu fidei confeſſionem à Petro editam, eſſe fundamentum ſuper quod Eccleſia ædificatur. At hoc eſſe non poteſt (inquit) quoniam vel fides hîc abſolutè capitur abſque relatione ad perſonam Petri, vel cum relatione ad Petrum: priore modo eſſe non poteſt, ait, quia Dominus *non dixiſſet ſuper hanc petram ædificabo, ſed ædifico, vel ædificavi Eccleſiam meam:* Jam enim multi crediderunt eum eſſe Filium Dei vivi, ut Prophetæ, B. Virgo & Apoſtoli atque diſcipuli: præterea fides abſolutè ſumpta rectè quidem dicitur fundamentum juſtificationis & omnium virtutum, & non propriè eſt fundamentum Eccleſiæ, cùm ſit aliquid heterogeneum: debet enim fundamentum eſſe ejuſdem generis cum toto ædificio: undè cum Eccleſia ſit congregatio hominum quaſi lapidum vivorum coagmentatio 1. Petri 2. debet lapis, qui eſt fundamentum, eſſe etiam aliquis homo & non aliqua virtus. Denique urget *Tò hanc* pronomen clariſſimè oſtendere per petram non poſſe intelligi fidem abſolutè: quia illud pronomen refertur ad petram quam Chriſtus proximè nominarat: dicendo Simoni proximè *tu es petra*, *non fidei:* quarè oportet poſteriore modo accipere fidem, ac dicere non quamlibet fidem, ſed Petri fidem, & quidem Petri non ut hominis privati, ſed ut Paſtoris Eccleſiæ eſſe fundamentum. Itaque cùm ratione fidei ſuæ indefectibilis Petrus ſit petra firmiſſima totam ſuſtentans Eccleſiam, idem eſt dicere ſuper Petrum & ſuper ejus fidem Eccleſiam eſſe fundatam, atque hoc modo Patres loquutos eſſe ait Bellarminus.

Analyſim hujus collectionis Bellarmini ad quinque articulos revocabimus: & primò quidem obſervabit Lector quanta cum arte & ſolicitudine animi ſua placita fulciat: quod argumento certiſſimo eſt, nullo modo eſſe poſſe uſui figendis dogmatibus. Principio ut opinionem quam tuetur communem eſſe Catholicorum, & alias quas impugnat hæreticis aut perſonis ſuſpectis de hæreſi proprias eſſe demonſtret, fruſtra laborat. Etſi enim certum eſt multos ex Patribus antiquis docere ſuper perſonam Petri fundatam eſſe Eccleſiam; tamen numquam concedam Bellarmino, ſententias quas labefactare conatur eſſe minùs orthodoxas, propterea quòd Eraſmo, Calvino, aut Luthero probentur, ſæpè enim contingit ut hæretici aliquas orthodoxas amplectantur ſententias, ut in hac parte accidit: & primò quidem Eraſmus Catholicus eſt, ejuſque opinio, ſcilicet Eccleſiam eſſe fundatam ſuper Fideles propria eſt Origenis, qui disertè ait *fundatam eſſe Eccleſiam ſuper unumquemque Perfectorum* & Fidelium, quæ opinio nullum malum continet: cùm enim Eccleſia ſit cœtus Fidelium, quid periculi eſt dicere fundatam eſſe ſuper Fideles, quando exploratum eſt Eccleſiam ampliari aut dilatari ſi numerus Fidelium augeatur aut minuatur. Profectò Bellarminus negare non poteſt hæc verba *Tò petra* & fundamentum Eccleſiæ eſſe ambigua & æquivoca, ac proindè multiplicem admittere ſenſum: & de Fidelibus poſſe in bonam capi notionem, ut etiam capiuntur à Cypriano.

Prætereà cùm lib. 2. cap. 4. & 5. probaverimus ſententiam, quæ perhibet Chriſtum eſſe petram, in quam fundatur Eccleſia, communem eſſe Hieronymo qui linguam Hebraïcam, Chaldaïcam & Syriacam callebat; item Auguſtino, Leoni Magno, B. Gregorio, Felici III. Iſidoro Hiſpalenſi, Bedæ, Adriano & Nicolao I. Pontificibus, Anſelmo, Gloſſæ interlineari, Lyrano, B. Thomæ Aquinati, Toſtato & Cardinali Cuſano, qui nequidem de nomine unquam Calvinum norunt, quâ fronte & fide Bel-

Digitized by Google

larminus eam ſuggillare audet, quaſi unius Calvini peculiarem & nativam. Hîc innumeros alios Catholicos omitto ejuſdem ſententiæ propugnatores, qui Calvini ſæculo floruerunt.

Quoad aliam ſententiam quam Bellarminus cavillatoriè & malâ fide uni quoque Luthero addicit, ſcilicet fidem hanc à Petro editam: *tu es Chriſtus Filius Dei vivi, eſſe fundamentum Eccleſiæ*, certè omnibus antiquis Patribus & Eccleſiæ Doctoribus communis eſt, quos lib. 2. enumeravimus, nullaque eſt communior & Catholico conſenſu magis obvallata. Itaque, ut antiqui dicebant, cauponari non belligerare eſt, ejuſmodi ſententias quaſi hæreticis peculiares notâ inurere: ex quo patet Bellarminum ejuſmodi evaſionibus cauſam ſuam non juvare ſed perdere.

Secundò, firmamenta quibus ſuam opinionem fulcire conatur, videlicet Petrum perſonaliter captum eſſe fundamentum Eccleſiæ ob fidem quam velut Paſtor & caput univerſalis Eccleſiæ profeſſus eſt, ſupra dilapidata ſunt in analyſi opinionis Maldonati: ſanè quodcumque in latus hæc verba convertantur, *tu es petra & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*; de Chriſto primario & eſſentiali fundamento Eccleſiæ intelligenda ſunt per reduplicationem: quia fides Petri refertur & terminatur ad Chriſtum, qui eſt homogeneum & eſſentiale caput ac fundamentum Eccleſiæ, Petrus autem ſolummodò moraliter & per quandam analogiam dicitur caput & fundamentum, & continuò ſequitur argutias adverſariorum omninò impares eſſe ad ſententiam Auguſtini labefactandam.

Tertiò, quod venditat Chriſtum dicturum *ædificabo*, *non ædifico* Eccleſiam meam, ſi de ſeipſo eſſentiali fundamento ſermonem feciſſet, manifeſtum eſt effugium, nam meminiſſe debuerat ſe paulò ante dixiſſe Dominum Syriacè & Hebraïcè loquutum: quoniam Syris & Hebræis futurum tempus pro præſenti paſſim uſurpatur, *ut de torrente in via bibet aut bibit* pſal. 109. Item *& ſuper hanc petram ædificabo aut ædifico Eccleſiam meam.* Accedit orationem hanc Chriſti ad Petrum vim habere formæ practicæ, cujus effectus præcipuè in termino ad quem, non in termino à quo debet attendi, ut omnes docent Theologi: itaque Dominus oſtendere voluit, ſe uſque ad finem mundi Eccleſiam ſuam ædificaturum, & hanc pollicitationem non in præſens tantùm, ſed in finem uſque ſæculi ſortituram effectum. Quarè dixit ædificabo, non ædifico Eccleſiam meam. Quia & hodie & cras uſque in conſummationem ſæculi curam habet Eccleſiæ, Mathæi ultimo. *Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi.* Quibus bene perceptis ſententia Auguſtini de Chriſto petra Eccleſiæ contra omnes adverſariorum cavillas tanquàm dogmatica triumphat ut lib. 2. probavimus.

Ad quartum de fide abſolutè ſumpta abſque ulla relatione ad Petrum; quia Chriſtus dixiſſet, ædifico non ædificabo, &c. Reſpondeo ut priùs ad tertium.

Quintò, dum cauſatur fidem privatam & perſonalem Petri ut Paſtoris Eccleſiæ indefectibilis hîc eſſe capiendam, eamque ob rem meritò comparari petræ in quam Eccleſia debet fundari, petit quidem principium, & Papæ infallibilem auctoritatem hinc fruſtrà ſtabilire molitur. Certè conſtans eſt omnium Patrum doctrina ex Catholico conſenſu Petrum non ſuam privatam, ſed totius Eccleſiæ Catholicæ fidem tanquàm caput, os & Principem Apoſtolorum profiteri; ac tum temporis Eccleſiam repræſentaſſe, ut toto lib. 2. abundè diſputatum eſt. Hercle ipſe Bellarminus hoc etiam in loco

Digitized by Google

fatetur & B. Virginem & Apoſtolos credidiſſe Chriſtum eſſe Filium Dei vivi : ex quo inimus eandem quoque habuiſſe fidem cum Petro : equidem in ejuſmodi collectionibus extundendis tantâ animi impreſſione utitur Bellarminus, ut ei ad minus decies ratiocinari neceſſe fuerit : ex quo ſequitur ea quæ dicit, dogmatibus conſtituendis nullo modo uſui eſſe poſſe.

Cap. 12. lib. 1. de Rom. Pontifice hanc aliam ſponſionem Chriſti enucleat, *tibi dabo claves regni Cælorum, &c.* ſuoque more ſententiam Catholicam Patrum hæreticis appingere vult : etſi enim (ait) ſenſus illorum verborum clariſſimus ſit, nempe Petrum immediatè, verè & principaliter accepiſſe claves à Chriſto, ut eas poſtea communicaret Eccleſiæ &c. tamen Calvinum, Magdeburgenſes, librum Salmadicæ Synodi & omnes hujus temporis hæreticos contendere nihil datum eſſe peculiare Petro, ſed toti Eccleſiæ, cujus perſonam eo tempore Petrus gerebat. Docet autem duobus modis Petrum perſonam Eccleſiæ gerere, nimirùm hiſtoricè & parabolicè : at hiſtoricè illum perſonam alterius gerere, qui re aliquâ verè à ſe geſtâ rem ab alio gerendam ſignificat, & eam quodammodò repræſentat : ſicque Abrahamum verè & hiſtoricè duos filios habentem figuram Dei geſſiſſe, qui duos habiturus erat populos &c. at parabolicè per unum aliud ſignificari, quando res verè geſta nulla proponitur, ſed aliquid veriſimile fingitur ad aliud ſignificandum : & hoc modo parabola Agricolæ boum ſemen ſeminantis repræſentat & ſignificat Chriſti prædicationem & ad hunc pariter modum legati Principum interdum ſolent claves urbium accipere, quamquàm nihil ſibi propriè, ſed dumtaxat ſuis Principibus & Dominis, quorum perſonam gerunt, acquirunt. Et hoc poſteriori modo (inquit Bellarminus) adverſarii exiſtimant Petrum Eccleſiam repræſentaſſe, quando ei Chriſtus dixit, *tibi dabo claves, &c.*

Dehinc pergit ad enumerationem circumſtantiarum, quibus perſona Petri ſingulariter deſignatur, undè efficere vult ſoli Petro tanquàm Eccleſiæ Principi claves datas : *& ego dico tibi, quia tu es Petrus, &c. & tibi dabo claves, &c.* Quorſùm ergo tam accurata circumſtantiarum deſcriptio, ſi nihil ipſi Petro propriè promittitur ? Deindè eo tempore Petrus non erat Legatus, Vicarius aut Procurator Eccleſiæ, ut claves pro Eccleſia acciperet : quis enim eam illi provinciam impoſuerat ? quòd ſi negandum Petro promiſſas claves, quia figuram Eccleſiæ tum gerebat, eâdem ratione negabitur Abrahamum duos habuiſſe filios, quia duo illi filii duos populos ſignificabant teſte Apoſtolo. Prætereà illi dictum eſt à Domino, *tibi dabo claves regni cælorum*, qui paulò poſt ab eodem Domino audivit, *vade poſt me ſatana, ſcandalum es mihi*, quæ verba ſoli Petro in perſona propria dicta ſunt, &c. Quis igitur poteſt inficiari claves Petro in perſona propria eſſe promiſſas. Itaque concludit Petrum nomine omnium reſpondiſſe velut aliorum Apoſtolorum caput, os & Principem : cùm alii Apoſtoli ignorarent quidnam reſponderent, ac demùm ſuo ſilentio Petri confeſſionem approbaſſe : & ita Chriſtum ſoli Petro claves promiſiſſe, ſed tamen poſt Petrum aliis Apoſtolis communicandas : & ad hunc modum antiquos Patres debere intelligi.

Praeterea Lutherus, Calvinus & alii hæretici objiciunt (inquit) claves Regni cælorum non dari Mathæi 16. ſed dumtaxat promitti, & reverà Mathæi 18. & Joan-

Digitized by Google

nis 20. omnibus Apoſtolis non uni Petro conferri. Nam Mathæi 18. dicitur, *quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo, & Joannis 20. accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis &c.* Igitur quando Chriſtus claves promiſit Mathæi 16. non uni ſed omnibus promiſit. Hæc Bellarminus ſibi objicit ex perſona hæreticorum, quæ tamen vera & Catholica eſt ſententia Patrum & ſcholæ Pariſienſis, hiſtoriæ Evangelicæ innixa. Quem nodum ut diſſolvat Bellarminus, reſpondet hunc locum, *accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis &c.* intelligi de poteſtate ordinis ad remittenda peccata in foro interiori : quia in hoc loco determinatur poteſtas ad peccata (inquit.) At Mathæi 16. abſolutè dicitur Petro, *quodcumque ligaveris.* Ligantur autem homines non modò peccatis, ſed etiam legibus, minuſque eſt peccatum retinere quàm ligare peccatorem per excommunicationem in fòro exteriore. Quantum ad caput 18. Mathæi : *dic Eccleſiæ, quæcumque alligaveritis* &c. fatetur plus habere difficultatis. Demum ſtatuit his verbis, quæcumque alligaveritis &c. Chriſtum nihil dare, ſed tantùm promittere, explicare & prædicere quantam Apoſtoli eorum ſucceſſores eſſent ſuo tempore habituri poteſtatem, & Joannis 20. ſicut miſit me Pater, & ego mitto vos, &c. reverà poteſtatem ſeu clavem juriſdictionis tribuere Apoſtolis, ita ut efficiantur Legati & Proreges Chriſti ad Eccleſiam gubernandam. Deindè contendit hâc formulâ, *accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, &c.* dari poteſtatem collatam quidem omnibus Apoſtolis, ſed dumtaxat ut Legatis, non ut Paſtoribus ordinariis, eamque illis datam cum quadam ſubjectione ad Petrum, cui ſoli dicitur, *paſce oves meas*, Joannis ultimo. Hæc Bellarminus. Sed proculdubio argutias Cajetani tantùm recoquit, neque ſupra illum aliud profert, quàm quòd Orthodoxam Pariſienſis Scholæ & antiquorum Patrum ſententiam in invidiam rapere conatur, quaſi peculiaris eſſet Calvino, Luthero & aliis. At lib. 2. ſupra docuimus omnes antiquos Patres docere Petrum pro omnibus Apoſtolis & pro ſeipſo fidem edidiſſe, conſequenter etiam pro omnibus & pro ſeipſo reſponſum feciſſe, & claves atque alia Chariſmata accepiſſe à Chriſto : quæ reſponſio etſi ſufficiat ad profligandas omnes Bellarmini cavillationes, tamen de illis ſigillatim dicemus.

Ac primò meræ ſunt evaſiones, quod memorat aliquem hiſtoricè aut parabolicè perſonam alterius gerere, & ſibi monſtra fingit quæ debellet, dum narrat S. Auguſtinum docere Petrum parabolicè tantùm & figurativè claves pro Eccleſia habuiſſe, quaſi pro ſe nihil, ſed tantùm pro Eccleſia habuiſſet, quod eſt falſum. Quid rogo tam verum, genuinum & hiſtoricum, quàm Decanum pro ſe totoque Collegio loqui & reſpondere, ſicut & Ducem aut Tribunum militarem pro exercitu, quæ quidem nequaquàm parabolica & ita figurativa ſunt, ut aliquid obſcuritatis involvant. Petrus ergo ut caput, os, & Princeps Apoſtolorum ratione ſui Primatus pro tota Eccleſia Sacerdotali claves architectonicè recipit : deinde ſuo privato & ſingulari nomine quoad uſum, exercitium & exequutionem : idque praxis Eccleſiæ primitivæ demonſtrat, atque ita potentiæ per actus & exercitium cognoſcuntur. Nam Eccleſia collectim ſumpta & ſynodicè congregata claves habet : deindè ſingulares Prælati eas quoque habent atque exercent. Vide ſupra caput 3. quæſt. 3. hujus libri, ubi adversùs Cajetanum diſſeruimus an Petrus hiſtoricè vel parabolicè claves acceperit.

Digitized by Google

Secundò, quas circumſtantias Bellarminus poſt Cajetanum enumerat & venditat, meræ ſunt argutiæ, eaſque figendo dogmati Catholico uſui eſſe poſſe nego. Quod verò ait eo tempore Petrum nomine Apoſtolorum claves non potuiſſe accipere, cùm nondum eſſet conſtitutus Primas, Procurator aut Vicarius illorum, &c. Supra docui Joannis 1. Petrum deſignatum fuiſſe Caput & Primatem aliorum ſtatimatque Dominum adiit, qui illi dixit, *tu vocaberis Cephas.*

Tertiò, nullus negat Petro promiſſas claves propterea quòd figuram Eccleſiæ gerebat: Hoc enim falsò comminiſcitur Bellarminus; cùm potiùs, ut jam dixi, omnes doceant Petrum claves & ſuo proprio & Eccleſiæ nomine accepiſſe.

Quartò, hæc interminatio Chriſti Petro tanquàm privatæ & ſingulari perſonæ fit, *vade poſt me Satana.* Nam Eccleſiæ Sponſæ Chriſti, quæ tota pulchra eſt, error affingi non poteſt.

Quintò, negatur Apoſtolos ignoraviſſe quidnam reſponderent, cùm omnes Patres antiqui & ipſe Maldonatus teſtentur, Apoſtolos idem planè reſponſuros cum Petro, niſi alios tanquàm os & caput præveniſſet. Addo ipſummet Bellarminum hîc teſtari B. Virginem & Apoſtolos ac diſcipulos eandem fidem cum Petro habuiſſe. Quòd autem B. Hilarius & quidam alii exiſtimarint fidem Petri alterius generis fuiſſe à fide Apoſtolorum, ſupra refutatum eſt lib. 2. cap. 4.

Sextò, quas Calvino, Luthero & hæreticis affingit ſententias, ſunt omnium Patrum antiquorum Catholicæ quidem, ut probatum eſt lib. 2. Ex Bellarmini autem reſponſionibus claret quàm arduum ſit notiſſimæ veritati repugnare. Proculdubio Dominus Mathæi 18. *dic Eccleſiæ*, *&c.* ſupremum erigit tribunal Eccleſiaſticum ſtatim poſt diem Pentecoſtes exercendum, ut paulò ante hoc libro cap. 4. adverſùs Salmeronem demonſtravi: eſt autem petitio principii dicere Apoſtolos fuiſſe dumtaxat Legatos cum poteſtate ordinaria non tranſmittenda ad poſteros, & ſolum Petrum ordinariam habuiſſe poteſtatem: quæ ſunt alibi confutata, ſicut etiam quod ait, ſolam poteſtatem ordinis hàc formulâ conferri, Joannis 20. *Quorum remiſeritis peccata*, *&c.*

Capite 13. lib. 1. de Rom. Pontifice contendit nomine clavium quæ Petro ſunt creditæ, intelligi à Catholicis ſummam poteſtatem in univerſam Eccleſiam, quod tribus argumentis comprobat. Primo, quia in Scripturis metaphora clavium ſummam deſignat poteſtatem, Iſaiæ 22. ubi Sobna qui templo erat præpoſitus deſtituitur, atque in ejus locum Eliacim per clavium collationem ſufficitur, *& dabo clavem domûs David ſuper humerum ejus*, *& aperiet*, *& non erit qui claudat*; *& claudet*, *& non erit qui aperiat.* Quibus verbis Principatus Eccleſiaſticus, non peccatorum remiſſio deſignatur. Quo etiam illud pertinet, *factus eſt Principatus ejus ſuper humerum ejus*, Iſaiæ 9. Nam claves quibus Principatus deſignatur ſuper humerum poni ſolebant. Undè etiam de Chriſti Principatu Apocalypſeos 3. habetur, *quòd clavem David habeat*, *& ita aperiat ut nemo claudat*, *claudatque ut nemo aperiat*: ex quo uſu venit, ut quando urbes alicui Principi deduntur, eidem in ſignum obſequii & ſubjectionis claves offerantur. Secundo, in Scripturis ligare eſt aliquid imperare & præcipere, ut Mathæi 23. de Phariſæis, *qui alligant humeris hominum gravia & importabilia onera*, *&c.* Undè hæc verba, *quodcumque alligaveritis*, re eò ferri debent. Tertio, Chryſoſtomus homiliâ 55. in Mathæum hanc promiſſionem

Digitized by Google

Chriſti Petro factam exponens, ait Petro univerſum terrarum orbem commiſſum, & factum Paſtorem & Caput totius Eccleſiæ.

Verùm huic collectioni uno verbo reſpondemus, principatum Eccleſiæ Petro collatum nihil ad abſolutam monarchiam ſpectare; cùm Eccleſiæ poteſtas tota miniſterialis ſpiritualis ſit, expers facultate cogendi extrinſecè, deindè etiam ejuſmodi poteſtatem tota quanta eſt in Eccleſia architectonicè & per dominium reſidere: in Petro autem & ſingularibus Prælatis ſeorſim ſumptis quoad exercitium dumtaxat & exequutionem regiminis. Hercle quando hic Eccleſiæ principatus ſymbolo clavium deſignatus à Sacerdotio Chriſti velut à cauſa efficiente manat; atque omnes Epiſcopi intenſivè & formaliter æquè ſunt participes Sacerdotii Domini, quamquàm uſus & adminiſtratio diverſa ſit in Pontifice & aliis Epiſcopis, inſurgit Petrum excepto primatu nihil habere ſupra alios Apoſtolos, neque Papam ſupra Epiſcopos.

VII. Capite 14. ejuſdem libri 1. de Rom. Pontifice in horum verborum explicatione velitatur, paſce oves meas Joannis ultimo, de quibus tres movet quæſtiones. Prima eſt, quòd ſoli Petro dictum ſit, *paſce oves meas*, ſecluſis aliis Apoſtolis: tum quia illi ſoli dicitur, *diligis me plus his?* quibus conceptis verbis alii excluduntur. Prætereà hæc ad eum ſolum ſpectant qui ter Chriſtum negaverat: undè quia Petrus ter negaverat, ter ſolus interrogatur, ut docent Auguſtinus, Cyrillus & alii Patres. Et quia actorum 20. Apoſtolus dicit: *Attendite vobis & univerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei*, & S. Petrus 1. epiſtola cap. 5. *paſcite qui in vobis eſt gregem Dei*, &c. Reſpondet Bellarminus hoc genus paſcendi non eſſe ejuſdem generis cum eo de quo agitur Joannis ultimo: hìc enim Chriſtus curam & poteſtatem dat Petro in gregem & Eccleſiam univerſam, nemine dempto: illic autem quæſtio eſt de grege particulari. Et quamquàm Auguſtinus & Chryſoſtomus doceant, *paſce oves meas*, ad omnes Epiſcopos pertinere: hoc tamen debet intelligi, quatenùs omnes Epiſcopi, qui in partem ſolicitudinis à Petro vocantur, imitari debent formam atque exemplum Petri in paſcendis ovibus, quæ forma eſt charitas & dilectio, undè Chriſtus à Petro flagitat, an plus eum diligat aliis, & hæc de prima quæſtione.

Alteram tractat cap. 15. videlicet Chriſtum hoc oraculo, *paſce oves meas*, ſummam poteſtatem Eccleſiæ ſoli Petro cui uni loquebatur tradidiſſe: & actum paſtoralem eſſe non modò præbere cibum, ſed etiam ducere, tueri, regere, caſtigare gregem, eique præeſſe: nonne etiam Paſtores ovium regunt & baculo cogunt oves ut pareant? Et ſanè (inquit) qui paſcuntur in virga ferrea pſal. 2. veriſſimam poteſtatem in Paſtore ſuo eſſe negare non poſſunt. Concludit ergo his verbis Petrum conſtitui Rectorem, Præſidem ac Principem Eccleſiæ: & clauſulam hanc, paſce oves meas, ſignificare præceptum atque principatum etiam in alios Apoſtolos: at in librorum ſuorum recognitione ad librum 4. de Rom. Pontifice cap. 16. §. *Tertius locus*, nominatìm ait ex his verbis, *paſce oves meas*, colligi auctoritatem imperandi regio more, quod etiam ſupra Cajetanus contendebat.

Tertiam quæſtionem explicat cap. 16. & his verbis *paſce oves meas*, perhibet totam Eccleſiam collectim aut diſtributim ſumptam ſignificari, ac Petro paſcendam tradi. Cùm enim Dominus ad hoc nomen, *oves*, adjunxerit pronomen, *meas*, & nullus ſit

Digitized by Google

in Chriſti Eccleſia qui ſe ovem Chriſti non eſſe glorietur, oportet neceſſariò Apoſtolos hîc quoque comprehendi & ſubjici Petro. Deindè cùm *paſce oves meas* nihil quicquam aliud ſignificet quàm habe curam mei ovilis: & unicum ſit Ovile Chriſti Joannis 10. *erit unum Ovile & unus Paſtor*, inſurgit univerſum gregem Chriſti Petro regendum credi, nemine excepto: ſive de tota Eccleſia in Concilium Generale congregata, ſive de ſingulis ſeorſim & diſgregatim ſumptis loquamur. Quod autem objicitur Petrum à Paulo reprehenſum Galat. 2. & unà cum Joanne miſſum in Samariam actorum 8. atque etiam Petrum rationem ſuæ converſationis cum gentilibus reddidiſſe. Bellarminus reſpondet licere quidem minori majorem reprehendere, modò res poſtulet, & debita ſervetur reverentia. Quoad miſſionem in Samariam, perhibet non eſſe neceſſariam, eum qui mittitur ſubjectum eſſe mittenti quoniam quædam miſſio peragitur ſolo conſilio & ſuatione, non poteſtate & ſuperioritate. Nam Mathæi 2. Herodes miſit Magos in Bethlehem, ſubnectit neque Petrum, neque totam Eccleſiam ignoraviſſe prædicandum Evangelium gentibus. Cùm Dominus Mathæi & Marci ultimo id nominatim præcipiat; Petrum autem non tam correptum quòd ad gentes divertiſſet, quàm quòd Neophyti quidem ex Phariſæis eâ re offenderentur, quoniam arcana Chriſtianæ Religionis ignorabant: ut autem erudirentur Petrum demonſtraſſe tempus oportunum Evangelii prædicandi gentibus adveniſſe.

Ad Analyſim deſcendamus. Primùm quod ait, ſoli Petro dictum à Domino, *diligis me plus his*? vimque in eo facit: oppono vel hoc de dilectione intenſivè vel extenſivè ſumpta intelligi. Porrò abſque ſumma religione cogitari non poſſe S. Petrum intenſivè plus amaſſe Chriſtum quàm B. Joannem, cui quidem Dominus & matrem in cruce commendavit, & præ aliis Apoſtolis ſecreta ſua communicavit. At extenſivè ratione peccati trinæ abnegationis Petro remiſſæ, fateor illum plus amaſſe Chriſtum: & ad hunc ſenſum Dominum Lucæ 17. reſpondere Phariſæo mulierem peccatricem ideò plus diligere, quoniam ei plura peccata intenſivè & extenſivè remiſſa eſſent. De gravitate peccati abnegationis Petri, Optatus & nos ſupra hoc libro cap. 1. diſputavimus & lib. 2. cap. 6. probavimus, omnes Patres iſtam triplicem interrogationem Chriſti ad Petrum diligis me plus his referre ad triplicem negationem Petri.

Secundò, verba hæc Apoſtoli actorum 20. *attendite vobis & univerſo gregi, &c.* tam clara ſunt, ut mirabile ſit à Bellarmino detorqueri. Nam conceptis verbis univerſum gregem non aliquam partem curandam præcipit Apoſtolus, & ad hunc ſenſum Cardinalis Toletus ſupra lib. 2. cap. 5. exponit, idemque eſt judicium de his aliis 1. Petri 5 *paſcite qui in vobis eſt gregem Dei, &c.* hoc enim univerſim fieri mandat, idque faciendi manifeſta cauſa & ratio, quia tunc Epiſcopi erant OEcumenici, nec certæ & particulari Eccleſiæ addicti, cùm nondum eſſent Diœceſes & Epiſcopatus per mundum conſtituti. Quarè huc & illuc ad Evangelii promulgationem proficiſcebantur. Prætereà aliàs docui poteſtatem Epiſcopalem, ſi formaliter objectivè quoad habitum & in actu ſignato conſideretur, eſſe illimitatam, indefinitam & œcumenicam, atque limitationes & inſtitutiones harum vel illarum diœceſeum, privatarum, ſcilicet Pariſienſis vel Meldenſis, &c. eſſe dumtaxat juris poſitivi. Hercle argumentum Bellarmini fallit à ſuppoſitione principii, quaſi Petrus eſſet abſolutus monarcha Eccleſiæ, cui opinioni Canones Nicæni 5. & 6. repugnant.

Digitized by Google

Tertiò, ludit æquivocatione, dum ait ſolum Petrum vocatum in plenitudinem poteſtatis, & cæteros Epiſcopos in partem ſolicitudinis. Quo nomine ſi abſolutam & planè monarchicam poteſtatem deſignat, ut certè deſignat; negamus ejuſmodi plenitudinem poteſtatis Si verò poteſtatem exequendi jus divinum, naturale & canonicum erga Eccleſias particulares cum poteſtate condendi Canones in actu primo, annuo hoc ſenſu Papam habere plenitudinem poteſtatis, quia Synodus Conſtantienſis ita decernit.

VIII. Quartò, concedimus actum & officium paſtorale non modo eſſe præbere cibum, ſed etiam regere & caſtigare conformiter ad cauſas eſſentiales poteſtatis miniſterialis Eccleſiæ: quæ caret omni dominatu & poteſtate ea cogendi quæ imperat, debetque ſolummodò regere per actus hierarchicos & non aliter.

Quintò, Paſtor qui paſcit & regit in virga ferrea jure divino aut naturali, revera imperium & principatum regium habet, quâ poteſtate ſolus Chriſtus, non Petrus aut Papa regere poteſt: quia, ut millies dixi, poteſtas Eccleſiæ eſt dumtaxat miniſterialis ſpiritualis, nec jus habet cogendi extrinſecè, quod eſt paſcere in virga ferrea.

Sextò, admittimus Petrum à Chriſto conſtitutum Rectorem & Principem Eccleſiæ, ſed in ſola poteſtate miniſteriali in ordine ad regimen ariſtocraticum abſque ulla auctoritate cogendi abſolutè: quoniam excommunicatio non eſt pœna poſitiva coactiva, ſed negativa & excluſiva tantum.

IX. Septimò, illudit æquivocatione, dum perhibet cæteros Apoſtolos ſubditos Petro. Si enim per *tò* ſubditos aliud quàm primatum in ordine ad regimen ariſtocraticum intelligit, negamus Apoſtolos ſubditos Petro, quia poteſtatem monarchicam abſolutam in illos non habet, nec unquam legitur quidpiam ſeorſim ab aliis feciſſe proprio motu.

Octavò, hæc clauſula, *ut fiat unum ovile & unus Paſtor*, explicata eſt in Analyſi quæſtionum B. Thomæ ſupra cap. 2. reſponſione ad ſextum. Vide pariter Analyſim quintæ & ſextæ ſeſſionis Cajetani cap. 3. hujus libri.

Nonò, cùm Patres Eccleſiæ teſtentur Apoſtolos & honore & poteſtate pares & æquales eſſe, atque ipſemet Paulus 2. Corinth. XI. v. 5. diſertè perhibeat *ſe nihilò inferiorem magnis Apoſtolis.* Certè Paulus Petrum non tanquàm minor ſuperiorem, ſed ut æqualis æqualem corripit 2. *quæſt.* 7. *can. Paulus Petrum reprehendit, quod non auderet, niſi ſe non imparem ſciret.* Ubi Gratianus fruſtrà contendit, *hic non de officio eccleſiaſticæ dignitatis, ſed de puritate vitæ & ſanctitate converſationis agi: ſolus enim Petrus primatum gerebat (inquit.)* At inſurgo hunc primatum datum Petro in ordine ad regimen ariſtocraticum, ita ut ſecluſo Eccleſiæ conſenſu nihil ageret. Sicut primus Præſes Parlamenti ſecluſâ auctoritate Curiæ nihil poteſt decernere. Fallitur quoque aut fallit gloſſa, dum notat *Paulum non imparem fuiſſe meritis, ſed adminiſtratione Can. in illis diſt.* 80. Siquidem omnes Apoſtoli & intenſivè & extenſivè erant ex æquo univerſalis Eccleſiæ Paſtores, ſicut omnes Præſides Parlamenti ex æquo ſunt Præſides, idque non tollit primatum Petri vel primi Præſidis. Certè Bellarminus ipſe hanc admiſit æqualitatem, aliâque ratione eam declinare non potuit quàm fictitiâ diſtinctione poteſtatis ordinariæ in Petro & extraordinariæ aut delegatæ in Apoſtolis: quod commentum eſt à Turrecremata primò adinventum contra petitiones Patrum Baſileenſium, de qua re aliàs diximus.

X. Deci-

X. Decimò, quando Eccleſiæ regimen eſt ariſtocraticum, oportet neceſſariò Petrum & Joannem non ſolà ſuaſione & conſilio, ſed auctoritate Eccleſiæ miſſos in Samariam, quemadmodùm ſi Senatus primum Præſidem Parlamenti cum alio Præſide ejuſdem ordinis quòpiam legaret: de hac autem miſſione ſuprà advertas Cajetanum.

Undecimò, ſicut fateor Petrum & Apoſtolos non ignoraſſe Evangelium debere prædicari gentibus: ita contendo Chriſtum à Patre miſſum, quò Sacramentum ſui adventus primùm ſufficienterque in Judæis compleret, atque Synagogam cum honore ſepeliret; undè cùm Apoſtoli viderent Petrum hoc tempus prævertiſſe, neque ſcirent privatim monitum fuiſſe à Deo ut ad Cornelium Centurionem diverteret, proptereà meritò petunt ab illo rationem ſuæ converſationis ad gentes, & quamprimùm audiunt hoc afflatu divini Numinis factum, acquieſcunt. Quòd ſi Apoſtoli habuiſſent Petrum pro abſoluto infallibili Monarcha à Deo conſtitutum, numquam ab eo rationem hujus facti petiiſſent.

QUÆSTIO SECUNDA.

Idem Bellarminus lib. 1. de Romano Pontifice à cap. 17. ad 23. varias enumerat prærogativas Petri, ut quòd ei nomen immutarit, & ex Simone Petrum effecerit, quòd in Evangelio primus ſemper numeretur inter Apoſtolos, quòd ambularit ſuper aquas, quòd ei Dominus præceperit ut in altum duceret Cymbam, & laxaret retia in capturam, quòd eidem primùm abluerit pedes, &c. Quæ ſunt argumenta concionibus aptiora, quàm dogmatibus figendis, ſolumque demonſtrant Petrum habuiſſe primatum honoris, ſedis & zeli, non juriſdictionis monarchicæ, ut aliquid ſolus ſtatueret abſque conſenſu Eccleſiæ.

Capite 23. ejuſdem libri duas alias Petri prærogativas recenſet, prior quòd Dominus ſolum Petrum propriis manibus baptiſarit, Petrum verò Andræam, Joannem & Jacobum &c. Hoc autem, quia ad præſentem controverſiam nihil facit, lubens prætermitto.

XI. Altera prærogativa eſt ſolum Petrum ordinatum Epiſcopum à Chriſto, & cæteros Apoſtolos à Petro, quod Bellarminus poſt Turrecrematam tribus potiſſimùm de cauſis probat. Prima, quoniam Paulus Actorum 13. per impoſitionem manuum Miniſtrorum Eccleſiæ ordinatur. Secunda, quòd Jacobus Minor unus ex duodecim fuerit ordinatus Epiſcopus Hieroſolymæ ab Apoſtolis, & non à Chriſto immediatè, ut narrant Anacletus, Clemens, Alexandrinus & D. Hieronymus de Scriptoribus Eccleſiaſticis. Tertia, proptereà quòd veteres paſſim docent Romanam Eccleſiam eſſe matrem omnium aliarum Eccleſiarum, & ab ea omnes Epiſcopos habuiſſe conſecrationem & dignitatem ſuam. Quod nequaquàm verum eſſet, niſi Petrus, qui fuit Epiſcopus Romanus, omnes alios Epiſcopos vel per ſe, vel per alios ordinaſſet. Et hac de cauſa Bellarminus putat Anacletum epiſt. 1. dicere *in novo Teſtamento poſt Chriſtum à Petro Sacerdotalem cœpiſſe Ordinem*, & Cyprianum epiſt. 45. appellare Romanam Eccleſiam *matricem & radicem totius Catholicæ Eccleſiæ.* Item Innocentium 1. epiſto-

lâ ad Concilium Carthaginenſe quæſt. 91. inter epiſtolas Auguſtini aſſerere à *Petro epiſcopatum totamque auctoritatem hujus nominis emerſiſſe* : Et Julium 1. epiſtolâ ad Orientales : *Quam culpam incurrere non potuiſſetis, ſi undè conſecrationis honorem accipitis, inde legem totius obſervantiæ ſumeretis, & B. Apoſtoli Petri ſedes, quæ nobis ſacerdotalis mater eſt dignitatis, eſſet eccleſiaſtica magiſtra rationis.* Subjungit & S. Leonem ſermone 3. de aſſumptione ſua ad Pontificatum docere Chriſtum *numquàm niſi per Petrum dediſſe quidquid aliis non negavit.* Et epiſt. 83. *in beatiſſimo Petro Apoſtolorum omnium Summo principaliter collocaſſe, ut ab ipſo quaſi quodam capite dona ſua velut in corpus omne diffunderet.* Quod verò objicitur Judam Epiſcopum fuiſſe Actorum 1. & tamen ordinatum non fuiſſe à Petro, quia Judas mortuus eſt antequàm Petrus ſuum primatum exerceret, conſequenterque non à Petro, ſed à Chriſto ſuum habuiſſe Epiſcopatum, ſicut & Petrum. Opponit Bellarminus hunc locum pſalmi 108. & *Epiſcopatum ejus accipiat alter*, non intelligi de epiſcopatu qualem habuimus à Chriſto, ſed de quacumque *prælatura, præfectura & viſitatione*, ac textum hebraicum ita ſonare. Attexit reſponderi poſſe *pſalmum loqui de epiſcopatu propriè dicto, non quem Judas habuit, ſed quem erat habiturus ſi Dominum non prodidiſſet.*

Quæ argumenta priuſquàm ſigillatim depellam, hîc pro fundamento dicendorum ſtatuo, quod ſæpè aliàs dixi, puta Epiſcopatum aut Sacerdotium Chriſti Apoſtolis indiviſim communicatum, eſſe cauſam efficientem totius juriſdictionis eccleſiaſticæ, Papalis nimirùm, Epiſcopalis, & Presbyteralis, haſque dignitates & poteſtates communicatione ordinis ſacerdotalis & epiſcopalis intenſivè, formaliter quoad habitum & in actu ſignato conferri; materialiter verò & quoad exercitium aut uſum, cùm Papa deligitur à Cardinalibus, & diœceſis aut parœcia Epiſcopo & Presbytero defertur: qua de re ſupra lib. 2. ampliùs diſſeruimus. Quòd ſi abſolutæ monarchiæ Patroni convincere potuiſſent ordinem & caracterem epiſcopalem ſpecie & naturâ ab ordine presbyterali diſcrepare, profectò multò faciliùs placita ſua fixiſſent : hoc quidem ratio Canoniſtarum, ſed infeliciter tentavit; quoniam omnia illorum argumenta uno verbo labeſcunt. Nimirùm poſito ſacerdotium Chriſti totum eſſe in toto ordine hierarchico formaliter & intenſivè, & totum in quolibet Epiſcopo & Sacerdote: & ſolummodò diſtingui materialiter & extenſivè pro varietate adminiſtrationis Papalis, Archiepiſcopalis, Epiſcopalis, & Presbyteralis: ſicut videmus animam rationalem diverſas naturâ & ſpecie exercere operationes pro varietate organorum, videre oculis, auſcultare auribus, ratiocinari cerebro &c. His ita præmiſſis ad primum quod ait Bellarminus ſolum Petrum immediatè à Chriſto ordinatum : Reſpondeo Chriſtum his verbis, *hoc facite in meam commemorationem* Lucæ 12. Apoſtolos ſuos epiſcopatu & ſacerdotio ſuo participes effeciſſe, neque ullum eorum qui ſacræ cœnæ myſterio interfuerunt, indiguiſſe operâ Petri, ut Sacerdotes aut Epiſcopi crearentur, eamque ob cauſam Judam proditorem, qui ſacræ cœnæ Domini interfuit, meritò vocari Epiſcopum, ut ſtatim oſtendetur: itaque omnes Apoſtoli ornati ſacerdotio Chriſti, ubique gentium & locorum poterant actus hierarchicos exercere, eoſque de facto exercuerunt ut Petrus.

XII. Secundò, nihil mirum eſt Paulum ordinatum Epiſcopum Actor. 13. cùm poſt Aſcenſionem Domini vocatus ſit ad Apoſtolatum, nec cœnæ Chriſti intereſſe potuerit,

Digitized by Google

ut ordine ſacerdotali donaretur. Ego aliàs docui probabile videri Chriſtum Joannis 20. in ſufflando in Apoſtolos & Diſcipulos, *eoſque mittendo ſicut à Patre ſuo miſſus fuerat*, illos Diſcipulorum ordinaſſe Sacerdotes & Epiſcopos, qui tum præſentes erant, atque ex cap. 22. Lucæ à ℣. 36. patère aliquos Diſcipulorum fuiſſe cum undecim Apoſtolis, quando Chriſtus januis clauſis ſtetit in medio eorum, Joannis 20. Et ita colligi poteſt à pari Chriſtum extraordinariè vocando Paulum ad Apoſtolatum, unà ei ſacerdotalem ordinem contuliſſe; quia niſi immediatè ordinatus fuiſſet à Chriſto more aliorum, certè aliqua in re inferior fuiſſet magnis Apoſtolis, quod tamen negat 2. Corinth. 11. Itaque illa impoſitio manuum, & oratio Eccleſiæ quæ fit ſuper Paulum & Barnabam Actorum 13. capienda eſt de miſſione ad publicationem particularem Evangelii in locis & provinciis quæ numerantur in Actis Apoſtolorum à cap 13. ad 15. ℣. 37. tum enim Barnabas propter Joannem qui cognominabatur Marcus, ſeceſſit à Paulo, nec deinceps convenerunt ad Evangelium prædicandum.

Quod ſpectat ad ordinationem Jacobi Minoris, cujus meminit Bellarminus, laborat æquivocatione: ut enim græcis *tò leiroſonia* aliquando ſacri ordinis collationem, & aliquando Cleri & populi activam electionem ſignificat, teſte Balſamone in primum Canonem Apoſtolorum, & in 13. Synodi Carthaginenſis. Similiter *tò* ordinatio & ordinare apud Latinos ſunt voces æquivocæ, quæ paſſim etiam pro ordinis collatione & electione perſonarum ad epiſcopatum gerendum uſurpantur. Cùm ergo B. Jacobus Minor ex munere ſui Apoſtolatûs eſſet univerſalis Epiſcopus ſicut & omnes alii Epiſcopi, atque etiam interfuiſſet cœnæ Domini, relinquitur immediatè factum Sacerdotem & Epiſcopum à Chriſto: ac proinde impoſſibile eſt illum ordinatum fuiſſe Epiſcopum ab Apoſtolis. Quæ autem ab Anacleto, Clemente, Alexandrino, Hieronymo, & aliis narrantur, intelligere oportet de cooptatione Jacobi ad epiſcopatum Hieroſolymitanum privatim capeſcendum & adminiſtrandum. Cùm enim Apoſtoli ſcirent Judæos magnam de ſanctimonia vitæ Jacobi opinionem concepiſſe, adeo ut illum in Sancta Sanctorum ingredi paterentur, & ejuſmodi opinionem non parvi referre ad Judæorum converſionem ad Evangelium, ideo Jacobum Eccleſiæ Hieroſolymitanæ Epiſcopum meritò adoptarunt. Sanè Euſebius ſecundo hiſtoriæ cap 1. de Jacobi ordinatione verba faciens ex Clementis Alexandrini narratione utitur verbo græco *eletai*, quod eſt eligere, ut ſenſus ſit Jacobum electum ad Hieroſolymitanam diœceſim privatim regendam. Quod confirmat Hieronymus de Scriptoribus eccleſiaſticis. *Jacobus*, ait, *ſtatim poſt Paſſionem Domini ab Apoſtolis Hieroſolymarum Epiſcopus ordinatur, id eſt, eligitur*. Quibus & Gloſſator concordat *diſt. 66. can. Porrò*. Statuamus ergo longè aliud eſſe dicere Jacobum ſimpliciter ordinatum Epiſcopum & privatim electum ad Hieroſolymitanum epiſcopatum regendum.

XIII. Quartò, fallit Bellarminus ab elenchi ignoratione, dum narrat Eccleſiam Romanam ideo matricem appellatam, quòd S. Petrus per ſe aut per alios intermedios à ſe priùs ordinatos, omnes Sacerdotes & Epiſcopos totius chriſtianitatis ordinaverit, ut prætereà omittam non unum & ſolum Petrum, ſed etiam Paulum cum illo Romanam Eccleſiam fundaſſe, atque Epiſcopos per univerſum mundum miſiſſe ac inſtituiſſe. S. Irenæus lib. 3. contra hæreſes cap. 3. de Eccleſiæ Romanæ fundatione: *Maxima omnium & antiquiſſima eſt à glorioſiſſimis duobus Apoſtolis Petro & Paulo Roma*

Digitized by Google

fundata & conſtituta : ad quam propter potentiorem principalitatem neceſſe eſt omnem convenire Eccleſiam , hoc eſt , eos qui ſunt undique fideles. Quibus verbis alludit ad jus metropolium Imperii , ad quas aliæ urbes inferiores , ut jus & æquum obtinerent , confluebant. Sicut hodie in Galliis Provinciales ſolent concurrere ad Parlamenta ut jus obtineant, quandoquidem metropoles Eccleſiæ ſequutæ ſunt metropoles Imperii, ut lib. 1. hiſtoriæ Conciliorum docuimus. Verùm hæc verba Irenæi *propter potentiorem principalitatem*, deſignant Eccleſiæ Romanæ principatum ſuper alias Eccleſias, de quo non ambigitur, ſed dumtaxat de abſoluta monarchia quam oppugnamus.

Porrò nomen matricis eſt vox propria Juriſconſultis : undè Tertullianus de præſcriptionibus paſſim, & nominatim cap. 21. Eccleſias ab Apoſtolis fundatas *matrices & originales* vocat. *Si hæc ita ſint* , ait , *conſtat proinde omnem doctrinam quæ cum illis Eccleſiis Apoſtolicis matricibus & originalibus fidei conſpiret , veritati deputandum : id ſine dubio tenentem quod Eccleſiæ ab Apoſtolis, Apoſtoli à Chriſto, Chriſtus à Deo ſuſcepit* : Deinde cap. 36. rationem conſulendarum ejuſmodi Eccleſiarum matricum indicat : " Age jam qui vales curioſitatem meliùs exercere in negotio ſalutis ſuæ , percurre Eccleſias Apoſtolicas , apud quas ipſæ adhuc Cathedræ Apoſtolorum ſuis locis præſidentur : apud quas ipſæ authenticæ litteræ recitantur &c. Proximè eſt tibi Achaia , habes Corinthum : ſi non longè es à Macedonia, habes Philippos , habes Theſſalonicenſes : ſi potes in Aſiam tendere habes Epheſum. Si autem Italiæ adjaces habes Romam , undè nobis quoque auctoritas præſto eſt, ſata felix Eccleſia , cui totam doctrinam Apoſtoli cum ſanguine ſuo profuderunt. " Quâ formulâ , *ſata felix Eccleſia* , Tertullianus demonſtrat Apoſtolorum & innumerorum Martyrum ſanguine Evangelicam doctrinam ſatam & ſeminatam Romæ, quæ ſedes & breviarium erat Imperii , quò Gentes univerſæ confluebant. Porrò Cyprianus longè alio ſenſu & propoſito matricis & radicis nominibus , quàm Bellarminus poſt Pamelium docet. Ut enim Chriſtus Joannis 17. unitatem Eccleſiæ pro radice , fundamento & argumento conſtituit , cujus ope omnes invitantur ad credendum Evangelium. *Rogo* , inquit , *ut omnes unum ſint, ſicut tu Pater in me & ego in te , ut & ipſi in nobis unum ſint , ut credat mundus quia tu me miſiſti &c.* Ita Cyprianus adversùs Novatum oſtendens pacem & unitatem Eccleſiæ, quam Novatus per ſuum ſchiſma laniarat, eſſe matricem & radicem Eccleſiæ, quod ut clarè cognoſcatur , non unica epiſtola laudata à Bellarmino videnda , ſed plures aut omnes quas Cyprianus ſuper ea re ſcripſit , ut hoc ſchiſma ſarciret , præſertim 52. ad Antonianum , ubi narrat " Cornelium invitum & repugnantem creatum Epiſcopum poſt mortem Fabiani , idque de Clericorum penè omnium teſtimonio, de plebis quæ tunc affuit ſuffragio & de Sacerdotum antiquorum & bonorum virorum collegio , cùm nemo antè ſe factus eſſet , cùm Fabiani locus , id eſt , cùm locus S. Petri , & gradus Cathedræ ſacerdotalis vacaret , quo loco occupato de Dei voluntate atque omnium noſtrûm conceſſione firmato , quiſquis jam Epiſcopus fieri voluerit, foris fiat neceſſe eſt, nec habeat Eccleſiaſticam ordinationem qui Eccleſiæ non tenet unitatem. Et cùm poſt primum ſecundus eſſe non poſſit, quiſquis poſt unum qui ſolus eſſe debeat , factus eſt, non jam ſecundus ille, ſed nullus eſt. " Siquidem Novatus aliquantò poſt Cornelium ordinatum Romanæ Eccleſiæ

Digitized by Google

Epiſcopum ſeſe eligi procurat. Spargens Cornelium communicaſſe cum thurificatis & lapſis, & ita unitatem, pacem, matricem, ac radicem matricis Eccleſiæ non tenebat: imò eam violabat cum omnibus ſuis aſſeclis, hicque eſt genuinus ſenſus & mens Cypriani, non autem ille quem Bellarminus & Pamelius venditant, quaſi privatim de unitate tenenda cum Romana Eccleſia ageretur, ſiquidem in epiſtola ad Antonianum clarè oſtendit, *eum qui ſe curat aut patitur eligi Epiſcopum poſt unum qui ſolus debet eſſe electum, neque habere Eccleſiæ ordinationem, neque tenere unitatem.* Hæc ampliùs confirmantur hiſtoriâ rei geſtæ inter Cornelium & Novatum. Cùm enim uterque ſederet Romæ, ac ſe legitimum Eccleſiæ Romanæ Epiſcopum prædicaret, in eumque finem certatim mitterent per omnes Provincias homines cum litteris ſuæ electionis, ut omnium Epiſcoporum animos & communionem ſibi conciliarent; certè qui Novato favebant, æquè potuiſſent cauſari ſe radicem atque matricem Eccleſiæ retinere, quàm illi qui Cornelio adſtipulabantur, dato quòd Cyprianus per matricem & radicem Eccleſiæ Romanæ Eccleſiam deſignaret. Quæque dico explico ex epiſtola Cypriani, cujus meminit Bellarminus, necnon ex aliis præcedentibus ſatis clarent: in quibus hoc ſatagit ut factiones Novatiani Africæ Epiſcopi, qui Novato contra Cornelium opitulabatur, frangat: quarè ſcribit Cornelio ſe ejus ordinationem recepiſſe, Novati autem repudiaſſe, atque ſingulis navigantibus dixiſſe & caviſſe diligenter, *ut Eccleſiæ Catholicæ radicem & matricem agnoſcerent ac tenerent.* Quæ verba aliquantò poſt ad hunc modum interpretatur. *Placuit, ut per Epiſcopos retentâ à nobis rei veritate & ad comprobandam ordinationem tuam factâ auctoritate majore, tum demùm ſcrupulo omni de ſingulorum pectoribus excuſſo, per omnes omnino iſtic poſitos litteræ fierent ſicut fiunt, ut te univerſi collegæ noſtri, & excommunicationem tuam, id eſt, Catholicæ Eccleſiæ unitatem pariter & charitatem probarent firmiter ac tenerent; quod divinitus eveniſſe, & conſilium noſtrum providenter profeciſſe gaudemus.* Quod ergo antea dixerat ut *Eccleſiæ Catholicæ radicem & matricem agnoſcerent ac tenerent*, nunc ſic explicat, *ut te univerſi Collegæ noſtri & communicationem tuam, id eſt, Catholicæ Eccleſiæ unitatem pariter & charitatem probarent firmiter ac tenerent.* Quam unitatem & charitatem ſcindebant qui Novato hærebant: profectò ſicut ſchiſma & diviſio peſtis eſt atque ruina & calamitas Eccleſiæ Catholicæ, ita & charitas atque unitas eſt radix & matrix ejuſdem. His de cauſis Patres Nicæni prohibent duos eſſe Epiſcopos in uno Epiſcopatu can. 8. Ceſſent igitur adverſarii locos ambiguos Patrum & præſertim Cypriani Scriptoris Africi venditare ad monarchiam ſuam abſolutam muniendam. Certè Romana Eccleſia mater aut matrix aliarum Eccleſiarum dici & appellari rectè poteſt, quoniam eſt Metropolis mundi, & ita omnes aliæ Metropoles etiam minores vocantur matrices propter communicationem quam aliæ Eccleſiæ cum ſuis metropolibus habere debent. Sic Gregorius Nazianzenus epiſt. 30. inter epiſtolas Baſilii Magni Cæſaream Capadociæ matrem omnium Eccleſiarum appellat: quia totius Capadociæ erat Metropolis. *Igitur*, ait, *cujuſlibet quidem Eccleſiæ tanquàm corporis Chriſti habenda eſt ratio: maximè verò noſtra, quæ propè mater eſt omnium Eccleſiarum, & fuit ab initio, & nunc quoque eſt & nominatur: quam Chriſtiana reſpublica, velut centrum ſuum circulus undique obſervat.* Quæ verba proportionatim & reſpectivè de Eccleſiis Metropoli Capadociæ ſubditis, necnon etiam de communicatione quam Metropoles inter ſeſe habere debent, quam

Digitized by Google

ob cauſam ſibi Synodicas litteras invicem mittebant. Ad hunc quoque ſenſum S. Baſilius epiſt. 50. ad Athanaſium ſcribit *Melotium Patriarcham Antiochenum univerſo corpori Eccleſiæ præeſſe, & fide ac vitâ irreprehenſibilem, reliquos nullâ ratione cum eo poſſe comparari:* Item pariter epiſt. 52. narrat. *S. Athanaſium tantam gerere curam omnium Eccleſiarum, quantam Alexandrinæ quæ ei ſubjecta erat:* Ideoque illum vocat verticem & caput ad quod omnes refugerent. Certè ipſemet Liberius Papa ad illum ſuam fidei profeſſionem miſit his verbis. *Huic igitur confeſſioni frater Athanaſi quæ vera fides in Catholica & Apoſtolica Eccleſia cenſetur, ſi mecum ſentis coram judice Deo & Chriſto, quæſo, ſubſcribas, quò certiores reddamur, num ejuſdem nobiſcum ſuffragii ſis, eademque ſtatuas de vera fide, ut & ego ſecurior efficiar, tuaque mandata indeſinenter obeam &c.* Hujus epiſtolæ meminit Baronius ad annum 362. qui eſt undecimus Liberii: atque hæc facta à Liberio ob ſuſpectam olim redditam fidem ſuam, ex inita communione cum Arianis: quod verum eſt. Ex quo patet Athanaſium eo tempore habitum pro Doctore totius Eccleſiæ Catholicæ, & meritò, ac proinde falſum eſſe quod Curiales venditant Papam, eſſe infallibilem monarcham Eccleſiæ. Quòd ſi Liberius eam opinionem tum imbibiſſet, nequaquam ita ſcripſiſſet Athanaſio. Verùm Baronius prætexit Liberium hàc ratione voluiſſe communicare cum Athanaſio, eumque invitare ad admittendam ſuam fidei profeſſionem, propterea quòd à multis annis quibus delituerat ob Conſtantii perſequutionem, nihil ab eo litterarum acceperat: ſed mera hæc ſunt effugia & illuſiones. Redeamus ad propoſitum metropoleum. Quandoquidem Athanaſius epiſtolâ ad ſolitariam vitam agentes paulò ante medium opprobrio dat Conſtantino, *quòd ſævierit adversùs Liberium Romanum Epiſcopum, nullâ ductus reverentiâ, vel quòd Sedes illa apoſtolica eſſet, vel quòd Roma metropolis eſſet Romanæ ditionis, vel quòd eos apoſtolicos viros in ſuis litteris appellaſſet*, propria ſunt verba quæ indicant Athanaſium non habuiſſe Liberium pro monarcha, & Romam eo tempore habitam pro metropoli Occidentalis Eccleſiæ juxta definitionem Patrum Nicænorum can. 6. Verùm quo ſenſu anteà Baſilius docuit Athanaſium curam omnium Eccleſiarum capeſcere: eodem planè Gregorius Nazianzenus de S. Cypriano loquutus eſt oratione quam in ejus laudem habuit, ubi narrat *illum non Carthaginenſi tantùm Eccleſiæ, nec Africæ, verumetiam occiduis omnibus regionibus ac prope etiam ipſi Orienti, necnon Auſtrali & Septentrionali oræ præfici.* Quod eſt intelligendum de communi cura quam Cyprianus omnibus Eccleſiis impendebat in vim communionis Sanctorum, quæ vinculum eſt charitatis, quo omnes Chriſtiani devinciuntur, & de ſe invicem ſolliciti eſſe debent, qua de re legendæ ſunt Cypriani epiſtolæ. Profectò, qui nomen matricis vellet propriè & ſtrictè ſumere, veriùs & magis dogmaticè de ſola Hieroſolymitana, quàm de ulla alia uſurpare poſſet Eccleſia: quia certiſſimum eſt cunctas alias Eccleſias eſſe velut colonias & propagines Hieroſolymitanæ Eccleſiæ, eamque ob rem Patres Synodi Conſtantinopolitanæ in epiſtola ſynodica ad Damaſum, Ambroſium, Britonem, &c. *Hieroſolymitanam Eccleſiam aliorum omnium matrem indigetant*, lib. 5. cap. 9. hiſtoriæ Theodoreti. Et Hieronymus cap. 2. in Eſaïam paulò poſt principium, ait eſſe tanquàm ſeminarium & propaginem omnium Eccleſiarum. *Sed & in Hieruſalem, ait, primùm fundata Eccleſia totius orbis Eccleſias ſeminavit.* Quòd ſi abſolutæ monarchiæ patroni talia haberent de Romana Eccleſia monimenta, tamque clara, quotuſquiſque illorum faſtum ferre poſſet?

Digitized by Google

XIV. Venio ad textum Anacleti conjectum in diſt. 21. can. *in novo Teſtamento poſt Chriſtum Dominum à Petro ſacerdotalis cœpit ordo &c.* Qui ſi ad litteram ſtrictè capiatur, manifeſtè contradicit Scripturæ, quæ docet omnes Apoſtolos immediatè ordinatos Sacerdotes à Chriſto, Lucæ 22. *Hoc facite in meam commemorationem.* Quare Gloſſator rectè monet hoc in eam partem capi debere, ut ſenſus ſit Petrum ob primatum, quem habuit inter Diſcipulos, eſſe primum ſacerdotem poſt Chriſtum, cui ſententiæ ego adſtipulor.

Sextò, locus Julii & Innocentii I. ſunt perſimiles: Epiſtolæ autem undè ſumuntur, ſi genuinæ ſunt, de qua re meritò ambigitur, oppono, quod aliàs ex Gerſonio propoſui, nimirùm auctoritates Romanorum Pontificum in ſua cauſa tanti eſſe ponderis, quantùm juri divino, naturali & canonico quadrant. Equidem ſicut non inficior Sedem Apoſtolicam matrem aut matricem dignitatis ſacerdotalis appellari poſſe, ut reſponſione ad quartum diximus: ita pernego *omnes epiſcopatum & totam hujus nominis auctoritatem & conſecrationem honoris à Petro repetere.* Hoc enim contrarium eſt & veritati evangelicæ, Lucæ 22. & praxi Eccleſiæ primitivæ can. 4. & 6. Nicæno, ubi agitur de collatione ſacerdotii Chriſti & ordinatione Epiſcoporum. At Julium & Innocentium I. aliquid contra ejuſmodi praxim ſcripſiſſe, mihi nullo modo perſuadere poſſum, ut omittam iſtam Epiſtolam Julii laudatam à Bellarmino, nullo modo concordare Epiſtolæ genuinæ Julii, quæ extat in apologia 2. Athanaſii, tota Nicænis canonibus conformis, quibus alia penitùs repugnat. Epiſtola verò quæ Innocentio adſcribitur, tota hiulca & inconcinna eſt, ac Epiſtolis nativis Innocentii diſſimilis. Cæterùm textus Leonis Magni cap. 1. hujus libri dogmaticè examinatur.

XV. Septimò, quod perhibet locum pſalmi 108. *& epiſcopatum ejus accipiat alter*, intelligi de quacumque præfectura, mera eſt evaſio & illuſio. Nam cùm B. Petrus Actor. 1. explicitè doceat verſum hunc propheticè de Juda loqui, declaretque nominatim id ſpectare ad Epiſcopatum & Apoſtolatum quem Judas occupaverat: profectò inſanire eſt, tam claræ explicationi reluctari: itaque cùm nemo negare poſſit Judam donatum ſacerdotio Chriſti, ſequitur quoque fuiſſe Epiſcopum; quia ſacerdotium Chriſti eminenter epiſcopatum continet, & ordo epiſcopalis ſolâ ampliatione aut extenſione diſtinguitur ab ordine ſacerdotali, ut ſuperiùs probatum eſt. Quid plura commemorem, quando ipſe Bellarminus tandem victus porrigit herbam, aſſerens pſalmum loqui de epiſcopatu quem Judas erat habiturus, ſi Dominum non prodidiſſet.

XVI. Capite 24. lib. 1. de Rom. Pontifice tres alias enumerat prærogativas Petri: prima, quòd ſolæ illæ Eccleſiæ ſemper habitæ ſint patriarchales & primæ quas Petrus fundaverat, Romana ſcilicet, Alexandrina, & Antiochena, ut docent Anacletus epiſt. 3. Leo Magnus epiſt. 53. ad Anatolium, & Gregorius Magnus lib. 6. epiſt. 37. ad Eulogium. Vera igitur & ſola cauſa illius numeri patriarchalium ſedium eſt dignitas Petri, qui Petrus Antiochiæ & Romæ per ſeipſum ſedit. Alexandriæ autem vel per ſe, vel per Diſcipulum ſuum Marcum quem Alexandriam miſit, ut nomine ſuo ibidem fundaret Eccleſiam auctore Gregorio ad Eulogium.

Altera prærogativa eſt, quòd publicè in Eccleſiâ celebretur dies feſtus in honorem inſtitutionis Cathedræ & Epiſcopatus Petri, non aliorum Apoſtolorum. Undè Optatus Lib. 2. contra Parmenianum ait unam eſſe & ſingularem Cathedram Petri, ex qua totus mundus doceri debeat.

Digitized by Google

Tertia prærogativa eſt de litteris formatis quæ his Elementis pingebantur π. υ. α. quarum littera prima deſignat nomen Petri & numerum 80. &c.

Capite 25. ejuſdem libri aliquot ſubjicit Patrum teſtimonia, ex quibus, ſi dogmaticè expendantur, nihil quicquam aliud præter primatum Petri de quo non ambigitur elici poteſt. Quarè illa conſultò prætermittemus: ſunt enim valdè debilia.

Videamus ergo de ſedibus Patriarchalibus, quarum initium & inſtitutionem demonſtravimus lib. 1. hiſtoriæ Conciliorum Generalium in explicatione can. 6. Synodi Nicænæ. Sanè cùm acta Apoſtolorum regimen ariſtocraticum ubique, & B. Petrum nihil unquam ſeorſim ab aliis proprio motu, ſed totius Eccleſiæ conſenſu & conſilio omnia geſſiſſe perſonent: planè abſurdum eſt uni & ſoli Petro ſedium Patriarchalium inſtitutionem velle adjicere. Quod ſpectat ad epiſtolas quæ Anacleto tribuuntur ſunt ſpuriæ, ut & omnes aliæ quæ adſcribuntur Romanis Pontificibus qui ante Synodum Nicænam vixerunt, de qua re lib. 4. cap. 6. hujus defenſionis. At verò S. Leonem dixiſſe Petrum Sedes Patriarchales inſtituiſſe, quid mirum? cùm permulta alia blandiente Cathedrâ fimbrias ſuas dilatando ſcripſerit. S. verò Gregorium hanc bonâ fide opinionem, quæ Romæ invaluerat propter Leonis Magni auctoritatem, ſequutus eſt. Certè ubi aliquis Pontifex vel auctor quidpiam in Eccleſiæ Romanæ prærogativam ſcripſit, ſive id verum aut falſum ſit, mos eſt aliorum Pontificum id ardenter amplecti & propalare, ut ex eorum ſcriptis facilè comprobatur.

Quoad privilegium ſumptum ex Cathedra Petri appellatione antea frequenter & præſertim lib. 2. cap. 4. Patrum teſtimoniis docui, per Cathedram Petri doctrinam Evangelicam quæ ubique una eſt deſignari: & tamen hanc Cathedram nomine Petri celebrari, quia interrogante Domino: *Quem me eſſe dicitis?* Petrus pro omnibus doctrinæ Evangelicæ ſummam & fundamentum profeſſus eſt his verbis, *tu es Chriſtus Filius Dei vivi.* Itaque nemini mirum videri debet ob eam cauſam Patres Eccleſiæ primitivæ feſtum Cathedræ Petri, id eſt doctrinæ Evangelicæ celebraſſe ſub nomine Cathedræ Antiochenæ 22. Februarii. Nam Cathedra Petri Romana 18. Januarii à paucis annis peragitur: undè in antiquo ordine Romano de ea ſolùm agitur, quæ menſe Februario celebratur, ut ſit hoc argumento primatus Petri non monarchia Curialium deſignatur.

Ad argumentum à litteris formatis extortum, nullius eſt planè momenti, quando littera π. primam quoque perſonam Trinitatis ſignificat, teſte ipſo Bellarmino: tametſi autem de ſolo Petro capi poſſet, hoc eſt imbecillius, quàm ut dogmati conſtituendo uſui eſſe valeat: ad hoc enim præceptum divinum, clarum & indubitatum non ejuſmodi minutiæ ac ſtipulæ exiguntur.

QUÆSTIO TERTIA.

XVII. Bellarminus lib. 2. de Rom. Pontifice à capite 1. ad 18. diſputat, an B. Petrus ſederit Romæ, an Romanus Pontifex idem ſucceſſerit, & à quo ſuam derivarit poteſtatem, atque alia ejuſmodi, quæ aut nullo modo vertuntur in controverſiam à Catholicis, aut ſuperiùs explicata ſunt. Dehinc cap. 18. ex praxi Eccleſiæ & auctoritate quam exercuit Romanus Pontifex in alios Epiſcopos, illum eſſe Monar-

chiam

Digitized by Google

cham Eccleſiæ probare nititur. Nam (inquit) legimus Epiſcopos in toto orbe inſtitutos vel depoſitos à Romanis Pontificibus, quorum ſingula per ſe ſufficerent ad ejus primatum aſſerendum. Ac primùm de inſtitutione docet S. Leonem confirmaſſe in Epiſcopatu Maximum delectum in Antiochenum Epiſcopum Actione 7. Concilii Chalcedonenſis. Item epiſt. 54. ad Martianum teſtatur *Anatolium ſui favoris aſſenſu Epiſcopatum Conſtantinopolitanum & auxilio pietatis Marciani obtinuiſſe.* Item epiſt. 84. ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem Epiſcopum, quem Legatum ſuum conſtituerat, præcipit ut illo inſcio nihil geratur, utque Metropolitanus Provinciæ ad illum referat de Epiſcoporum conſecratione, &c. Præterea epiſt. 87. ad Epiſcopos Africæ Leo mandat ut Donatus Epiſcopus Novatianus ad Eccleſiam Catholicam converſus gregi ſuo ſic præſideat, ut tamen libellum fidei ſuæ ad Sedem Apoſtolicam dirigendum meminerit. Adnectit Gregorium Magnum conqueri de Epiſcopo Salonitanæ Civitatis, quia ſe & reſponſali ſuo inſcio ordinatus fuiſſet contra morem ante uſitatum lib. 4. epiſt. 34. Et hæc de inſtitutione Epiſcoporum.

Quoad depoſitionem, memorat Cyprianum epiſt. 67. ad Stephanum Papam ita ſcribere: *Dirigantur in provinciam & ad plebem Arelate conſiſtentem à te litteræ, quibus abſente Marciano, alius in ejus locum ſubſtituatur, & grex Chriſti, qui in hodiernum diem ab illo diſſipatus & vulneratus contemnitur, colligatur.* Deinde ſic claudit epiſtolam, *ſignifica planè nobis quis in locum Marciani Arelate fuerit ſubſtitutus, ut ſciamus ad quem fratres noſtros dirigere & cui ſcribere debeamus,* Adjungit Nicolaum I. in epiſtola ad Michaëlem Imperatorem enumerare Octo Patriarchas Conſtantinopolitanos, quos Romani Pontifices depoſuerunt: nam Agapetus Anthimum non obſtantibus minis Juſtiniani Auguſti & Auguſtæ depoſuit, ac in ejus locum Menam ſuffecit, ſuiſque manibus ordinavit Conſtantinopoli, ut Liberatus ſcribit in Breviario cap. 21. & Zonaras in vita Juſtiniani. At Gelaſius epiſtolâ ad Epiſcopos Dardaniæ teſtatur Dioſcorum ſecundæ Sedis Præſulem auctoritate Sedis Apoſtolicæ damnatum. Addit Sedem B. Petri Petrum Alexandrinum, Moggum, quem ſe tantummodò damnaſſe, non etiam ſolviſſe noverat, non recepiſſe. Hæc Bellarminus ex Gelaſio. Deindè attexit Damaſum abdicaſſe Flavianum Patriarcham Antiochenum, teſte Theodoreto lib. 5. hiſtoriæ cap. 23. &c. Quarè concludit Papam eſſe ſummum Judicem in Eccleſia, quando conſtat illum omnes alios Patriarchas depoſuiſſe: huc uſque Bellarminus, propria autem verba Nicolai Papæ epiſt. 8. ad Michaëlem Imperatorem hæc ſunt: *Nonnè Maximus poſtquàm multum à Damaſo Papa laboratum eſt Conſtantinopoli pulſus eſt? nonnè Neſtorius, nonnè Acacius, nonnè Anthimus, Sergius, Pyrrhus, Paulus, Petrus Sedis Apoſtolicæ diſcurrentibus conſultationibus ac decretis ejecti ſunt.* Præterea aliquot antè paginis aſſeruit, *Polychronium Hieroſolymitanum Epiſcopum à Legatis Sedis Apoſtolicæ, eo quòd Sedem Hieroſolymitanam primam eſſe mendaciter aſſirmaret, & per ſymoniacam hæreſim ordinationes feciſſe probatus fuiſſet, Eccleſiæ gubernaculis ab urbe rejectum.* Hæc Nicolaus, quæ pariter objiciuntur à Vallio 1. parte ſui libri de ſuprema poteſtate quæſt. 6. & à Baronio in ſuis Annalibus exemplo Polychronii excepto.

Eodem cap. 18. Bellarminus narrat Gelaſium epiſtolâ ad Epiſcopos Dardaniæ memorare Athanaſium Alexandrinum, Paulum Conſtantinopolitanum, & Marcellum

Digitized by Google

Ancyranum Epiſcopos in Synodo Orientali depoſitos & reſtitutos in integrum à Julio I. Quod ut confirmet, laudat Sozomenum lib. 3. cap. 3. hiſtoriæ. Ait inſuper Theodoretum in prima Synodo Epheſina depoſitum, & à Leone Magno reſtitutum. Hæcque iteratò Bellarminus tractat cap. 21. ad 25. ejuſdem libri de Romano Pontifice.

Sed antequàm ad Analyſim hujus quæſtionis penetremus, Lectorem duorum commonefacere volo. Prius eſt, neminem ſibi jus aliquod poſſe ex iis quæ fieri mandat, aut facta eſſe narrat, venditare, niſi conſtet ejuſdem mandata vel imperata legitimè in rem judicatam miſſa eſſe: alioqui certè Bonifacius VIII. ſibi quaſi feudatarium reddidiſſet Regnum Franciæ evulgatione extravagantis *unam ſanctam*. Et idem eſt judicium de epiſtolis Pontificum his prolatis à Bellarmino pro inſtitutione aut depoſitione Epiſcoporum. Poſterius monitum eſt adverſarios magnâ confidentiâ, ne dicam temeritate res ab hiſtoriæ veritate planè alienas hîc proferre, ad ſuam abſolutam Monarchiam velut dogma catholicum conſtituendam: idque cauſam certiſſimam præbere hæreticis Catholicos irridendi, quaſi dogmata ſua mendaciis & falſis narrationibus ſaburrarent.

XVIII. His præmiſſis tranſeo ad exempla Bellarmini. Primùm, quòd ait Antiochenum Epiſcopum nomine Maximum confirmatum in ſuo Epiſcopatu à S. Leone actione 7. Chalcedonenſi, hercle idipſum ſoli Leoni, quod eſt commune cæteris Patriarchis & toti Synodo tribuit: quia tota Synodus ſuo conſenſu grata rata habet concordata inter Maximum Antiochenum & Juvenalem Hieroſolymitanum Epiſcopum. Deindè comprobat benevolentiam Maximi erga Domnum prædeceſſorem ſuum, cui alimenta & cætera neceſſaria ad vitam Maximus ſuppeditat, ut ejus ætati ingraveſcenti conſuleret. Cæterùm ſicut totâ hâc Synodo Legati Leonis nullam vel leviſſimam occaſionem fimbrias ſuas dilatandi, & quaſi monarchicè ſemper loquendi de Sede Apoſtolica prætermittunt: ita in actione 8. his conceptis verbis utuntur, quaſi Papa Maximum Antiochenum confirmaret, *ſanctus ac beatiſſimus Papa, qui Epiſcopatum ſancti ac venerabilis Maximi Epiſcopi Antiochenæ Eccleſiæ confirmavit, juſto ſatis judicio ejus meritum approbaſſe videtur: ſiquidem cùm memoratus vir Epiſcopus Maximus ſuo arbitrio Domno voluerit eſſe conſultum, ut ſumptus ei de ſua Eccleſia miſerationis intuitu prout æſtimaverit largiatur, ut contentus alimoniis quieſcat inpoſterùm. Anatolius Reverendus Epiſcopus dixit, laudo, & ego condolentiam beatiſſimi Epiſcopi Antiochiæ Maximi, in quibus ſpontaneâ voluntate ipſe tales precatorias obtulit, ut ſumptus præſtaret Domno, qui fuit Epiſcopus Eccleſiæ ſanctæ &c.*

Idem quoque omnes alii Epiſcopi ſentiunt cum Anatolio nullâ factâ mentione confirmationis Maximi, de qua non agebatur, quia inſtitutus fuerat in Provincia ab Epiſcopis Provinciæ ſecundùm conſuetudinem & Canones. Certè deſiderium monarchicè loquendi Legatos Leonis Magni in Synodo Chalcedonenſi ita extimulabat, ut ſæpè eam ob rem dicenda tacenda loquantur, propter digreſſiones extra rem factas, ut patet legentibus acta hujus Concilii. Verùm hîc ego cogor principium indubitatum jam aliàs à me poſitum iterare, ſcilicet *totam Eccleſiam unam, unum eſſe corpus in Chriſto, & nos alterum alterius membra de nobis invicem ſollicita:* eamque ob cauſam univerſas Eccleſias mutuam de invicem habuiſſe curam, ac proinde matrices &

Digitized by Google

Patriarchales vacante Sede ubi novum delegiſſent, ſolitas ſeſe mutuò facere certiores, ac ſignificare ſe ejuſdem eſſe communionis fidei, de qua re conſule librum 1. hiſtoriæ noſtræ Conciliorum Generalium. Similiter in unaquaque Provincia nihil fiebat inſcio & inconſulto Metropolitâ, deindè Metropolitani fratres & collegas ſuos, non modò ſuffraganeos, verumetiam Metropolitanos aliarum Provinciarum eorum quæ geſſiſſent commonefaciebant, necnon Primates & Patriarchas, ſicque communio Sanctorum ſuaviter non monarchicè & imperiosè ſed charitativè ſtabiliebatur & fovebatur. Undè Maximinus Antiochenus nactâ occaſione Synodi Chalcedonenſis Patres univerſos monet rerum à ſe cum Domno prædeceſſore geſtarum. Quam ad communionem Sanctorum referri pariter debet exemplum petitum ab epiſt. 67. Cypriani ad Stephanum Papam, quem videtur accuſare negligentiâ, ut infra probabitur.

De Anatolii inſtitutione in Eccleſia Conſtantinopolitana. Equidem Leo Magnus non dicit à ſe factam eſſe, aut abſolutè à Romano Pontifice pependiſſe; ſed tantùm, cùm in ejus ordinatione aliquid diſſidii & diſcordiæ extitiſſet, tandem ſe faviſſe Anatolio, *ac voluiſſe erga illum benigniorem quàm juſtiorem eſſe*, propria ſunt verba Leonis epiſt. 54. ad Martianum. Certè quamquàm Leo abſolutè ſcriberet ordinationem Anatolii à ſe pependiſſe, non id credendum eſſet, quia ſæpè multa ſibi vendicat, quæ ab eo ſolo non pendebant.

Tertiò, nemini mirum videri debet Leonem epiſt. 84. ad Epiſcopum Theſſalonicenſem ea ſcripſiſſe, quæ narrat Bellarminus, quando Theſſalonicenſem Legatum ſuum in partes Illyrii, Dalmatiæ, &c. conſtituiſſet: quæ provinciæ ſubditæ erant Patriarchatui Romano. Quocirca Metropolitani illarum provinciarum cùm longiſſimè abeſſent Româ, & propinqua eſſet Theſſalonica, jure quidem cum Epiſcopo Theſſalonicenſi tanquàm Legato Sedis Apoſtolicæ conferre debebant.

Quartò, cùm Africa eſſet ſubjecta Patriarchatui Romano, ſanè Leoni ex officio nativo incumbebat dare operam, ut quid rerum fieret in Africa, privatim reſciret, utque à Donato, qui ex Novatianiſmo ad Catholicam Eccleſiam rediret, peteret libellum ſuæ fidei, idque non modò Leo curare debebat in ſuo tantùm Patriarchatu, ſed etiam ubique gentium ad communionem Sanctorum conſtituendam, tum quia primatus Romanæ Eccleſiæ eum obligat, ut curam haberet omnium Eccleſiarum, utque lex divina, naturalis, & canonica ab omnibus ſervetur, juxta leges in Evangelio poſitas: tum quia hæc ſpectabant ad exequutionem canonis 8. Nicæni de Novatianis.

Quintò, Salonium urbs eſt Dalmatiæ, quam hodie *Spalato* nominant, cùmque Dalmatia ſubdita ſit Patriarchatui Romano, equidem Epiſcopus ibi creari non debuit inſcio & inconſulto S. Greg. Hoc enim Canonibus repugnat, de quo exemplo aliàs fuſiùs agetur.

Verùm teſtimonia depoſitionis Epiſcoporum allata à Bellarmino, non ei feliciùs ſuccedent: ac primùm epiſt. 67. Cypriani ad Stephanum PP. nullo modo confert ad poteſtatem monarchicam Papæ in deponendis Epiſcopis, ſed ad praxim Eccleſiæ primitivæ indicandam, quà omnes & ſinguli Epiſcopi tanquàm nobiliora membra corporis Eccleſiæ, de Eccleſiis etiam exterarum provinciarum admodum erant ſolliciti, quamquàm nulla in re ſibi ſubjecti eſſent. Quique hanc epiſtolam conſideratè legerit, primâ facie cognoſcet Cyprianum non obſcurè. S. Stephanum negligentiæ accuſare, quòd minùs eſſet ſollicitus de ſalute Arelatenſis Eccleſiæ, quamquàm ſuo Patriarchatui ſubjectæ.

Digitized by Google

Id enim hæc verbi ſonant. *Faustinus collega noſter Lugduni conſiſtens frater chariſſime, ſemel atque iterùm mihi ſcripſit ſignificans ea quæ etiam ſcio, vobis utique nuntiata tam ab eo quàm a Coepiſcopis noſtris in eadem Provincia conſtitutis, quod Marcianus Arelate conſiſtens Novatiano ſe conjunxerit, & à Catholicæ Eccleſiæ unitate atque à corporis noſtri & Sacerdotii conſenſione diſceſſerit, &c.* Quâ periodo conſpicuum redditur Galliæ Epicopos commonefeciſſe Stephanum Papam erroris Epiſcopi Arelatenſis, cùmque viderent Stephanum nihil ſibi opus ferre in vim communionis Sanctorum, ad Cyprianum, qui tum permagnæ erat auctoritatis, ſcribere coactos, ut Stephano aurem vellicaret, ſicut reverà vellicat, & epiſtolam ſuam claudit : *ſignifica planè nobis quis in locum Marciani Arelate fuerit ſubſtitutus, ut ſciamus ad quem fratres noſtros dirigere & cui ſcribere debeamus.* Sic enim Stephanum officii monet & interpellat ne ante ceſſet quàm Marcianus depoſitus fuerit. Quæ depoſitio & ſubſtitutio alterius Epiſcopi non poteſtate abſolutâ Papæ, ſed coacto Provinciali Concilio ſecundùm leges Ariſtocratici regiminis fiebat : undè miror non puduiſſe Bellarminum hoc promere exemplum cauſæ ſuæ tantopere infeſtum ſi in propriis terminis capiatur. Quòd ſi ad cavillas confugiant, & obtendant Cyprianum disertè mandare Stephano, *ut dirigat litteras ad plebem, quibus abſtento* id eſt excommunicato *Marciano alius in locum ejus ſubſtituatur, &c.* inſurgam id nihilo magis eorum cauſam efficere meliorem, & ſolummodò ſpectare ad exequutionem ſententiæ latæ adversùs Marcianum, poſtquam ſententia in eum Synodicè lata eſſet, ſicut adversùs Paulum Samoſatenum ab Orientalibus irrogata eſt : quare ex officio Papa Stephanus tenebatur ejuſmodi condemnationem promovere & exequutioni dare. Undè idem Cyprianus ait, *ſervandus eſt enim Anteceſſorum noſtrorum beatorum Martyrum Cornelii & Lucii honor glorioſus, quorum memoriam cùm nos honoremus, multò magis tu frater chariſſime honorificare & ſervare gravitate & auctoritate tuâ debes : qui Vicarius & ſucceſſor eorum factus es.* hîc Stephanum Vicarium Cornelii & Lucii nominat.

Quantùm ad alia exempla quæ Bellarminus ex Gelaſio & Nicolao P.P. confertim atque obiter proponit, à me ordinatim & ſigillatim ſervatâ ratione temporis explicabuntur : atque imprimis monendus Lector, ſolemne eſſe Scriptoribus Romanis ea magna ex parte ſolis Pontificibus arrogare, quæ ſynodicè facta ſunt, ut innoteſcet reſponſione ad ſingula. Certè Maximus, Conſtantinopolitanus Epiſcopus numquàm fuit, quoniam eſt evectus ad Sedem Conſtantinopolitanam antè primam Synodum Conſtantinopolitanam, in qua Sedes Conſtantinopolitana facta eſt Patriarchalis, & ibidem Maximus à Patribus Conſtantinopolitanis abdicatus, *eo quòd præſtigiis perverſæ doctrinæ Apollinaris excæcatus eſſet*, auctore Theodoreto lib. 5. hiſtoriæ cap. 8. in cujus locum Nectarius ſufficitur, primuſque fuit Patriarcha Conſtantinopolitanus. Tantùm verò abeſt ut Damaſus Maximum exauthorarit, cùm nequidem Legatum ullum aut Epiſcopum Eccleſiæ Occidentalis ad Conſtantinopolitanam Synodum miſerit : idque Orientales Epiſcopi gravatè admodùm tulerunt, ut ibidem memorat Theodoretus, & nos pluribus oſtendimus in hiſtoria Synodi Conſtantinopolitanæ. Porrò hiſtoria Flaviani Patriarchæ Antiocheni nobis paulò altiùs retexenda eſt, quando apprimè facit ad eorum notitiam quæ B. Hieronymus tom. 2. epiſt. 57. ad Damaſum ſcribit : *non novi Vitalem, Meletium reſpuo, ignoro Paulinum.* Quandoquidem

Digitized by Google

tunc erant tres Epiſcopi in Sede Antiochena, quorum duo Meletius & Paulinus erant Catholici, Vitalis autem Arrianus, cujus ſchiſmatis cauſa hæc ſuit, quòd Eudoxio Arriano Epiſcopo Antiocheno ſucceſſore Leontii expulſo Antiochiâ, Arriani impetrarint à Conſtantio Imperatore, ut Meletius urbis cujuſdam Armeniæ Epiſcopus in locum Eudoxii ſufficeretur, quem putabant Arianiſmum occultè fovere, quoniam Antiocheno Concilio, quo Athanaſius iterùm Occidentem perfugio habere coactus fuerat, cum permultis aliis Epiſcopis Orthodoxis interfuerat. Accedebat etiam Meletium virum eſſe pacis amantiſſimum, & à turbis quæ tum bacchabantur alieniſſimum. Porrò Catholici Antiocheni, qui Meletium apprimè norant in ejus electionem cum Arrianis facilè conſenſerunt, adeò ut Meletio Antiochiam venienti Clerus univerſus cum populo catholico obviam cum magno applauſu prodierint. Meletius autem crebris concionibus fidem Nicænam ſtrenuè propugnabat, atque hæreſim Arrii confutabat: idque ut expeditiùs faceret in gratiam populi, quâdam die frequentiſſimâ concione tribus digitis ſuis expanſis & oſtenſis, deindè duobus complicatis, & unico dumtaxat erecto, docuit ſe quidem de tribus perſonis divinis ita loqui, quaſi de una tantùm natura & ſubſtantia verba faceret. Quæ res tantum Meletio apud Arrianos conciliavit odium, ut à Conſtantio ſpecie pacis retinendæ Antiochiam miſſus fuerit in exilium, volebat enim Imperator Catholicos cum Arrianis pacatè vivere. At Arriani in locum Meletii Euzoium Arrianum cooptarunt ad Antiochenum Epiſcopatum, ut memorat Theodoretus lib. 2. cap. 31. hiſtoriæ. Lucifer autem Cularitanus Epiſcopus, à quo hæreſis Luciferianorum, cùm ſe unà cum Euſebio Vercellenſi Epiſcopo in Orientem ad Synodum contuliſſet, ubi animadvertit Eccleſiam Antiochenam Epiſcopo Orthodoxo carere, Paulinum ordinavit in Antiochenum Epiſcopum contra Canones, Epiſcopo Vercellenſi non conſentiente: & quoniam Paulinus vir erat mitiſſimo ingenio & pacis amans, eum Euzoius & Arriani patienter ferebant. Socrates lib. 3. cap. 7. & Sozomenus lib. 5. cap. 12. Intereadum Flavianus & Diodorus Presbyteri Antiochenæ Eccleſiæ doctiſſimi, qui omnium primi formam pſallendi in Eccleſia in duos diviſam choros invenerunt, curam gregis pro Meletio capeſcebant: majorque pars, imò penè totus populus orthodoxus Flavianum & Diodorum ſequebantur, paucique admodùm Paulino adhærebant. Theodoretus lib. 2. cap. 24. & lib. 4. cap. 23. Verùm ſtatimatque Meletius ab exilio revertitur, Paulinum qui errorem Apollinaris clam fovere putabatur, interpellavit ut ſuæ fidei rationem redderet. Contra Paulinus Meletio objicit quòd ab Arrianis eſſet ad Epiſcopatum Antiochenum cooptatus, & ſe ejuſdem eſſe communionis cum Damaſo & Eccleſia Romana. Quarè Meletius Paulinum tandem hortatur, ut omni contentione de primatu depoſitâ, interpoſitis ſacroſanctis Evangeliis, Sacramentum ederent, quòd Antiochenus Archiepiſcopatus alterutri illorum integer remaneret, qui ſuperſtes foret. Socrates lib. 5. cap. 5. & Theodoretus lib. 5. cap. 3. Sed Meletio vitâ functo in prima Synodo Conſtantinopolitana univerſus Clerus & populus qui Meletium ſequebatur, Flavianum presbyterum delegit in Epiſcopum, cùm ſe pactione factâ inter Paulinum & Meletium teneri non crederet: quamobrem Patres Synodi Conſtantinopolitanæ, S. Baſilius, Nazianzenus, Nyſſenus & alii æſtimantes electionem Flaviani poſſe ad pacem & tranquillitatem Antiochenæ Eccleſiæ, eum tanquàm canonicè adoptatum

Digitized by Google

confirmarunt, ut liquet ex Synodali epiſtola eorumdem Patrum ad Damaſum & alios Epiſcopos Occidentis apud Theodoretum lib. 5. cap. 9. Cæterùm Socrates & Sozomenus Socratis æmulus & amplificator cauſæ Paulini magis favent. Theodoretus autem qui fuſiùs hiſtoriam hanc & accuratiùs narrat, Meletium cum Flaviano ringente Baronio propugnat, & meritò, quia in parte S. Baſilium & omnia Eccleſiæ Orientalis lumina duces habet, qui perhibent Paulinum non plurimi factum in toto Oriente, quod fuit in cauſa ut favorem Damaſi & Occidentalis Eccleſiæ ardenter quæſierit, ſeque Romam contulerit, quo tempore Hieronymus iverat, ut ait epiſt. 16. ad principium, certè poſt S. Athanaſium nullus Epiſcoporum acerbiora exilia pro Fide Catholica pertulit Meletio, de cujus divinis & heroicis virtutibus ſæpè mentionem facit Baſilius in epiſtolis, & S. Gregorius Nazianzenus orationem habuit poſt ejus exceſſum in ſynodo Conſtantinopolitana de illius laudibus. Item Gregorius Nyſſenus. Lege Theodoretum lib. 5. cap. 6. ubi honorem, quem Theodoſius Magnus Meletio detulit in ſynodo Conſtantinopolitana, quòdque eum per quietem viderit, & eum nunquàm vidiſſet, inter Epiſcopos cognoverit, & exoſculatus fuerit, narrat. At Paulinus Flaviani electione exacerbatus, tum demum ſibi quemdam ſucceſſorem nomine Evagrium cooptavit contra Canones notiſſimos & uſitatiſſimos, hujuſque electionis ſynodicas litteras miſit ad Damaſum & Occidentalem Eccleſiam, qui Evagrium amplexi & tutati ſunt adversùs Flavianum. Quocirca Damaſus, & poſt illum Syricius valdè infenſi erant Flaviano, qui cùm fuiſſet à Patribus Conſtantinopolitanis confirmatus, & ſynodus Conſtantinopolitana de ea re Damaſo, atque aliis Epiſcopis Eccleſiæ Latinæ ſcripſiſſet, ille nihil opus eſſe ampliùs de ea re ſcribere ducebat: præſertim cùm videret Paulinum & Evagrium plurimi fieri ab Occidentalibus. Accedebat inſuper majorem partem populi ſtare à partibus Flaviani, cum quo omnes Eccleſiæ & Epiſcopi Orientis communicabant, & tum Orientales graviter ferebant ſupercilium Occidentalium, de quo Baſilius ſæpè acriter queritur, præſertim epiſt. 10. 70. & 77. Cùm ergo Flavianus nihil ad Epiſcopos Occidentis ſcriberet, Theodoſium Imperatorem identidem in Flavianum exſtimulabant, quaſi Sedem Antiochenam tyrannicè occupaſſet. *Quocirca Theodoſius Flavianum arceſſit, utque Romam eat, cogere laborat. Sed Flavianus liberè & cum magna omnium laude atque admiratione reſpondit: Si qui me, ô Imperator, ut fidem minimè ſinceram & ſanam profitentem inſimulant, dicantve vitam me traducere indignam ſacerdotio, cum illiſipſis judicibus utar, tum pronuntiatam ab eis lubens ſubibo ſententiam: ſin autem de Sede & Præſulatu digladientur, neque agam cum illis judicio, neque his, quos eam dignitatem adipiſcendi ſtudium tenet, adverſabor, ſed cedam equidem volens, meque ipſe Præſulatu abdicabo. Quam animi magnitudinem & ſapientiam Imperator admiratus, Flavianum in Patriam reverti & Eccleſiam ſibi commiſſam ſedulò paſcere jubet. Aliquantò poſt denuò Imperator Romam adventans, cùm argueretur ab Epiſcopis quòd tyrannidem Flaviani non repreſſiſſet, tum Theodoſius eos dicere jubet, quod ſit tyrannidis genus, nam & ipſe (inquit) Flaviani partes ſuſcipiam, & cauſam ejus agam in judicio: cùm autem illi reſponderent ſe non poſſe cum Imperatore judicio diſceptare, eos hortatur ut deinceps concordiam in Eccleſia conſtituant, & inanis contentionis flammam extinguant. Nam Paulinum jam pridem vitâ exceſſiſſe & Evagrium contra leges Eccleſiæ deſignatum fuiſſe Epiſcopum: quin etiam omnes Eccleſias Orientis Flaviano præſuli adhe-*

Digitized by Google

reſcere. Cui exhortationi Imperatoris obſequuti Epiſcopi occidentis promittunt ſe ſimultatem depoſituros & legatos qui à Flaviano mitterentur admiſſuros. Theodoretus lib. 5. cap. 23. Quæ legatorum miſſio ad illam ſolemnem conſuetudinem pertinet, quâ ſinguli Patriarchæ quamprimùm eſſent ordinati litteras Synodicas ſibi invicem mittebant, quibus ſe ejuſdem fidei & communionis ſignificabant, atque Nicænam & Conſtantinopolitanam Synodum amplecti, quandoquidem tempore Damaſi & Flaviani hæc duo tantùm Concilia Generalia celebrata fuerant: de qua conſuetudine, quæ Sanctorum communionem fovet & ſtabilit, actum eſt uberiùs lib. 1. hiſtoriæ noſtræ Conciliorum. Porrò Baronius haud aliter Flavianum & Theodoretum, quàm ſchiſmaticos tractat, illum quia Paulino & Evagrio probatis à Damaſo adverſabatur, hunc quia hiſtoriam rei geſtæ fideliter enarrat. Inſuper etiam Theodoretum falſi accuſat, quaſi epiſtolam Synodalem Damaſi & Concilii Romani ad Paulinum Antiochenum Paulino Theſſalonicenſi falsò adſcripſerit. Ut hâc viâ celaret & obtegeret communionem quam Paulinus Antiochenus cum Damaſo inierat: quâ communione Paulinus contra Meletii accuſationem, quòd errori Apollinaris clam faveret, ſeſe muniebat. Verùm quando ipſe Theodoretus lib. 5. cap. 3. clarè aſſerit Paulinum reſpondiſſe ſe cum Damaſo communicare: Et teſte Baronio, hæc ſynodica epiſtola ad Paulinum facta eſt in Romano Concilio pridem poſt exceſſum Meletii, atque electionem & confirmationem Flaviani in Synodo Conſtantinopolitana (quâ perſpectâ Paulinus Evagrium contrà Canones ſibi ſucceſſorem delegit) ſequitur Baronium nimis intemperanter & contra omnem ſenſum veritatis accuſare Theodoretum falſi, quippè qui narret Meletium quàmprimùm eſt reverſus ab exilio rationem ſuæ fidei à Paulino exegiſſe. Undè cùm eo tempore illa ſynodica epiſtola, quam Baronius fingit ſcriptam ad Paulinum Antiochenum, in Synodo Romana non extaret, certè Paulino adverſùs Meletii accuſationem uſui eſſe non potuit. Quibus cogitatè perpenſis, claret falſum eſſe quod obtendit Bellarminus, Flavianum à Damaſo PP. depoſitum: niſi fortè hîc conatum & deſiderium Damaſi pro effectu uſurpant. Hercle nulli apud Baronium & Bellarminum tolerabiliorem cauſam nanciſcuntur, quàm qui Romam habuerunt perfugio, quaſi verò hoc unum ad juſtitiam ſufficeret. Undè illæ querelæ & Cypriani de improbo Baſilidis perfugio ad Cornelium PP. & Patrum Africanorum de Apiario ad Zozymum & Celeſtinum: ut omittam ſimiles querimonias Hincmari de Rothado Sueſſionenſi & Hincmaro Laudunenſi, de quibus aliàs agetur. Quantùm ad Neſtorii & Dioſcori abdicationem, eam Bellarminus ſoli Romano Pontifici perperam attribuit, cùm Synodicè factæ ſint. Quam in rem lege lib. 1. hiſtoriæ noſtræ Conciliorum Generalium, ne hîc ſim profuſior.

Hiſtoria Acacii valdè digna eſt, quæ bene cognoſcatur, plurimùmque confert ad hiſtoriæ Eccleſiaſticæ & epiſtolarum Simplicii, Felicis II. & Gelaſii P. P. cognitionem. Principio notandum poſt Marcieni Cæſaris exceſſum magnos tumultus & ſchiſmata totum Orientem pervaſiſſe ob exequutionem Synodi Chalcedonenſis adversùs Eutychen & Dioſcorum: quorum partes populus majorque pars Cleri ſequebatur Alexandriæ, & præſertim Monachi Orientis. Ex quo accidit ut trucidatis legitimis & orthodoxis Epiſcopis, ſæpè Eutychiani in Sedes Patriarchales & Epiſcopales Orientis populo & Clero tumultuante invaſerint. Nam Dioſcorus Alexandrino Patriarchâ pulſo

in exilium, Proterius orthodoxus, quia Synodo Chalcedonenſi in locum Dioſcori ſuffectus fuerat, occiſus eſt Alexandriæ, & Timotheus Ælurus Eutychianus ab Eutychianis delectus eſt Epiſcopus, Petro Moggo Alexandrino Diacono cauſam Æluri promovente; contra autem Orthodoxi Timotheum agnomine Salophaciolum Catholicum cooptarunt in locum Proterii. Quarè ab eo tempore duo fuerunt Epiſcopi Alexandriæ, unus Orthodoxus, alter Eutychianus. Pari quoque furore in Paleſtina certatum, adeò ut Juvenalis Epiſcopus Hieroſolymitanus ab Eutychianis præſertim Monachis expulſus, & in ejus locum die ſancto Paſchæ quidam nomine Theodoſius ſuffectus fuerit. Quæ ſeditiones & tumultus ad tempora Juſtiniani Imperatoris ita continuarunt, ut ſæpè Imperatores coacti ſuerint Eutychis hæreſim tolerare ad vitandam ſtragem populorum: quemadmodum Eccleſiæ primitivæ temporibus Arriani & noſtris Lutherani perferebantur ab Imperatoribus. Quamquàm autem hæc ita ſe haberent, Acacius Conſtantinopolitanus Epiſcopus ſtrenuè Eutychianis obſiſtebat & Chalcedonenſe Concilium unà cum dignitate ſui Patriarchatus propugnabat; quod ei permagnum odium conciliavit Romæ: idque Baronius tom. 6. Annalium anno 472. capitale reddit. *Quaſi Acacius rebus novis ſtuderet*, dignitatem Patriarchalem Concilii Conſtantinopolitani & Chalcedonenſis Canonibus ſibi delatam egregiè, ut par erat, ſuſtinendo & defendendo: undè contra veritatem hiſtoriæ multa comminiſcitur Baronius ut cauſam Acacii deteriorem efficiat, quam ſimplex veritas hiſtoriæ Evagrii lib. 3. tuetur. Tum Zeno Imperator regnabat, & Leoni Auguſto ſucceſſerat, eſtque paulò poſt de regio throno imperii à Baſiliſco invaſore imperii expulſus. Hicque Timotheum Ælurum Eutychianum Alexandrinum Epiſcopum exulantem revocavit Alexandriam, & Salophaciolum dejecit, atque ſuaſu Æluri edictum contra Synodum Chalcedonenſem publicavit, cui omnes Aſiæ Epiſcopi ſubſcripſerunt, atque inter alios Petrus Enopheus Antiochenus, Anaſtaſius Hieroſolymitanus, Paulus Epheſinus, &c. Quibus perſpectis Acacius Monachos, populum & Clerum Conſtantinopolitanum roborat in fide Catholica, ſicque adverſus Baſiliſcum incendit, ut hic palinodiam recantarit, & contrarium edictum priori contra hoſtes Chalcedonenſis Concilii promulgarit. Quarè poſt Baſiliſcum devictum à Zenone Imperatore Acacius cunctis Epiſcopis Aſiæ, qui adverſùs Synodum Chalcedonenſem ſteterant & ſubſcripſerant, libellos pœnitentiæ indixit, & ſubire coëgit: tametſi dicerent ſe invitò & per vim illatam à Baſiliſco, priori ejus edicto ſubſcripſiſſe: Zeno autem Imperator Timotheum Ælurum iſtarum tragœdiarum auctorem malè multare conſtituerat: cui tamen propter grandem ſenectutem pepercit, & Timotheum Salophaciolum Epiſcopum Orthodoxum ab exilio revocavit. Quidam verò Eccleſiæ Alexandrinæ ſancti Joannis baptiſtæ Presbyter nomine Joannes Talaïa Orthodoxus, Zenonem Imperatorem convenit, & Sacramento omiſſo obteſtatur ſe ſolius fidei Catholicæ & ſchiſmatis ſarciendi, non Epiſcopatus deſiderio teneri, eamque ob rem vehementer rogare Cæſarem, ſtatimatque Salophaciolum Alexandrinum Epiſcopum plurimis annis confectum vità excedere contingeret, ne quemquam alium ad Sedem Alexandrinam evehi pateretur, quàm quem ei pro pace & tranquillitate Eccleſiæ deſignaret. Quæ dum agerentur Aelurus fato fungitur, atque Eutychiani in ejus locum Petrum Moggum Diaconum Alexandrinæ Eccleſiæ Epiſcopum cooptant: quod Zenonem vehementer commovit, conſtituitque iſtum Moggum malè multare: ſed mors Salophacioli Epiſcopi

copi

Digitized by Google

copi Orhodoxi, & ambitus Joannis Talaïæ omnia ejus conſilia diſturbavit : cùm enim conſtituiſſet dare operam ut in Salophacioli locum ille ſuſficeretur, quem Clerus & populus Alexandrinus deligeret ad pacem provinciæ ſtabiliendam, Joannes Talaïa contra proprium Sacramentum & ſacros Canones, numeratâ pecuniâ in Alexandrinam ſedem invaſit clam Imperatore, & ob eam cauſam nullas ſynodicas litteras miſit ad Acacium de ſua fide & communione, ut moris erat omnibus Patriarchis & Metropolitis quamprimùm ad Sedem Epiſcopalem eſſent evecti. Idque fons & origo fuit omnium malorum quæ dehinc ſequuta ſunt, & Zenonem atque Acacium vehementer conturbavit. Undè Cæſar præfecto Ægypti, ut Joannem Talaïam Alexandriâ expelleret, reſcripſit, & prætereà Henoticum, id eſt, edictum unionis & concordiæ pro Eccleſiæ pace promulgavit, decrevitque ut Petro Moggo Sedes Alexandrina redderetur, modò huic edicto unionis de recipienda Fide Catholica, ſuppreſſo tamen nomine Chalcedonenſis Concilii, ſubſcribere, atque omnes qui Proterio (delecto à Patribus Synodi Chalcedonenſis ut Dioſcoro ſuccederet) faverant, ad ſuam communionem reciperet. Quocircà Moggus deſiderio ſolo potiundi Epiſcopatu Alexandrino edictum Imperatoris frequenti concione laudat, eique ſubſcribit, atque omnes qui Proterium erant ſequuti amplectitur, in eumque finem litteras Synodicas ſuæ fidei ad Acacium Conſtantinopolitanum & Martyrium Hieroſolymitanum Patriarchas mittit, quâ re nulla alia pro Eccleſiæ pace optabilior exoptari poterat. Sed contra permulti Monachi inveterato odio adverſùs Moggum incenſi eum infeſtabant, & Joannes Talaïa eorum ſtudiis adjutus Romam advolat ad Simplicium Papam, eique ſuadet quòd ſuâ Sede Epiſcopali expulſus eſſet, propter quòd decreta Leonis Magni & Synodi Chalcedonenſis propugnaret contra Moggum hoſtem Synodi Chalcedonenſis in Sedem Alexandrinam operâ Acacii ſubrogatum. Intereadum Monachi Petrum Moggum ſemper infeſtabant, idque adeò ut ob eam cauſam non pauci ab ejus communione ſeceſſerint : quâ re perſpectâ Moggus ad vomitum rediit & Synodum Chalcedonenſem oppugnavit, ut homo erat fraudulentus, verſatus & temporibus ſerviens; cumque de ea re Acacius cum illo expoſtulationem habuiſſet, factum negavit, & reſcripſit Monachos novis rebus ſtudentes atque paci & concordiæ invidentes hæc zizania hac & illac circumcurſando diſſeminare, &c. Hæc autem ut Imperatorem & Acacium vehementer conturbarunt, ita occaſionem offerunt Joanni Talaïæ graviùs exacerbandi Felicem II. PP. ſucceſſorem Simplicii in Acacium, eique ſuaſit, ut hunc anathemate feriret : quod inceptum Cyrillus Archimandrita miſſis in eum aliquot Monachis Romam, valdè juvit & acuit. Quarè Felix cùm Vitalem & Miſſinum Epiſcopos Italiæ miſiſſet Conſtantinopolim, eis privatim injungit, ne cum Acacio quicquam agant priuſquàm cum Cyrillo colloquuti fuerint & ab eo didicerint, quid opus eſſet. Prætereà idem Cyrillus & quidam alii Monachi reſcribunt Felici Petrum Moggum eſſe infeſtiſſimum hoſtem Orthodoxorum, & Acacium ei eſſe ſubſidio in omnibus quæ moliebatur, atque Vitalem & Miſſinum Legatos ſuos cum Petro communicaſſe : undè poſtea judicio Synodali de gradu dejecti ſunt Romæ, & unà Acacius anathemate percellitur, quòd cùm ſciret Petrum Moggum eſſe hæreticum, eumque ita indigetaſſet in epiſtola quam miſerat ad Simplicium Papam, tamen idipſum Zenoni Imperatori minimè patefeciſſet, & ejus deſiderio ſatiſfacere quàm fidei conſu-

Digitized by Google

lere maluiſſet. Hanc ſententiam adversùs Acacium duo Monachi attulerunt Conſtantinopolim ſcripto conceptam, eamque ſacris veſtibus cùm eſſet in Eccleſia adſuerunt. Zeno autem Imperator & Acacius contra hæc opponebant iniquum eſſe Joanni Talaïæ homini perjuro & ſacrilego, qui in ſedem Alexandrinam ambitu & numeratâ pecuniâ irrupiſſet, fidem habere, cùm ipſe in cauſa eſſet. Cæterùm quæcumque facta eſſent cum Moggo concordantiæ cauſâ & ſedandorum tumultuum Alexandrinorum peracta eſſe bonâ fide, poſtquàm Moggus pro concione edictum unionis ſuſcepiſſet, eique ſubſcripſiſſet, neque hac in re aliquid culpæ in Acacio hærere, ſed in ſolò Petro Moggo homine verſipelli & perfido. Veruntamen his rationibus nulla in re Pontifex Romanus factus eſt placatior, cùm crebris monitis Monachorum & Joannis Talaïæ inflammaretur. Proculdubio nullus Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ (addo) & poſtetatis miniſterialis & ſpiritualis Eccleſiæ notitiam habuerit, qui ſi expers gratiæ atque odii fuerit, non primâ fronte videat nullum fuiſſe locum tam acerbè procedendi adversùs Acacium: quippè qui more Patrum Eccleſiæ primitivæ in id ſtudii incumberet, ut juxta parabolam zizaniorum Mathæi pax & concordia Alexandrinæ Eccleſiæ redderetur, quæ à triginta annis nefario ſchiſmate continuiſque ſeditionibus & horrendis cædibus deformabatur. Quæ ſchiſmata & vis major quandiu furunt, nullus eſt locus cenſuris aut legibus eccleſiaſticis, ut ex antiqua praxi Patrum dignoſcimus, qui in una & eadem civitate ſæpè coacti ſunt aliquando duos, aliquando tres Epiſcopos perferre: expectantes patienter quoad Domino noſtro videretur pacem dare Eccleſiis. Quid prætereà memorem illos voluiſſe, ut Novatiani & Donatiſtæ ad Eccleſiam Catholicam revertentes ſuas etiam Eccleſias & nomen Epiſcopi retinerent poſt editam à ſe Fidei Catholicæ profeſſionem? neque cuiquam qui illos recepiſſet fraudi eſſe poterat, ſi ad vomitum revertiſſent. Continuòque Acacius acerrimus Concilii Chalcedonenſis defenſor, ſi quis unquam alius eſt extra omnem noxiam. Quod de Novatianis dixi, habetur 8. Canone Nicæno & epiſt. 91. Leonis Magni ad Epheſios Africæ. Quòd ſi Majeſtas Imperii Romani talis in Occidente extitiſſet, qualis Eccleſiæ primitivæ temporibus; hercle Romani Pontifices adversùs Acacium non ita procedere auſi fuiſſent: illis enim temporibus Gothi Italiam & Hiſpanias, & Franci Gallias uſurparant, ita ut Imperatorum potentia aut nulla aut exigua eſſet in Occidente. In Oriente autem ſchiſma ſic furebat, ut Monachi ibidem regnarent, quorum magna pars erant erroris Eutychis inquinati. Undè Imperatores ad evitandam ſtragem populorum cogebantur Eutychianos perferre. Intereadum Acacius è vivis excedit, cui Franitas aut Flanitas ſucceſſit, & Sedem Conſtantinopolitanam quatuor menſes occupavit, eratque Eutychianus, cui Euphemius Maximus Synodi Chalcedonenſis defenſor ſucceſſit, & quantùm in ſe fuit, cum Romana Eccleſia concordiam inire, & ſchiſma ſarcire conatus eſt, ſed Romani Pontifices aliâ lege ejus litteras ſynodicas admittere noluerunt, niſi nomen Acacii ex Diptycis abraderet: quod ille nunquàm facere voluit, cùm ſciret Acacium fuiſſe Catholicum & permaximum Synodi Chalcedonenſis defenſorem. Quod diſſidium inter Romanam & Conſtantinopolitanam Eccleſiam continuavit ad Hormiſdæ Pontificis tempora, id eſt, quinquaginta circiter annis, tum enim Conſtantinopolitani Patriarchæ & Imperatores, cùm aliâ lege pacem redimere non poſſent à Romanis Pontificibus, tandem

Digitized by Google

paſſi ſunt nomen Acacii ex Diptycis abradi : & ab eo tempore ſimultates & perpetes diſcordiæ pedetentim radices egerunt inter Græcos & Latinos, quouſque ſchiſma de integro renovatum eſt tempore Ignatii Patriarchæ, quem Joannes VIII. excommunicavit, propterea quòd Bulgariam ad Patriarchatum Conſtantinopolitanum pertinere contenderet, eamque ſibi reſervaret. Deindè mortuo Ignatio, cùm ei Photius ſucceſſiſſet, & Eccleſia Romana ſuum dominatum quotidie ampliare, omneſque alias Eccleſias ſibi monarchico & abſoluto imperio ſubdere, necnon etiam Imperatores Græcos auctoritate privare anniteretur : Græci eam ob cauſam tantum odium conceperunt, ut tandem in ſchiſma peſtilentiſſimum eruperit, de quo illam Domini vocem meritò uſurpare poſſimus Ezechielis 34. *Cum auſteritate imperabatis & cum potentia, & diſperſæ ſunt oves meæ, eo quod non eſſet Paſtor, & factæ ſunt in devorationem.* Hîc Paſtores Dominus expetit non dominatu abſoluto & tyrannico imperantes. Certè non quæritur quid agatur Romæ, ſed quid agi debeat ſecundùm poteſtatem miniſterialem ſpiritualem Eccleſiæ Canonibus optimè conſecratam, quâ ſecluſâ queſtio eſt facti, & vis major cui non poteſt obſiſtere.

Proculdubio ſi Imperatores, Reges, Principes, & Epiſcopi, quibus aliquid diſſidii cum Romanis Pontificibus interceſſit, tantùm curæ & ſtudii poſuiſſent in rebus à ſe geſtis ſinceriter vulgandis & tranſmittendis ad poſteros, quantùm ipſimet Romani Pontifices eorumque adulatores in ſuis præſumptis juribus ampliandis & ad ſuum privatum commodum & dominatum detorquendis, permulta certè nobis ex rei veritate innoteſcerent, quæ nullo modo cognoſcere poſſumus, niſi ex monimentis Vaticanæ Bibliothecæ, quibus in cauſa Pontificum magno cum judicio fides haberi debet.

De Anthimo verum eſt illum fuiſſe pervicacem Eutychianum, & Agapetum velut primæ Sedis Epiſcopum & Patriarcham jus habuiſſe exequendi decreta Synodi Chalcedonenſis adversùs illum qui ſecundam Sedem occupabat. Ampliùs urgeo Agapeti ſententiam in Synodo Provinciali Conſtantinopolitanâ confirmatam : idque comprobare, quod aliàs ſæpè docui : nimirùm poteſtatem Papæ ei collatam in ordine ad regimen ariſtocraticum. Et ita claret Bellarminum illudere veritati, quaſi Agapetus abſolutâ poteſtate & non tanquàm exequutor Canonum Anthimum exauthoraſſet, & ſuper eâ re Synodus habita non fuiſſet. Conſule tomum ſecundum Conciliorum Binii actione 4. Synodi Provincialis Conſtantinopolitanæ ſub Mena. At verò Sergius Pyrrhus & Petrus etiam Synodicè damnati ſunt, primùm quidem in Concilio Lateranenſi ſub Martino I. PP. tomo 2. Conciliorum Binii. Deindè in ſexta Synodo generali ſub Agathone PP. adi librum hiſtoriæ noſtræ Conciliorum Generalium : & ita Bellarminus ſemper in ſuis cavillis à diviſis ad conjuncta hæret : quia uni & ſoli Papæ id addicit quod Synodicè juxtà leges ariſtocratici regiminis factum eſt.

Verùm Baronius tom. 5. Annalium ad finem anni 433. fabellis anilibus deputat quæ de Polychronio Hieroſolymitano Epiſcopo à Legatis Apoſtolicæ Sedis abrogato circumferuntur : & ita innoteſcit quantùm inſit fidei & ſententiæ Baronii & epiſtolæ Nicolai Papæ in qua ejuſmodi exempla ſuccenturiat.

XIX. De appellationibus ad Sedem Romanam & utrùm B. Athanaſius, Chryſoſtomus, Theodoretus & alii, quos Bellarminus commemorat, appellaverint ad Romanum

Digitized by Google

Pontificem diſces ex libro 1. hiſtoriæ noſtræ Conciliorum Generalium in hiſtoria Synodi ſextæ Carthaginenſis. De Theodoreto conſule actionem 8. Synodi Chalcedonenſis.

XX. Capite 26. libri 2. de Romano Pontifice Bellarminus probare contendit Papam eſſe abſolutum Monarcham; propterea quòd eſt Princeps totius Eccleſiæ, & ſuperiorem nullum habet in terris: idque roborat ſententia Concilii Sinueſſani, quâ edicitur *primam Sedem à nemine judicari:* Item Concilio Romano ſub Sylveſtro Papa CCLXXX. Epiſcoporum can. ultimo. *Neque ab Auguſto, neque a Regibus, neque ab omni Clero, neque à populo judicabitur prima Sedes:* cujus Canonis Nicolaus 1. in epiſt. 8. ad Michaëlem Imperatorem meminit, & Gratianus 9. quæſt. 3. Can. nemo, addit in Synodo Romanâ ſub Sixto III. cap. 5. legi, non licere ſententiam dicere in Pontificem. Item cùm Dioſcorus Epiſcopus Alexandrinus in ſecunda Synodo Epheſina Leonem Magnum judicare & damnare auſus eſſet, Eccleſiam Catholicam hoc tetrum facinus ita exhorruiſſe, ut Concilium Chalcedonenſe in epiſtola ad Martianum & Valentinianum Imperatores, & in altera ad Leonem ipſum actione 3. Synodi Chalcedonenſis ſcripſerit, ſe damnaſſe Dioſcorum ob multas cauſas, præcipuè quòd in primam Sedem ſententiam ferre præſumpſerit.

XXI. In Concilio V. ſub Symmacho Papa liber Ennodii Diaconi recipitur, in quo inter alia ſcriptum eſt, *quòd aliorum hominum cauſas Deus voluit per homines terminari, ſed Sedis iſtius Præſulem ſua ſine quæſtione reſervavit arbitrio.* Adnectit Concilium ſub Adriano Papa memorare, *Romanum Pontificem de omnium Eccleſiarum Præſulibus judicaſſe, de illo verò quemquam judicaſſe non legi.* Quæ verba inſita ſunt in ſeptimam actionem Synodi viij. Quæ prætereà actione 10. Can. 20. perhibet non licitum ulli terreno Principi judicare Patriarchas, atque imprimis Romanum, his accumulat Innocentii III. *Extravagantem cap. ſolitæ & Bonifacii VIII. Unam ſanctam & majoritate & obedientiâ:* Item Conſtantinum Magnum dixiſſe ſe nolle Epiſcopos judicare, ſed potiùs ab Epiſcopis judicari debere, teſte Ruffino lib. 1. cap. 2. hiſtoriæ. Prætereà Ambroſium oratione de Baſilicis tradendis aſſerere *bonum Imperatorem intra Eccleſiam non ſupra Eccleſiam eſſe:* Et Gregorium Nazianzenum oratione quâ ſe excuſat quòd tandiu ab Eccleſiaſtica functione ceſſarit hæc pronunciare. *Vos autem oves nolite paſcere Paſtores, nolite judicare judices, nec leges feratis Paſtoribus.* Item Bernardum præcipere, ut in exhibenda reverentia Petri Vicario, hæc ſententia Apoſtoli cuſtodiatur: *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.* Concludit caput famoſo *Can. ſi Papa diſt. 40. quod cunctos judicaturus à nemine ſit judicandus*; atque Hugonem à ſancto Victore docere ſpiritualem poteſtatem cùm deviat à ſolo Deo poſſe judicari.

Proculdubio cùm ad has futiles diatribas Bellarmini animum appello, virum doctum magnique judicii illis uti potuiſſe, & thyrſo arundineo certare voluiſſe miror. Sed ut vulgari noſtrorum adagio fertur, nuptiæ fieri non poſſunt, niſi de illa ipſa Sponſa quam quiſque habet. Verùm præter illa ipſa quæ de hac quæſtione ſupra hoc lib. cap. 3. quæſt. 7. adversùs Cajetanum jam diſputavi, lubet hîc ſigillatim omnes rationes Bellarmini expendere. Et primùm quæ ex Concilio Sinueſſano promuntur, nullo modo uſui eſſe poſſunt ad dogma Catholicum figendum: cujus rei cauſa ſatis patet ex lectione actorum hujus Synodi, & ab ipſomet Baronio ſcrupulus exacerbatur: quippe qui

Digitized by Google

narrat acta ſic corrupta eſſe, ut nihil certi inde elici queat. Imò etiam D. Auguſtini teſtimonio ait, meritò ambigi poſſe utrùm Marcellinus PP. unquam lapſus ſit & idolis thurificarit. Prætereà quis ſibi unquam in animum inducere poſſit, flagrantibus perſequutionibus Diocletani (quæ omnes alias antecedentes & ſubſequentes crudelitate longè ſuperarunt) cùm Epiſcopi & ſacri libri ubique gentium laterent & perveſtigarentur ad ſupplicium, trecentos & triginta Epiſcopos cum triginta Presbyteris & tribus Romanæ Eccleſiæ Diaconibus potuiſſe in cryptam confluere in oculis Senatus populique Romani & aulicorum Diocletiani crudeliſſimi hoſtis Chriſtianorum, ut de Marcellino judicium ferrent: cùm vix auditum ſit poſteà tantùm numerum Epiſcoporum faventibus Imperatoribus Chriſtianis ad aliquam Synodum conveniſſe? quid inſuper memorem duos & ſeptuaginta teſtes adversùs Marcellinum exhibitos & auditos ad libram occiduam conſtituendam; quod ſomnium de libra (inquam) occidua ab aliquo malè feriato homine adinventum eſt. Hæcque ita obſcura & implicata ſunt, ut ipſemet Baronius ingenuè fateatur ſe vix inde aliquam ſcintillam lucis potuiſſe excutere tom. 2. Annalium anno Chriſti 302. Quærenda ergo alia argumenta Bellarmino, quibus certò probet aliquando Synodicè conſtitutum fuiſſe, primam Sedem à nemine judicari: quandoquidem clauſula hæc, *nemo unquam judicavit Pontificem, nec Præſul Sacerdotem ſuum*, eſt quoddam aſſumentum ab aliquo privato interpolatum, non autem Synodalis ſententia.

De Concilio Romano ſub Sylveſtro, vide quæ obſervavimus libello de Eccleſiaſtica & politica poteſtate cap. 16. & axiomate XVI. apologiæ noſtræ.

Cæterùm clauſula contra quam Bellarminus decerpſit ex cap. 5. Synodi Romanæ, Sixtum, *non licet adversùs Pontificem dare ſententiam*, *&c.* eſt vox Maximi Exconſulis, non autem Synodi, ideòque vim Canonis habere nequit. Cùm enim Sixtus à quodam Baſſo Exconſule accuſaretur ſtupri illati puellæ Virgini Deo conſecratæ, atque probationes neceſſariæ adversùs Sixtum deeſſent, Maximus Exconſul rectè & piè dixit *non licere dare ſententiam adversùs Pontificem.* Et ipſemet Sixtus reſpondet, *quamquam in ſuo arbitrio eſſet ut judicaretur aut non judicaretur, tamen nolle ut veritas abſconderetur:* quæ verba *ut judicaretur aut non judicaretur* intelligi debent. Quia ut dixi probationes deerant: quòd ſi adverſarii inſtent hoc aliter capi oportere, contra opponam Sixti ſententiam in ſua cauſa Canonem non efficere, ſed privatam opinionem. Quod autem in Sixti epiſtola ad Orientales Epiſcopos inter collectanea Gratiani *Can. mandaſtis 2. quæſt. 4. legitur Valentinianum Auguſtum auctoritate Sixti Synodum congregari juſſiſſe*: ego arbitror hæc verba *auctoritate Sixti* eſſe gloſſema ſuperadditum: quia ſæculo Sixti nemo ambigebat Cæſares habere poteſtatem indicendorum & convocandorum Conciliorum etiam Generalium, quantò magis Provincialium. Hoc enim ſpectabat ad exequutionem juris divini, naturalis & Canonici, quæ ſuo etiam modo commiſſa eſt Principi politico. Vide lib. 1. hiſtoriæ noſtræ Conciliorum. Cùm ergo Sixtus eſſet in cauſa, Imperator potuit Concilium convocare propriâ auctoritate, quod ut cognoſcatur ſolâ lectione Conciliorum antiquorum opus eſt.

Quartò, verum eſt in epiſtolis Synodalibus Concilii Chalcedonenſis ad Leonem & Martianum narrari Dioſcorum multis de cauſis damnatum, atque inter illas cauſas unam eſſe, quòd auſus ſit Sedem Apoſtolicam damnare, &c. Sed negatur Patres dice-

Digitized by Google

re *hanc eſſe præcipuam cauſam damnationis*, ut Bellarminus perſuadere vult. Et quamquàm id dicerent, hoc nihil cauſam Bellarmini juvaret: quoniam Dioſcorus injuſtè in Leonem ſententiam, dixerat eumque damnabat, quòd doctrinam Catholicam aſſereret, & contra errorem Eutychis vindicaret.

XXI. Quintò, quod ſpectat ad Synodum V. Romanam ſub Symmacho in quâ libellus apologeticus Ennodii Diaconi approbatur, primùm impendo reſponſionem Majorum noſtrorum, puta Thomæ de Corcellis Doctoris atque Proviſoris Collegii Sorbonæ in ſolemni propoſitione quam habuit Biturigibus coram Rege & Franciæ Synodo Gallicana: *Quando cauſa Papæ dicitur judicio Dei reſervata* (inquit) *clarum eſt, quòd loquitur in illo caſu in quo peccatum eſt occultum, etiam quando Papa ſe reddit corrigibilem, ſicut Symmachus ipſe ſe corrigibilem reddiderat, qui vocatus ad Synodum veniebat ut diceret cauſam ſuam, ſed ab emulis impeditus eſt: & prætereà de crimine quod ſibi imponebatur, non habebatur legitima probatio, ſicut apparet in libro Conciliorum; ideò dixerunt qui ibidem congregati erant, ſe dimittere cauſam ſuam Judicio Dei determinandam. Et ſimiliter de Marcellino dicendum eſt qui ſe corrigibilem reddidit, idcircò Synodus ſibi exhibens reverentiam voluit quòd ſeipſum judicaret: ſic ſummi Pontifices cum magna humilitate corrigibiles ſe reddebant, quibus exemplum fuit primus Apoſtolorum B. Petrus qui ſe, cùm defecerat, verè pœnitentem & maximè corrigibilem reddebat, ut ſucceſſoribus ſuis exemplum daret*: hactenùs de Corcellis. Secundò, quod in quinta Synodo, ubi libellus Ennodii ducentorum Epiſcoporum ſuffragio approbatur atque inter decreta Apoſtolica numeratur, Patres decernunt *Epiſcopos non debere accuſari aut reprehendi ab ovibus niſi à recta fide exorbitarint: & pro quacumque alia re accuſandos non eſſe*: Reſpondeo hoc decretum ad normam temporis prudenter factum, ut os occluderetur accuſatoribus Symmachi, & pari Eccleſiæ conſuleretur: *Synodicè autem & conciliariter diſcuſſum atque examinatum non fuiſſe.* Hic enim lubet Bellarminum ſuis munerari diſtinctionibus qui negare audet decreta Synodi Conſtantienſis conciliariter facta. Proculdubio cùm Patres viderent gravia eſſe capita accuſationum adversùs Symmachum, & homines contentioſos inde anſam turbandæ tranquillitatis Eccleſiæ aucupari: prudenter de bono pacis hæc velut quoddam henoticum ſtatuerunt. Siquidem nata ex eo diſcordia mortuo Anaſtaſio II. quòd pars Cleri Romani Symmachum, pars altera Laurentium in locum Anaſtaſii demortui ſuffeciſſet, ſeditioque ingens in ſenatu ac populo Romano bifariam diviſo orta eſſet: cùm verò Theodoricus Rex Gothorum Symmachum confirmaſſet in Pontificatu anno quarto poſt, Feſto exconſule atque Principe ſenatus inſtigante, hoc diſſidium recruduit inter Laurentium & Symmachum: quâ ex re indignatus Theodoricus Petrum Altini Epiſcopum Romam mittit, ut pulſo Symmacho atque Laurentio viſitatorem ageret, ac Sedem Romanam teneret. Verùm Symmachus indictâ & habitâ centum atque viginti Epiſcoporum Synodo abſolutus eſt. Capita accuſationis contra Symmachum hæc fuiſſe ex libello apologetico Ennodii colligimus: quorum capitum Binius decem tantùm excerpſit in notis ad quintam ſynodum ſub Symmacho PP. *Primùm non omnes Sacerdotes ad Synodum regiâ auctoritate vocatos. 2. Neque etiam in abſolutionem Symmachi omnes qui aderant Synodo conſenſiſſe. 3. Accuſatores Symmachi non auditos, eorumque accuſationes non eſſe refutatas. 4. In criminibus objectis illa admitti & probari quæ non rejiciuntur à Synodo.* Verba Ennodii ſunt, *quod non excluditur, approbatur. 5. Fruſtra quoſdam Epiſcopos de-*

trectaſſe Regi parere quaſi non illius ſed tantùm Romani Pontificis eſſet Synodum convocare. 6. Si Epiſcopus Romanus hoc a Deo habet privilegium quod à nemine poſſit judicari, unà etiam peccandi habere licentiam. Cui petitioni Ennodius non dogmaticè ſed oratoriè reſpondet, videlicet *D. Petrum perennem meritorum dotem cum hæreditate innocentiæ miſiſſe ad poſteros, quod illi conceſſum eſt pro actuum luce, ad illos pertinet, quos par converſationis ſplendor illuminat. Quis enim ſanctum eſſe dubitet, quem apex tantæ dignitatis attollit, in quo ſi deſint bona acquiſita per meritum, ſufficiunt quæ à loci deceſſore præſtantur, aut enim claros ad hæc faſtigia erigit, aut qui eriguntur, illuſtrat. Prænoſcit enim quid Eccleſiarum fundamento ſit habile, ſuper quem ipſa moles innititur, &c.*

At hoc non eſt objectis reſpondere, ſed effugium adornare: nihilominùs Gregorius VII. hoc Ennodii dictum avidè arripuit, & tanquàm dogma Catholicum inter ſuos dictatus 23. dictatu repoſuit: Gratianus quoque decretum ſuum conjecit *diſt.* 4. *can. Non nos.* Sed ad propoſitum revertor, caput 7. eſt. *Factum Symmachi qui in judicio Synodi ſtetit, repugnare dicto privilegio, quòd Papa à nemine judicari debeat: ſi enim à nemine judicari debet, cur venit ad Synodum. 8. Illas perſonas juſſas præſentari contra Symmachum quas voluiſſet & flagitaſſet auctoritas regia & imperialis: adeò ut Symmachus in Sede Apoſtolica velut in quadam arce munitiſſima conſiſteret.* Senſus eſt judicium hoc liberum & canonicè factum non fuiſſe. *9. Quando neque BB. Petrus, Paulus & Samuel non refugiunt judicium, nihil cauſæ eſſe cur Symmachus illud refugiat.* 10. *Novum atque inauditum eſſe, ut Papa in propria cauſa & ad criminum ſibi objectorum depulſionem Synodum convocet:* Sic enim Synodus nec libera nec canonica eſt. 11. *Falſo propugnatores Symmachi objicere capita accuſationis quæ contra Symmachum ſcripta ſunt, petita fuiſſe à Principe & Rege Theodorico: quaſi Symmachus per vim & non canonicè accuſaretur.* 12. *Symmachum cœtu & frequentià populi munitum & circumvallatum in Synodum intraſſe, poſteà verò quater evocatum noluiſſe venire.* 13. *Etiam mulierum turbam coloribus urbanis illuſtrem Symmacho comitatum præbuiſſe, cùm properaret ad Synodum.* 14. *Papam Symmachum indictâ cauſâ derelictis defenſoribus ſuis deceſſiſſe Synodo.* 15. *Noluiſſe apertâ pugnâ cum accuſatoribus ſuis confligere.* 16. *Priùs de cauſa actum in Synodo, quam Synodus ſuam haberet firmitatem, id eſt, antequàm omnes Epiſcopi & accuſatores conveniſſent.* 17. *Si præſentia Papæ dat Synodis firmitatem & robur, ſequi omnia Concilia, quæ ex præſcripto Canonis quinti Synodi Nicænæ annuatim habentur per omnes Provincias, nullum planè habere robur.* Cui objectioni Ennodius ſolâ petitione principii ſatisfacit: ſupponendo nihil abſque Sedis Apoſtolicæ auctoritate & comprobatione decerni poſſe, atque omnia majora negotia illi reſervata eſſe: quaſi verò Papa eſſet abſolutus Eccleſiæ Monarcha, ſed de hac re libro 1. hiſtoriæ noſtræ Conciliorum. 18. *Cùm Symmachi propugnatores dicerent non debuiſſe dari viſitatorem, id eſt œconomum Romanæ Eccleſiæ; opponitur in contrarium Regem ſolitum dare viſitatorem etiam contra alios Epiſcopos; & continuò etiam contra Romanum.* Ennodius reſpondet: *aliorum fortè hominum cauſas Deus voluit per homines terminare: Sedis Romanæ præſulem ſuo ſine quæſtione reſervaſſe arbitrio: & voluiſſe B. Petri ſucceſſores Cælo tantùm debere innocentiam, & ſubtiliſſimi diſcuſſoris indagini inviolatam exhibere conſcientiam, &c.*

Qui locus communis eſt, quem Scriptores Romani frequenter habent in ore & ca-

Digitized by Google

lamo. Sed mera eſt petitio principii: certè multa hîc ſunt capita, quibus Ennodius non ſatisfacit, neque etiam Baronius aut alii poſſunt validè ſatisfacere: undè datur intelligi fruſtrà illos præſidium in ejuſmodi libello Ennodii ponere, quem Curiæ Romanæ obrui quàm videri magis expediebat: quoniam hodie nulla extarent veſtigia accuſationum Cleri Romani adverſus Symmachum, propterea quòd capita accuſationis, niſi in Apologia Ennodii, nuſpiam leguntur. Cæterùm quando adverſarii non tantùm ex ara, verumetiam ex quocumque margine obvio, ut Tertullianus loquitur, argumenta depromunt, graviter ferre non debent, quòd moderamine inculpatæ tutelæ ſervato veritatem diſciplinæ Apoſtolicæ contra abſolutam Monarchiam ex rei veritate aſſeramus.

Sextò, dictum Adriani II. PP. in ſua cauſa parvi eſt ponderis: de quo conſule lib. 1. hiſtoriæ noſtræ Conciliorum de Synodo viij.

Septimò, Idem pariter eſt judicium de extravagantibus Innocentii III. & Bonifacii VIII. & aliorum Pontificum in ſua cauſa.

Octavò, ad Conſtantini Magni hiſtoriam repono quod Joannes Major dicit lib. 4. ſentent. diſt. 24. quæſt. 3. versùs finem. *Ex factis ſingularibus quæ ex devotione ad Eccleſiam, & non debito juris fiunt, non eſſe trahendum aliquid in conſequentiam: quemadmodùm nec ex multis aliis, ut quòd Imperatores elegerint, aut depoſuerint Pontifices.* Hæc ille.

Nonò, locus Ambroſii nihil conducit ad præſentem controverſiam. Siquidem hîc quæritur utrùm Papa notoriè & incorrigibiliter ſcandaliſans Eccleſiam canonicè deponi poſſit: & an Princeps politicus poteſtatem habeat exequendi jus divinum, naturale & Canonicum erga quemcumque ambitu ſui regni & principatus contentum. B. autem Ambroſius ſcribit contra Valentinianum Imperatorem Arrianum, qui vi armata volebat Eccleſias eripere Catholicis, ut eas traderet Arrianis.

Decimò, locus Gregorii Nazianzeni ex prima oratione de Paſchate ſub finem, eſt omninò præter aleas: quia nullus cenſet licitum privatis ovibus de Paſtore ſuo judicare: ſed ſi Paſtor in lupum degeneret, & Eccleſia eum canonicè condemnet, Principes politici tenentur ex officio Canones latos exequutioni mandare.

Undecimò, nullus diffitetur in exhibenda reverentia Petri Vicario maximè habendam rationem præceptis hujus, *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit*, ut rectè monet S. Bernardus. Quocircà hîc actum agit Bellarminus, & lucernam meridie accendit.

XXII. Duodecimò, Thomas de Corcellis jam paulò antè laudatus ſic reſpondet ad famoſum Canonem *Si Papa*, videlicet *Gloſſam ejuſdem Canonis dicere, Quòd ſi Papa notoriè & incorrigibiliter peccet ſcandaliſando Eccleſiam, poteſt judicari; & quòd contumacia dicitur hæreſis: ſicque loquitur de peccato in fide ſeu de hæreſi largè, & allegat duos Canones, quomodò iſta contumacia & contemptus Eccleſiæ dicitur hæreſis, videlicet Can. Nullus* 38. *diſt. Quod eſt Clementis Papæ, & Can. Si qui Presbyteri* 81. *diſt. Quod eſt Beati Gregorii. Illi autem qui dicunt quòd Papa in ſolo caſu hæreſis ſtrictè ſumptâ poteſt judicari, adducunt illud verbum ſtrictè de novo & novam in hoc doctrinam faciunt: quia hoc in doctrinis antiquorum non reperitur.* Huc uſque de Corcellis, ampliùs dici poteſt Canonem *Si Papa*, non robur habere ex Synodali conſtitutione, ſed ex ſolo Papæ arbitrio in ſua

Digitized by Google

in ſua cauſa qui collectionem Gratiani auctoravit. Præterea tempore Bonifacii Archiepiſcopi Moguntini, cui dictus Canon tribuitur, jam abſolutam Monarchiam invaluiſſe, & diſciplinam Apoſtolicam ſenſim in deſuetudinem veniſſe, multòque magis tempore Hugonis à S. Victore, quem propterea dixiſſe, *poteſtatem ſpiritualem à ſolo Deo judicari poſſe* nihil mirum eſt, quamquàm *Tò* judicari à ſolo Deo ſit æquivocum, & intelligi poſſit de Synodo legitimè congregata, quam qui audit Deum ipſum audit.

QUÆSTIO QUARTA.

Toto lib. 3. de Romano Pontifice Bellarminus quæſtionem enucleat de Antichriſto contra hæreticos qui Papam Antichriſtum impiè vocant: nos verò ſummum Pontificem tanquàm communem parentem Chriſtianorum, Chriſti Vicarium & Caput externum miniſteriale Eccleſiæ colimus & propugnamus; atque à ſola abſoluta Monarchia, quam adulatores Pontificum invexerunt, ſervatâ charitate & unione cavendum & abſtinendum contendimus, & in hoc præſertim laboramus, ne adulatores (inquam) & homines quæ ſua ſunt, non quæ Chriſti quærentes nobis jus purè humanum pro divino vendirent, atque religionem & ſuſpicionem ſchiſmatis vel hæreſeos objiciant, ubi nulla eſſe poteſt religio, vel peccati mortalis, multò minùs ſchiſmatis aut hæreſeos ſuſpicio.

XXIII. Lib. 4. de Rom. Pontifice cap. 1. aſſerit Romanum Pontificem eſſe ſummum atque infallibilem judicem controverſiarum fidei & morum: idque probat primùm ex cap. 17. Deuteronomii, quo edicitur omnes controverſias de religione ad Principem Sacerdotum referendas: *Si difficile atque ambiguum judicium eſſe perſpexeris inter cauſam & cauſam, lepram & lepram, & judicum intra portas tuas videris verba variare: ſurge & aſcende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus, venieſque ad Sacerdotem Levitici generis, & ad Judicem qui fuerit illo tempore, quæreſque ab eis qui indicabunt tibi judicii veritatem, & facies quodcumque dixerint qui præſunt loco quem elegerit Dominus*, hìcque notat Bellarminus duas perſonas diſtingui, *puta Sacerdotis & Judicis, hoc eſt, Pontificis & Principis*: & quidem Sacerdoti ſententiæ pronunciationem, Judici politico exequutionem demandari: *idque his verbis explicari: qui autem ſuperbierit nolens obedire Sacerdotis imperio qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, ex ſententia Judicis morietur.* In Evangelio nihil poteſt clarius dici, quàm quod ait Dominus Petro coram cæteris Apoſtolis (inquit) *Simon Joannis paſce oves meas.* Nam & ſoli Petro loquitur, & omnes oves ſuas, ita ut ne Apoſtolos quidem excludat, ei paſcendas tradit: dubium autem eſſe non poteſt, quin inter munera Paſtoris ſit diſcernere bona paſcua à malis. Quarè S. Hieronymus vir doctiſſimus in quæſtione de tribus hypoſtaſibus, nec eruditioni propriæ, nec Orientalium Epiſcoporum ſententiæ, nec etiam ipſius proprii Epiſcopi Paulini Antiocheni Patriarchæ auctoritati ſatis fidens, ad Damaſum Papam ſcribit; a Paſtore, inquit, præſidium ovis flagito; diſcerne ſi placet, non timebo tres hypoſtaſes dicere ſi jubebis. Attexit Theodoretum inter Græcos doctiſſimum ad Leonem I. in hæc verba ſcribere. *S. Paulus Præco veri-*

Digitized by Google

tatis tuba ſanctiſſimi Spiritus ad magnum Petrum cucurrit, ut iis qui Antiochiæ de inſtitutis legalibus contendebant, ab ipſo afferret ſolutionem: multò magis nos, qui abjecti ſumus & puſilli, ad Apoſtolicam veſtram Sedem currimus, ut Eccleſiarum ulceribus medicinam à vobis accipiamus.

Proſper in Chronico anni 420. *Concilio*, inquit, *apud Carthaginem habito* CCXVI. *Epiſcoporum ad Pontificem Zozimum ſynodalia decreta perlata: quibus probatis per totum mundum hæreſis Pelagiana damnata eſt.* S. Gregorius humillimus, quique nihil unquam ſibi præter æquum arrogavit in Epiſtola ad omnes Galliæ Epiſcopos 52. lib. 4. *Si quam verò contentionem de fidei cauſa evenire contigerit, aut negotium emerſerit, cujus vehemens ſit fortaſſe dubietas, & pro ſui magnitudine judicio Sedis Apoſtolicæ indigeat: examinatâ diligentiùs veritate relatione ſuâ ad noſtram ſtudeat perducere notitiam, quatenùs à nobis valeat congruâ ſine dubio ſententiâ terminari.* Quam in rem citat Innocentium I. in epiſtola ad Concilium Carthaginenſe, Leonem I. epiſtolâ ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem, Gelaſium epiſtolâ ad Epiſcopos Dardaniæ, &c.

XXIV. Hinc collectionem Bellarmini in ſeptem articulos diſtribuemus, de quibus antequàm ſigillatim diſputem, operæ pretium eſt notare Moyſem Deuteronomii 17. & Cathedram & tribunal ſibi à Deo creditum propagare & ad poſteros tranſmittere. Undè hic locus, *ſi difficile atque ambiguum judicium eſſe perſpexeris inter cauſam & cauſam, lepram & lepram, &c.* magnam habet convenientiam cum cap. 18. Mathæi, *ſi peccaverit in te frater tuus, &c. dic Eccleſiæ: qui Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus.* Hîc enim Chriſtus ſicut & Moſes Deuteronomii 17. ſuam Cathedram tranſmittit ad poſteros ſtatim exercendam poſt miſſum Spiritum ſanctum in diſcipulos ſuos die Pentecoſtes. Concordat etiam idem caput Deuteronomii cum cap. 23. Mathæi, *Super Cathedram Moſis Sederunt Scribæ & Phariſæi*, omneſque Doctores per Cathedram Moſis partim doctrinam, partim auctoritatem judicandi intelligunt, quæ duo aliquando ſeparatim capiuntur in Scripturis. Conjunctim quidem Deuteronomii 17. & Math. 18. ſeparatim verò Cathedra ſumitur pro prædicatione atque interpretatione legis, Mathæi 23. *Super Cathedram Moſis ſederunt Scribæ & Phariſæi.* Origenes tractatu 24. in caput 23. Mathæi. *Scribæ & Phariſæi ſedentes ſuper Cathedram Moſis ſunt Judæorum Doctores ſecundùm litteram docentes legis mandata.* Chryſoſtomus de Sacerdotibus interpretatur: *Videndum tamen quomodò quis ſuper Cathedram ſedeat: quia Cathedra non facit Sacerdotem, ſed Sacerdos Cathedram: non locus ſanctificat hominem, ſed homo locum.* Idem Chryſoſtomus homiliâ 85. in Joannem explicans hunc textum: *Inſufflavit & dixit, accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, Joannis* 20. hæc de Chriſti Cathedra interpretatur: *Non eſt dicendum, ait, ſuper Cathedram Moſis, ſed ſuper Cathedram Chriſti ſederunt Sacerdotes, ejus enim acceperunt doctrinam, quarè Paulus inquit, pro Chriſto legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos.* Hieronymus in cap. 23. Mathæi. *Quòd autem ſuper Cathedram Moſis ſederunt Scribæ & Phariſæi, per Cathedram, doctrinam legis oſtendit Dominus: ergo & illud quod dicitur in pſalmo, in Cathedra peſtilentiæ non ſedit, & Cathedras vendentium columbas evertit, doctrinam debemus accipere.* Beda & Anſelmus Hieronymum ſequuntur. Item Gloſſa interlinearis. *Super Cathedram Moſis*, *id*

Digitized by Google

eſt ſupra doctrinam, quam docuit Moſes. Toſtatus quæſt. 11. in caput 23. Mathæi, contendit Chriſtum preſſè de doctrina non de tribunali judicii agere. *Cathedra* (inquit) *pertinet ad docentem, tribunal ad judicantem; ſi ergo intenderet Chriſtus loqui de poteſtate judiciaria, diceret Hieronymus ſuper tribunal Moyſi, & non ſuper Cathedram. Ergo videtur quòd intelligitur de ſeſſione quæ erat ad docendum, & non ad judicandum; illud verò erat in prædicando legem Moyſi & exponendo illam.* Verumtamen Lyranus in caput 23. Mathæi per Cathedram Moſis interpretatur auctoritatem judicandi populum conformiter ad caput 17. Deuteronomii; ſuper quod Gloſſa interlinearis ad hanc clauſulam, *venieſque ad Sacerdotes Levitici generis: quia (inquit) labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent ab ore ejus, quia Angelus Domini exercituum eſt.* Malachiæ 2. Deindè Gloſſa', *ſi difficile & ambiguum, &c.* Sacerdotes Eccleſiæ *Dei inſtruit ut judicia Eccleſiaſtica ſecundùm poteſtatem ſibi à Deo datam reverenter agant, & juſtè decernant non ad libitum ſuum, ſed ſecundùm legis decretum, ne ſuſcipiendo perſonam mutent ſententiam.* Deindè ad hæc verba, *& docuerint te juxtà legem ejus: nota* (inquit) *non dicitur tibi ut obedias, niſi juxtà legem docuerint: undè ſupra Cathedram Moſis ſederunt Scribæ & Phariſæi.* Itaque tantùm audiendi ſunt quando conformiter ad legem Dei loquuntur, non abſolutè ſimpliciter: Nam Chriſtus Mathæi 16. ℣. 6. & 12. diſertè præcipit *cavendum à fermento & doctrina illorum*: meritò quidem, quoniam Joannis 9. ſtatuunt ejiciendos ſynagogâ, qui Jeſum ſequuti fuerint: & de facto Chriſtum morti addicunt tanquàm blaſphemum, Mathæi 26. ℣. 66. Porrò hanc Gloſſæ interpretationem confirmat Hieronymus cap. 16. in Mathæum explicans hunc textum, *tibi dabo claves, &c. Iſtum locum Epiſcopi & Presbyteri non intelligentes aliquid ſibi de Phariſæorum aſſumunt ſupercilio, vel ut damnent innocentes, vel ſolvere ſe noxios arbitrentur, cùm apud Deum non ſententia Sacerdotum, ſed reorum vita quæratur.* Legendi Janſenius & Maldonatus in cap. 23. Mathæi, & ſupra Chryſoſtomus lib. 2. cap. 4. num. 35. Verùm Toſtatus quæſt. 4. in cap. 17. Deuteronomii clariſſimè demonſtrat hunc textum, *venieſque ad Sacerdotes Levitici generis & ad judicem qui fuerit illo tempore, &c.* intelligi de ſeptuaginta Sacerdotibus qui erant in loco Sanctuarii, & conſiſtorium aut domum judicii efficiebant, cui conſiſtorio ſummus Sacerdos aut alius quem pro ſe delegerat præeſſe ſolebat. *Nam*, ait Toſtatus, *neceſſe eſt referri hoc quod eſt præeſſe non ſolùm ad ſummum Sacerdotem, ſed etiam ad alios judices pertinentes ad domum judicii, quia dicitur, venies ad Sacerdotes Levitici generis & ad judicem, &c. Iſte Sacerdos qui erat in illo tempore, qui vocatur per excellentiam Sacerdos, non expreſſo nomine alio erat Sacerdos magnus: alii autem Sacerdotes ad quos etiam venire dicebatur, erant judices de domo conſilii, ſcilicet de illis ſeptuaginta ſenioribus, &c. dicitur autem ſimul venire ad Sacerdotes Levitici generis & ad Sacerdotem qui erat in illo tempore, quia iſti omnes ſimul judicabant eum: & hoc patet immediatè per litteram ſequentem. Quæres ab eis, id eſt à Sacerdote illo magno & aliis Sacerdotibus Levitici generis qui erant de domo conſilii: Nam non conveniebant ad hoc omnes Sacerdotes Levitici generis: quia multi horum manebant extra locum Sanctuarii, &c. ſed ſeptuaginta illi qui deputati erant in domo conſilii.* Deindè poſt pauca. *Licèt alii Sacerdotes haberent poteſtatem judicativam dando auctoritatem ſententiæ: nunquam tamen proferebant ſententiam: ſed ipſe Sacerdos magnus erat, qui proferebat ſententiam.* Huc uſque Toſta-

Digitized by Google

ti explicatio : quam veriſſimam eſſe hic locus libri 2. Paralipomenon cap. 19. comprobat. *In Jeruſalem conſtituit Joſaphat Levitas & Sacerdotes, & Principes familiarum ex Iſraël, ut judicium & cauſam Domini judicarent habitatoribus ejus. Præcepitque eis dicens : Sic agetis in timore Domini fideliter, & corde perfecto omnem cauſam, quæ venerit ad vos fratrum veſtrorum, qui habitant in urbibus ſuis inter cognationem & cognationem, ubicumque quæſtio eſt de lege, de mandato, de cæremoniis, de juſtificationibus, oſtendite eis ut non peccent in Dominum, & ne veniat ira ſuper vos, & ſuper fratres veſtros : ſic ergo agentes non peccabitis. Amarias autem & Pontifex veſter, in iis quæ ad Deum pertinent præſidebit.* Proculdubio Cornelius à Lapide commentariis in hunc locum, verba hæc, *venieſque ad Sacerdotem & ad judicem, &c.* ait intelligi oportere de Concilio quod Hebræi ſanhedrim, quod ſeptuaginta viris, partim Sacerdotibus, partim Laïcis conſtabat inſtar Parlamenti : ſumma verò hujus diſputationis eſt, Cathedram & tribunal Moſis non uni & ſoli Principi Sacerdotum credita, ſed ad totum ordinem Levitarum collectim ſumptum pertinuiſſe, ut hæc formula indicat, *venieſque ad Sacerdotes Levitici generis & ad judicem qui fuerit illo tempore, quæreſque ab eis qui indicabunt tibi judicii veritatem : & facies quodcumque dixerint qui præſunt loco quem elegerit Dominus, & docuerint te juxtà legem ejus, ſequériſque ſententiam eorum, &c,* Verùm Princeps Sacerdotum & judex, qui illo tempore ſedebat, decreta in rem judicatam mittebant, ut ex his verbis collegimus : *qui autem ſuperbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo ſuo, ex decreto judicis morietur homo ille.* Et ita patet regimen Eccleſiæ Judaïcæ fuiſſe ariſtocraticum, exequutionem verò regiminis Monarchicam. Ego hîc præſertim loquor de Eccleſia Judaïca cùm à Sacerdotibus regeretur, antequàm Reges creati fuiſſent. Etſi verò facultas judicandi collectivè capi debeat de omnibus Sacerdotibus Leviticis, ut hæc verba declarant, *venieſque ad Sacerdotes Levitici generis, &c.* attamen eis præſertim deferebatur, qui magis verſati erant in lege : ſimiliter quamquàm omnes Epiſcopi jus habeant definiendi in Conciliis Generalibus : nihilominùs eò tantùm ſeſe conferre ſolent qui doctiores ſunt, atque plus utilitatis & ornamenti poſſunt conferre Eccleſiæ. Quibus ita præmiſſis me ad ſolutionem argumentorum Bellarmini refero.

Primùm, planè abutitur loco Deuteronomii ad ſuam Monarchiam ſtabiliendam, ut ea quæ paulò ante diximus demonſtrant : adde quòd aliâ viâ ſuam opinionem conſtituere nequit, quàm proprium textum Scripturæ corrumpendo, & ſingularem pro plurali ſubſtituendo : ubi enim Moyſes conceptis verbis ait, *venieſque ad Sacerdotes Levitici generis, & ad judicem qui fuerit illo tempore, quæreſque ab eis qui indicabunt tibi judicii veritatem :* Bellarminus ita legit, *venieſque ad ſacerdotem Levitici generis*, ſicque cauſam bonam non defendit, ſed perditi vitilitigatores qui tabulas corrumpunt, quas ſolent dare pœnas in judiciis civilibus.

Secundò, fruſtra eſt in his verbis *paſce oves meas* ad abſolutam Monarchiam detorquendis : conſule quæ de hoc textu diſſeruimus adversùs Bellarminum hoc ipſo capite quæſtione 1.

XXV. Tertium argumentum ampliorem deſiderat interpretationem. Utque mens Hieronymi pateat, fusè exſcribam ejus verba ex tomo 2. epiſt. 57. ad Damaſum : *Quamquàm*, inquit, *tua me terreat magnitudo : invitat tamen humanitas, à Sacerdote vi-*

Digitized by Google

ſtimam ſalutis, à Paſtore præſidium ovis flagito, faceſſat invidia Romani culminis, recedat ambitio: cum ſucceſſore Piſcatoris & Diſcipulo crucis loquor. Ego nullum primum, niſi Chriſtum ſequens beatitudini tuæ, id eſt, Cathedræ Petri communione conſocior, ſuper illam petram ædificatam Eccleſiam ſcio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, prophanus eſt: ſi quis in arca Noe non fuerit, peribit regnante diluvio; non novi Vitalem, Meletium reſpuo, ignoro Paulinum, quicumque tecum non colligit, ſpargit: hoc eſt qui Chriſti non eſt, Antichriſti eſt. Nunc igitur, proh dolor! poſt Nicænam fidem, poſt Alexandrinam juncto pariter occidente decretum trium hypoſtaſeon ab Arrianorum præſule & Campenſibus, novellum à me homine Romano nomen exigitur, &c. Interrogemus, quid tres hypoſtaſes poſſe arbitrentur intelligi, tres perſonas ſubſiſtentes aiunt: Reſpondemus nos ita credere, non ſufficit ſenſus, ipſum nomen efflagitant: quia neſcio quid veneni in ſyllabis latet. Si quis autem hypoſtaſim uſiam hypoſtaſim dicit, alienus à Chriſto eſt, ab hac confeſſione nobiſcum pariter cauterio unionis inurimur. Diſcernite ſi placet obſecro, non timebo tres hypoſtaſes dicere, ſi jubebis, condatur nova poſt Nicænam fides: & ſimilibus verbis cum Arrianis confiteamur Orthodoxi. Deindè ſic claudit epiſtolam. *Quamobrem obteſtor beatitudinem tuam per crucifixum, mundi ſalutem per homouſion Trinitatem, ut mihi epiſtolis tuis ſive tacendarum, ſive dicendarum hypoſtaſeon detur auctoritas.* Idem Hieronymus epiſt. 58. ad eumdem Damaſum. *Ego interim clamito, ſi quis Cathedræ Petri jungitur meus eſt: Meletius, Vitalis atque Paulinus tibi hærere ſe dicunt; poſſem credere ſi hoc unus aſſereret, nunc autem aut duo mentiuntur, aut omnes. Idcircò obteſtor beatitudinem tuam per crucem Domini, &c. ut mihi litteris tuis apud quem in Syria debeam communicare ſignifices: noli deſpicere animam pro qua Chriſtus mortuus eſt.* Partem harum epiſtolarum Gratianus conjecit in ſuum decretum 24. quæſt. 1. Can. quoniam vetuſto: quas ideò fuſiùs collegi, quia patroni abſolutæ infallibilis monarchiæ hoc Hieronymi teſtimonio paſſim venditant atque inter alios Vallius pag. 3. ſui Elenchi: ſed ea verſent in omnem faciem, poſtquam multum deſudaverint, nihil aliud conſequentur, quàm Hieronymum petere à Damaſo explicationem ſymboli Nicæni: cùm enim ſe juvenis contuliſſet in Paleſtinam, vitamque ſolitudini mandaſſet, atque totus Oriens eſſet contaminatus Arrianiſmo, & Sedes Antiochena, cui Eremus in quo vivebat Hieronymus ſubdebatur, à tribus Antiepiſcopis occuparetur, Meletio nimirùm, Paulino & Vitali, quos propter ſolitudinem, novumque ſuum adventum Hieronymus minimè noſſe, & ratione iſtius trinæ diviſionis meritò ſuſpectos habere poterat, quamquàm Meletius & Paulinus eſſent Orthodoxi, ut ſupra obſervavi, certè excitatâ quæſtione de tribus hypoſtaſibus, cùm Hieronymus exploratum haberet Arrianos permagnos eſſe æquivocationum artifices, hocque dolo venenum ſuum occultare conſueviſſe, jure ad Occidentalem Eccleſiam, quæ ejuſmodi procellis non agitabatur, confugit. Idque ſecundùm morem diſciplinæ tum uſitatæ in Eccleſia: ſiquidem naſcente aliquâ controverſiâ in quapiam Provincia, ſi minus rectè ibidem definiri poſſet, ad Provincias alias, quæ ejuſmodi turbinibus non quaterentur, mos erat confugere, ut proœmio lib. 1. Hiſtoriæ Conciliorum Generalium obſervavimus. *Novellum à me homine Romano nomen exigitur*, ait Hieronymus, nam formidabat ne homonymia vocis, hypoſtaſeos, Arriani ſignificare vellent vel tres eſſentias eſſe in Trinitate: quia hypoſtaſis etiam eſſentiam atque naturam ſignificat: *Si quis autem hypoſtaſim uſiam intel-*

Digitized by Google

ligens non in tribus perſonis unam hypoſtaſim dicit, alienus eſt à Chriſto, &c. Quocircà ad Petri Cathedram & fidem Eccleſiæ Occidentalis quæ nullo ſchiſmate neque hæreſi Arrianorum ita infeſtabatur, ut Orientalis Eccleſia, ſeſe confert. *Ego nullum primum niſi Chriſtum ſequens beatitudini tuæ, id eſt, Cathedræ Petri communione conſocior, &c.* ubi per Petri Cathedram non ſolùm Damaſum aut unam Diœceſim Romanam, ſed juxtà praxim Eccleſiæ Canone 5. Synodi Nicænæ obſignatam, Archiepiſcopalem aut Patriarchalem Synodum Damaſi intelligit: quia ut ſæpè dixi ſæpiùſque dicendum eſt, annuatim bis habebantur Synodi Provinciales ad controverſias Eccleſiaſticas decidendas: & ſi minùs rectè Synodo Provinciali terminari quirent, ad ampliorem Synodum & communionem Sanctorum procedebatur: tunc enim privati motus Pontificum incogniti erant. Quocircà Hieronymus ad hujus diſciplinæ Apoſtolicæ normam petit à Damaſo facultatem dicendarum aut tacendarum hypoſtaſeon: quod hæc ipſa verba declarant: *Si jubetis condatur nova poſt Nicænam fides, & ſimilibus verbis cum Arrianis confiteamur Orthodoxi.* Proculdubio apprimè noverat Hieronymus non unius eſſe Damaſi aut Diœceſis Romanæ, ſed totius Eccleſiæ Catholicæ, novam fidem poſt Nicænam condere. Itaque per Cathedram Petri, non ſolus Damaſus poteſt intelligi. Supra docui per Moſis Cathedram doctrinam legis Moſaïcæ, & per Petri Cathedram doctrinam Evangelicam & Apoſtolicam ſignificari, quæ non uni Petro, ſed omnibus Apoſtolis & Epiſcopis Apoſtolorum ſucceſſoribus in commune & individuè tradita eſt. Hinc fit ut in Conciliis Generalibus ſæpè definitiones Patrum appellentur *Doctrina Apoſtolica,* ut ſuo loco monuimus. Vide caput 1. hujus libri. Jam dixi hanc interpellationem Hieronymi eò tendere ut habeat explicationem fidei Nicænæ: ultròque concedo adverſariis, Papam poſſe interpretari jus divinum, naturale & Canonicum, ſed in ordine ad regimen ariſtocraticum. Sic legimus in antiqua lege Pontifices jus habuiſſe interpretandi & exequendi legem divinam.

XXVI. Eamque ob cauſam Caïphas Joannis xi. *cùm eſſet ſummus Pontifex anni illius prophetavit, quòd expediret ut unus homo moreretur pro populo, ne tota gens periret.* Quem ad locum Auguſtinus tractatu 49. in Joannem, *Hic docemur,* ait, *etiam homines malos prophetiæ ſpiritu futura prædicere: quod tamen Evangeliſta divino tribuit Sacramento, quia Pontifex fuit, id eſt, ſummus Sacerdos:* hæc ille, non perſonæ, ſed officio ſacerdotali tribuens quod Caïphas prophetavit. Prophetia autem eſt ſpecies prædicationis atque interpretationis Scripturarum, quod officium omnibus Sacerdotibus veteris legis & præſertim ſummo Sacerdoti competebat. Deuter. 17. *Venieſque ad Sacerdotes Levitici generis, qui indicabunt tibi judicii veritatem.* Undè Gloſſa in caput 6. ad Epheſios. *Dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, &c. Ambroſius* (inquit) *in novo teſtamento Prophetæ dicuntur explanatores Scripturarum. Certè multi ex Prophetis prædixerunt Chriſtum oportere mortem pati, & ita intrare in gloriam ſuam,* Pſal. 21. Iſaiæ 58. & Danielis 9. ℣. 16. idque eſt quod Caïphas, quamquàm aliud agens, interpretatur. Non eſt hîc prætereundum multos ex recentioribus hanc Caïphæ prophetiam fruſtrà oſtentui habere, ut confirment eſſe credendum Papæ tanquàm Judici infallibili controverſiarum: & ita quidem B. Thomas quodlibeto 9. in fine articuli 16. ubi ait *magis ſtandum judicio Papæ, ad quem pertinet determinare de fide quam in judicio profert, quàm opinioni quorumlibet ſapientum Scripturas allegantium.*

Digitized by Google

Et in exemplum profert Caïpham : ſed loquitur conformiter ad ſua principia, quoniam ſcribit Papam conſtitutum à Chriſto infallibilem Eccleſiæ Monarcham : quod Aquinati negamus. Accedit Caïpham loqui congruenter ad ſacras Scripturas juxta cap. 17. Deuteronomii ſupra explicatum. Profectò Gerſonius lib. de examine doctrinarum parte 1. conſiderat. 5. contrariam ſententiam D. Thomæ aſſerit. *Staret* (inquit) *quòd aliquis ſimplex non auctoriſatus eſſet tam excellenter in ſacris litteris eruditus, quòd plus eſſet credendum in caſu doctrinali ſuæ aſſertioni, quàm Papæ declarationi.* Item Panormitanus extravagant. *De electione cap. Significaſti, docet dictum unius privati præferendum dicto Domini Papæ, ſi ille moveatur melioribus rationibus, &c.* Certè quando Pontifex eſt ſolummodò interpres & exequutor legis divinæ & naturalis, ſi ejus ſanctiones & decreta juri divino & naturali adverſentur, ei palàm in faciem reſiſtere licet, ut idem Gerſonius aſſerit loco citato. Si enim Apoſtolus, ut Canonem Hieroſolymitani Concilii de legalium obſervatione præſtaret integrum, B. Petro in faciem reſtitit : quantò magis id licet, ubi jus divinum & naturale palàm violatur : *tum enim ſatius eſt ſcandalum naſci, quàm veritatem deſeri cap. Qui ſcandaliſaverit de Regulis Juris in Decretalibus* : & hactenùs de notione Cathedræ Petri, cujus meminit Hieronymus ad Damaſum. Hinc autem pronum eſt videre, cur idem epiſt. 8. ad Demetriadem versùs finem, Demetriadi commendet, ut *S. Innocentii PP. qui Apoſtolica Cathedra Anaſtaſii ſucceſſor & filius eſt, teneat fidem.* Tunc enim Pontifices, ſi quæ nova naſceretur controverſia, non eam privato motu aut oligarchico conſilio, ſed ſynodicè definiebant, undè illorum Fides erat totius Catholicæ Eccleſiæ Fides.

Porrò argumentum ab Archa Noë claudicat altero pede, quia ducitur à ſimilitudine, nihilque ſtrictè & dogmaticè ſumptum aliud ſignificat, quàm eos, qui ſunt extra Eccleſiam, ſicut qui bacchante diluvio erant extra Archam, perituros. At ſummus magiſter Dominus & gubernator Archæ aut navis eſt Chriſtus, Damaſus autem & alii Epiſcopi ſunt remiges, inter quos Papa primum locum ſibi jure vendicat. Enimverò ſicut Chriſtus eſt Caput eſſentiale, ſic ab illo totum regimen internum ac eſſentiale pendet, ut ſupra probavimus. Cæterùm his aliis verbis, *quicumque extra hanc domum agnum comederit, &c.* Hieronymus alludit ad ritum edendi agni Paſchalis Exodi 12. quia Dominus cùm percuteret primogenitos Ægypti, ſoli Iſraëlitæ qui agnum Paſchalem comederant, & ſeſe domi ſanguine agni tincti continuerant, incolumes manſerant : quæ ſimilitudo oſtendit etiam neminem extra Eccleſiam ſalvari poſſe, quam Eccleſiam neque ſolus Papa, neque ſola Diœceſis Romana conſtituit, quando eſt particularis Eccleſia, ut ſtatim probatur. Demùm hæc clauſula epiſtolæ 58. Hieronymi, Meletius, Vitalis & Paulinus tibi hærere ſe dicunt, nunc autem duo mentiuntur, aut omnes, ea comprobat manifeſtò quæ paulò ante dixi pro Theodoreti defenſione adversùs Baronium, ſcilicet Paulinum eo tempore non habuiſſe litteras Synodicas à Damaſo de ſua communione cum illo.

Quartò, falſum eſt Theodoretum petiiſſe erudiri à Leone Magno de aliqua controverſia : ſolummodò illius opem ſicut antea fecerat à Martino Imperatore petebat, ut in integrum reſtitueretur, quia Dioſcorus eum in pſeudo-Synodo Epheſina proptereà abdicaverat, quòd Anathematiſmos in B. Cyrillum Alexandrinum ſcripſiſſet. De qua re vide hiſtoriam noſtram Synodi Chalcedonenſis.

Digitized by Google

XXVII. Quintò, ſententia Proſperi capienda eſt juxta praxim ſuo tempore uſitatam, tum enim hæreſes quò ampliore atque univerſaliore ſanctorum communione damnabantur, eò magis validiùſque damnatæ cenſebantur : quocircà ubi aliqua hæreſis in aliqua Provincia naſcebatur, ad eam damnandam ſolemne erat contiguarum & affinium Provinciarum & maximè Romanæ Eccleſiæ quæ eſt caput aliarum, conſenſum & ſententiam expoſcere. Quod factum eſt à Patribus Africanis in Milevitano Concilio tempore Innocentii II. cui Zozimus Papa ſucceſſit ut liquet epiſt. 93. & 94. Auguſtini. Prætereà contendo hæreſim Pelagianorum, cujus Proſper à Bellarmino laudatus meminit, tandem ultimo judicio damnatam in prima Synodo Epheſina, ut claret ex epiſtola Synodali Patrum Epheſinorum ad Cæleſtinum Papam, cujus hæc ſunt verba. *Porrò autem perlectis in ſancta Synodo commentariis actorum in depoſitione impiorum Pelagianorum & Celeſtianorum Celeſtii, Pelagii, Juliani, Perſidii, Flori, Marcellini, Orentii, & eadem cum illis ſentientium, quæ à pietate tua de ipſis decreta & conſtituta ſunt, judicavimus & nos ſolida firmaque permanere debere.* Quibus ex verbis patet ſententiam Cæleſtini Papæ robur & firmitatem habere à Concilio univerſali : *Judicavimus inter nos ſolida firmaque permanere debere*, inquiunt Patres.

Sextò, locus B. Gregorii nihil planè habet difficultatis, ſi ad praxim Eccleſiæ primitivæ comparetur, de qua jam ſæpè dixi, puta naſcentes controverſias quæ Synodo Provinciæ definiri non poſſent, ſolitas tractari in ampliori Synodo, & ſolemne fuiſſe Eccleſiis (ſicut omnes unum ſumus in Chriſto, alter alterius membra de ſe mutuò ſolicita, ne ſit ſchiſma in corpore) de ſe invicem curam capeſcere, & præſertim Romanæ Eccleſiæ propter primatum ſuum : ſic enim communio Sanctorum, & Eccleſiæ unitas ſuaviter & facilè initur & ſtabilitur. Hîc locum Gregorii adſcribam. *Quia igitur unumquodque ſalubriter completur officium, cùm fuerit unus ad quem poſſit recurri Præpoſitus : idcircò opportunum eſſe perſpeximus in Eccleſiis quæ ſub regno præcellentiſſimi filii noſtri Childeberti Regis ſunt, ſecundùm antiquam conſuetudinem fratri noſtro Virgilio Arelatenſi Civitatis Epiſcopo vices noſtras tribuere, quatenùs & Catholicæ fidei integritas, id eſt, ſanctarum quatuor Synodorum Deo protegente ſolicitâ devotione ſervetur. Et ſi inter fratres Conſacerdoteſque noſtros aliqua evenerit fortè contentio, auctoritatis ſuæ vigore, vicibus nempè Sedis Apoſtolicæ functus diſcretâ moderatione compeſcat : cui etiam injunximus, ut ſi quarumdam cauſarum tale fuerit certamen exortum, in quo aliorum præſentiâ opus ſit, congregatis ſibi in numero competenti fratribus & Coepiſcopis noſtris ſalubriter hoc ſervatâ æquitate diſcutiat, & Canonicâ integritate definiat. Si quam verò contentionem, quod longè faciat divina potentia, de fidei cauſa evenire contigerit, aut negotium emerſerit, cujus vehemens ſit fortaſſe dubietas, & pro ſui magnitudine judicio Sedis Apoſtolicæ indigeat, examinatâ diligentiùs veritate, relatione ſuâ ad noſtram ſtudeat perducere notionem, quatenùs à nobis valeat congruâ ſine dubio ſententiâ terminari, &c.* lib. 4. epiſt. 52. Hic ergo locus demonſtrat & confirmat Eccleſiæ Romanæ primatum, nihilque præterea : quarè alia quærenda ſunt Bellarmino teſtimonia, quibus probet ſolum Papam aut Romanam Eccleſiam ſecluſo aliarum Eccleſiarum conſenſu eſſe infallibilem. Non enim S. Gregorius ſignificat, negotia Eccleſiaſtica alio modo quàm Synodicè examinari & decidi oportere.

Septimò, de Innocentii epiſtola ad Concilium Carthaginenſe. Vide quæ hoc ipſo capite

Digitized by Google

capite quæſt. 2. in reſponſione ad ſextum argumentum Bellarmini obſervavi. De epiſtola Leonis Magni ad Theſſalonicenſem Epiſcopum, dictum eſt hoc libro capite primo.

XXVIII. Idem Bellarminus lib. 4. de Rom. Pontifice cap. 2. ſub finem dicit hanc ſententiam, *Pontificem abſque Concilio Generali poſſe errare & docere hæreſim, videri omninò erroneam & hæreſi proximam, & tamen ab Eccleſia tolerari*, quæ ſententia eſt Doctorum Pariſienſium atque etiam Adriani VI. Alphonſi à caſtro, & innumerorum aliorum certiſſima quidem & Catholica: quoniam Chriſtus, ut toto lib. 2. demonſtratum eſt; ampliùſque confirmabitur, claves & poteſtatem infallibilem decernendi unitati non uni contulit: quæque in contrarium opponit Bellarminus illudunt à petitione principii: & niſi abſolutâ poteſtate quam propugnat, armaretur, ei evidenter demonſtraremus nos poſſe juſtiſſimè & veriſſimè de illius erronea opinatione id confirmare quod falſò ſcholæ Pariſienſi affingit. Hoc enim liquet ex praxi Eccleſiæ primitivæ ſervatâ ſub octo Generalibus Conciliis, de qua aliàs: Deus optime maxime! in quæ nos tempora reſervaſti, ut falſæ æquè erroneæ opiniones confidentiùs veris atque Orthodoxis aſſerantur, avidiùſque recipiantur: hoc autem accidit, tum quia falſa probabiliora ſunt veris, tum quia innumeri homines magnam indè commodorum ſegetem emetunt, quibus ſi privarentur, Bellarmini opinio frigeret, vide cap. 1. libri 1. num. 13.

XXIX. At cap. 3. ejuſdem libri 4. de Rom. Pontifice hanc defigit propoſitionem. *Summus Pontifex, cùm totam Eccleſiam docet in his quæ ad fidem pertinent, nullo caſu errare poteſt.* Quam probat & cap. 22. Lucæ, enumeratis omnibus circumſtantiis colloquii Domini cum Petro: primùm, quia unicam tantùm perſonam deſignarit bis dicendo, *Simon Simon*, & toties ingeminando pronomen ſecundæ perſonæ tu: *rogavi pro te, fides tua*, & tu aliquando converſus confirma fratres tuos. Quorſum enim hæc inculcavit Chriſtus, niſi ut oſtenderet aliquid Petro hâc Chriſti oratione? Ego rogavi pro te Petre, &c. Secundò, cùm Dominus cœpiſſet loqui in plurali, *ſathan expetivit ut cribraret vos*, continuò mutatâ formâ loquendi ait: *Ego autem rogavi pro te: quare hic ut cœperat Dominus non pluraliter loquitur, ſi de tota Eccleſia ſermo erat, & ſi pro tota Eccleſia rogabat? Tertiò, Chriſtus pro illo rogat cui ait: & tu aliquando converſus. At hoc nullo modo poteſt toti Eccleſiæ convenire, niſi dicamus totam Eccleſiam aliquando eſſe pervertendam ut poſteà iterùm convertatur. Quartò, pro illo rogat cui ait, confirma fratres tuos: at Eccleſia non habet fratres quos debeat aut poſſit confirmare. Nam omnes Fideles ſunt Eccleſiæ filii non fratres. Quintò, ut eorum occurrat objectioni, qui perhibent hunc locum, ego rogavi pro te ut non deficiat fides tua, &c. de ſolo Petro nominatim non de ſucceſſoribus Petri intelligi (quoniam alioqui oporteret hæc verba, & tu aliquando converſus, convenire ſimiliter Petri ſucceſſoribus, ac proinde ſenſum eſſe, omnes Petri ſucceſſores debere etiam aliquando Chriſtum abnegare)* ut inquam huic occurrat objectioni, *Reſpondet Tò converſus non referri ad pœnitentiam Petri; ſed ad tentationes aliorum diſcipulorum: ita ut ſenſus ſit, tu Petre cujus fides non poteſt deficere, quandò videris aliquos nutantes & vacillantes, ad eos converſus illos confirma. Dico ſecundò Tò converſus à negatione, non neceſſariò convenire ſucceſſoribus Petri ut convertantur à peccato abnegationis Chriſti, ſed tamen eis neceſſariò convenire ut fratres confirment. Nam converti à peccato non convenit hominibus, niſi quatenùs privatæ perſonæ ſunt, &*

Digitized by Google

ideo perſonale donum eſt : at confirmare fratres convenit homini ut caput eſt, & princeps aliorum, & ideò tranſit ad ſucceſſores. Vallius eadem penè habet ad verbum lib. de ſuprema poteſtate parte 2. quæſt 1. fol. 218. Deindè Bellarminus ex cap. 16. Mathæi recoquit Petrum eſſe petram & fundamentum Eccleſiæ.

His ſubjungit aliquot Pontificum teſtimonia, ut Lucii I. Papæ & Martyris epiſt. 1. ad Epiſcopos Hiſpaniæ, quâ aſſerit Romanam Eccleſiam numquam erraſſe, nec hæreticis novitatibus depravatam ſuccubuiſſe, ſecundùm hanc pollicitationem Domini, ego rogavi pro te, &c. Adjungit & teſtimonium Felicis I. epiſtolâ ad Benignum, Item Leonis Magni ſermone 3. de aſſumptione, Agathonis Papæ, Nicolai I. Leonis IX. & Innocentii III. Item D. Bernardum epiſt. 190. ad Innocentium II. ſuper Petri Abaillardi novitatibus ita ſcribere, *oportet ad veſtrum referri Apoſtolatum pericula quæque & ſcandala emergentia in regno Domini, & præſertim quæ de fide contingunt; dignum namque arbitror ibi potiſſimum reſarciri damno fidei, ubi non poſſit fides ſentire defectum. Hæc quippè hujus prærogativa Sedis : cui enim alteri aliquando dictum eſt, ego rogavi pro te Petre ut non deficiat fides tua ? ergo quod ſequitur à Petri ſucceſſoribus exigitur : & tu aliquando converſus confirma fratres tuos.*

Attexit Origenem in caput 16. Mathæi dicere, *manifeſtum eſſe quamquàm non exprimatur, quòd nec adversùs Petrum, nec adversùs Eccleſiam portæ prævalere poterunt inferorum. Nam ſi prævalerent adversùs petram in qua Eccleſia fundata erat, contra Eccleſiam prævalerent.* Item Theodoretum aſſerere, *Sanctam Sedem Romanam ſemper hæretici furoris expertem permanſiſſe* epiſtolâ ad Renatum Presbyterum Romanum. Similiter Auguſtinus pſalmo contra partem Donati, *ipſa eſt petra* (inquit) *quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ.* Deindè ad incudem oraculum Chriſti, *paſce oves meas,* revocat; contenditque ſoli Petro dictum, ſicut & *ego rogavi pro te ut non deficiat fides tua.* Præterea argumentatur ab incommodo, quòd ſæpè cogi non poſſit Concilium Generale, ut primis trecentis annis flagrantibus perſequutionibus Ethnicorum, & ſine dubio talem ſtatum Eccleſiæ potuiſſe perſeverare uſque ad finem mundi. Ergo (inquit) debet eſſe in Eccleſia aliquis Judex alius, qui errare non poſſit præter Concilium Generale. Accedit quòd ſi in Generali Concilio Patres inter ſeſe, aut ab ipſo Pontifice Præſide diſſiderent, nullus tunc eſſet Judex : neque in eo caſu Concilium Judex eſſe poteſt : quia Concilia cùm à Pontifice diſſentiunt errare poſſunt, & errant de facto, ut patet de Epheſino ſecundo & aliis. Concludit ergo Deum videri defuiſſe in neceſſariis, niſi certum atque infallibilem Judicem reliquiſſet : & videri minùs bene Eccleſiæ quàm ſynagogæ providiſſe, cui dederat oracula *Urim & Thummim* Exodi 28. quæ in rebus dubiis conſulebantur à ſummo Sacerdote qui reſponſa populo dabat. Demùm ſubjicit omnes alias Sedes Patriarchales Romanâ exceptâ defeciſſe à fide, idque uſu venire, quia Chriſtus oravit ne fides Petri deficeret. Adnectit Romanum Pontificem multas hæreſes damnaviſſe ſine Generali Concilio, ut Pelagii, Priſcilliani, Joviniani, Vigilantii, &c.

Summa Collectionis Bellarmini eſt, debere eſſe in Eccleſia Judicem qui ſubitò & facilè adiri poſſit ad naſcentes controverſias definiendas : quique, ſi habeantur Concilia, Patres diſſidentes ad concordiam adigere, eiſque ſilentium imponere valeat. Quæ omnia argumenta ſolo Elencho petitionis principii fulciuntur : ſiquidem ſupponunt Eccleſiam conſervari non poſſe, niſi Papa ſucceſſor Petri ſit abſolutus infallibi-

Digitized by Google

ſis Monarcha. Sed ad ſingula veniamus : Primùm, quod de ſingularibus circumſtantiis Petri perſonam privatim cum excluſione aliorum Apoſtolorum deſignantibus objicit : ſeſe quidem aut alios fruſtratur Elenchi ignoratione, & à diviſis ad conjuncta : hîc enim facienda eſt harmonia omnium Evangeliorum, & conjunctim omnia legenda, ut ſenſus genuinus eliciatur : quia unus Evangeliſta rem unam, alius aliam exprimit : eſtque certiſſimum, ac Fide Catholicâ tenendum, primò Chriſtum omnibus Apoſtolis collectim, deindè ſeorſim Petro loquutum, Mathæi 26. *Omnes vos ſcandalum patiemini in me in iſta nocte, ſcriptum eſt enim : Percutiam Paſtorem & diſpergentur oves gregis.* Item Lucæ : *Ecce Sathanas expetivit vos ut cribraret ſicut triticum* : en pronunciatio periculi imminentis : deindè Joannis 17. omnibus etiam auxilium & gratiam pollicetur : *Pater ſancte ſerva eos in nomine tuo quos dediſti mihi : ego cuſtodivi & nemo ex eis periit, niſi filius perditionis, ut ſcriptura impleatur : non rogo ut tollas eos de mundo, ſed ut ſerves eos à malo, &c. Non pro eis autem rogo tantùm, ſed pro eis qui credituri ſunt per verbum eorum in me, ut omnes unum ſint, &c.* Quæ ad omnes generatim ſpectant. Hæc verò alia privatim ad Petrum, quem Dominus prævidebat graviore lapſu ruiturum, eo quòd cum Diabolus deberet vehementer percellere, uſque adeò certè, ut ter Magiſtrum abnegaturus eſſet etiam cum juramento & anathemate : quocirca majore Dei auxilio opus habebat. Undè Chriſtus illum nominatim ſic affatur : *Simon Simon, ego rogavi pro te ut non deficiat fides tua, tu autem converſus, &c.* Quæ tam clara ſunt, ut impoſſibile ſit Bellarminum doctiſſimum Theologum hæc non vidiſſe. Ex quo relinquitur illum de induſtria notiſſimæ veritati obſiſtere, quod peccatum eſt in Spiritum ſanctum.

Secundò, dum obtendit Dominum cœpiſſe loqui numero multitudinis, deindè confeſtim mutatâ formâ loquendi ſingulariter affari Petrum, hoc ſatis intelligitur & exploditur primâ reſponſione : quia, ut dixi, concordanda & conjungenda ſimul ſunt Evangelia. Prætereà, ut rectè monet Joannes Major in cap. 18. Mathæi, nihil repugnat in eodem textu unam partem, ſcilicet lapſum Petri de ſolo Petro capi, deindè gratiam Chriſti, ne ejus fides unquàm deficeret, utque fratres confirmet extendi ad totam Eccleſiam, quam Petrus repræſentabat propter primatum quem habuit in diſcipulos, quandoquidem favores ampliandi & rigores reſtringendi : ideòque abnegatio uni & ſoli Petro propria, facultas verò confirmandi fratres omnibus Apoſtolis, imò etiam & LXXII. diſcipulis proportionatim & reſpectivè convenit juxta Domini promiſſa, qui Joannis 17. unà cum Sacerdotii ſui collatione clarificavit & ſanctificavit ordinem hierarchicum, ut eſſet lux mundi & ſal terræ, Mathæi 5.

Tertiò, quòd Bellarminus vim facit in his verbis, *& tu aliquando converſus*, urgetque nullo modo dici poſſe toti Eccleſiæ convenire, &c., pura puta eſt argutia indigna Theologo, quoniam *Tù* confirma fratres tuos, non collectim de tota Eccleſia, quæ eſt *columna & firmamentum veritatis*, ſed disjunctim & ſeorſim de quibuſdam diſcipulis, qui tempore paſſionis & mortis Chriſti opus habebant confirmatione, intelligi debet. Hæc autem argutia pluſſatis ex reſponſione ad primum & ſecundum depellitur. Nam quotuſquiſque B. Virginem matrem Domini, & Lazarum, quem aliquot diebus ante paſſionem ſuam à mortuis ſuſcitarat, fidem amiſiſſe tempore paſſionis niſi impius credat? quod ipſum pariter de B. Joanne Evangeliſta tenendum arbitror, eamque ob rem Chriſtum

Digitized by Google

illi matrem ſuam commendaſſe, ſaltem hanc unam ex cauſis eſſe, cur ei commendarit.

Ad quartum, fallit æquivocatione vocis, dum perhibet Eccleſiam non habere fratres quos confirmet; ſiquidem Eccleſia plerumque pro cœtu omnium Fidelium, & aliquando pro ſolo ordine hierarchico ſumitur. Cùm ergo Dominus ordini hierarchico facultatem fratrum confirmandorum impertiat, certè partes Sacerdotum ſunt Chriſtianos in fide confirmare: quoniam mittuntur ad prædicandum Evangelium tanquàm Paſtores ad oves & Pedagogi ad diſcipulos, Joannis 20. ſicut miſit me Pater, & ego mitto vos. Ite docete omnes gentes, &c. Mathæi & Marci ultimo.

Quintò, Bellarminus cum ſeipſo pugnat, dum ait Tò *converſus non referri ad pœnitentiam Petri, ſed ad tentationes aliorum diſcipulorum, &c.* Nam meminiſſe debuit ſe tertio argumento nominatim dixiſſe Chriſtum pro illo ſingulariter rogaſſe, cui dixit, *& tu aliquando converſus, hocque non poſſe toti Eccleſiæ ſed uni Petro ſigillatim convenire: quia ſequeretur totam Eccleſiam eſſe aliquando pervertendam ut poſteà iterùm converteretur.* Cùm ergo hîc quærit effugia ſophiſtica, obtendens hæc verba, tu aliquando converſus non referri ad pœnitentiam Petri, ſed ad tentationes diſcipulorum: verùm de hujus loci dogmaticâ interpretatione, *ego rogavi pro te*, infra lib. 4. cap. 5. diſputabitur.

Sextò, quod ex cap. 16. Mathæi inducit Petrum ejuſque ſucceſſores eſſe petram & fundamentum Eccleſiæ, &c. ſupra hoc ipſo capite quæſt. 1. fuſè explicatum eſt.

Septimò, de teſtimoniis Pontificum Romanorum in ſua cauſa, quibus efficere nititur, hoc Eccleſiæ Romanæ indultum eſſe à Deo privilegium, ut numquam errare poſſit in fide, quia dictum eſt Petro, ego rogavi pro te Petre ut non deficiat fides tua. Primùm oppono Tò Eccleſia Romana nomen eſſe æquivocum, de quo infra lib. 4. cap. 4. Secundò epiſtolas quæ Lucio & Felici I. Martyribus tribuuntur, ex illarum eſſe numero, quæ Synodum Nicænam præceſſerunt, dubiæque ſunt fidei, teſte ipſomet Bellarmino lib. 2. cap. 14. de Romano Pontifice ſtatim initio. Tertiò tantùm ineſſe fidei omnibus epiſtolis genuinis Pontificum contendo, quantùm & juri divino, naturali & Canonico conſentiunt, ut aliàs oſtendimus.

XXX. Octavò, ad auctoritatem S. Bernardi rependo, quotquot in rebus ad fidem ſpectantibus Papæ præſidium implorant, id de Sedis Apoſtolicæ & Cathedræ Petri auxilio capi debere, juxtà praxim Eccleſiæ primitivæ ſuperiùs explicatam in analyſi epiſtolâ Hieronymi ad Damaſum PP. D. autem Bernardum ad hunc ſenſum loqui: quando optimè ſciret paulò ante cauſam Berengarii Synodicè non privato motu Papæ definitam fuiſſe. Ampliùs inſto eundem Bernardum lib. 4. cap. 5. de conſideratione ad Eugenium docere Cardinales inſtitutos eſſe ut orbem judicarent, ac proinde de toto orbe deligi & aſſumi debere: continuòque Collegium Cardinalium eſſe tanquàm Breviarium & Epitomam Concilii Generalis: & ſummo Pontifici in definiendis controverſiis velut ariſtocraticum conſilium debere aſſidere: idque ſi ut par & æquum eſt fiat, poſſe quodammodo ariſtocratico regimine & Synodali judicio æquipollere. Quapropter cuncta argumenta, quibus adverſarii probare volunt Eccleſias particulares conſueviſſe habere perfugio ſummum Pontificem dum aliquæ ſuboriuntur controverſiæ, non probant unum & ſolum Papam cum oligarchico conſilio, aut etiam unam & ſolam Eccleſiam Romanam ſecluſo aliarum Eccleſiarum conſilio & conſenſu eſſe infallibilem. Enimverò longè aliud eſt Petri Cathedra aut Sedes Apoſtolica & aliud Papa, aut diœceſis Romana, ut infra probabitur.

Digitized by Google

Nonò, in textu Origenis, quem citat Bellarminus, non tantùm dicitur portas inferi nequaquam prævalituras adversùs unum & ſolum Petrum, verumetiam contra alios Apoſtolos & diſcipulos, omneſque Fideles, id eſt, contra totam Eccleſiam collectim ſumptam: & ita hic textus nihil Bellarmino opitulatur, ſicut nec etiam quod Origenes aſſerit portas inferni non prævalituras contra petram in quam Eccleſia fundata eſt: hoc enim eſt æquivocum, & ut lib. 2. omnium Patrum conſenſu probavimus, vel de Chriſto petra eſſentiali, vel de fide à Petro edita, dogmaticè, aut etiam de perſona Petri, oratoriè intelligi poteſt; ſuntque alia argumenta clariora & validiora perveſtiganda adverſariis, ſi ſuum dogma de Papæ infallibilitate velint defigere.

Decimò, in meis operibus Theodoreti epiſtola, quam laudat Bellarminus, non extat, & dato quòd ita habeat, ut ſcribit *S. S. Romanam ſemper hæretici furoris expertem fuiſſe*, &c. oppono *tò* Sedem Romanam nomen eſſe æquivocum, nec pro ſolo Papa, ejuſque oligarchico conſilio capi, ut lib. 4. demonſtrabitur. Nam apprimè Theodoretus noverat Liberium Papam Arrianiſmo ſubſcripſiſſe, idemque eſt judicium de textu Auguſtini Pſalmo contra partem Donati, *ipſa eſt petra quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ:* ſiquidem *tò petra* homonymum eſt & Auguſtino potiſſimum ſignificat Chriſtum, ut lib. 2. docuimus.

Undecimò, hic textus, *paſce oves meas*, ſupra dogmaticè explicatus eſt lib. 2. cap. 6. hocque ipſo libro & capite quæſt. 1. adversùs eundem Bellarminum.

Duodecimò, incommoda quæ fingit Bellarminus mera ſunt commenta, aliàſque docui numquam pejus contigiſſe Eccleſiaſticæ diſciplinæ & moribus Chriſtianorum, præſertim Clericorum, quàm ab eo tempore quo ariſtocraticum regimen oppreſſum eſt, & in ejuſdem locum abſoluta Monarchia invaſit: idque neminem latet, modò notitiam habeat Eccleſiaſticæ hiſtoriæ. Nec mirum profectò hæc uſu veniſſe: qui enim à norma regiminis à Chriſto poſiti recedit, ponit carnem brachium ſuum, humanaſque adinventiones pro divinis ſubſtituit. Hinc ille ſplendor & pompa Curiæ Romanæ, in maximo omnium Eccleſiarum luctu.

XXXI. Decimò tertiò, quamquàm primis trecentis annis Concilia Generalia haberi non potuerint ob perſequutiones, nihilominùs frequenter ubique terrarum celebrabantur Synodi Provinciales, quibus hæreſes naſcentes profligatæ ſunt: non quidem à ſolo Papa aut ab aliquo privato ejus, ſed nativo Eccleſiæ Concilio inſtituto à Chriſto, Mathæi 18. *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis ſuper terram, &c. ubi enim fuerint duo vel tres congregati in nomine meo*, &c. Quocirca Bellarminus lib. 1. de conciliis cap. XI. aſſerit *medium ordinarium inſtitutum à Chriſto ad promerendos afflatus divinos, eſſe Synodum unam vel plures, parvam aut magnam: nullamque hæreſim extinctam fuiſſe unquam abſque alicujus Synodi celebratione:* Nam facienti quod in ſe eſt Deus non denegat gratiam. Undè Patres Nicæni cùm experti eſſent quàm hoc remedium ſalutare & neceſſarium eſſet, divinitus ſanxerunt ut annuatim bis haberentur Synodi Provinciales can. 5. Quòd ſi in ejuſmodi Synodis controverſiæ minùs ſufficienter definiri poſſent, ad ampliorem atque univerſaliorem communionem Sanctorum deveniebatur, ut docui aliàs, præſertim lib. 1. hiſtoriæ Conciliorum Generalium. Quibus poſitis ſatisfit quoque Vallio qui lib. 1. de ſuprema poteſtate parte 2. quæſt. 2. eadem planè quæ hîc Bellarminus obtrudit.

Decimò quartò, cauſam ſuam interimit, affirmans Eccleſiam potuiſſe uſque ad finem

Digitized by Google

mundi gubernari eo modo quo in primitiva Eccleſia tribus primis trecentis annis. Tunc enim Epiſcopus Romanus non habebatur pro Monarcha, ſed pro primate Epiſcoporum Can. 6. Nicæno, 3. Conſtantinopolitano & 28. Chalcedonenſi: regimen verò planè erat ariſtocraticum, & Epiſcopus Romanus cum aliis, quiſque in ſuo Epiſcopatu Canones mittebant in rem judicatam, omneſque rationem reddebant rerum à ſe geſtarum in ſuis privatis diœceſibus, ſi fortè aliquis etiam minimus quiſque de gravamine conquereretur: tum enim Epiſcopi auſterè atque monarchicè ut hodie non imperabant. Per quos autem ſtet, cur hæc æquanimitas regiminis minimè ſervetur, omnium optimè novit Bellarminus, & Vallius primâ parte libri de ſuprema poteſtate quæſt. 2. versus finem ſic declarat. *Dicam in tranſcurſu*, ait, *Vigorium & ſimilis farinæ homines cùm Monarchiam Eccleſiæ uſque adeò imminuant ac deprimant, magnam Eccleſiæ injuriam facere: ab eo enim tempore quo propter novas quorumdam opiniones Concilia Generalia ſuſpecta eſſe cœperunt Pontificibus, & ipſi indicere & congregare abnuerunt.* Certè quamdiù Concilia liberè & ariſtocraticè habita ſunt, impoſſibile fuit Epiſcopis omnia privato motu ſtatuere in ſuis diœceſibus ut hodie Pontificis imitatione omnes decernunt: quòd autem Vallius auctoritatem Concilii ſupra Papam novis adſcribit opinionibus, cæcutit: quia ariſtocraticum regimen antiquitate certat cum Evangelio; contra autem abſoluta Papæ Monarchia eſt commentum adulatorum & imperitorum hominum.

Decimò quintò, controverſiæ atque diſſidia, ſi quæ oriebantur inter Patres, aut ab illis ipſis ampliore Concilio, aut ab ipſis Imperatoribus decidebantur: qui eam ob cauſam intererant Synodis, aut Judices & Senatores aliquos mittebant in eum finem: lege acta Synodi Chalcedonenſis: itaque mera eſt petitio principii arguere Deum defuiſſe Eccleſiæ in neceſſariis, niſi Papam abſolutum Eccleſiæ Monarcham effecerit.

XXXII. Decimò ſextò, argumenta quæ à lege Moſaïca ducuntur non ſemper vera ſunt, propter diſcrimen naturæ utriuſque legis. Siquidem populus Judaïcus partim ordinariè ſecundùm legem ſcriptam & datam à Moſe, partim extraordinariè per Prophetas & conſuetudinem Oraculorum *Urim & Thummim* gubernabatur. At Chriſtiani ſolummodò reguntur lege ordinariâ poſitâ in Evangelio, & ſecundùm principia legis naturalis, atque regulas Ariſtocratici regiminis Eccleſiæ: & ſi quando Deus aliquid extraordinariè alicui revelet, id lege ordinariâ, divinâ & naturali examinari atque probari neceſſe eſt.

Decimò ſeptimò, illudit Elencho fallaciæ accidentis & conſequentiæ probationis, objiciens cæteras Sedes Patriarchales exceptâ Romanâ defeciſſe à fide: his dum animum adjicio, vix poſſum oculos à lacrymis continere, mihique ſubit in mentem dictum B. Pauli, *Noli gloriari adversùs ramos, non tu radicem portas, ſed radix te, noli altum ſapere*, ſed time, Roman. XI. Faxit Deus in æternum inconcuſſa maneat fides Sedis Romanæ. Certè cùm Scriptura teſtetur Petrum ſediſſe Antiochiæ Galat 2. & ſolo teſtimonio Patrum conſtet ſediſſe Romæ, non poteſt validum duci argumentum pro infallibilitate Romanæ Sedis contra Antiochenam ex collectionibus Bellarmini: quia tantumdem uſui eſſe poſſunt Sedi Antiochenæ quàm Romanæ: attamen illâ defectâ fide, mittamus ergo hæc arcana ſoli divinæ ſapientiæ cognita: venient tempora quibus dicetur, *Ecce hic eſt Chriſtus, ecce illic eſt, nolite credere, ecce enim regnum Dei intra vos eſt*, Mathæi 24. & Lucæ 17. ubinam tum erit Sedes Romana? Certè Chriſtus Mathæi 28.

Digitized by Google

pollicetur ſe tandiu adfuturum Eccleſiæ, quandiu mandata ſua ſervabit. *Ite docete eos ſervare omnia, quæcumque mandavi vobis, & ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi,* quæ pollicitatio totam Eccleſiam reſpicit, non privatim Sedem aut Diœceſim Romanam, ut immutabiliter Chriſti præcepta ſervet.

XXXIII. Decimò octavò fallit à diviſis ad conjuncta, dum ſoli Pontifici Romano attribuit extinctionem hæreſeum, quæ Synodicè in Conciliis Provincialibus damnatæ ſunt, antequam poſſent haberi Concilia Generalia: Deus enim qui nunquam deeſt in neceſſariis, flagrantibus perſequutionibus ita voluit hæreſes opprimi: & poſtquam Imperatores nomen dederunt Chriſto, voluit Deus id Generalibus Conciliis fieri, ut univerſalis Sanctorum communio iniretur, atque omnes Eccleſiæ inter ſe coirent, ac ſeſe mutuò ad virtutem, pietatem & charitatem abundantiùs excitarent: ſimiliter ab eo tempore quo liberè & ariſtocraticè celebrari deſierunt, ſummâ Dei providentiâ Univerſitates & Collegia Doctorum excitata & erecta ſunt in tota Europa: ubi Theologia & cæteræ artes liberales ariſtocraticè tractatæ fuerunt: ſicque per quandam analogiam Univerſitates vicem Synodorum quodammodò ſuppleverunt: ac ſeſe erroribus naſcentibus oppoſuerunt, & jus commune ſanamque doctrinam in hunc diem propugnarunt. Nam exempli gratiâ, ubi Bonifacius VIII. ſibi utriuſque gladii poteſtatem jure divino arrogavit, Gallicana Eccleſia & Pariſienſis Academia Bonifacio acriter obſtitit: naſcente hæreſi Lutheri & Calvini Academiæ vicem Synodorum compenſarunt, in eamque rem extant Pariſienſes atque Lovanienſes articuli, quos qui legerit conſideratè, videbit quidem magno uſui fuiſſe Tridentinis Patribus. Certè ex Calvini inſtitutione liquet Doctores Sorbonicos omnem vim ac primam oppreſſionem iſtius hæreſeos ſuſtinuiſſe ac repreſſiſſe in Galliis, nulla enim eſt pagina in qua Calvinus cum Sorbonicis Doctoribus non acriter colluctetur. Gerſonius tractatu de reſolutione circa materiam excommunicationum & irregularitatum docet aliquot Doctorum ſententias ſatis eſſe ad conſulendum conſcientiis aliquâ emergente controverſiâ, quoad Eccleſia aliter ſtatuat & provideat: & tractatu de examinatione doctrinarum parte 2. conſider. 5. declarat, quàm ſit neceſſarium ſtudia Theologiæ libera inſtitui & conſervari quaſi in fonte, & ad hoc faciendum Principes univerſos Chriſtianitatis fruſtra interpellat & ſollicitat: quia hodie ſive inter Eccleſiaſticos, ſive inter Laïcos, nemo ejus rei curam capeſcit, undè Academiis omnibus Europæ cum ariſtocratica libertate tractandi Theologiam oppreſſis, nihil poſthac ſupererit libertatis in Eccleſia: idque feneſtram aperiet innumeris novitatibus abuſivis & doctrinis peſtilentibus: quarum jam ſpecimen videmus: adeò ut ***nemo ampliùs doctrinam Catholicam de poteſtate clavium immediatè conceſſa Eccleſiæ, deque ſuprema & independente politicæ poteſtatis auctoritate tueri audeat;*** quin hæc ſolemnia audiat ſchiſmaticus, hæreticus, perduellis, &c.

XXXIV. Sed revertor ad analyſim noſtram: ſiquidem Bellarminus lib. 4. de Romano Pontifice cap. 4. contendit Eccleſiam Romanam etiam ut particularem diœceſim errare non poſſe in fide: idque probare tentat iiſdem penè argumentis, quibus antè probavit Papam errare non poſſe in fide: adjungit Cypriani epiſt. 55. ad Cornelium contra Feliciſſimum & Fortunatum: *Navigare audent ad Petri Cathedram atque Eccleſiam principalem, undè unitas Sacerdotalis exorta eſt &c. nec cogitare eos eſſe Romanos, quorum fides Apoſtolo prædicante laudata eſt, ad quos perfidia habere non poſſit acceſſum.*

Digitized by Google

Subnectit Hieronymum lib. 3. Apologiæ contra Rufinum. *Scito* (inquit) ***Romanam Fidem Apoſtolicâ voce laudatam ejuſmodi præſtigias non recipere, etiamſi Angelus aliter annuntiet, quàm ſemel prædicatum eſt, Pauli auctoritate munitam non poſſe mutari*** : Gregorium Nazianzenum. ***Vetus Roma ab antiquis temporibus habet rectam Fidem, & ſemper eam retinet, ſicut decet Urbem quæ toti orbi præſidet ſemper de Deo integram Fidem habere.*** Addit Martinum V. in Bulla ſemper approbatione Concilii Conſtantienſis comprobata à Patribus, declarare eos eſſe hæreticos qui de Sacramentis aut Fidei articulis aliter ſentiunt, quàm Romana Eccleſia ſentiat. Item Sixtum IV. damnaſſe articulos Petri Oxonienſis, quorum unus erat, Eccleſiam Urbis Romæ poſſe errare : hincque concludit piam & probabiliſſimam eſſe ſententiam Petri, Sedem & Cathedram immobiliter urbi Romæ conjunctam, conſequenterque Romanam Eccleſiam non poſſe errare nec deficere.

Præterea cap. 6. ejuſdem libri 4. ſtatuit eſſe probabile, & piè credi poſſe ſummum Pontificem etiam ut peculiarem perſonam non modò ut Pontificem nullo modo in hæreſim cadere aut aliquid erronei contra fidem poſſe docere. Sed ego miror doctiſſimo Bellarmino tam futilia argumenta in mentem nedum in calumniam venire potuiſſe, cùm ſint planè æquivoca, oratoria & ſophiſtica : quandoquidem huic ruinoſo innituntur principio : quòd Chriſtus B. Petrum infallibilem Eccleſiæ Monarcham conſtituerit, atque infallibilitatis privilegium ad Petri ſucceſſores tranſmiſerit: quæ falſa eſſe præcedentibus quæſtionibus docuimus, & conſequenter hi omnes conatus Bellarmini evaneſcunt. Verumtamen, quia nobis res eſt cum procacibus & litigioſis hominibus, omnia ſeorſim examinabimus. Primò, ad textum hunc Cypriani, ***navigare audent ad Petri Cathedram***, *&c.* ſupra lib. 2. in analyſi teſtimoniorum Cypriani & lib. 3. cap. 13. monuimus per Petri Cathedram doctrinam legis Evangelicæ ab *Apoſtolis* traditam, & dehinc ſynodicè conſtitutam juxta morem ab Apoſtolis edoctum intelligi: ſiquidem ſæculo Cypriani & ſequentibus, quibus octo prima Concilia Generalia celebrata ſunt, Epiſcopi Romani nihil privato motu decernebant, ſed omnia Synodicè & Ariſtocratico regimine conſtituebantur : quarè idem Cyprianus epiſt. 55. ad Cornelium memorat ***florentiſſimum Clerum Romanum cum Cornelio PP. præſidere***, id eſt, gubernare Eccleſiam. At de fide Romanorum quam magnis effert laudibus Apoſtolus cap. 1. ad Romanos, hæc æquivocatione laborant, neque uſui eſſe poſſunt conſtituendo dogmati. Quid enim poteſt ex eo inferri quòd Paulus zelum & fidem Romanorum laudavit. Certè nullâ Theologiæ aut Dialecticæ regulâ doceri poteſt id duraturum in æternum. Verba pendamus. ***Primùm quidem gratias ago Deo meo per Jeſum Chriſtum pro omnibus vobis, quia Fides veſtra annuntiatur in univerſo mundo.*** Certè eadem fermè refert de Theſſalonicenſibus 2. epiſt. cap. 1. ubi ait : ***Factos formam omnibus credentibus in Macedonia & Achaia, ita ut indè perſonaverit ſermo Domini, & in omni loco fides eorum ad Deum profecta ſit.*** Porrò, cùm Roma caput eſſet Imperii, eòque ex omnibus mundi partibus homines confluerent, certum eſt quamprimùm Evangelium ibi publicatum eſt, omnibus aliis gentibus & populis innotuiſſe : idque eſt, ſi mentem Apoſtoli ad litteram capiamus, quod hæc verba ſonant, quia ***Fides veſtra annuntiatur in univerſo mundo.*** Item Paulus eorum zelum laudat, ut eis faciliùs quæ ſtatuerat, perſuaderet. Annuoque lubens Romanos ardenter

Digitized by Google

denter Evangelium amplexos. Hoc enim ſanguis innumerorum Martyrum qui Romæ paſſi ſunt teſtificatur. Sed Cyprianus narrat *perfidiam iſtuc habere non poſſe acceſſum?* Oppono hæc eſſe æquivoca & ad ea quæ paulò ante dixerat referenda, cùm de mendaciis Fortunati pſeudo-Epiſcopi & aſſeclarum ageret: qui quidem ut Cornelium præoccuparent, *antea Romam cùm mendaciorum ſuorum merce navigarant, quaſi veritas poſt eos navigare non poſſet quæ mendaces linguas rei certa probatione convinceret, atque hæc eſt frater Corneli, vera dementia non cogitare neſcire quòd mendacia non diu fallunt, noctem tamdiu eſſe quamdiu illuceſcat, &c.* Siquidem quamquàm Fortunatus à quinque tantùm pſeudo-Epiſcopis cooptatus fuiſſet, retulerat tamen Cornelio ſe canonicè à viginti quinque Epiſcopis Orthodoxis delectum: cujus fraudis cùm Cornelius Cyprianum feciſſet certiorem, hic jure meritoque Cornelio gratulatur, quòd apud eum perfidia nullum acceſſum habuerit. Vide Lector Cypriani epiſtolam 55. ad Cornelium & me omni fide inpoſterum abdica, ſi ulla in re me tibi prudenter & conſultò verba dare cognoveris.

Secundò, locus Hieronymi in alienum pariter ſenſum detorquetur à Bellarmino. Cùm enim aliquot homilias Origenes in latinum tranſtuliſſet, atque Ruffinus ſcripſiſſet ſic converſas eſſe à Hieronymo, ut nihil in illis eſſet, quod à fide Catholica diſcreparet, & tamen eoſdem libros Origenis ut hæreticos criminaretur, atque alias ejuſmodi præſtigias adversùs Hieronymum publicaret, quo ejus fidem ſuſpectam Romæ efficeret: tandem Hieronymus ad Ruffinum ita ſcribit. *Scito Romanam fidem Apoſtolicâ voce laudatam iſtiuſmodi præſtigias non recipere: etiamſi Angelus aliter annuntiet, quam ſemel prædicatum eſt Pauli auctoritate munitam non poſſe mutari.* Cæterùm quod Hieronymus hoc in loco præſtigias Ruffini vocat, paulò ante *argutiarum ſtrophas* nominavit: vis ſcire totas argutiarum tuarum *ſtrophas, & vulpecularum inſidias quæ habitant in parietinis, &c. eloquentiam meam fers in Cælum ut fidem in cœnum deprimas, &c.* Ut ut ſit, locus eſt oratorius & ambiguus, & qui nullo modo ad Bellarmini propoſitum conducit.

Tertiò, Gregorius Nazianzenus rectè dicit Romam ab primis Apoſtolorum temporibus habere rectam fidem, & eam ſemper retinere, &c. quod de ſuo tempore intelligit: non enim agit prophetam, neque de futuro loquitur, neque etiam de Papa ſigillatim ſumpto, quippè qui optimè ſciret Liberium ſubſcripſiſſe Arrianiſmo.

Quartò, in Bulla Martini V. nomen Romanæ Eccleſiæ non pro ſola Diœceſi Romana, ſed pro tota Eccleſia Catholica capitur, juxtà decretum Conſtantienſis Synodi ſeſſione 8. articulo 41. errorum Joannis Wicleff.

Quintò, de Petro Oxomenſi infra lib. 4. cap. 4. diſputabitur cum Vallio.

Eodem lib. 4. de Romano Pontifice à capite 8. contra eos velitatur, qui ex hiſtoriis probant multos Pontifices aut idololatras ut Marcellinum, aut hæreticos ut Liberium Honorium, &c. Qua in re nolo ego morari, neque etiam in multis aliis quæſtionibus quas contra hujus temporis hæreticos agitat: quoniam de illis multa eſt inter Catholicos difficultas.

XXXV. At cap. 22. quærit utrùm Chriſtus juriſdictionem Eccleſiaſticam ſoli ſummo Pontifici immediatè contulerit: & factâ diſtinctione triplicis poteſtatis, nimirùm ordinis Epiſcopalis & Presbyteralis, deindè juriſdictionis in foro interiori & externæ juriſdictionis per cenſuras & legum conſtitutionem: tum demùm cap. 24. ſtatuit omnem ordinariam poteſtatem juriſdictionis exterioris Epiſcoporum, non eis per ordinem,

ſed immediatè à Papa conferri, duas verò aliàs poteſtates, ſcilicet ordinis & juriſdictionis in foro pœnitentiæ per collationem ſacrorum ordinum tribui. Quam diſputationem Vallius quoque lib. de ſuprema poteſtate quæſt. 2. iiſdem pene argumentis poſt Bellarminum ſolicitat: cujus hæ ſunt rationes. Quòd Numerorum xi. cùm ſolus Moſes totum populum regere non poſſet, Deus juſſerit adeſſe LXX. ſeniores, atque abſtulerit de ſpiritu Moſis ut illis daret, unàque populum regerent: ideòque Auguſtinum quæſt. 18. in librum Numerorum obſervare iſtam ablationem ſpiritûs à Moſe non ſignificare diminutionem ſpiritûs & virtutis in Moſe, ſed ablationem ſpiritûs & virtutis à Moſe in ſeniores; volunt enim oſtendere in Moſe reſidere totam auctoritatem, alios autem, ſi quam habent, à Moſe habere. Conſtat autem Pontificem in Eccleſia eum locum habere quem habuit Moſes in populo Judaïco. Hoc ampliùs probat ex cap. 16. Mathæi, *Tu es petra & ſuper hanc petram*. Item Joannis 21. *Paſce oves meas, &c.* quia regimen eſt Monarchicum, & ad hunc modum omnes Monarchiæ regi debent: ita ut ab uno Monarcha tota fluat auctoritas in alios. Quod illuſtrat quatuor ſimilitudinibus quas uſurpat Cyprianus lib. de unitate Eccleſiæ, ubi Sedem Petri comparat capiti, radici, fonti & ſoli: Nam in omni corpore virtus membrorum derivatur à capite, & in omni arbore virtus ramorum à radice, in omnibus rivis aqua fluit ex fonte: omnium denique radiorum ſolarium lux eſt à ſole. Dehinc argumentatur ab inæqualitate juriſdictionum: Nam ſi Deus immediatè conferret Epiſcopis juriſdictionem, omnes Epiſcopi æqualem haberent juriſdictionem, ſicut habent æqualiter ordinis poteſtatem: Nam unus Epiſcopus habet unum oppidum regendum, alius verò centum oppida, alius multas provincias, hoc autem non eſt à Deo, ſed quia ſic placuit, Pontifici qui juriſdictionem dedit. Quòd ſi Epiſcopi ſuam haberent juriſdictionem à Deo, non poſſet Papa illis auferre aut mutare; quia nihil poteſt contra jus divinum. At certum eſt Papam id poſſe facere & ſæpè feciſſe. Ergo ab illo manat juriſdictio immediatè non à Deo. Cui argumento reſpondent (inquit Bellarminus) Papam poſſe auferre materiam, id eſt populum ſubjectum Epiſcopo, eumque alteri ſubjicere: contra (inquit) cùm poteſtas juriſdictionis relationem ſignificet Prælati ad ſubditum, & ex relativis uno poſito vel ſublato, alterum quoque poni vel tolli oporteat; conſurgit, ſi juriſdictio formaliter non tolli poſſit Epiſcopo: neque etiam eidem materiam ſeu titulum & populum ſubjectum tolli poſſe, quia hæc tanquàm correlata ſeſe mutuò ſequuntur. Denique mirum omninò eſſet, ſi divina providentia quæ ſuaviter cuncta diſponit, noluiſſet per Papam juriſdictionem dari per quem eam voluit augeri, minui atque penitùs tolli: Præterea quæris teſtimonia juris divini, quibus probetur Epiſcopos habere à Chriſto immediatè juriſdictionem: verùm id non poteſt oſtendi, niſi verbis quibus ampliſſima poteſtas conceſſa eſt Apoſtolis in univerſam Eccleſiam. At conſtat apud omnes Epiſcopos non ſucceſſiſſe huic ampliſſimæ poteſtati: ſiquidem poterant Apoſtoli toto orbe terrarum prædicare, fundare Eccleſias, libros Canonicos edere, miracula patrare, & cætera ejuſmodi quæ nullo modo Epiſcopis conveniunt. Hæc cap. 25. lib. 4. de Romano Pontifice: quo argumento Severinus Binius in notis ad ſecundam epiſtolam Anacleti PP. tom. 1. Conciliorum utitur. Subnectit Bellarminus aliquot graviſſima teſtimonia Romanorum Pontificum. Primum Innocentii I. epiſtolâ ad Carthaginenſe Concilium quæ eſt 91. epiſtolarum Auguſtini: *A Petro (inquit Innocentius) ipſe Epiſcopatus & tota aucto-*

Digitized by Google

ritas nominis hujus emerſit : & in epiſtola ad Concilium Milevitanum quæ eſt 93. inter epiſtolas Auguſtini, *arbitror omnes fratres & Coepiſcopos noſtros non niſi ad Petrum, id eſt, ſui nominis & honoris auctorem referre debere.* Item S. Leo ſermone 3. de ſua aſſumptione ad Pontificatum. *Si quid Chriſtus commune cum Petro aliis voluit eſſe Principibus, numquam niſi per ipſum dedit quicquid aliis non negavit, &c.* Nec obſtat (inquit Bellarminus) quòd Apoſtoli non acceperint à Petro juriſdictionem; nam Leo loquitur de modo ordinario, quo Deus Eccleſiæ Principibus, id eſt, Epiſcopis dona ſua & juriſdictionem confert: dicitque ordinariè per Petrum dari: Apoſtoli autem extraordinario privilegio à Chriſto acceperunt ſuam juriſdictionem.

Capite 25. libri ejuſdem valdè diſtrictus eſt ut aperiat quonam modo Epiſcopi Apoſtolis & Presbyteri LXXII. diſcipulis ſucceſſerint, crambremque millies recoctam oggerit, ſcilicet Petrum non Apoſtolos fuiſſe Paſtores ordinarios, & continuò Papam propriè ſuccedere Petro non tanquam Apoſtolo, ſed tanquàm Paſtori ordinario: neminem verò ſucceſſiſſe Apoſtolis, quia extraordinarii erant, & velut legati: atque Epiſcopos dici ſuccedere Apoſtolis non propriè eo modo quo unus Epiſcopus alteri ſuccedit, ſed duplici aliâ ratione: Primùm, propter ſacrum ordinem Epiſcopalem. Secundò, per quamdam ſimilitudinem & proportionem, quia nimirùm ſicut Chriſto in terris vivente primi ſub Chriſto erant Apoſtoli duodecim: deindè LXXII. diſcipuli: ita nunc primi ſub Romano Pontifice ſunt Epiſcopi, & poſt eos Presbyteri, &c.

Denique eodem modo ſuccedunt Epiſcopi Apoſtolis quo Presbyteri LXXII. diſcipulis ut patet ex Anacleto epiſtolâ 3. & Bedâ in cap. 10. Lucæ: verùm conſtat Presbyteros non ſuccedere propriè LXXII. diſcipulis, ſed ſolùm per ſimilitudinem: nam 72. diſcipuli non fuerunt Presbyteri, nec ullum ordinem aut juriſdictionem à Chriſto ſuſceperunt: ſiquidem Philippus & Stephanus atque alii quinque Diaconi ordinati ab Apoſtolis actor. 6. erant ex numero 72. ſicut Epiphanius memorat hæreſi 20. quæ eſt Herodianorum. Quod argumentum Binius quoque in notas ad epiſtolam 2. Anacleti conjecit.

Præterea occurrit objectioni quam duci videbat ab Apoſtoli auctoritate actorum 20. *Attendite vobis & univerſo gregi in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.* Et Epheſiorum 4. *Ipſe dedit quoſdam Apoſtolos, alios Prophetas, alios Paſtores, Doctores, &c.* Quibus ex locis colligitur Epiſcopos immediatè habere juriſdictionem à Deo, cùm præſertim Hieronymus atque alii Patres nomine Doctorum & Paſtorum Epiſcopos intelligant cap. 4. ad Epheſios. Bellarminus autem, ut hanc declinet petitionem duo reſpondet: Primùm, Epiſcopos dici conſtitutos à Spiritu ſancto, non immediatè, ſed mediante Apoſtolorum miniſterio, qui inſpirante Spiritu ſancto illos inſtituerunt, ſicut cùm Actorum 15. dicitur, *Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis*, & Roman. 13. *Non eſt poteſtas niſi à Deo*: nimirùm mediatè vel immediatè. Secundò, opponit Apoſtolum exprimere generalem ordinem Eccleſiæ à Chriſto inſtitutum antequàm Cælos aſcenderet: eumque juris eſſe divini, & tamen non omnes Epiſcopos habere immediatam auctoritatem à Chriſto, ſed mediante Romano Pontifice. Pariter hanc aliam objectionem diluere tentat, videlicet, Eccleſiam à ſuo ſtatu corruere, mortuo Papâ, dato quòd Papa ſit ſupremus Monarcha Eccleſiæ, ſoluſque poſſit conferre juriſdictionem Epiſcopis: hinc enim ſequitur procedi non poſſe ad novam creationem Epiſcoporum, mortuo Papâ. Reſponderque Bellarmi-

Digitized by Google

nus magnum eſſe diſcrimen inter caput naturale & caput myſticum, quoniam membra corporis naturalis nequeunt conſervari abſque continuo influxu capitis naturalis: membra verò capitis myſtici, præſertim miniſterialis & externi pendêre quidem à capite ut fiant, non tamen ut conſerventur. Itaque, inquit, Epiſcopalis juriſdictio ſemal collata Epiſcopis non amittitur, moriente Papâ qui dedit, ſed moriente Epiſcopo qui eam accepit, aut auferente eam qui poteſt auferre. Inſuper cùm videret ex communi axiomate, quod dat eſſe, unà dat conſequentia ad eſſe, colligi juriſdictionem eſſe neceſſariam ad ordinem Epiſcopalem ſuſtinendum: & continuò Deum qui deeſſe non ſolet in neceſſariis illam unà cum ordine Epiſcopali conferre, ſaltem quoad habitum, ut omnes penè Theologi docent. Reſpondet Bellarminus poteſtatem ordinis & juriſdictionis à Deo quidem conferri, ſed illam immediatè & per ſe, hanc verò mediante Papâ, cujus ſuæ reſponſionis hanc aſſignat cauſam, quòd poteſtas ordinis characterem & gratiam quæ à ſolo Deo tribui poſſunt, exigat: juriſdictio autem ſolùm pendeat à voluntate Superioris illam conferentis.

Occurrit & alii objectioni ductæ à praxi Eccleſiæ: nam dato quòd opinio hæc Bellarmini vera ſit, urgemus innumeros extitiſſe per mundum Epiſcopos in Aſia, Græcia & alibi qui nunquàm miſſionem aut juriſdictionem ſuam à Papa, ſed ab Eccleſia derivarunt: & ideò ſequi in illis Provinciis Eccleſiam defeciſſe, nec ullam potuiſſe ferre legem aut cenſuras & alia ejuſmodi: neque etiam abſolvere à peccatis. Reponit Bellarminus non jam eſſe neceſſarium ut Papa immediatè creet Epiſcopos, ſed ſatis eſſe ſi id faciat mediante alio, hoc eſt, per Patriarchas & Archiepiſcopos, quos S. Petrus initio creavit Alexandriæ, Antiochiæ & aliis locis.

Demùm it obviam alii objectioni petitæ à litteris Pontificis, qui quidem alios Epiſcopos Fratres, Collegas & Conſacerdotes ideò appellare ſolet, quòd omnes *ſint* ex æquo participes Sacerdotii Chriſti, qui communis pater eſt omnium. At reſpondet Bellarminus Papam Epiſcopos ſic vocare: primùm, ratione ordinis Epiſcopalis, qui ex æquo communis eſt omnibus: ſecundò, ratione juriſdictionis, quoniam Epiſcopi aſſumuntur à Pontifice in partem ſolicitudinis, ut ipſius onus non ut aliquod inferius miniſterium ſuſtineant.

XXXVI. Et hæc ſunt argumenta, quibus Bellarminus ſuam abſolutam Monarchiam contra propriam conſcientiam inſtruere molitur. Siquidem impoſſibile eſt doctiſſimum Theologum verſatum in Patrum lectione inſcium eſſe veritatis manifeſtiſſimæ quam oppugnat; idque magis innoteſcet ſingulorum analyſi. Primùm, locus quem citat ex cap. xi. Numerorum ſuam opinationem planè confutat: quoniam ubi Joſue vidit in caſtris Meldad & Eldab duos ex LXXII. Senioribus qui in caſtris remanſerant, ſpiritu prophetiæ afflatos, ſic Moyſem affatus eſt: *Domine mi prohibe eos: ad quem Moyſes: Quid æmularis pro me? quis tribuat ut omnis populus prophetet, & det eis Dominus Spiritum ſuum?* Quibus verbis liquet illos ſpiritum propheticum immediatè habuiſſe à Deo, non à Moſe: cùm abſente atque inſcio Moſe prophetarent in caſtris. Occurrit & teſtimonium Auguſtini falsò laudatum à Bellarmino. Præbe aurem Lector. *Nunc autem* (ait Auguſtinus) *cùm ita ſcriptum ſit, & auferam de ſpiritu qui eſt ſuper te, nec dictum ſit de ſpiritu tuo, facilior eſt abſolutio quæſtionis, quia intelligimus nihil aliud ſignificare voluiſſe, niſi ex eodem ſpiritu*

Digitized by Google

gratiæ illos quoque habituros adjutorium ex quo habebat Moſes : & ut iſti tantum haberent , quantum Deus vellet , non ut ideò Moſes minus haberet. Hæc Auguſtinus nominatim docens contra quam aſſerit Bellarminus Seniores ex eodem Spiritu gratiæ tantum habuiſſe, non quantum Moſes, ſed quantum Deus vellet : ſicque relinquitur illos non à Moſe, ſed immediatè à Deo ſuam habuiſſe auctoritatem. Nam lectio Hebraïca, quam Auguſtinus ſequi videtur, habet *de ſpiritu qui in te eſt*, *non de ſpiritu tuo*, ut legit vulgaris interpretatio. Equidem & Gloſſa & Lyranus ejuſdem ſunt ſententiæ cum Auguſtino : *Sciendum*, ait Lyranus, *quòd ſimilitudo iſta non tenet quantùm ad cauſam effectivam, ita quòd donum gratiæ in Moſe exiſtens cauſaret gratiam in aliis effectivè ; ſed tantùm meritoriè, in quantùm ad preces Moſis ad ejus ſublevationem alii fuerunt illuminati.* Toſtatus quæſt. 40. in caput Numerorum quæſtionem à Bellarmino poſitam excitat & quæſt. 41. diſſolvit : *Dicendum*, ait, *quòd Spiritus Moſis non fuit minoratus aliquo modo, ſed Deus dedit ſimilem Spiritum aliis, ut regerent ſicut Moſes : & tunc erit ſenſus, auferam de ſpiritu de quo dedi tibi, quaſi dicat, ego dedi tibi Spiritum propheticum, & de Spiritu etiam prophetico dabo iſtis, vel accipitur tuus, id eſt, ſimilis tui, &c.* Hoc ipſum idem Toſtatus confirmat quæſt. 53. & 66. in idem caput xi. Numerorum. Certè longè aliud eſt dicere ſpiritum Moſis, id eſt, ejus auctoritatem atque virtutem non imminutam, eo quòd immediatè communicatus fuerit à Deo LXX. Senioribus, & aſſerere hos auctoritatem habuiſſe à Moſe ; primum enim veriſſimum, hoc poſtremum falſiſſimum eſt, quia omnes Seniores immediatè auctoritatem ſuam repetunt à Deo, ſicut Moſes. Et quamquàm ea quæ fingit Bellarminus vera eſſent, nihilominùs non ſequeretur locum habere in lege Evangelica propter diſcrimen utriuſque legis : enimverò Moſes non tantùm erat Sacerdos, ſed etiam Princeps politicus, ideòque Papa potiùs Aaroni, quàm Moſi conferri debet. De diſcrimine legis Gratiæ & Moſaïcæ alius erit dicendi locus.

Secundò, Chriſtus his oraculis, Tu es petra & ſuper hanc petram, &c. Paſce oves meas, &c. contulit Petro non abſolutam & Monarchicam, ſed dumtaxat miniſterialem poteſtatem in ordine ad regimen Ariſtocraticum, ut ſupra docuimus hoc capite quæſt. 1. contra Bellarminum.

Tertiò, negatur Bellarmino Eccleſiam debere gubernari ad formam Monarchiarum temporalium : hocque argumentum fallit à ſuppoſitione principii, & ab inconſequentia probationis: ut hoc fit in aliis Monarchiis : ergo & in Eccleſia debet fieri : habenda enim eſt ratio naturæ poteſtatis miniſterialis quæ ab imperio abſoluto abhorret.

XXXVII. Quartò, ſimilitudines à Cypriano uſurpatæ rapiuntur à Bellarmino in ſenſum contrarium menti & propoſito Cypriani : hic enim eas Eccleſiæ attribuit, quæ ſecundùm Chriſtum eſt cauſa efficiens omnium Chariſmatum : at Bellarminus eas uni & ſoli Papæ perperam addicit. Vide analyſim Collectaneorum Cypriani ſupra lib. 2. cap. 4.

XXXVIII. Quintò, argumentum ab inæqualitate juriſdictionis petitur ab hodierna praxi, quâ ſummus Pontifex Italiæ Epiſcopo, qui penè innumeri ſunt, exiguas diœceſes, puta urbem aut aliquod oppidum diſtribuit regenda, cui praxi uſus

Digitized by Google

Eccleſiæ primitivæ omninò contrarius eſt. Hicque Bellarminus fallit æquivocatione vocis juriſdictionis quæ duobus modis poteſt conſiderari. Primùm, objectivè, formaliter, quoad eſſentiam, intenſivè, quoad habitum & activè: Secundò, ſubjectivè, quoad exiſtentiam, extenſivè, materialiter & paſſivè: priori modo eſt quidem prorſus invariabilis, & ejuſdem naturæ, virtutis ac poteſtatis in omnibus Epiſcopis, quibus unà confertur cum ordine Epiſcopali: poſteriori modo eſt variabilis & mutabilis, ſuſcipitque magis & minùs; pendetque ab Eccleſiæ inſtitutione & conſuetudine. Quarè legimus univerſum orbem Chriſtianum diviſum in tres Patriarchatus, Romanum ſcilicet, Alexandrinum & Antiochenum Can. 6. Nicæno. Poſteà quartus & quintus Patriarchatus Conſtantinopoli & Hieroſolymis inſtituti ſunt. Quocircà Epiſcopus unius oppidi intenſivè & formaliter tantùm habet auctoritatis & juriſdictionis, quantùm Epiſcopus ducentarum urbium: ſicut homo puſillus æquè eſt homo atque gigas. D. Hieronymus *diſt. 93. Can. legimus* §. *ubicumque fuerit Epiſcopus ſive Romæ, ſive Eugubii, ſive Conſtantinopoli, ſive Rhegii, ſive Alexandriæ, ſive Tanis, ejuſdem eſt meriti & Sacerdotii: potentia divitiarum & paupertatis humilitas vel ſublimiorem vel inferiorem Epiſcopum non facit. Caterùm omnes Apoſtolorum ſucceſſores ſunt.*

Sextò, continuat in Elencho ab æquivocatione, dum perhibet Papam poſſe auferre juriſdictionem Epiſcopis: ſiquidem neque Eccleſia, neque Papa formaliter & intenſivè poſſunt tollere juriſdictionem Epiſcopo, ſed tantùm materialiter & quoad exercitium: dum huic aut illi Epiſcopo Epiſcopatus atque titulus ſubducitur, ita ut nullum ampliùs habeat populum regendum: character verò & poteſtas Epiſcopalis formaliter & quoad habitum ſemper remanet.

Septimò, illudit æquivocatione vocis juriſdictio dum argumentum ducit à correlativis: ſiquidem tria ſunt conſideranda in Epiſcopo: primùm ordo Epiſcopalis & character, qui eſt immutabilis atque invariabilis, ſicut & poteſtas formaliter & intenſivè capta, hæc enim à ſolo Deo pendent, quia ea cum communicatione ſui Sacerdotii confert. Secundò, eſt titulus Epiſcopalis. Tertiò, populus, qui eumdem titulum velut correlatum adæquatum reſpicit, quod ſpectat ad characterem & juriſdictionem formaliter conſideratam, non eſt correlatum adæquatum tituli Epiſcopalis aut Diœceſis: alioqui Epiſcopus Pariſienſis verbi causâ numquam poſſet titulum ſui Epiſcopatus ejurare: quod eſt abſurdum. Itaque titulus & populus ſunt relata, quia unum ſine altero cohærere nequit, ut fit in relatis prædicamentalibus pater & filius, Dominus & ſervus, &c. At in tranſcendentibus vel relatis ſecundùm dici, non eſt neceſſe correlata eſſe actu & ſimul: ut patet de ſcientia atque objecto ſcientiæ: quoniam durâ hyeme nobis ſcientiam comparamus de Roſa. Ultimò non eſt ſemper neceſſe actu exiſtere objectum circa quod potentia activa occupatur: quia alioqui nullus poſſet jejunare, aut cœlibem vitam agere: neque etiam creari poſſent titulares Epiſcopi. Accedit moralia & politica tractari oportere in propriis terminis, non cavillatoriè abſtrahendo ad res metaphyſicas, cujuſmodi ſunt relationes, quarum ſic meminit Bellarminus.

Octavò, hoc argumentum Bellarmini ductum à contrariis; cujus eſt minuere & augere juriſdictionem ejus eſt quoque eam dare: fallit etiam æquivocatione *vocis juriſdictio*: quia loquitur de juriſdictione materialiter & extenſivè, non formaliter & intenſivè ſumpta. Verùm ſi Romani Pontifices aliquid hodie in augenda, minuenda aut

Digitized by Google

tollenda juriſdictione materialiter ſumpta ſibi attribuunt tanquam Monarchæ : id acceptum referre debent Eccleſiæ quæ paſſa eſt illos ita facere : Nam ab eo tempore quo intermiſſa eſt conſuetudo frequenter habendarum Synodorum, ſummi Pontifices poteſtatem quæ peculiaris erat Eccleſiæ & ariſtocratico regimini ſibi privatim addixerunt.

XXXIX. Nonò, ludificat æquivocatione & amphibologiâ, dum ait non poſſe oſtendi jure divino collatam juriſdictionem Epiſcopis, niſi ex verbis quibus datur ampliſſima poteſtas Apoſtolis in univerſam Eccleſiam, &c. Certè ambigua priùs evolvenda quàm definienda. Undè cùm Apoſtoli duplicem habuerint poteſtatem, alteram extraordinariam, alteram ordinariam; hæc quidem ex textu Scripturæ & praxi actorum Apoſtolorum erant ſecernenda à Bellarmino, ut ejus argumentum ſine ullo vitio decurreret : quod non fecit ut procliviùs Lectorem fruſtraretur : poteſtas Apoſtolatus eſt extraordinaria in Apoſtolis, & ad promulgationem Evangelii, primamque Eccleſiarum fundationem neceſſaria fuit, neque ad Epiſcopos Apoſtolorum ſucceſſores, tranſivit hæcque privilegia complectitur : primùm, quòd omnes immediatè à Chriſto vocati, electi, miſſi, & Sacerdotio donati ſint, quemadmodum Chriſtus à Patre ſuo immediatè miſſus & factus eſt Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech Mathæi, 10. Lucæ 22. Joannis 17. & 20. Item Mathæi & Marci ultimo. Secundò, quòd fuerint teſtes oculati geſtorum Chriſti. Quocirca actorum. Dominus ait : *Accipietis virtutem ſupervenientis Spiritûs ſancti in vos, & eritis mihi teſtes in Hieruſalem & in omni Judæa & Samaria & uſque ad ultimum terræ.* Tertiò, quòd ordinariam poteſtatem habuerint fundandarum Eccleſiarum per univerſum mundum : quarè omnes ex æquo erant Paſtores OEcumenici & univerſales, Mathæi & Marci ultimo : Euntes in univerſum mundum prædicate Evangelium omni creaturæ, &c. Quod tertium privilegium Epiſcopi omnes habuerunt tempore Apoſtolorum, antequam fines & limites conſtituti eſſent diœceſibus : tum enim unicus tantùm atque indiviſus erat Epiſcopatus : dehinc etiam multi Eccleſiæ primitivæ in caſu neceſſitatis iſtud pariter privilegium Epiſcopi univerſalis extraordinariè exercuerunt. Sicut videmus Presbyterum quemcumque obviam ab omnibus caſibus etiam Papæ reſervatis abſolvere in caſu neceſſitatis. Quartò, erant donati poteſtate condendorum librorum Canonicorum & miraculorum patrandorum : quæ privilegia conjunctim ſumpta ſolis Apoſtolis propria fuerunt : neque primatu excepto Petrus quicquam ſuper alios Apoſtolos divinitus obtinuit. Etſi autem LXXII. diſcipuli immediatam quoque habuerint à Chriſto miſſionem ſicut Apoſtoli, tamen teſtes oculati omnium arcanorum & myſteriorum Domini non fuerunt cum Apoſtolis, qui ſoli cœnæ Domini interfuerunt, atque Sacerdotii Chriſti tum participes effecti ſunt. Et hæc de extraordinaria poteſtate Apoſtolatus. Verùm ordinaria poteſtas toti Eccleſiæ Sacerdotali relicta eſt. De qua Mathæi 16. *Tibi dabo claves, &c.* Item 18. *Dic Eccleſiæ, Quæcumque alligaveritis, &c.* Item Lucæ 22. *Hoc facite in meam commemorationem :* & Joannis 17. ℣. 20. *Non pro eis rogo tantùm, ſed pro eis qui* credituri ſunt per verbum eorum in me, &c. Item Joannis 20. *Accipite Spiritum ſanctum, Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, &c.* Quæ poteſtas ordinaria ad Epiſcopos tranſmiſſa eſt, tum Sacerdotii Chriſti communicatione, cùm factis electionibus quæ miſſioni factæ à Chriſto ſucceſſerunt : necnon aliis modis, quibus facultas datur Epiſcopis & Presbyteris exercendæ juriſdictionis habitualis, quam per adeptionem ſacri ordinis conſequuntur. De qua ſtatim adversùs

Suarem nobis futura eſt diſputatio. Verùm ſicut Epiſcopi Apoſtolis tantummodò ſuccedunt in poteſtate ordinaria Apoſtolorum non in poteſtate Apoſtolatus, ita etiam certiſſimum eſt Papam ſolummodò Petro ſuccedere in poteſtate ordinaria, non abſolutè & ſimpliciter in poteſtate Apoſtolatus: quia licèt primatus ſeſe ad Eccleſiam univerſalem extendat, tamen ad poteſtatem ordinariam non ad Apoſtolatum ſpectat, quicquid Bellarminus poſt Turrecrematam & Cajetanum argutetur in contrarium, & ita pronum eſt Bellarmini cavillum detegere atque exſufflare, qui in reſponſione quam ſub nomine Mathæi Torti edidit, & de hinc pro ſua approbavit §. 13. contendit *Epiſcopos dici ſuccedere Apoſtolis quatenùs fuerunt primi Epiſcopi particularium Eccleſiarum, ut Jacobus Hieroſolymitanæ, Joannes Epheſina Eccleſia: Epiſcopos autem propriè non ſuccedere Apoſtolis, quatenùs Apoſtoli erant, id eſt, miſſi in omnem terram cum pleniſſima poteſtate*: Hæc ille. Contra autem Epiſcopi propriè dicuntur ſuccedere Apoſtolis jure divino quo propagatur Eccleſia ad poſteros: prætereà poteſtas Epiſcoporum formaliter eſt hodie ejuſdem planè ſpeciei & naturæ cum poteſtate Apoſtolorum: quòd verò hodiernâ die reſtringatur ad particularem diœceſim aut Epiſcopatum, Pariſienſem ſcilicet, Aurelianenſem, &c. hoc planè juris eſt humani, ut ſupra lib. 2. cap. 2. num. 21. probavimus. Hercle ſi Epiſcopi eâ tantùm ratione quam Bellarminus comminiſcitur Apoſtolis ſuccederent, hodierna Eccleſia non eſſet ejuſdem naturæ & ſpeciei cum Eccleſia Apoſtolica. Prætereà ſolius B. Joannis & Jacobi, non Petri, Pauli, Andreæ, Mathæi eſſent ſucceſſores: quia ſolum B. Joannem & Jacobum privatam diœceſim & Epiſcopatum adminiſtraſſe, reliquos autem Apoſtolos univerſales Epiſcopos fuiſſe legimus.

Undecimò, quo jure Epiſcopi ſucceſſerint Apoſtolis liquet ex reſponſione ad nonam, in qua Bellarmini ſuffragia obſtruximus.

XL. Duodecimò, quod ſpectat ad Presbyteros utrùm LXXII. diſcipulis ſucceſſerint, & hi Sacerdotes, an ſolùm Diaconi fuerint, ut Bellarminus putat. Reſpondeo illum ludificare æquivocatione vocis *Diaconi & Diaconiæ*. Quandoquidem Actor. *6. Tò* Diaconia non ſignificat unum ex minoribus Ordinibus quo donantur, qui viam affectant ad Sacerdotium: ſed deſignat provinciam, officium atque ſolicitudinem miniſtrandi pauperibus, viduis atque orphanis: quæ provincia nihil pugnat cum ordine Epiſcopali: quotuſquiſque ignorat olim curam xenodochiorum & noſocomiorum Epiſcopis atque Presbyteris demandari conſueviſſe: eamque ob rem noſocomia ſemper proximè conjuncta fuiſſe templis & baſilicis. Profectò D. Chryſoſtomus ſermone 1. in cap. 1. epiſtolæ ad Philippenſes hanc ejuſdem epiſtolæ inſcriptionem explicans, *omnibus ſanctis in Chriſto Jeſu, qui ſunt Philippi, cum Epiſcopis & Diaconibus*: quid hoc dicit? *an unius civitatis multi erant Epiſcopi? nequaquàm, ſed Presbyteros iſto nomine appellavit, tunc enim nomina erant adhuc communia, atque etiam ipſe Epiſcopus vocabatur Diaconus. Idcircò ad Timotheum ſcribens* (*inquit*) *Diaconiam, id eſt, miniſterium tuum imple, cùm tamen ille Epiſcopus eſſet*. Hæc Chryſoſtomus.

Porrò fruſtrà Bellarminus Epiphanium ad ſuæ ſententiæ confirmationem profert: quia hic ſolummodò narrat *Dominum miſiſſe* LXXII. *ad prædicandum, atque ex eorum numero fuiſſe ſeptem viduis curandis præfectos, Stephanum, Philippum, Procorum, Nicanorem, Timonem, Parmenam, & Nicolaum*, propria ſunt verba, ex quibus colligi

Digitized by Google

ligi nullo modo poteſt illos ſeptem Diaconos non fuiſſe Presbyteros: quia ut dixi nomen Diaconi non eſt nomen ordinis, ſed officii, miniſterii & ſolicitudinis. Quod verò inſtat Bellarminus LXXII. nullum ordinem aut juriſdictionem habuiſſe à Chriſto, apertè Scripturis ſacris repugnat: quæ docent Chriſtum Lucæ 10. miſiſſe diſcipulos, & Mathæi 18. dixiſſe non modò Apoſtolis, ſed etiam diſcipulis, *dic Eccleſiæ, Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis, &c. Item Joannis 20. Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos, Accipite Spiritum ſanctum, Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, &c.* Mathæi ultimo omnes quoque alloquitur: *Euntes in mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ.* An Cardinalis illuſtriſſimus negare poteſt facultatem remittendorum & retinendorum peccatorum & prædicandi Evangelii non ſpectare ad officium Sacerdotale & poteſtatem juriſdictionis. At verò Chriſtum omnes Apoſtolos & diſcipulos alloquutum patet ex cap. 24. Lucæ: quia ibi duobus diſcipulis qui comitem habuerant Jeſum in via, reverſis ab Caſtello Emmaüs in Hieruſalem, narrantibuſque undecim & aliis, *quæ geſta erant in via, & quomodo Chriſtum cognoviſſent in fractione panis, ipſe Dominus ſtetit in medio eorum, & dixit: Pax vobis ego ſum, &c.* quæ verba conjungenda ſunt per harmoniam cum his quæ à D. Joanne referuntur cap. 20. *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos: Accipite Spiritum ſanctum, &c.* Verùm quamquàm gratis Bellarmino daremus quinque Diaconos ab Epiphanio memoratos non fuiſſe Presbyteros, tamen indè inferri non poſſet, nullum ex LXXII. fuiſſe Presbyterum. Quandoquidem ineptum eſt ex particula colligere totum. Æthiops albus dentibus, ergo albus ſimpliciter, &c.

XLI. Decimò tertiò, mera eſt petitio principii dicere Epiſcopos auctoritatem & poteſtatem juriſdictionis ſolummodò habere mediante Papâ: nihilque probat Bellarminus, neque probare poteſt. Jam multoties dixi totam juriſdictionem formaliter & activè ſumptam à Chriſti Sacerdotio tanquàm à cauſa efficiente manare: materialiter autem & quoad exercitium conferri unà cum tituli & Diœceſis aut Parochiæ collatione: eamque ob rem Apoſtolum docere Actorum 20. Epiſcopos poſitos eſſe à Spiritu ſancto, ut Eccleſiam regerent. Prætereà quod ait Apoſtolum oſtendere Epiſcopos conſtitutos à Spiritu ſancto, non immediatè, ſed mediante Apoſtolorum miniſterio, verum quidem eſt, hocque nihilo magis ejus quàm noſtras partes propugnat: ſi enim Epiſcopi Apoſtolorum miniſterio auctoritatem habent à Spiritu ſancto, ergo non ſolius eſt Petri aut Papæ, ſed Eccleſiæ Sacerdotalis in commune Epiſcopos creare: voluit enim Chriſtus ut Sacerdotium ſuum & poteſtas clavium ab Eccleſia, non ab uno & ſolo Papa, velut abſoluto Monarcha, conferretur.

XLII. Decimò quartò, multipliciter illudit, dum hoc argumentum diluere tentat, ſcilicet, *dato quòd Papa juriſdictionem tanquàm Monarcha Eccleſiæ conferat, ſequi mortuo Papâ, Eccleſiam à ſuo ſtatu corruere.* Primò, certum eſt Chriſtum eſſe Caput connaturale & myſticum Eccleſiæ, quia omnes ſimul unum corpus in Chriſto, qui gratiam, vitam, atque juſtificationem in Eccleſiam influit, eamque intrinſecè vivificat atque informat, idque proprium eſt capitis myſtici, id eſt, myſteria & arcana conferentis quæ oculis non patent, ſed fide creduntur: quarè propriè loquendo ſolus Chriſtus, non Papa dici poteſt Caput myſticum Eccleſiæ: ratio eſt, quia hujus operatio erga Eccleſiam tota externa & miniſterialis eſt, patetque

Digitized by Google

oculis hominum : male ergo Bellarminus Papam caput myſticum vocat, cùm ſit dumtaxat caput miniſteriale externum. Secundò, quod perhibet membra capitis myſtici miniſterialis externi pendêre à capite ut fiant, non ut conſerventur : petitio eſt principii, quâ fingit Papam conferre juriſdictionem Epiſcopis : idque eſt quod controvertitur, & tamen pro certo & confirmato aſſeritur. Præterea Epiſcopi non ſunt membra Papæ, ſed Chriſti Capitis eſſentialis myſtici : quarè Papa epiſcopos fratres, collegas & Conſacerdotes vocat. Deindè Eccleſia non Papa facit Epiſcopos eis communicando Chriſti Sacerdotium, & titulum aut diœceſim regendam tribuendo. Tertiò, decipit non à cauſa pro cauſa dum perhibet moriente Papâ non amittere juriſdictionem : ſiquidem non de hac re nunc, ſed de novis Epiſcopis creandis mortuo Papâ quæritur : nam ſi ſolus Papa per dominium & architectonicè, non autem Eccleſia claves & juriſdictionem Eccleſiaſticam poſſidet, ut Bellarminus imaginatur, dato quòd Sedes Apoſtolica unum, duos aut tres annos vacet, ut aliquando tamdiu omnium conſenſu vacavit; relinquitur quidem toto illo tempore Eccleſiam à ſtatu ſuo corruiſſe, nec ullos poſſe creari Epiſcopos, ut ſupra lib. 2. cap. 4. ex ſententia B. Gregorii notavimus. Quod argumentum cùm diſſolvere non poſſet adverſarius, fruſtra illud ad Epiſcopos jam conſtitutos cavillatoriè detorſit.

Quartò, apprimè notandum eſt Bellarminum vocare Papam *caput miniſteriale externum :* quod Capiti eſſentiali & naturali, Chriſto ſcilicet, opponitur.

Decimò quintò, continuat in Elencho à petitione principii, dum fingit ſolam poteſtatem ordinis immediatè conferri à Deo, poteſtatem verò juriſdictionis mediante Papâ : non enim ſatis eſt hoc dicere, ſed validè atque ſufficienter probari debet, quod non poteſt fieri.

Decimò ſextò, negatur D. Petrum ſolum atque ſeorſim ſumptum vel Antiochiæ, vel Alexandriæ vel etiam alibi abſque Eccleſiæ & aliorum Apoſtolorum conſenſu Patriarchas conſtituiſſe : quam in rem lib. 2. cap. 7. diſſeruimus : & de Patriarcharum inſtitutione in hiſtoria Synodi Nicænæ. Cæterùm quando Apoſtolus & non Petrus Titum atque Timotheum creavit Epiſcopos, ſi hæc Bellarmini opinio valeret, ſequeretur Titum & Timotheum nullâ juriſdictione præditos fuiſſe : idemque eſt judicium de aliis Apoſtolis qui omnes ſicut & Petrus præditi erant poteſtate fundandarum Eccleſiarum, & creandorum Epiſcoporum viâ extraordinariâ.

Decimò ſeptimò, objectionem petitam à litteris Papæ, qui Epiſcopos fratres, & collegas ſuos vocat, non ſolvit, ſed ſolâ petitione principii declinat. Quaſi Papa eſſet monarcha abſolutus Eccleſiæ, à quo tota juriſdictio oriretur ſicut in Franciæ regno à Rege : has verò ſophiſticas quiſquilias praxis Eccleſiæ primitivæ abundè confutat Can. 4. & 6. Nicæno. Quibus edicitur Epiſcopos creari debere ab Epiſcopis provinciæ conſenſu Metropolitani, qui cooptatum Epiſcopum confirmat. Libro 5. de Romano Pontifice Bellarminus tractat de poteſtate Papæ in rebus temporalibus : nos verò operè diſtincto & peculiari hanc controverſiam evolvimus : cùmque de poteſtate ſpirituali agatur tantùm in hac defenſione, libro 5. relicto ad libros Bellarmini de Conciliorum auctoritate properamus.

Digitized by Google

QUÆSTIO QUINTA.

XLIII. Bellarminus lib. 2. de Conciliorum auctoritate cap. XI. ſtatuit *Concilia Generalia ante confirmationem ſummi Pontificis errare poſſe, niſi Patres in definiendo ſequantur Pontificis inſtructionem.* De qua diſputatione, & quidnam ſit Papam mittere inſtructionem ad Concilium, aut confirmare Concilia, diſſeruimus lib. 1. hiſtoriæ Conciliorum Generalium cap. 8. num. 15. omnibuſque argumentis Bellarmini ſatisfecimus. Cap. 15. ejuſdem libri 2. hanc defigit propoſitionem: *Romanus Pontifex eſt Paſtor & caput non ſolùm omnium Eccleſiarum particularium, ſed etiam totius univerſalis Eccleſiæ ſimul congregatæ à Chriſto immediatè conſtitutus.* Quam propoſitionem probat, quia Chriſtus Mathæi 16. Petrum conſtituit Eccleſiæ fundamentum: *Tu es Petrus & ſuper hanc petram*, continuòque etiam caput & Paſtorem Eccleſiæ. Nam quod eſt in domo fundamentum, id eſt in corpore caput & in grege Paſtor. Ut enim fundamentum non pendet à domo, ſed domus à fundamento, ita etiam caput non pendet à corpore, ſed corpus à capite, & Paſtor non pendet à grege, ſed grex à Paſtore. Quòd autem Mathæi 16. his verbis, *Et ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, intelligi debeat Eccleſia univerſalis etiam congregata in Generale Concilium, probat ex cap. 18. Mathæi argumento ad hominem: quoniam ſchola Pariſienſis iis verbis, *dic Eccleſiæ*, Generale Concilium ſignificari docet: undè cùm Eccleſia congregata ſive Concilium Generale propriiſſimè conſtituat Eccleſiam Chriſti, ſtultum eſt generale Concilium ab his verbis, *Et ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, id eſt, à Petri poteſtate eripere.

Denique Eccleſia Chriſti ſemper eſt congregata formaliter, quia eſt unum regnum, una familia, unus grex, licèt diſperſa videatur quantùm ad locum: Igitur ſi Pontifex eſt Paſtor & Caput Eccleſiæ, non certè diſperſæ, quæ nulla eſt, ſed congregatæ Eccleſiæ eſt Paſtor caputque, Joannis ultimo, *Paſce oves meas*: quarè Eccleſia in Collecta de Pontifice canit; *Deus omnium Fidelium Paſtor & Rector qui famulum tuum N. Eccleſiæ tuæ præeſſe voluiſti.*

Prætereà Eccleſia congregata in Concilium Generale vel ad oves Chriſti pertinet vel non: ſi pertinet, ergo Petrus eſt æquè Paſtor Eccleſiæ congregatæ quàm diſgregatæ: ſi non pertinet, ergo Chriſtiani per congregationem Concilii deſinunt eſſe oves Chriſti, quod eſt abſurdiſſimum.

Adnectit Patres Chalcedonenſis Concilii vocare S. Leonem caput totius Concilii, quod fuit omnium maximum, in epiſtola ad Leonem: *Quibus tu quidem ut caput præeras, &c.* Item ex Lugdunenſi Concilio infert *Papam vocari Rectorem univerſalis Eccleſiæ cap. ubi periculum de electione in ſexto*: & in Concilio Florentino definitum Pontificem eſſe totius Eccleſiæ caput & accepiſſe à Deo pleniſſimam poteſtatem univerſalem Eccleſiam regendi: ſubtexit rationes: Papa eſt unum caput, ergo unius corporis caput: At Eccleſiæ particulares ſeorſim ſumptæ non ſunt unum corpus: ergo Papa eſt caput Eccleſiæ univerſalis. Deindè Eccleſia univerſalis eſt unum corpus viſibile; ergo habere debet unum caput viſibile, Papam ſcilicet: alioqui videbitur monſtrum. Ultimò, Papa eſt immediatus Chriſti Vicarius: ergo præeſt omnibus Chriſtianis loco Chriſti, quibus

Digitized by Google

Chriſtus ipſe inviſibiliter præeſt, ſi viſibiliter adeſſet: at Chriſtus ſi adeſſet, non tantùm particularibus Eccleſiis diſgregatis, ſed etiam toti Eccleſiæ univerſali congregatæ in Synodum generalem præeſſet. Igitur etiam & Papa Vicarius immediatus Chriſti præeſt toti Eccleſiæ congregatæ.

Quæ omnia argumenta Bellarminus penè ad verbum ex Cajetani argutiis ſupra confutatis deſumpſit: tamen ne cui hæreret ratio, & auctoritate Bellarmini moneatur, ſingula demoliemur. Primùm, quòd in ſua generali propoſitione ſtatuit Papam eſſe Caput non ſolùm omnium Eccleſiarum particularium, ſed etiam Eccleſiæ univerſalis congregatæ in Concilium, &c. fallit partim æquivocatione vocis *τὸ caput*, partim à dicto ſecundùm quid ad dictum ſimpliciter: ſi enim *τὸ caput* ſumat pro primo & Principe miniſtrorum Chriſti; ita ut habere debeat in Concilio ſedis atque ſuffragii & concluſionis prærogativam: concedimus Papam hoc modo eſſe Caput Concilii: ſi autem intelligat ut reverà intelligit hoc caput omnium conferre auctoritatem Concilio, ſicut, verbi cauſâ, Rex confert Conſilio ſuo & Parlamentis, negatur hoc modo poſſe dici caput: eſtque mera petitio principii: Papæ enim poteſtas eſt in ordine ad regimen Ariſtocraticum, ut etiam decreta quartæ & quintæ ſeſſionis Conſtantienſis demonſtrant.

Secundò, argumentum ductum à capite 16. Mathæi etiam fallax & captioſum eſt: quoniam Petrus eſt dumtaxat petra & fundamentum Eccleſiæ ſecundùm quid & metaphoricè, non abſolutè ſimpliciter, de qua re quæſt. 1. hoc ipſo capite contra Bellarminum egimus.

Tertiò, fateor Papam eſſe caput Eccleſiæ congregatæ, ut dictum eſt reſponſione ad primum: fallitque Bellarminus partim à ſuppoſitione principii, partim à dicto ſecundùm quid ad dictum ſimpliciter, dum ea Pontifici arrogat, quæ Chriſto propria ſunt: Chriſtus enim abſolutè & ſimpliciter eſt caput & fundamentum Eccleſiæ; Papa verò metaphoricè & ſecundùm quid juxta leges Ariſtocratici regiminis præſcriptas in Evangelio. Vide axioma xv. &. xxxi. Apologiæ noſtræ.

Quartò, Eccleſia vocat Papam Rectorem Eccleſiæ univerſalis partim reſpectu Eccleſiarum particularium in quas habet poteſtatem juridicam, ut ſtatutum eſt in Concilio Conſtantienſi, partim intuitu Concilii Generalis, quatenùs Papa Sacramenta Patribus ſedentibus in Concilio adminiſtrat, verbum divinum concionatur, & alia ejuſmodi perficit, quæ à ſuppoſito juris perfici nequeunt. Item quia decreta Concilii ſicut Rector Academiæ exequutioni mandat.

Quintò, Concilium congregatum pertinet ad oves & ovile Chriſti juxta leges Ariſtocratici regiminis poſitas à Chriſto, quia primatum inſtituit in ordine ad regimen Ariſtocraticum, & ideò Concilium jus habet limitandi atque regulandi poteſtatem Papæ: nam in Ariſtocratico regimine omnes de ſe invicem cauſam & ſolicitudinem gerunt.

Sextò, Patres Chalcedonenſes reverà aſſerunt S. Leonem præfuiſſe Chalcedonenſi Concilio tanquàm Caput, ſed juxta notionem explicatam ſolutione ad primum. Idemque eſt ſentiendum de aliis Conciliis, quæ Bellarminus poſt Cajetanum enumerat. Porrò iidem Patres Chalcedonenſes dicunt etiam Imperatorem tanquàm Caput præſediſſe Concilio Chalcedonenſi: atque inter Papæ & Imperatoris poteſtatem

Digitized by Google

hoc diſcrimen aſſignant, quòd Leo præeſſet, Imperator præſideret : de cujus differentia lege noſtram Chalcedonenſis Synodi hiſtoriam.

Septimò, ad rationes Papa eſt unum Caput, ergo unius corporis Caput. Reſpondeo ſicut ad primum.

Octavò, argumentum de capite viſibili unius corporis, unum debet caput viſibile, &c. eſt fallax & doloſum. Nam propriè & dogmaticè loquendo Papa non poteſt dici Caput viſibile corporis Eccleſiæ, ſed ſolus Chriſtus : *quia omnes unum ſumus corpus in Chriſto, alter alterius membra, Roman. 12.* & Chriſtus eſt Caput eſſentiale hujus corporis, cui vitam, motum, gratiam & regimen influit : Papa autem ſolummodò dicitur Caput impropriè ſecundùm quid, ratione miniſterii externi : de qua re pluribus aliàs diſputabitur, eſt enim ſolùmmodò caput miniſteriale : vide axioma xv. apologiæ noſtræ.

XLIV. Nonò, ex omnibus argumentis adverſariorum nullum eſt hoc ſpecioſius : nimirùm quòd Papa ſit immediatus Chriſti Vicarius, &c. Id enim adverſarii ſemper volvunt in ore, & quoties ſe rationum pondere atque ipsâ praxi Eccleſiæ (quæ infallibilis eſt declaratio voluntatis divinæ) oppreſſos vident, cavillantur Papam immediatum eſſe Chriſti Vicarium, atque in regimine Eccleſiæ eandem habere poteſtatem cum Chriſto, ut Bellarminus hoc loco perſuadere vult Papam eo modo præeſſe debere Eccleſiæ congregatæ in Concilium, quo Chriſtus ſi adeſſet, præſideret : quod ei abſolutè negatur. Joannes de Pariſiis Dominicanus cap. 10. libri de poteſtate Regia & Papali : *Omnia argumenta quæ ideò Petro aliquid tribuunt, quia Chriſtus hoc potuit, etiam in quantum homo, nullius ſunt momenti, niſi inveniatur expreſſum.* Franciſcus à Victoria etiam Dominicanus relectione 4. de poteſtate Papæ & Concilii reſponſione ad quintum. *Verum eſt quòd Papa eſt Vicarius & Legatus Chriſti, ſed nego conſequentiam : non enim infertur, eſt Vicarius Chriſti, ergo poteſt quidquid Chriſtus, nec unquam aliquis tribuit hanc licentiam Papæ, & ad probationem reſpondetur quòd econtrario Vicarius non habet quod non prohibetur, ſed ſolùm quod conceditur : Chriſtus autem non conceſſit ſolutionem aut relaxationem mandatorum ſuorum, ſed ſolùm miniſterium & diſpenſationem illorum, ut ait Apoſtolus prima Corinthiorum 3. &c. Certè ſi quis Chriſti mandata relaxaret, non ſe haberet ſicut Dei miniſter, ſed ſicut æqualis aut potiùs ſuperior :* hæc ille. Ut argumentum Bellarmini procedat ſine vitio, debet oſtendere quid competat Petro Capiti miniſteriali Eccleſiæ, minimè verò argumentum ducere à Chriſto Capite abſoluto eſſentiali. Siquidem Papa eſt immediatus Chriſti Vicarius, ut ſuppoſitum ſingulare in ſola poteſtate miniſteriali in ordine ad regimen Ariſtocraticum inſtitutum à Chriſto. At Eccleſia ſuo etiam modo tanquàm ſuppoſitum juris eſt immediata Chriſti Vicaria, ratione regiminis Ariſtocratici quod conſtituit : de qua re pluribus diſputatum eſt contra Cajetanum cap. 3. hujus libri.

XLV. Cap. 16. ejuſdem lib. 2. de Conciliorum auctoritate hanc aliam defigit concluſionem poſt Cajetanum. *Summa poteſtas Eccleſiaſtica non eſt in Eccleſia vel Concilio aut formaliter aut ſuppletivè abſente vel remoto Papâ :* hocque confirmat, quoniam Eccleſia ſecundùm Scripturas non eſt democratia vel ariſtocratia, ſed monarchia ſeu regnum Chriſti pſal. 2. *Ego autem conſtitutus, ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum*

Digitized by Google

ejus & Lucæ 1. *Regni ejus non erit finis.* Et Joannis 18. *Ergo Rex es tu, regnum meum non eſt de hoc mundo*, cùm ergo Eccleſia ſit regnum, ab uno regi debet, non à multis, quemadmodum omnia regna gubernantur. Dehinc probat Eccleſiam ſuppletivè aut formaliter non habere ſupremam poteſtatem, quia tota poteſtas efficienter manat à Chriſto, non ab Eccleſia, & in hoc regnum Chriſti differt à regnis temporalibus in quibus poteſtas regia eſt à populo & regno: At in Eccleſia, à Chriſto, & Petro, ac ſucceſſoribus, quibus eam Chriſtus detulit, propria eſt: ſiquidem Chriſtus Eccleſiam, non Eccleſia Chriſtum regem conſtituit. Conſtat enim Patremfamilias nullam habere auctoritatem à familia, ſed ipſum ſibi familiam conſtituere gignendo filios, emendo ſervos. Undè in Scripturis Chriſtus comparatur Patrifamilias. Et quamquam Paterfamilias peſſimus ſit, non poteſt tamen à familia judicari vel expelli, ſicut Rex poteſt, quando degenerat in tyrannum. Item ſicut Paſtor non accipit auctoritatem ab ovibus, nec caput à corpore, nec vir ab uxore: ita neque Chriſtus ab Eccleſia. Accedit Chriſtum nullam dediſſe Eccleſiæ aut univerſitati Fidelium poteſtatem ratione ſuæ totalitatis: nam (inquit) dedit Petro claves regni Cælorum Mathæi 16. & eumdem ovili ſuo præfecit, Joannis ultimo. Dedit etiam cæteris Apoſtolis poteſtatem prædicandi, baptiſandi, peccata dimittendi, & alia quædam faciendi quæ ad munus Epiſcopale ſpectant. Sed hanc poteſtatem ſingulis dedit: ita ut ſinguli Apoſtoli potuerint illa omnia exercere ſine congregatione aliorum, ut notum eſt: At univerſitati Fidelium nullam legitur unquam dediſſe poteſtatem. Imò contra præcipit populis ut obediant & ſubjaceant Paſtoribus ſuis, hebræorum 13. Quare concludit Concilium Generale quatenùs univerſam Eccleſiam repræſentat, nullam habere poteſtatem: quia non plus ineſſe poteſt auctoritatis Concilio repræſentanti Eccleſiam, quàm ineſt Eccleſiæ repræſentatæ. Præthereà contendit in Concilio Generali non eſſe ſupremam & Papalem auctoritatem, *ſed* dumtaxat Epiſcopalem, Archiepiſcopalem, &c. habitâ ratione Prælatorum ex quibus conflatur Concilium abſente Papâ. Quòd ſi Eccleſia univerſa ſecluſo Papâ non habet auctoritatem Papalem, ergo multò minùs Concilium habebit: & ſi haberet non indigeret confirmatione Papæ. Conſtat autem omnia Generalia Concilia Catholica confirmationem petiiſſe à Romano Pontifice. Subjungit Concilium ſine Papa poſſe errare, etiam in fidei decretis, ut patet ex Sirmienſi Concilio cui Oſius ſubſcripſit, Mediolanenſi, Ariminenſi, Epheſino ſecundo, Conſtantinopolitano ſub Juſtiniano II. & ſub Copronymo. At Concilium cum Papa non poteſt errare. Ergo non poteſt ſine Papa illa omnia quæ poteſt cum Papa. Demùm ſi in Eccleſia eſſet ſumma poteſtas principaliter, formaliter & ſuppletivè, & in Papa inſtrumentaliter tantùm ſicut in miniſtro Eccleſiæ, ut dicunt adverſarii, ſequeretur Papam non eſſe immediatum Chriſti Vicarium ſed mediatum, nam Eccleſia eſſet immediata Vicaria Chriſti: & Papa immediatus Eccleſiæ Vicarius, quod eſt damnatum in Concilio Conſtantienſi.

Hæc collectio Bellarmini quanta quanta, Cajetani tota & quidem ſophiſtica eſt: Primò, nullus unquam dubitavit Chriſtum eſſe Regem & Monarcham abſolutum Eccleſiæ: atque Eccleſiam abſoluto & deſpotico imperio ſubeſſe Chriſto, ſecundùm poteſtatem auctoritatis & excellentiæ: ſed quoad poteſtatem miniſterialem, quam voluntariè aſſumpſit, eſt quidem etiam Rex, ſed noluit ſibi deſpoticè hâc viâ Eccleſiam ſubjicere; quoniam agit cum illa ex pacto ſuaviſſimo legis gratiæ ad captum libertatis

Digitized by Google

humanæ : *Hoc fac & vives : facio ut facias, &c.* Quare jugum hujus legis ſuaviſſimum eſt : nihil ergo opus erat oleum in probando regno Chriſti inſumere, ſed dumtaxat oſtendere Chriſtum aliam Petro detuliſſe poteſtatem quàm miniſterialem in ordine ad regimen ariſtocraticum : & voluiſſe illum eſſe abſolutum Eccleſiæ Monarcham; quod numquam demonſtrabunt.

Secundum argumentum nihil habet difficultatis, puta totam poteſtatem Eccleſiaſticam efficienter manare à Chriſto, qui Eccleſiam fundavit, dirigit & gubernat, ſicut Paterfamilias, familiam. At longè aliud eſt de Petro, fallitque argumentum à dicto ſecundùm quid ad dictum ſimpliciter : ſiquidem Petrus non eſt Paterfamilias, ſed OEconomus, miniſter atque diſpenſator Fidelis. Quòd ſi ſal & lumen mundi eſſe deſinat, ad nihilum valet ultrà, niſi ut mittatur foras & conculcetur ab hominibus.

Tertiò, verum eſt poteſtatem totam eſſe à Chriſto, & eis quibus eam detulit : negaturque ſoli Petro delatam, cùm aliàs ſæpè oſtendimus & Sacerdotium Chriſti & claves individuè & in commune delatas omnibus Apoſtolis ex æquo & in ſolidum.

XLVI. Quartum multa involvit quæ explicationem deſiderant, atque inprimis fallit ab æquivocatione *vocis Eccleſiæ*, dum ait Chriſtum nullam dediſſe poteſtatem Eccleſiæ ratione ſuæ totalitatis. Siquidem totalitas Eccleſiæ omnes Fideles complectitur, tum Clericos, cùm Laïcos : falſum autem atque erroneum eſt dicere Dominum nullam dediſſe poteſtatem ordini hierarchico; alias ſæpè docui claves aut poteſtatem Eccleſiaſticam duobus modis poſſe conſiderari, activè, & paſſivè, formaliter & materialiter : atque priori modo Clericis, poſteriori populo qui regitur convenire : ideòque ex praxi conſtantiſſima primitivæ Eccleſiæ ſemper conſenſum populi deſideratum fuiſſe in Paſtorum electionibus. Itaque Concilium Generale univerſalem Eccleſiam repræſentans, ſi fortè Papam ob notoria crimina, & quia incorrigibilis eſt, abdicet : poteſtas activa & formalis id faciendi competit ordini hierarchico : Laïci verò tanquàm materia ſe ſubtrahunt ab obedientia Pontificis : & ita patet quomodò poteſtas Eccleſiaſtica activè & paſſivè, formaliter & materialiter ineſſe dicatur Concilio Eccleſiam repræſentanti.

Quintò, quod inſtat datam Petro poteſtatem Mathæi 16. & Joannis ultimo, non eſt cuiquam dubium : ſed negatur his teſtimoniis metaphoricis, *Tu es petra & ſuper hanc petram, Paſce oves meas, &c.* induci ullo modo poſſe Chriſtum voluiſſe Petrum inſtituere abſolutum Eccleſiæ Monarcham, ut paſſim docet Bellarminus.

Sextò, quod ait Chriſtum dediſſe poteſtatem ſingulis Apoſtolis ad officium Epiſcopale obeundum neceſſariam, eamque ſingulos potuiſſe exercere abſque congregatione, fallit æquivocatione : ſiquidem Chriſti Sacerdotium cum poteſtate clavium creditum eſt omnibus Apoſtolis & in commune, ut hanc poteſtatem & ſeparatim extra Synodum & collectim in Synodo exercerent, quando rei neceſſitas exigeret : idque praxis Eccleſiæ confirmat plus ſatis, ut contra Cajetanum demonſtravimus; & cæcus eſt qui hoc non agnoſcit.

Septimò, cùm Sacerdotio Chriſti communicato Eccleſiæ, poteſtas Papalis, Archiepiſcopalis, Epiſcopalis, Presbyteralis & quicquid ad auctoritatem Eccleſiaſticam pertinet, eminenter & architectonicè inſit, profectò idem planè eſt Papam cum Synodo generali componere; aut ſupra Synodum atque ſupra Chriſti Sacerdotium extollere, ut aliàs demonſtravi : vide axioma xvi. apologiæ.

Digitized by Google

Octavò, quid ſit Papam confirmare Concilia repetes ex lib 1. hiſtoriæ noſtræ Conciliorum Generalium.

Nonò, judicat à petitione principii dum ſoli Papæ tribuit quòd Concilia errare non poſſint: quaſi verò Chriſtus illum abſolutum infallibilem Eccleſiæ Monarcham conſtituiſſet, quod negamus.

XLVII. Decimò fruſtratur à non cauſa pro cauſa dum errorem Synodi Sirmienſis, Mediolanenſis, Ariminenſis & aliorum ſimilium Conciliabulorum abſentiæ aut etiam improbationi Papæ adſcribit. Contra certiſſimum eſt illa Concilia ideò erraviſſe, quòd non ſint habita canonicè cum libertate ad celebrationem Synodorum neceſſaria: quandoquidem Conſtantius Imperator ab Urſatio & Valente Arrianis Epiſcopis corruptus ſpecie pacis atque unionis ineundæ & conſtituendæ in Eccleſia formulam fidei curavit conſcribi & dari obſignandam Patribus, quâ formulâ æquivocationum præſtigiis fides Nicæna antiquabatur. Nihilominùs plurimi ex Patribus tum Græcis tum Latinis extrema quæque pati quàm tantæ impietati ſubſcribere maluerunt, ideòque non pauci, atque inter alios, S. Hilarius relegatus eſt in Orientem. Oſius Cordubenſis Epiſcopus atque ipſemet Liberius PP. victi aſperitate exilii, tandem huic formulæ aſſenſi ſunt. Conſule Socratem lib. 2. 26. ad caput 30. Theodoretum lib. 2. à cap. 15. ad 22. Sozomenum lib. 4. cap. 8. tripartitam hiſtoriam lib. 5. à cap. 15. ad 20. Severum Sulpitium lib. 2. hiſtoriæ ſacræ ad calcem. Adeundus quoque Cardinalis Cuſanus lib. 2. de concordantia cap. 5. ubi nominatim ait libertatem dicendæ ſententiæ & communem Patrum conſenſum his defuiſſe conciliabulis. Quod ſpectat ad ſecundam Synodum Epheſinam, vide hiſtoriam Chalcedonenſis Synodi lib. 1. hiſtoriæ noſtræ Conciliorum Generalium. Ad duo Concilia Conſtantinopolitana, certum eſt neque generalia neque legitima fuiſſe, teſte ipſomet Bellarmino lib. 2. de imaginibus cap. 14.

Undecimò, cùm ſtatus Eccleſiæ ſit Monarchicus eſſentialiter ariſtocratico regimine temperatus, certè Pontifex ſingulariter & Eccleſia collectim ſumpta ſuo quiſque modo ſunt Vicarii Chriſti, ut jam dxi: Papa quidem ut ſuppoſitum ſingulare ad juris divini, naturalis & Canonici exequutionem erga particulares Eccleſias: Concilium verò tanquàm ſuppoſitum juris Ariſtocraticum regimen efficiens: ex quo fit ut poteſtas Papæ jure divino ſubdita ſit Ariſtocratico regimini: Nihilominus Papa quoad inſtitutionem poteſtatis eſt immediatus Chriſti Vicarius: quantum verò ad ejuſdem poteſtatis collationem, limitationem & communicationem, eam habet ab Eccleſia quæ illum deligit, eique Sacerdotium Chriſti confert, &c.

Duodecimò, Synodus Conſtantienſis ideò errorem Joannis Hus & Wicleff damnavit, quòd abſolutè negarent primatum Pontificis & Romanæ Eccleſiæ ſuper Eccleſias particulares.

XLVIII. Capite 17. lib. 2. de Conciliorum auctoritate hanc defigit propoſitionem, *Summus Pontifex ſimpliciter & abſolutè eſt ſupra Eccleſiam univerſam, & ſupra Concilium Generale, ita ut nullum in terris ſupra ſe judicium agnoſcat:* quam concluſionem ait *ferè eſſe de fide:* propria ſunt verba: idque ſe probaſſe dicit cap. 15. & 16. dato enim quòd Papa ſit caput, fundamentum & Paſtor Eccleſiæ univerſalis, & Eccleſiam univerſalem congregatam nullam habere poteſtatem ratione ſuæ totalitatis, ut memoratis cap. 15. & 16. probare voluit Bellarminus, ſequitur Papam eſſe ſupra Eccleſiam

& Con-

Digitized by Google

& Concilium univerſale, non contra. Hæc confirmat ex nominibus atque appellationibus quas Scriptura tribuit Chriſto, quibus conſtat Chriſtum eſſe ſupra Eccleſiam : quæ nomina tribuuntur pariter Petro & Pontifici Romano, ut enim Chriſtus eſt Paterfamilias, ita & Papa ſummus OEconomus, id eſt, Paterfamilias loco Chriſti, Lucæ 12. *Quis eſt fidelis diſpenſator & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, &c.* quòd ſi dixerit ſervus ille in corde ſuo; *Moram facit Dominus meus venire, & cœperit percutere ſervos & ancillas, edere & bibere & inebriari, veniet Dominus ſervi illius in die quâ non ſperat, partemque ejus cum infidelibus ponet.* Vides (inquit Bellarminus) Dominum ſervare judicio ſuo ſervum illum, & non permittere familiæ ut de illo judicet. Præterea ſicut Dominus vocatur, Joannis 10. ita & Petrus, Joannis ultimo. Item Chriſtus eſt Caput Eccleſiæ 4. ad Epheſios, ſic & Papa vocatur Caput Eccleſiæ à Patribus Concilii Chalcedonenſis actione 3. Similiter, ut Chriſtus eſt Sponſus Eccleſiæ 5. ad Epheſios, ita & Papa vocatur in Concilio Lugdunenſi *cap. Ubi periculum de electione.* Accedit Concilia declarare primam Sedem à nemine judicari, ut Synodus Sinueſſana de Marcellino Papa, & Concilium Romanum ſub Sylveſtro can. ultimo. Item actione 3. Synodi Chalcedonenſis multæ recitantur epiſtolæ, quarum hoc eſt exordium : Sanctiſſimo & beatiſſimo univerſali Patriarchæ Magnæ Romæ Leoni, & ſancto univerſali Concilio, &c. ubi Papa anteponitur Concilio, nemine reclamante. Item eâdem Synodo Chalcedonenſi damnatur Dioſcorus cum tota Synodo Epheſina, præcipuè quia auſus fuerat damnare Leonem Magnum. Quòd ſi Dioſcorus, qui erat primus Patriarcha poſt Romanum, cum Concilio Generali Epheſino non potuit jure judicare Romanum Pontificem, ſequitur evidenter Concilium non eſſe ſupra Papam. Subjungit quintum Concilium Romanum ſub Symmacho recepiſſe & approbaſſe librum Ennodii Diaconi tanquàm Synodale Decretum, in quo hæc leguntur : *Aliorum hominum cauſas Deus voluit per homines terminari : Sedis iſtius Præſulem ſuo ſine quæſtione reſervavit arbitrio, voluit Petri Apoſtoli ſucceſſores Cælo tantùm debere innocentiam.* Et in Synodo octava actione 7. habetur Romanum Pontificem de omnium Eccleſiarum Præſulibus judicaſſe : de eo verò neminem unquàm judicaſſe legitimè, ſcilicet, ita ut Eccleſia id tanquàm canonicè factum approbarit : quocircà Carolus-Magnus cùm ſe Romam contuliſſet, ut de cauſa Leonis III. cognoſceret, qui multis criminibus accuſabatur, eamque ob cauſam indictum fuiſſet Concilium Romæ, omnes Epiſcopi unâ voce clamarunt, non licere cuiquam homini ſummum Pontificem judicare ; & eam ob rem Carolus-Magnus ab incœpto deſtitit. In Synodo Conſtantienſi Martinus V. Bullam edidit approbante Concilio, in qua jubentur ſuſpecti de hæreſi interrogari, an non credunt Romanum Pontificem habere in Eccleſia ſupremam poteſtatem. In Lateranenſi Concilio ſub Leone X. ſeſſione xi. diſertè atque ex profeſſo docetur Pontificem eſſe ſupra omnia Concilia, reprobaturque decretum contrarium editum in Baſileenſi Concilio : dehinc multa accumulat teſtimonia variorum Pontificum in ſua cauſa, quibus ſuperiora comprobari videntur, ut Leonis Magni, Gelaſii, Gregorii, Paſchalis Papæ, Innocentii III. & Bonifacii VIII. Subnectit quoque teſtimonium Bonifacii Moguntinenſis Archiepiſcopi, can. Si Papa diſt. 40. quo docetur Papam niſi à Fide devium judicari non poſſe. Accumulat ſæpè provocatum fuiſſe à

Digitized by Google

Concilio ad Papam : & ſine controverſia ſemper à minore ad majorem appellari : Nam Gelaſius epiſtolâ ad Epiſcopos Dardaniæ ait, *ad Sedem Apoſtolicam de qualibet mundi parte appellandum eſt , ab illa autem nemo eſt appellare permiſſus.* Sicque D. Athanaſius Alexandrinus & Paulus Conſtantinopolitanus Epiſcopus depoſiti à Concilio appellarunt ad Julium Papam & in ſuas Sedes reſtituti ſunt. Sozomenus lib. 3. cap. 7. hiſtoriæ. Flavianus Epiſcopus Conſtantinopolitanus ab Epheſino Concilio II. ad Leonem Magnum, & Theodoretus ad eundem Leonem. Item Chryſoſtomus à Concilio depoſitus ad Innocentium PP. appellavit, ut Gelaſius teſtatur epiſtolâ jam laudatâ. Inſuper omnia Concilia revocantur ad examen & approbationem Papæ : adeò ut quæ probat atque improbat recipiantur & rejiciantur, teſte eodem Gelaſio ibidem.

Certè D. Baſilius epiſt. 52. ad Athanaſium ſcribit ſibi videri expedire ut rogetur Romanus Epiſcopus, quatenùs mittat aliquos in Græciam, qui ejus nomine irritent Concilium Ariminenſe. Item Damaſus epiſtolâ ad Epiſcopos Illyrii idem Ariminenſe Concilium reprobat : ſicut & Leo Magnus epiſtolâ ad Pulcheriam Auguſtam irritum declarat Canonem Synodi Chalcedonenſis de primatu Sedis Conſtantinopolitanæ tanquàm Nicæno Concilio contrarium, hocque eſt argumentum apertum ſuperioritatis Papæ ſupra Concilium.

At profectò me miſeret tam jejunæ & ſophiſticæ probationis. Videntur enim adverſarii hominibus aquis pereuntibus ſimiles, qui algam & undas in ſubſidium fruſtra amplectuntur. Singula examinemus. Primùm quod ait Bellarminus, ſuam propoſitionem fermè eſſe de fide : ſe quidem naſutis hominibus ridendum propinat : eòque magis, quòd hanc ſuam propoſitionem de fide non aliter confirmet quàm argumentis cap. 15. & 16. explicatis : quæ quidem ludificantur à petitione principii & à dicto ſecundùm quid ad dictum ſimpliciter, ut eſt demonſtratum.

Secundò, mirabile eſt quomodò venire poſſit in mentem Theólogo doctiſſimo, uti allegoriis & ſimilitudinibus ad confirmandas concluſiones de fide, ſic enim eas vocitant. Cæterùm alio atque alio ſenſu nomina Chriſto & Prælatis tribuuntur : Chriſto quidem propriè & per ſe tanquàm Domino, fundatori & cauſæ efficienti, Capiti eſſentiali, & ſuppoſito Eccleſiæ : Petro autem metaphoricè, analogicè & ſecundùm quid : neque Petrus aut Papa ſunt Patresfamilias, ſed dumtaxat fidelis diſpenſator & Dei atque Eccleſiæ ſponſæ Chriſti miniſter. Qui autem cap. 12. Evangelii Lucæ perlegerit, comperiet totum refertum eſſe parabolis, atque inter alios hanc poſitam à Bellarmino legi : ac ſtatim capitis initio Chriſtum monere Fideles ne perterreantur ab iis, qui ubi corpus occiderunt non habent quid ultra faciant, deindè ſimilitudine ſervi vigilantis ac torpentis uti, tumque demùm fidelis & nequam diſpenſatoris. Quæ comparatio nihilo magis Papæ quam aliis Prælatis competit, teſte D. Hilario cap. 26. in Mathæum : neque pœna æterna quæ toto illo capite omnibus malè agentibus tum Clericis, cùm Laïcis paratur, obſtaculo eſt quominùs peccantes pœnis etiam temporalibus plectantur : ſicut etiam Canones præcipiunt Epiſcopos & Sacerdotes malè agentes puniri & gradu abdicari : ex quo fit ut fruſtra Bellarminus hâc ſimilitudine utatur ad probandum Papam corrigi non poſſe à Concilio, de qua re jamjam & cum ipſo Bellarmino & Cajetano antea diſputavimus.

Tertiò, nomen Paſtoris Chriſto tanquàm Domino abſoluto & proprietario conve-

Digitized by Google

nit, Petro autem & Papæ tanquàm Opilioni, Vicario, OEconomo: Dominus gregem, in quem deſpoticum habet imperium, vendere & mactare poteſt: nec tamen cuiquam licet ei dicere, cur ita facis? At Opilio & Vicarius gregem debet regere & paſcere juxtà leges ariſtocratici regiminis à Chriſto poſitas: ita ut teneatur rationem reddere omnium ovium ſibi commiſſarum: eſt enim ſolummodò miniſter & cuſtos gregis.

Quartò, paulò ante in analyſi cap. 15. dixi Papam eſſe caput Concilii, nihil aliud ſignificare quàm eſſe primum Miniſtrum Chriſti & Eccleſiæ: atque ob primatum jure ei concedi in Conciliis ſedis atque ſuffragii & concluſionis prærogativam.

Quintò, Papa impropriè dicitur Sponſus, teſte D. Bernardo, qui eum vocat *amicum Sponſi & Sponſæ paranymphum* lib. 4. de conſideratione cap. xi. quam in rem jam aliqua obſervavimus. Superiùs contra Bellarminum quæſt. 3. & contra B. Thomam cap. 2. hujus libri.

Ad ſextum quòd prima Sedes à nemine judicatur ſupra ſolutum eſt. Cap. 3. quæſt. 7. adversùs Cajetanum & Bellarminum quæſt. 3. n. 20.

Septimò, nihil mirum eſt in epiſtolis quas memorat Bellarminus Papam ratione Primatus primo loco poni, cùm in actis Conciliorum idem ordo ſervetur, tum in commemoratione Sedium Patriarchalium, tum in ſubſcriptionibus Patrum. Porrò de his epiſtolis vide hiſtoriam noſtram Synodi Chalcedonenſis.

Octavò, multæ ſunt cauſæ cur Patres Chalcedonenſes Synodum ſecundam Epheſinam & Dioſcorum damnaverint, atque inter illas cauſas una eſt quòd Leonem Magnum excommunicaſſet, Bellarminus autem de ſuo addit hanc fuiſſe præcipuam cauſam: vide hiſtoriam Synodi Chalcedonenſis, quam ex actis fideliter collegimus. Cæterùm neſcio quid venerit in mentem Bellarmino, cùm hæc ſcripſit, *quod ſi Dioſcorus qui erat primus Patriarcha poſt Romanum cum Generali Concilio non potuit jure judicare Romanum Pontificem, certè ſequitur evidenter Concilium non eſſe ſupra Pontificem, cur enim non potuit Pontificem judicare, ſi erat ſupra ipſum, imò ejus Judex, ut adverſarii volunt.* Non enim Bellarminus potuit ignorare hæc quæ ſcriberet contra veritatem notiſſimam quam ipſe callebat à ſe uſurpari, videlicet ſecundum Epheſinum Concilium non fuiſſe legitimè & canonicè habitum, atque Dioſcorum omnia *vi majore* ibi confeciſſe, & coëgiſſe Patres ut chartis albis ſubſcriberent: deindè nihil omninò cauſæ habuiſſe Leonem Magnum damnandi: qui nihil peccaverat, imò verò doctrinam orthodoxam propugnabat; non enim juſto, ſed peccatori lex & damnatio poſita eſt.

Nonò, de quinta Synodo Romana ſub Symmacho & libro Ennodii Diaconi diximus ſupra hoc capite quæſt. 3. Addo ampliùs, dato quòd Ennodii libellus Synodicè examinatus & probatus fuiſſet, nullo modo poſſe decretis Concilii Generalis derogare, quia Synodus Romana eſt particularis, non œcumenica, & à multis annis adulatores voluiſſe mundo perſuadere Papam à nemine judicari poſſe, cunctis Italiæ Epiſcopis applaudentibus.

Decimò, dictum Adriani Papæ in ſua cauſa parvi eſt momenti; de quo adi librum 1. hiſtoriæ noſtræ Conciliorum Generalium in geſtis octavæ Synodi generalis.

Undecimò, cauſa Leonis III. ideò non eſt examinata in Concilio, quòd capita accuſationis teſtibus probari non poſſent 2. *quæſt. 5. Can. Auditum eſt, fratres chariſſi-*

Digitized by Google

mi, qualiter mali omnes in me gravia crimina confixerunt. Quamobrem ego Leo Pontifex. S. Romanæ Eccleſiæ purifico me in conſpectu veſtro coram Deo & Angelis ejus, quia iſtas criminoſas & ſceleratas res, quas mihi objiciunt, nec perpetravi, nec perpetrari juſſi; hoc autem faciens non legem præſcribo cæteris quâ id facere cogantur. Regino Abbas lib. 2. Chronici de Carolo-Magno & Leone III. hæc memorat. Rex concione vocatâ cur Romam veniret patienter indicavit; & inde quotidie ad ea quæ venerat facienda operam dedit: Inter quæ quod maximum & difficillimum erat, de diſcutiendis criminibus quæ ſummo Pontifici objecta erant: cauſâ itaque ventilatâ, cùm nullus probator aut teſtis legitimus appareret qui locum controverſiæ præſumeret: præfatus Pontifex coram omni populo in domo S. Petri Evangelium portans ambonem conſcendit; invocatoque ſanctæ Trinitatis nomine, jurejurando ab objectis criminibus ſe purgavit. Cui auctori potior fides, quàm Platinæ & Paulo Æmilio Italis recentioribus; quia Regino, ſæculo poſt Carolum-Magnum ſua chronica texuit: & hinc liquet Bellarminum multa contra hiſtoriæ veritatem effutire.

Duodecimò, Bulla Martini V. de ſuprema poteſtate Romani Pontificis intelligenda eſt conformiter ad decreta Synodi Conſtantienſis, puta Papam habere primatum in Eccleſiam, & juridicè extendi ad particulares Eccleſias ſeſſione 8. articulo 41. errorum Joannis Wicleff. Hic enim articulus Bullæ Martini V. nominatim conceptus eſt juxtà memoratum decretum ſeſſionis 8.

Decimò tertiò, decretum Synodi Lateranenſis ſub Leone X. ſpectat ad abrogationem ſacrarum electionum, nonnullaque alia quæ non Synodicè facta ſunt: vide lib. 4. hiſtoriæ noſtræ Conciliorum Generalium.

Decimò quartò, aliàs ſæpè dictum eſt de Pontificum Romanorum teſtimoniis in ſua cauſa, ſcilicet tantùm illis ineſſe fidei, quantùm legi divinæ, naturali & canonicæ concordarent.

Decimò quintò, ſupra famoſum Canonem Si Papa diſt. 40. explicavimus hoc ipſo capite quæſt. 3.

Decimò ſextò, negatur abſolutè unquam provocatum à Generali Concilio ad Papam, imò nequidem à Synodo Provinciali, totis octingentis primis annis quibus habita ſunt octo Generalia Concilia, ſi propriè nomen appellationis uſurpemus, neque verò hic auſcultandum Gelaſio Papæ in ſua cauſa: quas autem Bellarminus appellationes D. Athanaſii, Pauli Conſtantinopolitani, Flaviani, Theodoreti, Chryſoſtomi, &c. memorat, non ſunt appellationes, ſed perfugia ad Eccleſiam Romanam, ut curâ & ſolicitudine Pontificis, atque aliorum Epiſcoporum Occidentalium haberentur Synodi, & quæ contra Canones facta erant emendarentur: lege librum 1. hiſtoriæ noſtræ Conciliorum Generalium.

Decimò ſeptimò, fruſtratur nos Bellarminus à diviſis ad conjuncta: quoniam Synodus Ariminenſis ab omnibus fermè Epiſcopis Occidentis & quamplurimis Orientis improbata & damnata eſt, eamque ob cauſam multi exularunt: fruſtra ergo uni Papæ tribuit, quod Sanctorum communione & conſenſu Catholico geſtum eſt. Neque etiam D. Baſilius ea dicit quæ memorat Bellarminus. Auſculta Lector. *Viſum eſt autem mihi conſentaneum ut ſcribatur Epiſcopo Romæ, ut quæ hic geruntur, conſideret, detque conſilium: & quoniam difficile eſt, ut communi ac Synodico decreto aliqui iſtinc*

Digitized by Google

mittantur, ipſe ſuâ auctoritate in iſta cauſa uſus, viros eligat ad ferendas quidem itineris moleſtias idoneos: verùm juxta quoque ad hoc accommodos, ut manſuetudine & facilitate ingenii eos qui diſtorti & obliqui apud nos ſunt, corrigant: aptè ac diſpenſatoriè ſermonem attemperantes, omniaque ſecum habentes, quæ in Arimino ad neceſſariam ſolutionem geſtorum illic facta ſunt, & hoc nemine ſciente abſque ſtrepitu tacitè per mare ad eos qui hic ſunt, vadant, ne qui pacis ſunt inimici adventum ipſorum præſentiſcant. Summa ſententia Baſilii hæc eſt. Cùm Imperator Conſtantius per vim Ariminenſe Concilium haberi & concludi coëgiſſet, omneſque ei ſubſcribere nolentes exilio multaſſet, atque formulam fidei Ariminenſis Synodi ubique ſpargi voluiſſet, Epiſcopi Arriani Orientis inſultabant Orthodoxis, multaque contra veritatem geſtorum mentiebantur, quaſi omnia canonicè facta fuiſſent in illa pſeudo-Synodo: cui malo ut S. Baſilius obviam iret cenſet ſcribendum Romano Epiſcopo, ut quoniam Synodi liberè haberi non poterant, aliquos prudentes & pios viros mitteret in Orientem, qui veritatem rerum geſtarum in Synodo Ariminenſi declararent Orthodoxis, demonſtrarentque acta ipſa ſeipſis irrita propter violentiam adhibitam & libertatem Synodicam oppreſſam. Procul-dubio ſicut Pictores rudes & imperiti, cùm olim non poſſent animalia, equum, bovem, canem, &c. accuratè delineare & exprimere, ſolebant animi ſui ſenſa nomine animalis ſic inſcripto, *Hic eſt equus, bos, canis, &c.* declarare. Ita quæcumque argumenta adverſarii pro ſua abſoluta infallibili Monarchia promunt, cùm ſecundum omnes Logicæ & Theologiæ regulas & praxim Eccleſiæ primitivæ nullam vim habeant, nihilominùs adverſarii quæcumque lubet nomina illis inſcribunt, atque appellationes à Concilio ad Papam, & alia ejuſmodi eſſe fingunt; at non ſunt appellationes niſi in eorum ſcriptis & phantaſia, & tamen id pro jure divino & decretis Fidei Catholicæ venditant; ſuntque Hæretici & Schiſmatici, ſi Deo placet, qui contra repugnant.

Decimò octavò, veritatem hiſtoriæ Canonis 28. Synodi Chalcedonenſis de prærogativa Sedis Conſtantinopolitanæ poſt Sedem Romanam repetes ex lib. 1. hiſtoriæ noſtræ Conciliorum Generalium.

XLIX. Cap. 18. ejuſdem libri de Conciliorum auctoritate hanc aliam propoſitionem præſtituit nixam argumentis ſupra explicatis cap. 15. 16. & 17. *Summus Pontifex non poteſt committere, neque Concilio, neque ulli homini ſupra ſe judicium coactivum; ſed tantùm diſcretivum.* Quæ propoſitio concordat regulæ vulgari Juriſconſultorum aſſerentium *Regem nunquam ſibi manus ligare:* primam partem hujus propoſitionis munit tribus argumentis. Primùm, quia poteſtas Papæ ſuper omnes eſt de jure divino, ut patet (inquit Bellarminus) at non poteſt Papa diſpenſare in jure divino. Secundò, quia non poteſt inferior committere alicui judicium reſervatum ſuperiori, ut verbi causâ, Epiſcopus dare facultatem abſolvendi à caſibus qui Pontifici reſervantur. Tertiò, quia ſequeretur Papam eſſe ſuperiorem & non ſuperiorem reſpectu ejuſdem, cui daret poteſtatem coactivam ſupra ſe, quod implicat contradictionem: & hæc de confirmatione prioris partis. Altera pars ſcilicet de judicio diſcretivo probatur ex facto Sixti III. Symmachi & Leonis III. & IV. atque aliis Pontificibus, qui cùm accuſarentur, cauſas ſuas in Concilio Epiſcoporum diſcuti noluerunt, ut patet can. Mandaſtis & can. An dictum, 2. quæſt. 5. & ex Concilio IV. ſub Symmacho.

Digitized by Google

Tota hæc collectio illudit à petitione principii, ſupponitque probatum antecedentibus capitibus, Papam jure divino eſſe abſolutum infallibilem Monarcham Eccleſiæ: quia, ut perhibet Bellarminus, *Poteſtas Papæ de jure divino eſt ſuper omnes.* Hoc autem eſt æquivocum, cùm enim primatus ſit juris divini quoad inſtitutionem, & datus ſit Petro in ordine ad regimen Ariſtocraticum, ut demonſtratum eſt lib. 2. confirmaturque praxi Apoſtolorum & Patrum Eccleſiæ primitivæ; certè vox *ſuper omnes* ad hunc non ad Bellarmini ſenſum capi debet, vide quæ de primatu dogmaticè diſputavimus lib. 2. cap. 3. & 6. hujus defenſionis, & axiomate xxxi. apologiæ noſtræ. Certè in Concilio Conſtantienſi ſeſſione 4. & 5. definitum eſt *Papam ſubjici directivo & coactivo judicio Eccleſiæ*, & ſeſſione 8. conta 41. articulum errorum Joannis Wiclef, *Papam habere poteſtatem ſuper Eccleſias particulares diſgregatas.* Quem ad ſenſum Facultas Pariſienſis admittit Papam eſſe ſupra omnes particulares Eccleſias, numquàm autem ſupra Papam Concilium.

Secundò, quod attinet ad factum Sixti & Symmachi, de eo diximus hoc cap. quæſt. 3. contra Bellarminum, & de Leone III. paulo antè in analyſi lib. 2. Bellarmini de auctoritate Conciliorum cap. 17. Idemque judicium de Leone IV. Cùm enim à malevolis accuſaretur, quòd ſecreta conſilia de imperio iterùm ad Conſtantinopolitanos transferendo iniiſſet, & Lotharius Imperator, ut de hac re cognoſceret, ſeſe Romam contuliſſet, de delatoribus in mendacio deprehenſis egregium cepit ſupplicium; hercle quidem omnia hæc exempla nullo modo cauſam Bellarmini promovent: eſtque pro rato & certo habendum ex diſciplina primitivæ Eccleſiæ can. 5. Nicæno conſignata, ſententiam & cauſam Epiſcopi Romano ſolitam recognoſci & tractari in Synodo Provinciali; ita ut ſi quid adverſùm Canones geſtum eſſet ab illo, emendaretur & corrigeretur. Quam diſciplinam ſcio quidem poſteà immutatam à Romanis Pontificibus jus ſibi Monarchicum & abſoluti imperii contra legem divinam & naturalem vendicantibus. Quod pertinet ad quæſtionem facti: quæſtio autem juris continetur Evangelio, praxi Apoſtolorum & Eccleſiæ primitivæ confirmata, quod ſæpè eſt inculcandum.

L. Cap. 19. libri ejuſdem de Conciliorum auctoritate nititur ſolvere argumenta, quibus probatur Concilium eſſe ſupra Papam, juxta decretum Synodi Conſtantienſis 4. & 5. ſeſſione.

Primò, quoad exemplum Marcellini, qui damnatus & depoſitus fuit in Concilio Sinueſſano propter infidelitatem, ait Bellarminus hoc nihil habere difficultatis, quia certum eſt in caſu hæreſeos & infidelitatis Papam ſubeſſe judicio Concilii, de qua re nihil cum illo altercatur.

Secundò, valdè laborat ut argumentum ductum ex Auguſtini epiſtola 162. ad Glorium, Eleuſium & Felicem grammaticum declinet: ſcilicet quòd poſt Melchiadis judicium in cauſa Donatiſtarum, integrum fuerit Donatiſtis provocare ad Concilium, quæ diſputatio tractatur à me lib. 1. hiſtoriæ Conciliorum Generalium.

Tertiò, quia S. Leo epiſt. 63. ad Theodoretum Cyrenſem Epiſcopum tomo 1. Conciliorum Binii aſſerit, gaudetque epiſtolam à ſe miſſam ad Patres Chalcedonenſes ſuper damnatione errorum Eutychis & Dioſcori Synodicè examinatam & approbatam: idque eſt argumento Concilium eminere ſupra Papam. Reſpondet Bellarminus, *Leonem*

Digitized by Google

epiſtolam hanc miſiſſe, non ut continentem ultimam & definitivam ſententiam, ſed velut inſtructionem tantùm, quia Epiſcopi adjuti meliùs judicarent: & poſtquam omnes conſenſerunt epiſtolæ Leonis, tum demùm editam eſſe definitionem ultimam nomine Pontificis & Concilii. Hæc ille; ſed merum eſt effugium à ſuppoſitione principii, ac ſi Papa eſſet infallibilis abſolutus Eccleſiæ Monarcha. Certè quæ S. Leo ſuper damnatione errorum Eutychis & Dioſcori miſerat Calcedonem, Synodicè non unius Leonis judicio definita fuerant, ut ipſe teſtatur epiſt. 25. 26. & 27. in collectione Conciliorum Binii tomo 1. Hæc ſunt ejus verba ad Theodoretum. *Undè gloriamur* in Domino cum propheta cantantes, Adjutorium noſtrum in *nomine Domini, qui fecit Cælum & terram, qui nullum in noſtris fratribus detrimentum ſuſtinere permiſit: ſed quæ noſtro priùs miniſterio definierat, univerſæ fraternitatis irrefragabili firmavit aſſenſu, ut verè à ſe prodiiſſe oſtenderet, quòd priùs à prima omnium Sede formatum totius Chriſtiani orbis judicium recepiſſet, ut in hoc quoque capiti membra concordent.* Et aliquantò poſt, epiſtolam *Sedis Apoſtolicæ univerſali ſanctæ Synodi aſſenſu firmatam ait, ut nullus queat ulteriùs dubitare, &c.* Undè liquet illum agnoſcere orbem eſſe majorem urbe: ut verbis D. Hieronymi utar, & minorem Sanctorum communionem majore confirmari: vide quæ in hanc rem notavimus in hiſtoria Synodi Chalcedonenſis.

Quartò, tranſit ad argumenta Gerſonii qui urget Papam more aliorum hominum eſſe peccatis obnoxium, ac proinde debere dicere *Pater noſter qui es in Cælis, dimitte nobis debita noſtra, &c.* Undè etiam inſurgit, ſi pervicax & incorrigibilis ſit, poſſe ad judicium & tribunal Eccleſiæ deferri, atque ibidem puniri juxta præceptum Domini. *Dic Eccleſiæ* Mathæi 18. *Qui Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus, &c.* Hîc autem nomine Eccleſiæ Prælatos & Concilium ipſum intelligi probat Gerſonius ex verbis Chriſti: Amen dico *vobis, quæcumque alligaveritis, &c. Ubi enim ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum, &c.* Ad hæc reponit Bellarminus ex Chryſoſtomo & Innocentio III. hîc nomine Eccleſiæ vel Prælatum vel cœtum Fidelium cum ſuo Prælato intelligi, conſequenterque peccatores cujuſcumque Eccleſiæ ad Eccleſiam & Epiſcopum loci deferendos, ut forum rei ſequamur: quòd ſi Epiſcopus peccet, deferendum ad Eccleſiam ſuperiorem, cui Archiepiſcopus vel Patriarcha aut Primas præſidet. Si verò Papa peccet, cùm nulla ſit Eccleſia illo ſuperior, ad quam deferri poſſit: quoniam abſque illo Eccleſia eſt acephala: ſequi Papam à nullo judicari poſſe, ſed Dei judicio reſervari oportere. Ampliùs ſubjungit, quando Chriſtus dicebat Petro, *dic Eccleſiæ*, tum non fuiſſe Pontificem, ſed privatum hominem, & continuò præceptum *dic Eccleſiæ* illos tantùm obligare qui ſuperiorem habent, Papam verò minimè: quia neminem ſupra agnoſcit: quæ reſponſio magnâ parte ſumpta eſt ex Cajetani cavillationibus cap. 3. hujus libri plenè confutatis: excepto ſolùm quòd Bellarminus ait Petrum non fuiſſe Pontificem, quando Chriſtus dixit illi: *dic Eccleſiæ*: quam evaſionem obſtruximus lib. 2. cap. 7. adverſùs Vallium num. 1. Cæterùm negatur Bellarmino Concilium legitimè congregatum adverſùs Papam incorrigibilem eſſe acephalum. Nam, ut aliàs diximus, omnes unum ſumus in Chriſto, alter alterius membra, & Chriſtus eſt Caput eſſentiale viſibile Eccleſiæ, quam mortuo vel vivente Papâ numquam deſerit: quî enim fieri poſſet, ut corpus ſibi connaturale, cui intimè atque individuè unitur, deſereret? hoc certè tam impoſſibile eſt, quàm

Digitized by Google

rò rationale abſtrahi ab homine. Itaque hæc reſponſio, ***Concilium abſque Papa eſt Acephalum***, fallit à ſuppoſitione principii, quaſi Papa eſſet internum & eſſentiale Caput, non externum & miniſteriale variabile: conſule ea quæ initio hujus quæſtionis quintæ obſervavimus contra Bellarminum numero 44.

Quintò, Gerſonius ſic argumentatur. Omnis pars eſt minor ſuo toto, & dato quòd pars totum inficiat vel corrumpat, debet abſcindi: quia de jure naturæ eſt ut membra quæ totum corpus corrumpunt, abſcindantur: ergo à pari de Papa, qui eſt membrum Eccleſiæ: contra opponit Bellarminus, hoc argumentum duabus conſtare partibus: & quoad primam, quâ objicitur omnem partem eſſe minorem ſuo toto, reſpondet poſt Cajetanum, Eccleſiam ſecluſo Papâ non eſſe totum, ſed partem majorem quàm caput magnitudine molis, ſed minorem magnitudine virtutis, ſeu auctoritatis, ut patet in quolibet corpore. Quòd autem (inquit Bellarminus) adverſarii dicunt auctoritatem capitis ſuppletivè remanere in Eccleſia, jam refutavimus ſupra cap. 16. ſi autem accipiatur Eccleſia cum Papa, tunc ut aliàs diximus major eſt auctoritas Eccleſiæ extenſivè, quàm ſolius Papæ, intenſivè autem æqualis, ſicut Chriſtus ut homo eſt caput homogeneum Eccleſiæ, & proinde pars ejus, & tamen non eſt major Eccleſia tota quàm Chriſtus ſolus.

Hæc Bellarmini reſponſio ad primam partem argumenti Gerſonii tria continet abſurda, imò erronea. Primò, fallit à ſuppoſitione principii aſſerens Eccleſiam ſecluſo Papâ non eſſe totum ſed partem, quaſi Papa eſſet Caput eſſentiale, & non pars ac membrum Eccleſiæ: jam enim docui Chriſtum Caput eſſentiale Eccleſiæ corpori ſuo connaturali deeſſe numquam poſſe, ſive in ratione gratiæ juſtificantis, ſive regiminis, etiam abſente aut mortuo Papâ. *Ubicumque fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum, Matthæi 18.* Qui duo vel tres totum perfectum cum Chriſto componunt: ſive Papa adſit, ſive abſit, quem nodum adverſarii diſſolvere nullo modo poſſunt: quæque dicunt in contrarium mera ſunt commenta, ac ſi Papa eſſet Caput eſſentiale Eccleſiæ, quod erroneum eſt. Secundò, quod ait Bellarminus ſe cap. 16. oſtendiſſe auctoritatem Papalem non manere in Concilio aut Eccleſia ſuppletivè, mortuo vel abſente Papâ, eſt à me ibidem confutatum, ubi docui omnia ejus argumenta fallere partim à ſuppoſitione principii, partim à dicto ſecundùm quid ad dictum ſimpliciter. Tertiò, quòd aſſerit Chriſtum non eſſe extenſivè majorem totâ Eccleſiâ, & à ſimili concludit de Papa, ſemper illudit & à ſuppoſitione principii, quaſi Papa eſſet Caput eſſentiale Eccleſiæ, ſicut Chriſtus, & à dicto ſecundùm quid ad dictum ſimpliciter, ac ſi alia data eſſet Petro poteſtas quàm purè miniſterialis in ordine ad regimen ariſtocraticum. Bellarminus meminiſſe debebat eorum quæ paulò poſt dicit, nimirum Chriſtum eſſe ſuppoſitum Eccleſiæ, atque totam Eccleſiam, ſive in ratione gratiæ juſtificantis, ſive regiminis ab illo eſſentialiter pendêre, à Papa autem & aliis Prælatis ſolùm miniſterialiter, inſtrumentaliter & extrinſecè, ſicut facultas videndi pendet ab organo, &c.

Sextò, ſchola Pariſienſis inſtat. Semper potentia agendi eſt principaliùs atque eſſentialiùs in toto quàm in partibus, quæ ſunt inſtrumenta totius: Ideòque hominem dici principaliùs atque eſſentialiùs agere, quàm ullam partem ſeu potentiam, & conſequenter ſupremam poteſtatem Eccleſiaſticam, Papalem nimirùm, eſſe principaliùs atque eſſentialiùs in Eccleſia quæ eſt totum, quàm in Papa qui eſt membrum & pars dumtaxat. Reſpondet Bellarminus aliud eſſe judicium de corporibus naturalibus, & de corpore

Digitized by Google

Eccleſiæ, & quia in illis virtus procedit ab eſſentia ad potentias, ideò totum dici principaliùs agere quàm ullam partem ſeu potentiam: At in corpore Eccleſiæ virtutem non procedere ab eſſentia ad potentias ſeu partes, ſed ab extrinſeco. Papa enim, qui eſt caput Eccleſiæ (inquit) non habet ab Eccleſia, ſed à Deo auctoritatem; & ideò principale agens non eſt Eccleſia, ſed Deus. Secundò, dici poteſt principale agens in quolibet corpore ſemper eſſe ipſum ſuppoſitum, quod ſuſtentat & movet omnia membra. Porrò, ſuppoſitum corporis Eccleſiæ eſt Chriſtus, &c. neque obſtat quòd Chriſtus ſit etiam caput Eccleſiæ: nam Chriſtus ut influens in omnia membra dicitur caput: ut autem ſuſtentat & movet omnia, dici poteſt ſuppoſitum; & hoc modo concedimus Papam eſſe inſtrumentum corporis Eccleſiæ & quoddam minus ipſo toto, ut nimirùm in toto Chriſtum ipſum ut ſuppoſitum includimus. Huc uſque Bellarminus de prima parte argumenti Gerſonii.

Verùm hîc ut antea Lectorem ſuum multipliciter fruſtratur. Primùm, quod ait in corpore Eccleſiæ virtutem intrinſecè non procedere ab eſſentia ad potentias ſeu partes, ſicut in corporibus naturalibus; ſed ab extrinſeco, id eſt, à Deo, &c. laborat æquivocatione: nam cùm juxta ſententiam omnium Theologorum Chriſtus poſſit conſiderari ut efficiens & ut formalis cauſa Eccleſiæ, atque in moralibus & politicis cauſa formalis utplurimum eadem ſit cum cauſa efficiente: ſanè quando Chriſtus ſemper informat & vivificat Eccleſiam ſuam tum in ratione gratiæ juſtificantis, tum regiminis, neque poteſt magis lege Evangelicâ ſtante ab Eccleſiâ ſejungi aut ſeparari quàm *tò rationale ab* homine, ut aliàs docui: falsò quidem Bellarminus aſſerit poteſtatem Papæ ab intrinſeco manare: quoniam Sacerdotio Chriſti, Papalis, Epiſcopalis & Presbyteralis poteſtas eminenter & architectonicè ineſt, conferturque formaliter & quoad habitum unà cum ſacris ordinibus. Quocircà Papalis poteſtas & auctoritas ab intrinſeco non ab extrinſeco manat, ut allucinatur Bellarminus. Qui tum demùm ſecundâ ſuâ reſponſione dat manus veritati, affirmans Chriſtum quatenùs Eccleſiæ ſuppoſitum, utque includitur in Eccleſia, tum Eccleſiam majoris eſſe auctoritatis intenſivè & extenſivè, quàm Papam, atque Papam eſſe ſolummodò inſtrumentum Eccleſiæ, quo de argumento vide quæ lib. 2. cap. 1. num. 9. & 13. ſupra obſervavimus, non te pigebit laboris.

Altera pars argumenti Gerſonii eſt, Papam ut membrum putridum poſſe amputari, &c. Concedit Bellarminus in corpore naturali & Republica temporali: quia hæc membra ab ipſo corpore pendent & virtutem habent: at non ita in corpore Eccleſiæ, quoniam caput Eccleſiæ non à corpore Eccleſiæ, ſed à Deo habet auctoritatem: ſicut à Patrefamilias familia; undè ſicut non licet familiæ ſummum OEconomum quanquàm peſſimum deponere, quia non eſt à familia, ſed à Patrefamilias inſtitutus; ita nec Eccleſia jus habet deponendi Papam qui eſt à Chriſto, non ab Eccleſia inſtitutus. Duo ſunt cavilli in hac Bellarmini reſponſione: Primò, fallit æquivocatione, dum ait caput Eccleſiæ non à corpore Eccleſiæ, ſed à Deo habere auctoritatem: ſi enim de prima inſtitutione Petri in primatem agit, certum eſt illum viâ extraordinariâ inſtitutum à Chriſto, nec habere ſimpliciter ab Eccleſia primatum: nam Eccleſia fundanda fuit. Verumtamen ut habetur *can. In novo diſt. 21.* Petrus eſt etiam delectus ab Apoſtolis, hâcque ratione dicitur eſſe, & auctoritatem habere ab

Eccleſia, ut lib. 2. cap. 6. diſputavimus. Et hæc inquam de via extraordinaria & prima Eccleſiæ fundatione. Quòd ſi de via ordinaria propagandi Sacerdotii Chriſti & poteſtatis Eccleſiaſticæ agatur, falſum eſt Papam non habere poteſtatem & auctoritatem ab Eccleſia Matre ſua, & Sponſa Chriſti, cùm exploratiſſimum ſit Papam & ſacros ordines & canonicam electionem ab Eccleſia accipere, ut alibi docuimus.

Alter cavillus eſt de ſummo OEconomo. Certè non tantùm licet familiæ ſummum OEconomum, verùm etiam ipſum Patremfamilias prodigum & furioſum ad agnatos & gentiles deducere, ac vinculis conſtringere, ne cuiquam noceat : ex quo datur intelligi quàm infirma ſint argumenta parabolica & ſimilitudinaria.

Septimum & octavum argumentum Scholæ Pariſienſis datur à Synodi Conſtantienſis & Baſileenſis decretis de Concilii auctoritate ſupra Papam : de qua controverſia dixi ex proprio inſtituto lib. 3. hiſtoriæ noſtræ Conciliorum Generalium in hiſtoria Conſtantienſis & Baſileenſis Concilii.

Digitized by Google

CAPUT SEXTUM.

I. Gregorii Valenſis argumenta pro infallibili Pontificis auctoritate confutantur.

II. Suaris Collectiones pro infallibili Papæ Monarchia eædem planè cum D. Thomæ & Cajetani argumentis.

III. Fruſtra Suarez hanc communem omnium Theologorum & Canoniſtarum ſententiam impugnare conatur, ſcilicet unà cum ordine Sacerdotali & Epiſcopali habitu & formaliter Eccleſiaſticam juriſdictionem conferri, & de illius argumentis in contrarium.

IV. Quibuſnam communitatibus Eccleſiaſticis data ſit poteſtas legum ferendarum contra eundem Suarem.

V. Comparatio fundamentorum Scholæ Pariſienſis cum firmamentis adverſariorum de abſoluta infallibili Monarchia, & concluſio libri tertii.

I. POſt Bellarminum Gregorius de Valentia Sodalis etiam Jeſuita hanc controverſiam ampliſſimè tractavit tomo ſuarum controverſiarum lib. 7. & 8. quem inſcripſit, Analyſim Fidei. Verùm qui Valenſis collectanea cum Bellarmini argumentis contulerit, hanc omnibus ſociis ſuis palmam præripuiſſe facilè judicabit, neque aliorum ſcripta in hac parte deſiderabit. Quocirca non ego hîc immorabor in Gregorii Valentini collectionibus examinandis: tantùm aliqua obiter perſtringam, in quibus cum Bellarmino minimè concordat, cujuſmodi illud eſt, quod lib. 8. Analyſis Fidei cap. 3. poſt medium reſponſione ad ſextam objectionem legitur, ubi ait: *Sive Pontifex in definiendo ſtudium & diligentiam neceſſariam exhibeat, ſive non adhibeat, modò tamen controverſiam definiat, infallibiliter definiturum, atque adeò reipſa uſurum auctoritate ſibi à Chriſto conceſſâ, Matthæi 16. Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & Joannis ultimo, Paſce oves meas. Quamobrem decernit ſtudium & diligentiam neceſſariam eſſe Pontifici, non quidem ut definiat, ſuâque infallibili auctoritate utatur, ſed ut convenienter ac rectè, hoc eſt, ſine peccato ſuâ auctoritate utatur.* Rationem hanc ſubjungit: *Chriſtum eo ipſo quod promiſit Eccleſiæ nunquam futurum ut ipſa fallatur, unà quoque caviſſe ne Pontifex controverſiam falsò & prætermiſſâ debitâ diligentiâ neceſſariâ definiat. Quemadmodùm (inquit) ſi Deus nobis promitteret futuram anno ſequenti magnam frugum copiam, hoc ipſo quoque promittere cenſeretur aeris temperiem, quæ ad eum effectum eſſet neceſſaria*, ut appoſitè ad hanc rem docet Melchior Canus lib. 5. de locis Theologicis cap. 15.

Digitized by Google

Verùm hæc Gregorii Valenſis aſſertio perſimilis videtur opinioni illorum, qui omnia ex atomis inter ſe fortuitò concurrentibus procreari fabulantur, legique divinæ, naturali, & praxi Eccleſiæ manifeſtò repugnat: utque de lege divina naturali primùm dicamus, certè recta ratio dictat Deum hominibus, qui libero pollent arbitrio, omnia laboribus vendere, ne vel deſidiâ torperent, vel ſuperbiâ efferrentur: non enim ſolet auxiliari deſidibus, aut miraculosè ad regimen Eccleſiæ concurrere; ſi ad legem ordinariam attendamus, ſic enim ignaviæ hominum patrocinaretur. Hinc accidit, ut juxta viam ordinariam quò quiſque dotibus naturæ magis pollet, & plus operæ atque induſtriæ etiam in ratione gubernationis Eccleſiaſticæ conſequatur. *Audiendo enim ſapiens ſapientior erit, & intelligens gubernacula poſſidebit*, Proverb. 1. Hanc ob cauſam Apoſtolus, quia primâ juventute magnos progreſſus in lege Moſaïca fecerat, & quia multum laboris ea in re impenderat, multa arcana ſupra alios Apoſtolos cognovit, ſi modò D. Joannem excipias, qui viâ omninò extraordinariâ informatus fuit à Deo. Scitum prætereà B. Athanaſium, quoniam egregiæ eſſet indolis, polleretque ingenio, & magnos feciſſet in litteris progreſſus, ut ejus ſcripta declarant, ideò ſupra omnes Epiſcopos acumine excelluiſſe, & in Synodo Nicæna Arrium, deinde toto vitæ ſpatio Arrianos contudiſſe; & hæc de lege naturali: divina autem nos docet, Chriſtum iis ſolùm gratiam ſuam etiam in ratione moderationis Eccleſiæ polliceri, qui mandata ſua ſervaverint. Hinc enim omnis Eccleſiæ ſufficientia ſperanda & expectanda eſt, Mathæi ultimo: *Euntes ergo docete omnes gentes ſervare omnia quæcumque mandavi vobis, & ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi.* Quocirca Mathæi 18. formam regiminis Eccleſiæ præſcribens, afflatum & auxilium Spiritus ſancti, non ùni cuipiam ſingulari, ſed communioni Sanctorum congregatæ in nomine ſuo pollicetur: *Ubi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum, &c.* Congregari autem in nomine Chriſti, eſt omnia facere neceſſaria ad divinum auxilium implorandum, congruenter quidem ad leges & regulas Evangelio conſecratas. Itaque qui tempore Synodi habendæ armis & conſcribendis militibus operam daret, ut Julius II. anno 1512. parùm eſſet obſequens præceptis Chriſti atque Evangelii. Proculdubio omnes antiqui textum hunc, *Ubi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, &c.* de canonica Synodorum celebratione interpretantur: & Bellarminus etiam lib. 1. de Conciliis & Eccleſia cap. xi. ubi diſertè ait Papam non cenſeri definire in vim Cathedræ, niſi media ordinaria à Chriſto inſtituta adhibeat, atque Synodum magnam aut parvam unam vel plures habeat: hoc enim praxis Eccleſiæ comprobat can. 5. Synodi Nicænæ, quo decernitur bis annuatim habendas Synodos Provinciales, in quibus ſi controverſiæ naſcentes minùs ſufficienter definiri poſſent, ad ampliorem Sanctorum communionem properabatur, ut aliàs docuimus. Hercle quidem cùm Eccleſia ſit corpus connaturale Chriſti capitis eſſentialis, & caput in omnia membra, non in unicum & ſolum membrum influat; oportet in ratione regiminis Eccleſiæ Chriſtum cuncta membra, non ſolum Papam illuminare, informare & dirigere: alioqui cæteris membris anſam præberet torpendi, ac ſeſe negligendi: *Nam multi unum corpus ſumus in Chriſto, alter alterius membra, Roman. 12. & corpus non eſt unum membrum, ſed multa de ſe invicem ſolicita, ne ſit ſchiſma in corpore: variæque ſunt diviſiones gratiarum, quas unus*

Digitized by Google

atque idem Spiritus, qui operatur omnia in omnibus, dividit ſingulis prout vult 1. *Corinth.* 12. Porrò rationes adverſariorum huic falſo atque imaginario nituntur principio, quòd Chriſtus S. Petrum conſtituerit infallibilem Eccleſiæ Monarcham. Certè Valenſis ſibiipſi apertè contradicit, quia cap. 4. ejuſdem libri 8. ſtatim initio ait ex Vincentio Lirinenſi Papam *non nova fidei dogmata conſtituere, ſed eruere vetera, & ad eam rem inquiſitione opus eſſe.* Ego verò contendo accuratiſſimam & diligentiſſimam deſiderari, ut declarant acta primæ Synodi Epheſinæ, Chalcedonenſis, quinti, ſexti, ſeptimi, & octavi Concilii Generalis, in quibus Patres, ut oſtenderent quanta cum diligentia veritatem indagarent, primùm ordine textus Scripturæ & Patrum teſtimonia ad res controverſas definiendas conducentia proponere & explicare ſolebant: deindè in teſtimonium & monimentum decreti Synodalis, ſigillatim omnes Epiſcopi acta obſignabant; hæcque ſemper obſervata ſunt antequam adulatores atque obnoxii homines perſuaſiſſent mundo Papam eſſe infallibilem: quaſi haberet afflatum Spiritûs ſancti in ſua poteſtate, *ita ut inſpiraret & quando & quotieſcumque vellet*, ut ait Cardinalis Cuſanus de concordantia Catholica cap. 20. Verùm maximè fallit aut fallitur Valenſis dum ſuam imaginationem illuſtrat ſimilitudine Dei promittentis magnam frugum ubertatem & unà congruam aëris temperiem: non enim res phyſicæ cum moralibus comparandæ ſunt: quia hæ à libero hominis arbitrio & voluntate pendent: unde homo poteſt agere & non agere, hoc vel illo modo agere, natura autem uno tantùm modo agit, eſtque in ſuis cauſis & effectibus ad unum determinata. Quare Deus cum liberis liberè & cum neceſſariis neceſſariò agit: vultque homines cooperari ſaluti ſuæ cum timore & tremore, atque diligentiam neceſſariam ad merendam adhibere. Melchior Canus, quem Valenſis laudat eodem lib. & cap. refert Sylveſtrum *in verbo fides* §. *ultimo hanc difficultatem de diligentia in rebus controverſis definiendis adhibenda tanti feciſſe, ut vix eam ex animo ſuo depellere potuerit: meliùſque illum facturum ait, ſi eam occuluiſſet, quàm alios ſtimulare quo ipſe ſcrupulo pungebatur.* Hæc Canus: quæ autem de Sylveſtro memorat ex novis editionibus ſummæ Sylveſtri ſunt expuncta, ne hic aculeus patronos infallibilis monarchiæ foderet: quandoquidem apertè convincit ariſtocraticum regimen: meliùſque & faciliùs reperiri quod à pluribus, quàm quod ab uno quæritur, quia oculi quàm unus oculus clariùs & longiùs vident, ut lib. 4. cap. oſtendetur. Profectò, Bellarminus non longè abludit à Sylveſtri ſententia dum perhibet, quæ non ſunt conciliariter examinata, non eſſe infallibilia: de qua re aliàs.

II. Franciſcus Suarez Doctor Theologus Societatis tom. 4. Commentariorum in 3. partem D. Thomæ diſput. 17. ſect. 3. ab articulo quinto ad 29. communem omnium Theologorum ſententiam impugnat aſſerentium, *unà cum ſacris ordinibus juriſdictionem neceſſariam conferri Epiſcopis & Presbyteris, ſaltem formaliter, quoad habitum & in actu ſignato, contraque docet à ſolo Papa tanquàm abſoluto Eccleſiæ Monarcha dari.* Quam controverſiam deindè ſuſcitat lib. 4. de legibus à cap. 3. ad 6. ſub hac quæſtione: *Quibus perſonis data fuerit poteſtas legum ferendarum immediatè à Chriſto.* Ubi autem Bellarmini lucubrationes hac in parte commendavit, demonſtrare aggreditur, Chriſtum uni & ſoli Petro poteſtatem Monarchicam etiam ſupra alios Apoſtolos tanquàm ſuper membra detuliſſe; ita ut quidquid alii Apoſtoli habuerint juriſdictionis & poteſtatis à Chriſto, id eis dependenter à Petro conceſſum

Digitized by Google

fuerit. Quo in ſaxo volvendo & revolvendo ubi diu multùmque anhelavit, præter D. Thomæ & Cajetani argumenta nihil quicquam novi exponit. Primò, cauſatur Chriſtum non ſufficienter Eccleſiæ providiſſe ad unitatem atque ordinem retinendum in Eccleſia, niſi talem poteſtatem Papæ contuliſſet: idque probare molitur his textibus, *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, Mathæi 16. & Joannis ultimo, *Paſce oves meas.* Adnectit & Canonem In novo diſt. 21. & Can. Ita Dominus diſt. 19. Secundò, objicit poteſtatem extraordinariam & per modum cujuſdam legationis delatam Apoſtolis, ut eam exercerent quoad viverent: Petri verò poteſtatem ordinariam fuiſſe & ad ejus ſucceſſores tranſire. Tertiò, D. Petrum ſuis legibus & præceptis alios Apoſtolos potuiſſe obligare, non contra: imò neque alios Apoſtolos, ſi B. Petrum excipias, poteſtatem habuiſſe ſeſe invicem obligandi; Addit, licèt omnes Apoſtoli præditi eſſent poteſtate ferendarum legum ad obligandam Eccleſiam univerſalem, nihilominùs illas ordinariè non tuliſſe, niſi ex conſenſu & acceptatione Petri, qui auctoritate Pontificiâ ſuper illos excellebat. Quartò, quoties apud Cyprianum alioſque Patres antiquos legitur omnes Apoſtolos fuiſſe pares, hoc intelligi de dignitate Apoſtolatûs, quâ illis extraordinariè juriſdictio in univerſam terram permittebatur. Quintò, fingit non reperiri in toto Evangelio poteſtatem legum ferendarum alii cuiquam ordinariè delatam, quàm Petro, qui illam ex vi ſuæ inſtitutionis immediatè habuit à Chriſto, Mathæi 16. & Joannis ultimo: hæc autem ſua placita ut confirmet, adglutinat Canonem *Quamvis diſt. 21. can. Quoties 24. quæſt. 1. & cap. Significaſti de electione & electi poteſtate.* Quibus ex locis colligitur leges à Romanis Pontificibus latas, non à Concilio pendêre, ſed contra Concilia vim omnem & robur habere ab auctoritate Pontificis. Sextò, docet hanc ſupernaturalem poteſtatem legum ferendarum non conferri Papæ ab hominibus dum eligitur: *quia nemo dat quod non habet*, ſed à Chriſto ſolo. Et hinc obiter occaſionem arripit illos reprehendendi, qui aſſerunt ſolum Papam abſque Concilio Cardinalium leges univerſales in rebus gravibus figere non poſſe: quam diſputationem ex inſtituto tractat cap. 6. libri 4. de legibus, & nos ibidem Suarem excipiemus.

En ſumma profutiſſimæ opinionis Suaris cap. 3. lib. 4. de legibus: cujus argumentis etſi facile ſit ſatiſdare ex reſponſis ad argumenta B. Thomæ, Cajetani & Bellarmini, tamen de illis ſeorſim dicemus: & primò, quòd ait Chriſtum non ſatis ſufficienter conſuluiſſe Eccleſiæ ad unitatem atque ordinem retinendum, niſi Petrum Monarcham Eccleſiæ conſtituiſſet; ejuſdem eſt farinæ cum his verbis Gloſſæ extravagantis, *Unam ſanctam* §. *Porrò ſubeſſe Romano Pontifici: non videretur Dominus diſcretus fuiſſe, ut cum reverentia ejus loquar, niſi unicum poſt ſe talem Vicarium reliquiſſet, qui hæc omnia poſſet*, ait Gloſſator, impiè proculdubio, idque eſt ſtatuere, *Quòd per conſilia atque inventiones humanas etiam meliùs quàm per legem divinam Evangelicam Eccleſia regeretur*, ut ait Gerſonius ſermone habito Taraſcone in die Circumciſionis conſiderat. 1. Quandoquidem hæc abſoluta Monarchia omninò repugnat legi gratiæ & poteſtati miniſteriali ſpirituali: neque iſti homines poſſunt attendere *ſe ſpiritualiter examinari*, atque Sanctorum communionem & unitatem Eccleſiæ ad complendum numerum Prædeſtinatorum aliter perfici non poſſe, quàm per actus Hierarchicos, illuminando ſuaviter per Verbi divini prædicationem, purgando per pœ-

Digitized by Google

nitentiam & cenſuras Eccleſiaſticas, denique perficiendo adminiſtratione aliorum Sacramentorum, & lumine exemplorum bonorumque morum, præſertim in Eccleſiaſticis, qui lumen & ſal mundi eſſe debent. Quod ſpectat ad hos ſcripturæ textus, *Tu es Petrus*, *& ſuper hanc petram*, *Paſce oves meas*, *&c.* ſupra plus ſatis explicati ſunt, nihilque indè poteſt extorqueri præter primatum: primatus autem inſtitutus eſt in ordine ad regimen Ariſtocraticum, ut docuimus *de Canone In novo*, quo aſſeritur ordinem Sacerdotalem à Petro cœpiſſe poſt Chriſtum: aliàs monui, ſi ad litteram capiatur, manifeſtò pugnare cum Scriptura, quæ docet cunctos Apoſtolos, Paulo excepto, creatos Sacerdotes à Domino, Lucæ 22. Hoc facite in meam commemorationem, &c. Undè Gloſſator Canonis perhibet hoc ita capi oportere, ut ſenſus ſit Petrum eſſe primum Sacerdotem poſt Chriſtum ratione primatus. Quod ſpectat ad Canonem Ita Dominus, decerptus eſt ex Leonis Magni epiſtola ad Epiſcopos Viennenſes: quo de loco diximus hoc ipſo libro cap. 1. in analyſi ſententiæ Leonis. Item cap. 5. adversùs Bellarminum.

Secundùm argumentum de extraordinaria & delegata poteſtate in Apoſtolis & ordinaria in ſolo Petro, commentum eſt ſophiſticum aliàs in analyſi Opinionum Cajetani & Bellarmini dilapidatum.

Tertium ludificat à petitione principii: cum enim regimen Eccleſiæ ſit ariſtocraticum: & primatus inſtitutus in ordine ad regimen ariſtocraticum, gratis Suarez aſſerit Petrum potuiſſe ſuis legibus alios Apoſtolos obligare. Dico ampliùs, neminem oſtendere poſſe Romanos Pontifices octingentorum annorum ſpatio ſub primis octo Conciliis ullam legem aut Canonem proprio motu fixiſſe aut dediſſe Eccleſiæ: Inſto etiam ab eo tempore, quo privati motus depulſo regimine ariſtocratico Synodorum invaluerunt, leges conditas à Romanis Pontificibus numquam vim habuiſſe ſecluſo conſenſu Eccleſiarum: idque quodammodò æquivalere ariſtocratico regimini: in Eccleſia enim ſicut in regnis temporalibus leges abſolutâ poteſtate decerni non poſſunt: quia Sanctorum communio atque unitas Eccleſiæ neque abſolutè & monarchicè imperatur, neque per vim cogitur: etſi feneſtra ſchiſmatibus atque hæreſibus potentiſſima aperitur, ut hodierna docet experientia. De poteſtate legum & Canonum condendorum infra lib. 4. cap. 6. & 7. Profectò quamquàm Apoſtoli ratione poteſtatis extraordinariæ Apoſtolatus, quæ ad fundandas Eccleſias erat neceſſaria, ſeorſim & abſolutè poſſent multa ſtatuere, nihilominùs ut formam juſti futurique regiminis Eccleſiæ præſtituerent, & ad poſteros tranſmitterent ſemper omnia communi conſilio ſanxerunt. Contra hodie Prælati cuncta proprio motu tanquàm abſoluti Monarchæ decernere volunt, nec alio utplurimum quàm oligarchico obnoxiorum atque adulatorum conſilio utuntur.

Quartò, quænam ſit mens Cypriani atque omnium Patrum antiquorum diſputatum eſt ſupra lib. 2. 4. & 5. & lib. 3. cap. 3. & 5. adversùs Bellarminum.

Quintò, reſpondeo ut ad tertium: cùm enim Chriſtus Sacerdotium ſuum cum poteſtate clavium toti Eccleſiæ Sacerdotali individuè, in commune & architectonicè detulerit, ſuprema & architectonica poteſtas legum ferendarum reſidet in tota Eccleſia, idque praxis Eccleſiæ convincit ſub octo univerſalibus Conciliis: cæterùm Canones, quos adverſarius ad ſuæ opinionis comprobationem promit, ſunt collecti ex ſcriptis Pontificum in ſua cauſa, quibus tantùm ineſt fidei, quantùm juri divino, naturali &

Digitized by Google

Canonico concordant, ſuntque explicati in analyſi librorum Bellarmini & Cajetani.

Sextum fallit à petitione principii: cùm enim Sacerdotium Chriſti ſit cauſa efficiens & exemplaris totius juriſdictionis Eccleſiaſticæ, ac reverà & formaliter ſit in Eccleſia, atque etiam Pontifici communicetur, partim dum ordinatur, partim dum eligitur ab Eccleſia, unà etiam inſurgit Papam quidquid habet poteſtatis, id reverà per & propter Eccleſiam poſſidere: quod ſuperius abundè probavimus.

III. Idem Suares lib. 4. de legibus cap. 4. negat Chriſtum ullam poteſtatem legum ferendarum dediſſe Epiſcopis: & ſi quas Epiſcopi (inquam) ferant leges, vim ſolummodò habere ex permiſſione & tolerantia Papæ: idque probat his argumentis, ac primò narrat Chriſtum Petro imperaſſe, ut Epiſcopos inſtitueret, eiſque impartiretur poteſtatem quam ad id muneris obeundum neceſſariam putaret, ſtatuitque præceptum de inſtituendis Epiſcopis eſſe quidem immediatè à Deo, ſed poteſtatem Epiſcopalem conferri mediante Papá: qui eam quibus vult & quantùm vult poteſtatis communicat, hocque illuſtrat comparatione Regis Hiſpaniarum, qui Proregem mittit in Indiam cum ampliſſima poteſtate conſtituendi Judices, Magiſtratus & Gubernatores Provinciarum, hi verò quamquàm præcepto Regis Hiſpaniarum conſtituantur, tamen non immediatè ab illo ſuam derivant poteſtatem, ſed mediante Prorege. Hanc ſuam opinionem his fulcit tibicinibus, quòd Deus ſuaviſſimè agat nobiſcum per cauſas ſecundas, quando id commodè fieri poteſt: unde auctore D. Thomâ 4. contra gentes cap. 76. ratione 4. Chriſtus ſpecialiter dixit Petro, tibi dabo claves regni Cælorum, &c. ut oſtenderet poteſtatem clavium per Petrum ad alios derivandam, ut unitas Eccleſiæ conſervaretur. Adſuit ex eodem Thoma Papam habere plenitudinem poteſtatis Eccleſiaſticæ, quaſi regem in regno: & Epiſcopos tantùm aſſumi in partem ſolicitudinis tanquàm Judices particulares civitatum atque urbium 4. ſententiarum diſt. 20. quæſt. unicâ articulo 4. quæſtiunculâ 3. concluditque hoc eſſe perneceſſarium ad majorem unionem membrorum cum capite, & perfectiorem ſubordinationem, qualis debet eſſe in perfecta monarchia Eccleſiæ quam Catholici agnoſcunt. Subjungit Pontificiam & Epiſcopalem dignitatem hoc ipſo inter ſeſe diſcrepare, quòd illa jure divino & ex vi ſuæ inſtitutionis materialiter & formaliter œcumenica aut univerſalis prorſuſque immutabilis ſit: adeò ut omnes Chriſtiani ſubjiciantur Papæ materialiter ratione ſubditorum, atque territorii totius Chriſtianitatis, deindè formaliter ratione facultatis ligandi & ſolvendi juxta omnes modos & materias caſuum occurrentium: Contra, ait officium Epiſcopale jure divino neque certam habere qualitatem, neque determinatam materiam aut territorium: & ſi poteſtas Epiſcopalis formaliter conſideretur, intendi poſſe atque remitti: quatenus Papa illis plus aut minus tribuit poteſtatis. Ex quo efficit Suares auctoritatem Epiſcopalem neque materialiter, neque formaliter juris eſſe divini invariabilis; nam quæ ſunt juris divini immobilia ſunt, ut patet ex Sacramentis & Sacrificio: ad uberiorem probationem ſic argumentatur. Niſi juriſdictio Epiſcopalis eſſet à Papa, ſequeretur ex vi ſuæ inſtitutionis eſſe œcumenicam & univerſalem, ac ſeſe ad totum mundum materialiter & formaliter diffundere, ſicut poteſtatem Papæ, & continuò Epiſcopum de omnibus caſibus abſolvere & diſpenſare poſſe, niſi ejuſmodi poteſtas à Papa reſtringeretur. Item inſurgeret Epiſcopum ſuâ privatâ auctoritate poſſe deſerere atque ejurare Epiſcopatum, niſi habeat juriſdictionem à Papa: quod eſt contra Innocentii

Digitized by Google

centii III. conſtitutionem *cap. inter corporalia de tranſlation. Epiſcopi :* ubi docetur ſolum Papam pollere facultate transferendorum Epiſcoporum. Præterea oppugnat ſententiam Alphonſi Caſtrenſis, Navarri, & Vaſqueſii ſodalis ſui ; quæ tamen communis eſt omnibus Theologis : ſcilicet Durando, Armachano, Gerſonio, Toſtato, Almaïno, Majori, &c. Nam docent unà cum ſacris ordinibus poteſtatem juriſdictionis conferri, ſaltem formaliter, habitu & in actu ſignato, ut lib. 2. probavimus. Contra hanc ſententiam idem Suares ampliùs velitatur tomo 4. commentariorum in 3. partem D. Thomæ diſput. 17. ſect. 3. à quinto ad 29. articulum : ac primùm contendit poteſtatem ordinis & juriſdictionis eſſe mutuò ſeparabiles, & de facto ſeparatas inveniri, idque certiſſimum eſſe argumentum realis diſtinctionis apud Metaphyſicos. Urget, quòd experiamur juriſdictionem ab Epiſcopo aut à Papa exerceri, quamquàm non ſit donatus Sacerdotio aut Epiſcopali ordine. Quòd ſi per ordinis collationem juriſdictio immediatè conferretur à Deo, ſequeretur tolli nullo modò poſſe, ut patet de poteſtate ordinis quæ interno charactere nititur : unde Sacerdos quamquàm exauctoratus, tamen impediri non poteſt quominùs conſecret, Euchariſtiam & miſſam celebret ſi velit : contra autem ſi abſolvat aut liget aliquem, ejus conatus irritus nullusque eſt : cauſa eſt, quia Sacerdos abdicatus caret juriſdictione. Hæc Suares commentariis in ſummam D. Thomæ. At lib. 4. de legibus cap. 4. objicit Alphonſum Caſtrenſem & Navarrum immutare uſitatum atque ordinarium morem loquendi inter ſcholaſticos & uſurpatum à Conciliis : ſcilicet duplicem eſſe poteſtatem Eccleſiaſticam, alteram ordinis, alteram juriſdictionis, hancque extra Sacramentum dari, & habitu nihil quicquam aliud eſſe quàm poteſtatem ordinis in corpus Chriſti myſticum : inſuper inſtat Epiſcopalem conſecrationem non eſſe per ſe principium actus juriſdictionis, neque actu aut habitu activam juriſdictionem efficere ; cùm experiamur Epiſcopum electum & confirmatum, etſi non ſit conſecratus, tamen poſſe omnia obire munia quæ ſunt juriſdictionis Epiſcopalis *cap. 1. & 2. de tranſlation. Epiſcopi, & cap. transmiſſum de electione cap. inter corporalia de tranſlatione.* Item poſſe indulgentias conferre, teſte D. Thomâ 4. ſentent. diſt. 20. quæſt. unicâ articulo 4. quæſtiunculâ 2. Ampliùs inſtat poteſtatem Pontificiam eſſe velut exemplar totius auctoritatis Eccleſiaſticæ : eam verò conferri non per aliquam conſecrationem, ſed per nudam electionem & conceſſionem Dei : quando Chriſtus ſoli Petro dixit, paſce oves meas : quibus verbis nullum novum characterem, ſed nudam & puram poteſtatem juriſdictionis confert : à pari ergo concludit Suares, Epiſcopos non ſacri ordinis adeptione, ſed ſolâ collatione Pontificis conſequi poteſtatem juriſdictionis. Quantùm ad locos Scripturæ, quibus Caſtrenſis & Navarrus utuntur ad ſuæ ſententiæ confirmationem : Reſpondet Chriſtum Mathæi 18. *Quæcumque alligaveritis, ligata erunt, &c.* promiſiſſe juriſdictionem exercendam poſt ſuam reſurrectionem conformiter ad caput 20. Joannis. *Accipite Spiritum ſanctum, Quorum remiſeritis peccata, &c.* Demùm actorum 20. Apoſtolum his verbis, *Attendite vobis & univerſo gregi in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei*, oſtendere Epiſcopos dici poſitos à Spiritu ſancto, eo quòd ex Dei præcepto, inſtitutione, atque ordinatione primariâ conſtituantur ad regendam Eccleſiam, ſed mediante Papâ qui illos conſtituit : quo etiam modo Reges, quamquàm ponantur ab hominibus, tamen dicuntur regnare per Deum, & ab eo poteſtatem habere. Quam

Digitized by Google

opinionem etiam Lorinus Theologus ſocietatis in acta Apoſtolorum amplectitur. Verùm rationibus Vaſqueſii Suares opponit, quòd mittantur dumtaxat quâdam morali congruentiâ atque externo modo loquendi, quem non ſemper neceſſe eſt ſervari: gratiſque Vaſqueſium quæ dicit aſſerere. Cùm enim D. Thomas æquiparet Epiſcopos Judicibus, quos Reges conſtituunt per Provincias 4. ſentent. diſt. 20. quæſt. unicâ articulo 2. quæſtiunculâ 3. certum eſt, ait Suares, fieri poſſe ut Epiſcopi in actibus ſuæ juriſdictionis ordinariæ dicant, *Ego te abſolvo vel excommunico auctoritate mihi à Vicario Chriſti conceſſâ, aut quid ſimile.* Sicut Judices & Magiſtratus Principum dicere ſolent: Regia Majeſtas præcipit, aut quidpiam æquivalens: & quamquàm ejuſmodi forma abſolvendi aut excommunicandi non ſit in uſu apud Eccleſiaſticos: tamen hoc non ideò evenit, quòd juriſdictio Epiſcoporum detur immediatè à Deo, vel quòd per collationem ordinis conferatur; ſed propter modeſtiam & moderationem Pontificum, qui licèt dent Epiſcopis poteſtatem, tamen intelligunt illam eſſe principaliter à Chriſto, & in illum omnia referri oportere tanquàm in principale operans, cujus ſunt Vicarii: vel etiam hoc fit ut ſervetur diſtinctio inter poteſtatem delegatam & ordinariam, ne confundantur & ambiguitates inde oriantur. Subnectit rectè fieri potuiſſe ut Chriſtus docuerit & præceperit Apoſtolis, & præſertim Petro modum regendi monarchiam Eccleſiaſticam mediantibus Epiſcopis tanquam Paſtoribus ordinariis & Principibus Eccleſiæ ſub Petro: & nihilominùs quòd commiſerit Petro & inſtitutionem & collationem talis officii atque muneris cum juriſdictione ad eam rem neceſſaria.

Hæc propria ſunt argumenta penè ad verbum deſumpta ex Suaris operibus. Quæ quidem indigna ſunt magno Theologo: quoniam nullis firmis rationibus, ſed ſophiſticis elenchis, maximè à petitione principii, & à dicto ſecundùm quid ad dictum ſimpliciter incumbunt, atque poteſtatem ſpiritualem purè miniſterialem in abſolutam Monarchiam contra cauſas eſſentiales legis gratiæ transformant.

Ad Analyſim ſingulorum deſcendamus. Primùm quæ de Rege Hiſpaniarum ejuſque Proregibus proponit, nullius ſunt momenti: hîc enim opus eſt teſtimoniis Evangelicæ legis, exemplis Apoſtolorum, & praxi Eccleſiæ primitivæ, non argumentis ductis ab analogia regnorum temporalium, aut ex viſu hodierni regiminis Eccleſiæ. Profectò conſenſus catholicus omnium Patrum demonſtrat Apoſtolos indiviſim & in commune in ſolidum accepiſſe claves aut poteſtatem juriſdictionis à Chriſto, atque honore & poteſtate æquales eſſe. Deindè Epiſcopos poſitos eſſe à Spiritu ſancto, ut univerſo gregi attenderent, ſuaſque regerent in ſolidum Eccleſias, Actorum 20. & ſucceſſiſſe poteſtati Apoſtolorum, ut aliàs probavimus. Verùm multò magis credendum eſt antiquis & praxi Eccleſiæ primitivæ, quàm neotericis Theologis: quibus propoſitum eſt jus commune & regimen Ariſtocraticum labefactare, ut ſuas miſſiones extraordinarias atque immunitates immoderatas tueantur, ac ſupra poteſtatem Epiſcoporum extollant: quod ita conſequuti ſunt, ut jam Epiſcopis ſuperiores eſſe videantur multis in rebus. Certè exceptâ facultate conferendi ordines ſacros, hodiernâ die Jeſuitæ Epiſcopis antecellunt. Eſt autem hæreſis dicere, Epiſcopos carere poteſtate legum ferendarum pro ſuarum provinciarum gubernatione, & diſciplina eccleſiaſtica conſtituenda: quia cùm Dominus ſciret cunctas nationes iiſdem moribus & legibus regi non poſſe, voluit Eccleſias jure communi & ariſtocratico regimine gu-

Digitized by Google

bernari. Quocircà ſtatuitur can. 5. Nicæno & 2. Conſtantinopolitano ut negotia provinciæ Synodis provincialibus regantur, & definiantur. Cui legi Romanus Epiſcopus more aliorum tenebatur : ſanè ab eo tempore quo regimen Ariſtocraticum in abſolutam monarchiam degeneravit, & mores Chriſtianorum & diſciplina Eccleſiaſtica evaſit corruptiſſima, fideſque Catholica ſenſim ad paucos redacta eſt : neque mirum eſt Jeſuitas docere Epiſcopos non præditos eſſe poteſtate legum ferendarum; hoc enim conſultò faciunt, ne cogantur in ordinem ab Epiſcopis, & juri communi, quod opprimunt, ſubjiciantur : cæcique ſunt Epiſcopi qui ad hæc non attendunt.

Secundò Deus reverà ſuaviſſimè agit nobiſcum per regimen ariſtocraticum quod inſtituit : ideòque Petrum abſolutum monarcham eſſe vetat Lucæ 22. *Reges gentium dominantur eorum*, vos autem non ſic &c. porrò argumenta D. Thomæ, quæ in aciem explicat Suares, ſupra cap. 2. hujus libri ſoluta ſunt.

Tertiò, quòd ait omnes Chriſtianos materialiter & formaliter ſubjici Papæ, ſecundùm quid concedo, abſolutè nego : cujus rei notitia pendet ab iis quæ lib. 2. cap. 6. num. 5. de primatu diſputavimus : etſi enim primatus quoad rem & ſubſtantiam inſtitutus ſit à Deo, tamen limitatio, extenſio & regulatio juriſdictionis pendet ab Eccleſiæ definitione. Quare can. 6. Nicæni Concilii orbis chriſtianus diſtribuitur in tres Patriarchatus, parque & æqualis poteſtas Alexandrino & Antiocheno Patriarchis in Eccleſias ſibi ſubditas, quàm Romano in Eccleſias Occidentis conceditur, adeò ut quemadmodum Apoſtoli, ſic & Patriarchæ inter ſe honore & poteſtate pares eſſent, primatu excepto. Quæ diſtributio Patriarchatuum à Nicænis Patribus facta, clariſſimè demonſtrat tunc temporis minimè perſuaſum fuiſſe Eccleſiæ primatum eſſe monarchicum. Hîc autem Suares argumentatur ex hodierna praxi, id eſt, quæſtione facti quæſtionem juris probare contendit. Conſule xxxi. axioma apologiæ noſtræ.

Quartò, quòd perhibet poteſtatem Papæ formaliter extendi ad omnes modos & & materias caſuum ligandi & ſolvendi, &c. fallit æquivocatione : quia ſi de jure poſito loquatur, concedo Pontifici ejuſmodi poteſtatem hodie competere : jure autem divino ſinguli Epiſcopi quiſque in ſua diœceſi id poſſunt quod Papa : idque probatur can. 6. Nicæno jam laudato : quo cæteri Patriarchæ tantumdem habent poteſtatis in ſuis Patriarchatibus quantum Papa in ſuo : Adde quòd omnis Epiſcopatus formaliter & objectivè eſt univerſalis, ut ſequenti reſponſione dicetur.

Quintò, de poteſtate & officio Epiſcopali, quod materialiter & formaliter limitatum eſſe ait, annuo juxta hodiernam praxim, nego ſimpliciter & abſolutè. Ac primò certum eſt jure divino poteſtatem Epiſcopalem formaliter & objectivè eſſe illimitatam & œcumenicam. Undè *ad eſſe Epiſcopi nihil quicquam locus & diœceſis conferunt de tranſlatione, idque patet ex Epiſcopis titulariis.* Secundò, ſi attendamus ad tempora Apoſtolorum, tunc etiam Epiſcoporum poteſtas materialiter erat illimitata & œcumenica, quoniam nondum limites Epiſcoporum erant conſtituti propter neceſſitatem publicandi Evangelii, & ideò Actor. 20. Apoſtolus univerſum gregem commendat Epiſcopis : Attendite vobis & univerſo gregi, &c. Quocircà Canoniſtæ docent 7. quæſt. 5. can. Novatianus, initio naſcentis Eccleſiæ unicum dumtaxat fuiſſe Epiſcopatum, qui poſt publicatum Evangelium diviſus & diſtinctus eſt in diverſas

Digitized by Google

Diœceſes, quæ diſtributio eſt juris merè poſitivi: ſiquidem juris eſt purè humani, quòd hic aut ille Epiſcopus ſit Romanus, Pariſienſis aut Meldenſis Epiſcopus. Quòd itaque juriſdictio Epiſcoporum materialiter & formaliter limitata ſit, hoc à jure poſitivo pendet, quatenùs per ſacras electiones, aut aliâ viâ hic aut ille Epiſcopus privatim Pariſienſi aut Meldenſi diœceſi regendæ verbi causâ addicitur: neque hæc poteſtas illimitata Epiſcoporum derogat primatui, ſed tantùm imaginariæ Monarchiæ, quam Suares animo concipit.

Sexto, petitio eſt principii dicere poteſtatem Epiſcopalem materialiter & formaliter intendi atque remitti, ut videtur Pontifici: aliàs docui juriſdictionem Eccleſiaſticam originaliter atque efficienter à Chriſti Sacerdotio manare, atque formaliter & in actu ſignato conferri unà cum Epiſcopali ordine: materialiter verò extenſivè & quoad exercitium deferri per ſacras electiones aut aliâ viâ, quâ titulus Epiſcopalis & populus regendus creditur Epiſcopis. Hîc autem Suares de quæſtione juris ex hodierna praxi abſolutæ monarchiæ decernit: ſupra autem cap. 5. hujus libri quæſt. 4. de intentione & remiſſione juriſdictionis Epiſcopalis diſſerui contra Bellarminum. Eò ſe Lector conferat.

Septimo, ad incommodum allatum à Suare de poteſtate Epiſcopali, quòd ſit œcumenica ſicut poteſtas Papæ, niſi à Papa ipſo conferatur, & dependeat, ita ut illam reſtringere & ampliare poſſit, quando & quatenùs velit. Reſpondeo ut priùs hæc argumenta ex eo procedere, quòd adverſarii fingant Papam eſſe abſolutum Monarcham Eccleſiæ: & primatum cum monarchia confundant, cùm tamen res ſint omninò diverſæ ac differentes. Ut enim anima rationalis, quæ tota eſt in toto corpore organico, & tota in qualibet parte corporis organici, determinatur quoad actiones & operationes ſuas per organa corporis: ſimiliter Chriſti Sacerdotium, quod totum eſt in toto ordine hierarchico & totum in quolibet Epiſcopo atque Presbytero, circumſcribitur, definitur, limitatur & veluti organiſatur per ſacras electiones, quibus confertur poteſtas exercendi Papatum, Epiſcopatum & Presbyteratum. Itaque ſicut Eccleſia eligendo Papam, Sacerdotium aut Epiſcopatum Chriſti communicatum Papæ ad omnes Chriſtianos materialiter extendit (quemadmodum videmus ſenſum tactûs per totum corpus diffundi) pariter Eccleſia cooptando Epiſcopum ejuſdem Sacerdotium atque Ordinem Epiſcopalem reſtringit & determinat ad certam Diœceſim & populum regendum. Ex quo evenit ut poteſtas Papæ materialiter & formaliter ſit illimitata & œcumenica: contra autem Epiſcopi materialiter & formaliter ad hunc vel illum Epiſcopatum definita & limitata ſecundùm Canones & jus ordinarium: nam jure extraordinario & in caſu neceſſitatis, Epiſcopi munia Epiſcopalia œcumenicè & univerſim obierunt, ut poſteà oſtendetur: quemadmodum videmus ſimplicem Presbyterum in caſu neceſſitatis defungi poteſtate Papali, dum quemlibet Chriſtianum à caſibus etiam Papæ reſervatis abſolvit.

Octavo, vellem adverſarii nobis proferrent Canones Conciliorum non conſtitutiones Pontificum in ſua cauſa, ad probandum Epiſcopos non poſſe ſuum Epiſcopatum deſerere abſque Papæ auctoritate: quæ enim de ea re Innocentius III. *cap. inter corporalia de tranſlatione* præſcribit, ſtatuuntur velut à Monarcha abſoluto. Antiquitus dum regimen vigebat, cuncta negotia Eccleſiaſtica Synodicè decernebantur:

Digitized by Google

ſed ubi Concilia frequentari deſierunt, Pontifices Romani ſibi poteſtatem Monarchicam, atque idipſum quod proprium erat Eccleſiæ & Synodorum facilè aſſumpſerum. Certè cùm inter Epiſcopum & populum Chriſtianum quædam ſpecies matrimonii ſpiritualis intercedat *Can. ſicut alterius 7. quæſt.* 1. atque omnium hominum animæ cujuſcumque ſint qualitatis, nationis, Regum, Principum, divitum, pauperum, Bajulorum, agricolarum, Græcorum, Latinorum &c. æquè ſint charæ Domino ejuſque ſanguine pretioſo redemptæ, meritò quidem Patres Nicæni can. 15. prohibuerunt tranſlationes aut migrationes Epiſcoporum ab uno in alium Epiſcopatum ditiorem aut illuſtriorem : cujus Canonis ſicut & aliorum Conciliorum exequutio pertinet ad Romanum Pontificem ratione primatus ſui. Quid memorem Domnum Antiochenum ejurare Epiſcopatum, atque in ejus locum Maximum ſuffici, hæcque comprobari à Patribus Synodi Chalcedonenſis actione 7. rataque grata haberi quæ Maximus dat Domno pro alimentis. Verùm de Epiſcopatibus & Eccleſiis non deſerendis adi totam 7. quæſt. cauſâ 1. Quòd autem Epiſcopi damnentur aut reſtituantur Synodicè nonâ Papa : vide can. 4. Synodi Antiochenæ xi. quæſt. 3. Can. Si Epiſcopus, de Canonibus Concilii Sardicenſis dictum eſt lib. 1. hiſtoriæ Conciliorum generalium.

Nono, fateor poteſtatem ordinis & juriſdictionis objectivè, formaliter & realiter diſtingui : atque etiam diſtinctè & ſeparatim aliquando exerceri : ſed nego indè ſequi aut inferri poſſe juriſdictionem formaliter, habitu & actu ſignato non deferri per ordinis Epiſcopalis & Presbyteralis collationem : laborent adverſarii, hoc numquam demonſtrabunt, ſed dumtaxat Presbyterum aut Epiſcopum vagè & abſque certo titulo, diœceſi aut parœcia ordinatum non poſſe in actum atque exercitium, juriſdictionem ſibi habitu & formaliter creditam mittere : ſicut videmus aurifabrum defectu materiæ vaſa aurea vel argentea cudere vel efformare non poſſe.

Decimum argumentum ſimile eſt decimo tertio & decimo quarto ; quare ibidem ſolvetur & explicabitur, quomodò fieri poſſit ut Papa aut Epiſcopus non conſecratus ea exercere poſſit quæ ſunt juriſdictionis.

Undecimum de comparatione poteſtatis conſecrandi Euchariſtiam & abſolvendi aut ligandi peccatorem, fallit ab Elenchi ignoratione, quia non attendit ad diſcrimen materiæ Sacramenti Euchariſtiæ & Pœnitentiæ : ſiquidem panis & vinum, quæ res ſunt inanimes, neceſſariò & non liberè ſubjiciuntur Sacerdoti in Euchariſtiæ Sacramento & Sacrificio miſſæ : contra populus ſpontè & voluntariè ſecundùm canones ſuis ſubditur Paſtoribus. Undè ſi Paſtor & populus aliquid contra Canones & diſciplinam Eccleſiæ moliantur, omnes illorum conatus vani atque irriti ſunt. Et hinc fit, ut ſacerdos poteſtate conſecrandi non poſſit, poſſit autem ligandi & abſolvendi poteſtate privari per materiæ & populi ſubſtractionem.

Duodecimo, negatur Navarrum & Aphonſum Caſtrenſem immutare aut confundere communem & ordinarium modum loquendi ſcholaſticorum vel Conciliorum : imò verò eum apertè explicant, docentque, quamquàm poteſtas ordinis naturâ ſuâ & objectivè diſtinguatur : nihilominus formaliter & in actu ſignato unà cum ordine conferri : & diſtinctè exerceri poſſe, ſicut experientia comprobat in Epiſcopis juriſdictione & diœceſi præditis atque in titulariis ; Item in Presbyteris qui vagè & abſq-

lutè abſque titulo & parœcia ordinantur. Vide reſponſionem ad nonum.

Ad decimum tertium, dico certiſſimum & de fide Catholica tenendum, omnem Eccleſiaſticam juriſdictionem, nimirùm Papalem, Epiſcopalem & Presbyteralem cauſaliter atque efficienter ineſſe Chriſti Sacerdotio communicato & credito Eccleſiæ Sacerdotali, quam Apoſtoli referebant. Unde negamus Suari, ordinem aut conſecrationem Epiſcopalem, quâ Epiſcopus fit particeps Sacerdotii & Epiſcopatus Chriſti, non eſſe per ſe principium & cauſam efficientem juriſdictionis activæ aut habitualis, imò verò unà cum ordine datur facultas & poteſtas activa ad exercendam juriſdictionem, neque quicquam deeſt ut in actum mittatur præter materiam & populum ſubditum juxta Canones. Vide ſupra reſponſionem ad nonum.

Decimo quarto, nihil mirum eſt aut Papam aut Epiſcopum non conſecratum imò non donatum ordine Presbyterali, ea gerere, quæ ſunt juriſdictionis exterioris: cùm exploratum ſit Epiſcopos ſæpè cuipiam Laïco aliquam partem ſuæ juriſdictionis exercendam committere: idque fit virtute Sacerdotii & Epiſcopatus Chriſti, quod eminenter, radicaliter, totaliter ac efficienter ineſt toti hierarchico ordini collectim ſumpto: quarè ad tempus ſupplet defectum non Sacerdotis aut Epiſcopi ſingularis. Legendus Gerſonius de poteſtate Eccleſiaſtica conſiderat. 5. & x. Accedit Tridentinum Concilium ſeſſione 23. cap. 2. ſtatuere, ut qui Eccleſiis Cathedralibus præficiuntur, intra tres menſes Sacerdotalem ordinem ſuſcipere cogantur: quod argumento eſt juriſdictionem exerceri in vim ordinis, ut ait Gerſonius ſupra laudatus. Præterea cùm Papa & Epiſcopus non Sacerdotes, in vim ſuæ electionis materiam & populum ſibi ſubditum habeant: quid mirum eſt ex ratihabitione Eccleſiæ atque in vim Sacerdotii Chriſti ſibi proximè communicandi aliquam exercere juriſdictionem.

Decimo quinto, Sacerdotium Chriſti communicatum Eccleſiæ, eſt cauſa exemplaris & efficiens totius juriſdictionis Eccleſiaſticæ, quæ ejuſdem eſt naturæ, ſpeciei & virtutis in omnibus Epiſcopis & Pontifice: hic enim ſupra alios jure divino ſolùm habet primatum aut primum gradum Sacerdotii Chriſti, & Petrus unà cum adeptione ordinis Sacerdotalis formaliter & in actu ſignato juriſdictionem Papalem aſſequutus eſt: Deinde Joannis ultimo, his verbis, *Paſce oves meas*, ac Marci ultimo: ***Euntes in mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ, &c.*** omnes Apoſtoli mittuntur in actualem poſſeſſionem aut exercitium poteſtatis adeptæ per ſacrum ordinem, Lucæ 22. ***Hoc facite in meam commemorationem:*** ſimiliter Papa dum hodie ordinatur fit particeps Sacerdotii & Epiſcopatus Chriſti, conſequiturque juriſdictionem quoad habitum & in actu ſignato: deinde Cardinales, qui nomine totius Eccleſiæ illum deligunt in Papam, eidem univerſalem Eccleſiam regendam pro materia ſubjiciunt; pari etiam modo Epiſcopi per ordinem Epiſcopalem conſequuntur juriſdictionem activam aut facultatem regendi Eccleſiam, paſſivam autem juriſdictionem & materiam, quando ei per ſacras electiones aut aliâ viâ canonicâ tituli Epiſcopales atque Diœceſes conferuntur. Quòd autem obtendit adverſarius Epiſcopos ſolâ collatione Pontificis, non ſacri ordinis adeptione conſequi poteſtatem juriſdictionis; petit principium, & ex hodierna praxi de quæſtione juris ſophiſticè ſtatuit: de argumentis Alphonſi Caſtrenſis & Navarri conſule lib. 2. cap. 5. à num. 48. ad 51.

Decimo ſexto, ſi demus Suari, Chriſtum Mathæi 18. ***Amen dico vobis, quæcumque***

Digitized by Google

alligaveritis, *&c.* promiſiſſe juriſdictionem exercendam poſt ſuam reſurrectionem, quid inde lucrabitur? nihil certè quo ſuam cauſam promoveat.

Decimo ſeptimo, Apoſtolus disertè ait actor. 20. *Epiſcopos poſitos eſſe à Spiritu ſancto ad regendam Eccleſiam*: quòd autem Suares perhibet hoc intelligi mediante Papâ, eſt petitio principii contra praxim Eccleſiæ primitivæ, ut jam adversùs Bellarminum diximus.

Decimo octavo, B. Thomas Dux partium non eſt adducendus ad probandum Epiſcopos & Presbyteros inter exercendam ſuam juriſdictionem aut potuiſſe aut debuiſſe dicere, *Ego te ab abſolvo aut excommunico auctoritate mihi delegatâ à ſummo Pontifice.* Deus bone, quotuſquiſque non videt hæc vergere in maniteſtiſſimum Evangelii & Epiſcoporum contemptum? Nam cùm Deus immenſâ ſuâ bonitate parietem inter medium maceriæ, qui inter Judæos & Gentes faciebat divortium, interruperit per Chriſtum; volueritque Chriſti Sacerdotium, à quo peccatorum remiſſio efficienter manat, omnibus gentibus & nationibus ex æquo eſſe commune, omneſque homines immediatâ Chriſti auctoritate, cujus etiam ſanguine redempti ſunt, ex æquo abſolvi: & eam ob cauſam omnes Epiſcopos atque Presbyteros immediatam habere à Chriſto auctoritatem per Sacerdotii Chriſti participationem, ut tanquàm Proreges & immediati Vicarii Domini homines ligarent & abſolverent à peccatis: Contra novi Doctores ut abſolutam Monarchiam conſtituant in Eccleſia, atque privilegia ſua poteſtati ordinariæ Epiſcoporum æquent, imò etiam præponant, ut multis in rebus faciunt, equidem immenſum beneficium Domini quantùm in ſe eſt imminuunt: docentes Epiſcopos non immediatâ Chriſti auctoritate, ſed mediante Pontifice abſolvere & ligare; hoc eſt, gratiam redemptionis noſtræ non immediatè ex ipſo fonte; ſed intermediis rivulis & veluti canalibus turbidis haurire, ut Curia Romana abundantiùs frequentetur. Nam quotuſquiſque tam cæcus eſt, ut non videat hâc viâ conditionem Diœceſis Romanæ, quaſi ſola ab ipſo fonte chariſmata & juriſdictionem derivaret, pinguiorem effici, atque iterùm parietem maceriæ diſruptum à Chriſto inſtaurari? Ecquis etiam non videt hâc ratione perſuaderi Epiſcopos, qui omnes ex æquo & in ſolidum ſuas regere debent Eccleſias, ut ait Cyprianus, nihil aut parum eſſe regendis Eccleſiis neceſſarios, atque ſub Romano Pontifice tanquam ſub abſoluto Monarcha & Epiſcopo univerſali cunctas Eccleſias gubernari poſſe per Archipresbyteros, ſicut hodie Catholici-Angli contra jus divinum, naturale & Canonicum reguntur? An non etiam hinc illæ voces publicæ manarunt, ut ſæpè Pariſiis Jeſuitæ inter concionandum contenderint, nihil neceſſe eſſe populo etiam die ſancto Paſchæ ſuas adire parochias, ut particeps fieret Sacramentorum: quoniam ſicut Papa poteſtatem dederat Archiepiſcopis, & Archiepiſcopi Epiſcopis, ac viciſſim Epiſcopi Curatis, & Curati Presbyteris ſuis: ita & omnes privilegiatos immediatè auctoritatem habere à Pontifice. Quod certè non eſt prædicare, ſed corrumpere Evangelium, populumque prurientem ad novitates in ruinam præcipitem impellere, ut privatæ utilitati ſerviatur. Quandoquidem hæc privilegia & immunitates non ideò robur habent, quòd à Papa tanquam Monarcha Eccleſiæ oriantur & auctorentur: ſed quia communi Eccleſiæ conſenſu approbantur, & in rem judicatam mittuntur, ut de legibus Eccleſiaſticis dicetur. Undè ſi tota Eccleſia vellet jure priſtino uti, poſſet qui-

Digitized by Google

dem, ut hinc Privilegiati diſcant ſapere ad modeſtiam, & non efferri ſupra Ordinarios.

Decimo nono, Suares Vaſqueſii argumenta non ſolvit, ſed in petitione principii impingit, aſſerens per modeſtiam Romanorum pontificum effici quominùs Epiſcopi & Sacerdotes dicant: Ego te auctoritate mihi à ſummo Pontifice conceſsâ & delegatâ abſolvo, &c. Contra id non fit, nec fieri poteſt, quia juri divino & naturali & praxi Eccleſiæ eſt penitùs contrarium, ut dixi in reſponſione ad decimum octavum: de Vaſqueſii argumento vide ſupra librum 2. cap. 5.

Vigeſimo, quis etiam ferat diſcipulum in ſcholis argumenta nectentem à poſſe ad eſſe hoc modo: *Fieri rectè potuit ut Chriſtus docuerit & præceperit Apoſtolis, & præcipuè Petro modum regendi Monarchiam Eccleſiaſticam mediis Epiſcopis, &c.* ergo res ita habet aut debet fieri? negatur conſequentia; hîc enim demonſtrandum non quid Chriſtus potuerit, ſed quid non reverà & de facto voluerit: quod probamus jure divino & naturali & conſtantiſſimâ praxi Eccleſiæ primitivæ, quæ numquam imaginariam Monarchiam recentiorum, ut eam probaret, agnovit, imò verò ſæpè labefactavit atque oppugnavit, ſicut toto lib. 1. Hiſtoriæ Conciliorum Generalium probatum eſt.

IV. Suares eodem lib. 4. de legibus cap. 6. diſputat quibuſnam communitatibus aut congregationibus Eccleſiaſticis facultas legum condendarum competat: quibus autem principiis anteà efficere voluit D. Petrum conſtitutum abſolutum Eccleſiæ Monarcham à Chriſto, iiſdem negat Concilium OEcumenicum pollere auctoritate legum ferendarum, niſi Papa leges illas auctoret. Quæ opinio tam facilè ruit, quàm proclivè aſſeritur, ut patet ex iis quæ cap. 5. quæſt. 5. diſſeruimus contra Bellarminum, & libris de Hiſtoria Conciliorum Generalium, ubi omnibus argumentis contrariis ſatisfecimus. Dehinc Suares eodem lib. & capite quærit utrùm Collegium Cardinalium auctoritatem habeat legum ſanciendarum: quam difficultatem jam delibarat cap. 3. quæſt. 1. in Joannem Monachum cap. ſuper eo de hæreticis in B. Ancharanum, Baldum, alioſque Canoniſtas, explicatè docentes ſolum Papam abſque conſilio Cardinalium leges ferre non poſſe in rebus gravibus. Contra autem Suares aſſerit conſenſum Cardinalium tantummodò requiri ad decentiam & bene eſſe: idque ipſum ſimiliter Bellarminus contendit de Generalibus Conciliis lib. 1. de Conciliis & Eccleſia cap. 9. Fundamentum Suaris eſt, quòd *poteſtas legum ferendarum ſic abſoluta fuerit in Petro, ut etiam ſine conſilio Apoſtolorum nedum aliorum inferiorum leges condere poſſet: ergo multò magis abſque conſilio Cardinalium.* Quam ad rem probandam hos textus quaſi telum fortunatum contra omnia argumenta vibrat: *Tibi dabo claves regni Cælorum, Paſce oves meas, &c.* Attexit & *Canonem cuncta 9. quæſt. 3.* ubi Gelaſius Papa ait Apoſtolorum Sedem ſine ulla Synodo præcedente, ſolvendi & damnandi poteſtatem habuiſſe: laudat & caput ultimum de conſtitutionibus: ubi dicitur conſtitutionem Sedis Apoſtolicæ omnes adſtringere, & Canonem *Sunt quidam dicentes Romano Pontifici ſemper licuiſſe novas condere leges 25. quæſt. 1.* Adjungit Romanos Pontifices in ſuis conſtitutionibus raro hæc addere verba, *Sacro approbante Concilio, vel de fratrum noſtrorum conſilio: quæ ſæpè in motibus propriis vel reſcriptis aliis extra jus ponuntur. In jure autem minimè, quia Pontifices leges ferunt propriâ auctoritate,*

& ſi

& in ſe ſolis agnoſcant abſolutam poteſtatem ſicut Imperator aut Rex ſuas leges ferre ſolet.

Hæc tota collectio Suaris ludificat à ſuppoſitione principii & in conſequentia probationis: & primùm de dogmatico ſenſu horum verborum; *Tu es Petrus & ſuper hanc petram, &c. Tibi dabo claves regni Cælorum. Paſce oves meas*, diſputatum eſt adversùs Bellarminum cap. 5. quæſt. 1. hoc tertio libro.

Secundò, Canon Gelaſii ſic poteſt explicari, ut dicamus Sedem Apoſtolicam auctoritatem ſuam habere à Chriſto, non à Synodis: quia Chriſtus primatum inſtituit ut obſervavi axiomate XXXI. & ſupra lib. 2. cap. 6.

Tertiò, fateor conſtitutionem Sedis Apoſtolicæ omnes adſtringere quando eſt communi Eccleſiæ conſenſu recepta, atque in morem tranſiit: admitto ſimiliter Romanos Pontifices poſſe novas leges condere in actu primo: ſed nego obligare niſi communi conſenſu Eccleſiæ recipiantur & mittantur in rem judicatam: de qua re infra lib. 4. cap. 6.

Quartò, quòd diſcrimen aſſignat inter extravagantes & leges Pontificum, ita ut in his Papa abſolutè loquatur & imperet: in extravagantibus autem & propriis motibus dicat factos eſſe de fratrum ſuorum conſilio, vel quid ſimile, ſunt argumenta ducta à quæſtionibus facti & praxi regiminis hodierni, quod eſt ridiculum in magno Theologo, quem ignarum eſſe praxis & conſuetudinis Eccleſiæ primitivæ non oportet. Jam ſuperiùs dixi adverſarios non poſſe ullam legem aut Canonem proferre, quem ſolus Papa condiderit octingentorum & ampliùs annorum ſpatio, quibus regimen ariſtocraticum ſub octo primis Generalibus Conciliis viguit, & Synodi liberè habitæ ſunt ubique terrarum.

V. Sed ut hujus libri tertii compendium faciamus, & eo finiamus, unde initium duximus: qui fundamenta opinionis adverſariorum cum principiis ſcholæ Pariſienſis de immediata Eccleſiæ & Concilii auctoritate ſupra Papam compoſuerit, & ad regulas dogmaticas initio capitis 2. libri 2. hujus defenſionis poſitas exegerit, facilè quidem de tota controverſia decernet. Primùm, adverſarii jus quoddam divinum planè imaginarium & ſophiſticum ab analogia monarchiarum temporalium contra cauſas eſſentiales poteſtatis Eccleſiaſticæ comminiſcuntur: quaſi Eccleſia haberet à Chriſto poteſtatem abſolutè cogendi quæ ſolummodò per actus hierarchicos debet peragere. Secundò, contra omnes Logicæ & Theologiæ regulas jure divino valdè complexo & obſcuro, id eſt, metaphoris, allegoriis & parabolis ad ſuam abſolutam monarchiam ſtabiliendam utuntur. Tertiò, teſtimoniis & conſtitutionibus Pontificum in ſua cauſa, & ſæpiùs quæſtione facti, atque praxi hodierni regiminis de tota quæſtione juris contra jus divinum naturale & Canonicum definiunt.

Quartò, aliam poteſtatem Eccleſiæ quàm miniſterialem ſpiritualem contra expreſſum Chriſti præceptum attribuunt: prohibet enim ſuos dominari, id eſt, abſolutè imperare & cogere quæ præcipiunt, Lucæ 22. *Reges gentium dominantur, vos autem non ſic.* Quintò, ſophiſticè arguunt per communicationem Sacerdotii Chriſti, ſolam poteſtatem ordinis & non juriſdictionis conferri, atque omnes Epiſcopos ſuam auctoritatem à Papa derivare: quaſi in Chriſti Sacerdotio ſumma totius poteſtatis Eccleſiaſticæ eminenter non haberet, & non etiam unà cum ordine formaliter & quoad habi-

Digitized by Google

tum conferretur. Sextò, locos Patrum oratorios, obſcuros & ambiguos paſſim dogmaticè uſurpant contra omnes Logicæ & Theologiæ regulas. Septimò, nullis aliis Conciliorum, quàm Florentini & Lateranenſis decretis nituntur: quæ tamen eis uſui eſſe nullo modo poſſunt, cùm ſuis nævis non careant, & aliundè robur non habeant quàm ab imaginaria poteſtate abſoluta Pontificis ſuper omnia Concilia: idque eſt pro vero & indubitato aſſerere quod omnium maximè controverſum habetur.

FINIS TOMI PRIMI.

Digitized by Google

GENTIANI
HERVETI
AURELIANENSIS
DE RESIDENTIA EPISCOPORUM
EPISTOLÆ
DUÆ

SCRIPTÆ IN CONCILIO TRIDENTINO

ANNO M. D. LXVIII.

Una ad ALPHONSUM SALMERONEM Jeſuitam.

Altera ad STANISLAUM HOSIUM Cardinalem Pontificis Legatum.

Digitized by Google

452

II

Digitized by Google

DE GENTIANO HERVETO

Teſtimonium Jacobi Auguſti Thuani Hiſtoriarum libro LXXX. ad annum 1584.

APud nos pridiè idûs Septembris optimè meritam de re chriſtiana ac litteraria animam Deo reddidit Durocortori Remorum Gentianus Hervetus Oliveti pago juxtà Aurelianum natus anno ſalutis 1499., qui à puero, optimis artibus & utriuſque linguæ cognitione inſtructus, primum tyrocinium fecit in erudiendo Claudio Albaſpinæo, qui poſteà unus è quatuor viris ab epiſtolis ſecretis Franciſco I. Henrico II. Franciſco II. & Carolo IX. fuit. Indè Lutetiam profectus Eduardo Lupſeto Anglo in excudendo Galeno à Thoma Linaero latinè verſo deſudanti operam addixit; eumque in Angliam redeuntem ſecutus, Arturo Polo inſtituendo à Sariſberienſi matre appoſitus eſt, & poſteà à Reginaldo Paulo Cardinali communis matris permiſſu in Italiam evocatus eſt, ut Græcis Auctoribus in Latinam linguam vertendis operam daret, ubi ille in tanti viri familia, quæ virtutum & omnis civilis cultûs veluti officina erat, diù fuit, Polo ipſi cariſſimus, & ſummorum in Italia virorum amicitiam, ob raram eruditionem & morum ſuavitatem promeritus. Deinde in patriam rediit, & in Burdigalenſi gymnaſio totâ tunc Galliâ celeberrimo publicè prælegendo induſtriam exercuit, rursùſque in Italiam profectus à Polo munificentiſſimo patrono in clientelam Marcello Cervino, qui poſteà ſummus Pontifex fuit, id enixè poſtulanti datus eſt, ubi & multa illius ſivè hortatu, ſeu juſſu è Patribus Græcis in Latinum tranſtulit, Marcellum ipſum ad Concilium ſecutus, in quo etiam pleraſque orationes habuit, & inter eas eruditiſſimam & commendatiſſimam pro honeſtate matrimoniorum, quæ ſanctionibus contra clandeſtina conjugia poſteà factis occaſionem præbuiſſe creditur. Sacris dein initiatus Joan. Hangeſti Noviodunenſis Epiſcopi primùm, dein Joannis Morvillerii Aurelianenſis item Epiſcopi Vicarius, ſacris ad populum concionibus vacavit, & Carolum Cardinalem Lotaringum ad Concilium Tridentinum proficiſcentem poſtremò ſecutus eſt, ab eoque in ſacri Collegii Remenſis ſodalitium cooptatus, quod reliquum fuit, in ſtudiis aſſiduus exegit. Hujus vita onga & nunquam otioſa, meruit, ut ei longiore elogio parentarem.

Digitized by Google

De eodem Poſſevinus Jeſuita in apparatu.

GEntianus Hervetus Aurelianenſis Gallus vir admodùm eruditus & linguarum Græcæ ac Latinæ peritus, Theologus pariſienſis & Canonicus Remenſis in Campania, quæ regni Galliæ provincia eſt, ſcripſit.

De actu & fraudibus ſatanæ in abolendo ſanctiſſimo Miſſæ Sacrificio.

Apologiam contra Hæreticos Calvini Miniſtros.

Vertit è Latina in Gallicam linguam libros de Civitate Dei à B. Aug. conſcriptos.

Epiſtolas miniſtris quæ Pariſiis prodierunt anno 1562.

Reſponſionem miniſtris. Commenta item ac ſomnia Calvini.

Epiſtolas varias Catholicis.

Reſponſionem Hugoni Sureau.

Homiliam de Aſcenſione Domini. De ſacris item ſignis.

Ex D. Hieronymo tractatum de vera Eccleſia.

Catechiſmum Parochorum.

Alia etiam permulta latinè & gallicè edidit, variaque ſanctorum Patrum opera è Græco in Latinum vertit, quæ ſigillatim refert Poſſevinus.

Digitized by Google

GENTIANI HERVETI

EPISTOLA I. DE RESIDENTIA EPISCOPORUM

Ad Alphonſum Salmeronem.

Reverendo Patri ALPHONSO SALMERONI, Societatis JESU Sodali, Gentianus Hervetus ſalutem.

CUm tu me ægrotantem, quod tuæ fuit humanitatis, nudiuſtertius inviſiſſes, inter cæteros ſermones, quos inter nos contulimus, hic fuit præcipuus, quòd cùm ego dixiſſem, me non poſſe non dolere, quòd propter hujus Concilii Tridentini diuturnitatem à ſuis gregibus tamdiu abeſſe cogerentur Epiſcopi, hoc maximè infœliciſſimo tempore, quo tot undiquè oriuntur lupi, qui miſeras pecudes dilaniant, diſcerpunt, ac dilacerant, tu quoque te hoc ipſum ægrè ferre præ te tuliſti, & hoc etiam adjeciſti; ideò magis eſſe dolendum, quòd unicum juris divini vocabulum, tanquàm aliquod malum aureum in medium injectum, tantam inter Patres excitârit diſſenſionem, ut his jam ſex menſibus feliciter cœptum Concilii curſum retardaverit. Quod quidem te eò magis mirari dicebas, quòd non ſit adeò magna inter eos controverſia. Nam cùm utrique in ſuis eccleſiis reſidentiam fateantur eſſe neceſſariam, alii eam juris divini eſſe abſolutè cenſeant: alii autem juris quidem eſſe divini, ſed per Eccleſiam, id eſt per ſummum Pontificem diſpenſandi: cùm autem quærerem, ſi res non eſt adeò magni momenti; quî fit, ut alii hanc juris divini particulam decreto de reſidentia tantoperè inſeri cupiant, alii eam cane pejus & angue fugiant & horreant? dixiſti, numquàm permiſſurum Pontificem, & qui ejus partes ſequuntur, ut de Pontificia detrahatur auctoritate: detractum autem iri, ſi propter hanc adjectam juris divini particulam à Pontifice acceſiti, aut aliquò miſſi Epiſcopi parêre recuſarent. Omitto cætera quæ dixiſti, nempè ex ſacris litteris numquàm adſtrui reſidentiam: & primum dixiſſe Cajetanum, reſidentiam eſſe juris divini: cautius autem eſſe & conſultius ſi pœnis canonicis, iiſque graviſſimis jubeatur reſidentia, quàm ſi ſtatuatur eam eſſe juris divini, quod impunè & facillimè violari videmus quotidiè.

Hæc tu quidem dicebas, ad quæ facilè poſſet reſponderi. Nam cùm paſcere gregem ſit juris divini, id quoque ſine quo id explicari non poteſt, juris ſit divini neceſſe eſt, Et cùm epiſcopatum alicui mandat Pontifex, id quoque dat,

quod eſt juris divini, nempè ut gregem paſcat, & eâ ratione ut reſideat. Si autem antè Cajetanum nemo ſcripſit reſidentiam eſſe juris divini, minimè eſt mirandum; nam nemo de eo unquam dubitavit, neque ut id ſcriberet, Cajetanum aliud impulit, quàm quòd per ſummam indignitatem videret ſuas eccleſias ab Epiſcopis deſeri: qua quidem in re magis eſt laudandus (quòd cùm jam eſſet Cardinalis, nec quicquam eſſet quod ampliùs ambiret, Epiſcopos vera ſcribendo, ſui officii admonuerit) quàm Catharinus & Campegius, quos juris non eſſe divini reſidentiam primos omnium dicentes, epiſcopatibus quos habebant, majus aliquid ambiiſſe, non levis eſt conjectura. Si pœnis autem canónicis non potuèrunt hactenùs Epiſcopi contineri in officio, quid vetabit experiri, num adjecta juris divini particula ampliùs aliquid poſſit? Fieri quidem poteſt ut non multùm proſit, at ut obſit non poteſt fieri: quod ergò prodeſſe poteſt; non poteſt autem obeſſe, id nè diſertis verbis exprimatur, quid opus eſt tantoperè contendere? Sed hæc, ut dixi, omitto: ad ea venio quæ dixiſti, ſubodorari Pontificem, ut qui ejus partes tuentur, fore ut dicto Pontificis minùs pareant Epiſcopi, & ita de Pontificia detrahatur auctoritate, ſi juris divini particula adjiciatur decreto de reſidentia. Ea autem dicam, quæ cùm tu mecum loquebaris, minimè cogitabam, cùm tu autem diſceſſiſſes, mihi venerunt in mentem reputanti & diligentiùs examinanti verba quæ apud me feceras.

Atque primum quidem omnium hoc mihi occurrit ſacroſanctum Tridentinum coactum eſſe Concilium, ut & profligentur hæreſes, & lapſa eccleſiaſtica reparetur diſciplina: diſertis enim verbis expreſſum eſt, ID IDEO congregari ut reformetur Eccleſia tam in capite quàm in membris: quod quidem maximam ſpem dedit bonis omnibus, fore ut priſci illi & incorrupti mores in integrum reſtituerentur, cùm quod propter diuturnam & longi temporis præſcriptione munitam conſuetudinem per ſe non poteſt facilè efficere Pontifex, id libero ſanctæ ſynodi permitteret arbitrio. Jam ceſſabat quæ plurimorum animis inſederat opinio, nolle Pontifices congregari Concilium, quòd timerent ſui & ſuorum reformationem. Ex hoc auctoritati & dignitati Pontificis quantam putas factam eſſe acceſſionem? quæ certè futura erat longè major, ſi iis quæ verba præ ſe ferebant, facta quoque reſpondiſſent. Sed cùm ſubdubitari cœptum eſt, & deindè manibus quodammodo palpari, ſimplicibus offundi tenebras & (qui dolus eſt malus) aliud agi, aliud ſimulari, ſubitò mirandum in modum refrixit, quam de Pontifice boni omnes conceperant, opinio; quamquàm meo quidem judicio non tam hujus rei culpa eſt in ſummum Pontificem conferenda, qui non minùs eſt re quàm nomine pius, quàm in numerarios aliquot Epiſcopos, & Curiæ Romanæ aliquot aſſeclas, qui partim officii ſui immemores & eccleſias deſerentes, partim majora captantes, & inanes titulos ambientes, non minùs ſunt addicti Romæ, quàm ſervi glebæ: quorum tam importuna & tam cæca eſt ambitio, ut malint Germaniam perpetuis agitari ſeditionibus, recuperandæ Angliæ omnem ſpem amitti, Franciam, quæ ſummorum Pontificum potentiſſimum & tutiſſimum ſemper fuit propugnaculum, ex Catholicorum manibus, quod nunc eſt maximè timendum eripi: cælum deniquè terræ miſceri, quàm in animum inducere, ut

Digitized by Google

relictâ Româ ſuos greges paſcant; qui ſunt adeò inconſiderati, ut cùm proximus ardet paries, ſuam quoque rem agi non videant.

Hujus funeſti, quod nunc eſt in Gallia belli, quis futurus ſit exitus, Deus novit. Mihi certè valde timendum videtur, nè cum omnium noſtri temporis (abſit verbo injuria) virtute & morte quam ſuperavit, Imperatorum fortiſſimus & omnibus alioqui virtutibus adeò abſolutus, ut nullum ei vitium auſi ſint unquam objicere adverſarii, & qui ſolus prælia Domini pugnaſſe dici poteſt Dux Guiſianus non minùs immaturâ quàm violentâ morte nobis ſit præreptus, totque jam viri fortes pro fide Catholica, ſusceptâ glorioſâ martyrii coronâ, in hoc bello ceciderint, timendum eſt (inquam) nè ſi mores noſtros non corrigamus Deus permittat, ut Galliâ, Angliâ & Germaniâ connivente, vel fortè etiam conſpirante Italiâ, conjunctis ſimul copiis de Eccleſiaſticorum, qui nolunt corrigi, peccati pœnas ſumant. Deus faxit ut inanis meus ſit hic metus. At facilè id fieri poſſe, quemlibet vel parum cordatum ipſa docet experientia, ſi quid in Germania & Anglia intrà paucos annos & nuperrimè in Gallia factum ſit recordetur.

Sed ut ad rem redeamus, exceptis paucis, quæ ſincerâ & illæſâ conſcientiâ liberè dicunt quod ſentiunt, maxima ex parte ſunt ejuſmodi ut dixi ii Epiſcopi, qui juris divini particulam decreto de reſidentia addi nolunt, qui cùm ſummi Pontificis auctoritatem ſe defendere ſimulant reverà ſuæ ambitioni & libidini ſerviunt, dici non poteſt in quantam invidiam vocent ſummum Pontificem. Quid enim ad vulgi aures accidere poteſt magis invidioſum quàm ſi ſummus Pontifex, cujus ſunt partes univerſam regere Eccleſiam, nolit providere ut Epiſcopi in ſuis reſideant Eccleſiis? Nolle autem providere cenſebitur, ſi per eum ſteterit, quominùs reſidentiam juris eſſe divini ſtatuatur: quod quidem videtur eſſe adeò perſpicuum, ut ſit ea veluti quædam notio impreſſa in animis hominum. Quàm multis in locis (ut ego quidem arbitror) immeritò malè audiat ſummus Pontifex, nemo eſt qui neſciat: & tamen à malevolis conflatam in eum invidiam, tantam vim videmus habuiſſe, ut multæ eæque maximæ nationes ab eo defecerint. Quid futurum autem cenſemus, ſi per univerſum chriſtianum orbem (quod maximè timendum eſt) hæc pervagetur fama, nolle Pontificem, ut Epiſcopi in ſuis diœceſibus reſideant? Nolle autem dicetur, ut jam dixi, ſi per eum ſteterit (quod abſit) nè reſidentia juris divini eſſe ſtatuatur. Cavendum, cavendum eſt, inquam, ne ſi hoc fiat, non minùs apud Catholicos, quàm apud Hæreticos laboret invidia, & tot peſtilentiſſimis quæ chriſtianum orbem vexant hæreſibus accedat (quod Deus avertat) etiam ſchiſma. Sed quàm quæſo eſt perverſum eorum judicium, qui Pontificis auctoritatem eos tueri exiſtimant, qui non eſſe juris divini reſidere exiſtimant: de ea autem eos detrahere qui exiſtimant. Quaſiverò ſit aliquid quod magis faciat ad conſervandam atque adeò augendam Pontificis auctoritatem, quàm ſi omnes, quibus ſunt mandata munera Eccleſiaſtica, iis ut par eſt fungantur: fungi autem quî rectè poſſunt, ſi ea ipſi deferentes, vicaria ſemper utantur opera.

Cujuſmodi verò eſt quod dicis, juſſis Pontificis minùs eſſe parituros Epiſcopos ſi in decreto addatur reſidentiam eſſe juris divini? quamobrem; quia ſi à

Digitized by Google

ſummo, inquis, accerſantur Pontifice, aut jubeantur aliquò proficiſci, poterunt ſemper ejus detrectare imperium, hoc prætextu, quòd juris ſit divini reſidentia. Tu ipſe, inquiet Epiſcopus, juſſiſti me reſidere, imò verò Deus juſſit: non licet itaque hinc me diſcedere. Adhuc facile eſt reſpondere: non eſt magis ſuæ Eccleſiæ obligatus Epiſcopus, quàm uxori maritus, inter Epiſcopum certè & Eccleſiam velut quoddam ſpirituale contrahitur matrimonium, quamvis autem matrimonium ſit viri & mulieris conjunctio, individuam vitæ conſuetudinem retinens, non eſt tamen adeò arcta hæc individua vitæ conſuetudo, ut non poſſit maritus juſtis de cauſis ab uxore aliquamdiù abeſſe: ita etiam Epiſcopus, quamvis jure divino obligetur reſidere, non tamen perpetuâ adſtringitur reſidentiâ, ut ei non liceat tantiſper abeſſe juſtis de cauſis, quæ quidem poterunt eſſe hujuſmodi, ut non minùs nitantur jure divino, quàm ipſa reſidentia. Non eſt certè dubium, quin ſi à Pontifice ad Concilium vocetur Epiſcopus, aut in locum aliquem mittatur, in quo ad compeſcendam Hæreticorum rabiem ſit ejus opera ad tempus opportuna ac neceſſaria: vel ſi quid ſit aliud ejuſmodi, in quo agatur vel de Religione vel de Eccleſiæ ſalute, ſit ſemper lubenter pariturus Epiſcopus, ut qui ſatis intelligat, cùm ex Scripturis ſacris ſit perſpicuum, Petri Apoſtolorum principis ſucceſſorem eſſe Chriſti Vicarium ſe etiam obligari ad ei parendum in iis quæ ad Eccleſiæ pertinent ædificationem. Nec ſi ab Eccleſia ſua aliquamdiù abſuerit, pro deſertore habendum, cùm nec eam deſerendi animo receſſerit, & ſuæ etiam Eccleſiæ providere ſit cenſendus, qui pro tota laborat Eccleſia, cùm communi ſalute contineatur etiam ſalus ſingulorum. In his ergo non eſt dubium, quin ſit quivis bonus & ſui officii non immemor Epiſcopus ſummo pontifici libenter pariturus, nec veriturus, nè, ſi ſtatutum fuerit juris divini eſſe reſidentiam, ei parendo videatur commiſiſſe in Canonem.

Neque tamen negari poteſt à ſummo pontifice nonnulla Epiſcopo imperari poſſe, quibus ſi non pareat, non protinùs pontificis imperium detrectaſſe, ſed juſtas attuliſſe cauſas, propter quas jure ſit excuſandus, non immeritò ſit cenſendus. Nec ea ſolùm intelligo, quæ apertè ſunt turpia & planè indigna quæ jubeantur à pontifice, ſed etiam ea quæ videntur honorifica & quæ etiam ad ipſius Eccleſiæ ædificationem leviter intuenti videntur conducere. Ut autem quid mihi velim faciliùs intelligas, uno exemplo, eoque clariſſimo rem totam oculis ſubjiciam, ex qua cætera facilè eluceſcent. Quid videtur hodie magis honorificum, quàm ad Cardinalatûs à multis tantoperè expetitam pervenire dignitatem? Quid rurſus ad Eccleſiæ ædificationem magis conferre creditur, quàm ſi pontifex eos Cardinales habeat à conſiliis, qui & doctrinâ excelleant, & eâ vitæ ſint ſanctitate, ut exemplo non minùs proſint, quàm verbo. Et tamen poterit eſſe hujuſmodi Epiſcopus, qui, ſi à pontifice Cardinalitio galero oblato Romam evocetur, longè meliùs Eccleſiæ ſit conſulturus, ſi oblatum honorem non admittens & ſe excuſans in ſua diœceſi maluerit, ut cœperat reſidere, quàm Romam proficiſcens inanem titulum quærere. Ponamus enim Epiſcopum qui in iis habitat regionibus, in quibus timeatur latè ſerpens hæreſis, quam & libris doctiſſimè & elegantiſſimè ſcriptis compeſcat, & ſuâ auctoritate populum in officio conti-

Digitized by Google

contineat. Ponamus ergo eum, remiſſo qui honoris causâ offerebatur galero, & ſe excuſare & ita apud Pontificem agere.

Ego ſanctiſſime pater, quàm poſſum maximas ago tibi gratias, quòd me indignum tanto honore ſis dignatus. Ego verò vel obviis, ut aiunt, ulnis eum accepiſſem, & arctiſſimè eſſem complexus, ſi id mihi liceret per meam vitæ conditionem: ſed cùm in eo gradu ſim collocatus, ut Epiſcopatum mihi jam pridem mandatum adminiſtranti, ab ovili, & ſcriptis & concionum latratu lupos procul arcenti, populo mihi commiſſo verbum Dei ſinceriè prædicanti, & omnes Epiſcopi partes implenti, ſit præſentia mea in mea diœceſi neceſſaria, ignoſcas, quæſo, ſi galerum quantumvis honorificum, minimè duxerim eſſe accipiendum. Et certè cùm quid ex eo eveniſſet, ut verum dicam apud me conſidero, video, ſi accepiſſem, eò rem fuiſſe redituram, ut accepto galero, ipſo jure meus vacaret Epiſcopatus, qui cuinam mandaretur in hoc infeliciſſimo, quo vigilantiſſimis paſtoribus opus eſt, tempore, mihi valdè providendum cenſebam. Jam verò ſi per Cardinalatum ex Epiſcopo factus eſſem non Epiſcopus, & in Presbyterorum numerum eſſem cooptatus, non immeritò cenſerer ab equis (quod aiunt) deſcendiſſe ad aſinos. Ego certè non poſſum adeò eſſe Aerianus, ut non Epiſcopi majorem eſſe cenſeam dignitatem quàm Presbyteri, quantumvis ergo fuiſſem Cardinalis, nihil aliud fuiſſem quàm Presbyter. Quod mihi adhuc fuiſſet gravius, ſi cùm in meo Epiſcopatu ſit frequentiſſimus, apud quem ſoleo concionari, populus; Romæ mihi eſſet aſſignatus, cujuſmodi ſunt permulti, titulus, in quo nullus eſſet populus, & in quo eſſet ejuſmodi ædes ſacra, ut dignior videretur in qua ſtaret hara quàm ara.

Dices fortaſſe, beatiſſime Pater, non eſſe cur recuſem accipere galerum. Nam etſi ipſo jure meus vacat Epiſcopatus, eum tamen mihi redditum iri, ut qui quâdam veluti fiduciâ ſit rursùs mihi commendandus. Futurum eſt ergo ut ſim non verus, ſed fiduciarius & commendatorius (ut vocant) Epiſcopus: quod quidem tantùm abeſt ut mihi perſuaderi poſſit, ut nullam rem aliam Chriſtianæ Reipublicæ majorem arbitrer creare perniciem, quàm hanc fiduciariam Epiſcopatuum & procul diſſitorum Monaſteriorum Cardinalibus commendationem, quæ nihil eſt aliud quàm Eccleſiarum & Monaſteriorum proventus eis comedendos propinare, dum ipſi Eccleſias & Monaſteria deſerunt, imò ne ſemel quidem inviſunt. Hoc exemplum cùm à Roma tanquàm à capite ad cætera membra ſit derivatum, incredibile eſt quantam calamitatem Chriſti attulit Eccleſiæ, tantam certè, ut niſi Chriſtus nos reſpexerit, & ad lapſam reparandam Eccleſiaſticam diſciplinam te, ſanctiſſime Pater, inſpiraverit, de Petri navicula cujus tu clavum tenes, actum planè videatur. Quænam autem ſpes eſt, fore ut lapſus reparetur ordo eccleſiaſticus, quamdiù Cardinales commendatorum ſibi Epiſcopatuum & Monaſteriorum fruentur proventibus, quæ ipſi ne per ſomnium quidem viderint: quàm verò hoc eſt miſerandum & planè deplorandum, quòd cùm in Italia tot ſint diœceſes, vix tamen vigeſimus quiſque Epiſcopus in ſua Eccleſia reſideat, & populum paſcat! Neque verò hoc te fugere poteſt, beatiſſime Pater, cùm omnes ferè qui Romæ in aula tua magiſtratus gerunt, & munera obeunt,

Digitized by Google

ex eorum ſint numero, & diebus feſtis iu tuo ſacello tantam eorum videre poſſis multitudinem, ut ferè ex ea juſtus conſcribi poſſit exercitus.

An verò cùm eos vides, non tibi quandoque venit in mentem, quot illi ſint Epiſcopi, tot in Italia, te vidente & permittente, deſertas eſſe diœceſes? Viſne te pro Chriſti vero, quod tuus tibi tribuit Pontificatus, gerere Vicario? Eos omnes à tuo conſpectu ad ſuas quas deſerunt Eccleſias expelle; populumque docere, verbum Dei prædicare, & quæ ſunt Epiſcoporum partes implere compelle. Nihil potes facere, quod fame verbi Dei laboranti populo poſſit eſſe gratius, nec ad reparandam eccleſiaſticam diſciplinam, quæ eſt maximè neceſſaria, accommodatius. An verò cùm tot ſint in Italia Epiſcopi qui non reſideant, æquum cenſebis, ut ego Cardinalis creatus & nihilo ſecius Epiſcopus fiduciarius Romæ degam, meo exemplo ad non reſidendum cæteros Epiſcopos invitem, qui ad reſidendum Româ eſſent expellendi? Abſit ſanctiſſime Pater, ut quod vides planè iniquum, id à me fieri ſtatuas.

At dices fortaſſè: quod alioqui videri poſſet iniquum, æquum videri poterit, ſi conſideres, quòd cùm futurus eſſes in ſanctiſſimo totius orbis chriſtiani conventu, in quo aguntur maximæ, quæ ad chriſtianam rempublicam pertinent, cauſæ, tu ei tuis conſiliis adjumenti plurimùm conferre poſſes. Ego verò de me tam præclarè non ſentio, ut meum conſilium rebus hodie tam afflictis aliquid opis afferre poſſe putem: hoc unum ſcio, ad profligandas hæreſes & populum chriſtianum in officio continendum, non aliud præſentius eſſe remedium, quàm ſi lapſa eccleſiaſtica reparetur diſciplina. Quàm ſit autem difficile eam reparare, ex hoc facile eſt concipere, quòd cùm doctiſſimis & ſanctiſſimis Cardinalibus, Contareno, Sadoleto, Polo, reformationis negotium mandaſſet ſanctæ memoriæ Paulus III. res habuit hunc exitum ut nullus indè ſequutus ſit effectus. Quamquàm ſit ea res ex ſe non parum difficilis, ex eo quidem eſt certè longè difficilior, quòd ſepè contingat, ut Pontifices, qui reformationem ſedulò capere præ ſe ferunt, doctiſſimorum & optimorum virorum, quos ad ſe accerſunt, operâ, non ad reformationem quam in vulgus jactant, ſed ad ſuam ſtabiliendam potentiam abutantur. Hoc in te cadere, ſanctiſſime Pater, tantùm abeſt, ut exiſtimem, ut te nihil eſſe magis & re & nomine Pium lubens, & ſentiam & prædicem: ſed quoniam es in ſummo gradu poteſtatis collocatus, quo fit ut multorum ſermonibus aures tuas patere neceſſe ſit, tuque me conſilio nonnihil valere exiſtimas, non verebor ea ſcribere, quæ tuæ ſanctitati coram, ſi liceret, dicerem.

Nullos, ſanctiſſime Pater, majores habes hoſtes, quàm tuos domeſticos, qui tibi perpetuò aſſentantes, & eâ ratione ad ampliſſimos honores ſibi viam munientes, divinam tuam poteſtatem & auctoritatem ſemper habent in ore, quam quidem, ſi quiſpiam obſtinato animo denegaret, is in impiorum numerum meritò eſſet referendus. Falluntur autem & fallunt, ſi qui exiſtimant eam in eo eſſe ſitam, ut prohibeas eos, quibus munera ſunt mandata Eccleſiaſtica, ne iis, ut par eſt, fungantur, & populum ſibi commiſſum paſcant, quod cùm explicari non poſſit abſque reſidentia, etiam atque etiam cavendum eſt, ne levi aliquo prætextu à ſuo officio à te, ô beatiſſime Pater, avocentur Epiſcopi; quoniam

Digitized by Google

autem nihil eſt quod ardentiſſimis omnium bonorum votis magiſque hodie expoſcatur, quam ut Eccleſiaſtica reparetur diſciplina, tuque ſi illhic adeſſem, à me fortaſsè de ea re conſilium peteres, paucis dicam quod ſentio, quod ut pro ſumma tua humanitate in bonam partem accipias, te rogo & obſecro. Non ea dicam, quæ fortè ab aſſentatoribus audire es ſolitus, qui ſemper ea quæ jucunda videntur, auribus tuis inſtillant; ſed quæ videbuntur quidem paulò acerbiora: ſunt autem ejuſmodi, omnium qui rectè ſentiunt judicio, ut Eccleſiæ tibi commiſſæ ex iis ſalus pendeat.

Vis, ô Pie Pontifex ſanctiſſime, eccleſiaſticam reparare diſciplinam? Vis certè; nec malevolorum, qui de tua ſanctitate detrahunt, maledicta mihi contrarium poterunt perſuadere: ſed ſi vis, fac ut judicium à domo Dei, à domo (inquam) tua incipiat. Non vides quàm barbarico propè dixerim luxu aula tua tota diffluat? Cardinalium tuorum quantus ſit comitatus, quàm multi anteambulones, quanta eos ſequentium Epiſcoporum caterva, quàm ſuperbæ ſint eorum veſtes, quàm ſuperbus comitum ornatus, quàm ſuperba etiam mularum fræna & ephippia, quam ſuperba palatia? Quorsùm in urbe ſancta auditur tot equorum hinnitus, tam ſonorus tubarum & buccinarum clangor, tam horrendus bombardarum ſtrepitus? Hæccine fieri in ea urbe, in qua ſita ſunt duorum Chriſti Apoſtolorum corpora, qui ab omni faſtu fuerunt alieniſſimi? Et hæc ab iis fieri, qui ut eorum ſint ſucceſſores, ita eorum oportuit vitam, quoad ejus fieri potuit, imitari? Sunt hæc omnia, beatiſſime & ſanctiſſime Pater, ſunt corrigenda; totuſque hic nimis ſuperbus & diſſolutus vivendi modus ad frugalitatem reducendus. Sed quomodo hoc fieri poterit in tam corruptis hominum moribus, maximè cùm nihil ſit difficilius, quàm aſſueta relinquere?

Ego quidem nullam video aliam commodiorem rationem, quàm ſi renovetur Canon Concilii Chalcedonenſis. Conſideretur quinam ſint Romæ tituli, in quibus ſit populus, qui paſcatur, doceatur, regatur, & Sacramenta ei adminiſtrentur. Ad quemlibet horum titulorum, cùm eum vacare contigerit, ordinetur Cardinalis; quibus ordinatus in eo prædicandi & Sacramenta adminiſtrandi ſuo fungatur munere, omni ſpe ei ademptâ potiundi alicujus commendati epiſcopatûs aut monaſterii, in quo non poſſit reſidere. Eum ſuus alat titulus. Quòd ſi id non poſſit, ſuppleat id quod deerit ampliſſimum, Chriſti primùm benignitate, deindè Conſtantini & Caroli Magni (ut cæteros omittam) liberalitate conceſſum Petri patrimonium Ad eos autem titulos ordinari poterunt, non ſolùm Romani, ſed etiam externi, de quorum doctrina & nulli crimini affini vitâ erit ſatis conſtans fama, modò nè ſint Epiſcopi aut alicui eccleſiaſtico muneri addicti, quod non poſſint deſerere. Cæteri autem inanes tituli, & in quibus nullus eſt populus, omninò ſupprimantur. Sed quoniam ſunt in eis multa antiqua templa, religione ſacra, ut quæ in honorem aliquorum Martyrum, aut alioqui Sanctorum ſunt conſecrata, & ad quæ ſtatutis anni diebus ſoleat populus convenire, providebit ſummus Pontifex, ut ea ſarta-tecta maneant, & ad rem divinam faciendam, cùm opus erit, illuc conveniant Sacerdotes ex aliis eccleſiis.

Hæc nonnullis fortaſſe nova videbuntur, cùm ſint antiquiſſima, & à ſynodi

uſque Chalcedonenſis, quæ fuit imperante Martiano, Pontificatum autem gerente ſanctiſſimo Leone I. temporibus repetita. Nova autem videntur, quoniam per quandam negligentiam, nè dicam pravitatem, ſunt antiquata. Hinc certè factum eſt, ut non novæ ſint ſed veteres, de iis quæ Romæ contrà eccleſiaſticam diſciplinam fiunt querelæ, quæ nonnullam dederunt occaſionem, ut vel tam multæ hæreſes ſint exortæ, vel non tam citò ſint repreſſæ.

Hoc eccleſiaſticæ diſciplinæ veluti jacto fundamento, nihil eſt facilius quàm reliqua ſuperſtruere. Nolo itaque in iis exponendis diutiùs immorari; ſed ea curſim perſequi, quæ tibi, beatiſſime Pater, ſuâ ſponte ſatis occurrent. Primum itaque non eſt committendum, ut uni plura mandentur munera eccleſiaſtica, hoc enim antiquis planè repugnat canonibus. Deindè tollendæ ſunt, quæ citrà rationem fiunt in beneficiis (ut vocant) conferendis, ſummi Pontificis præventiones; nec illorum conferendorum alia illi debet eſſe cauſa, quàm ut eorum ſuppleatur negligentia, quorum ſunt partes conferre, utpote ſi exacto ſexto menſe, ipſi nondum contulerint. Regularia dentur regularibus, ſecularia ſecularibus: reſidentia omnibus imperetur; nec ab ea eſſe immunem, niſi ad tempus, certis & juſtis de cauſis, cuiquam concedatur. Concilia tam Metropolitani quàm Epiſcopi quotannis celebrent, in quibus & de Eccleſiæ negotiis maturè & diligenter inquiratur, & in Eccleſiaſticos, quos deliquiſſe conſtiterit, ſeverè animadvertatur. Legati à Sede apoſtolica in diverſas orbis partes mittantur, qui quid ubique fiat diligenter obſervent, & ad ſummum Pontificem renuntient, ut ſi aliquos ſe malè gerere intellexerit, eos vel miſſis litteris admoneat, & arguat; & ſi res poſtulaverit, eos etiam ad ſe evocet. Ipſi autem intereà ſe integrè & innocenter gerant; nec hoc ſibi proponant, ut Ordinariorum præoccupando conferendi vices, ſe & ſuos locupletent; ſed potiùs dent operam, ut Ordinarii in viros probos, qui ſuſcepto muneri pares eſſe poſſint, conferant.

Extremum eſt quod mihi venit in mentem, beatiſſime Pater, quod vel primum eſt omnium cenſendum, nempè, ut [quoad ejus fieri potuit] quæcumque in Curia expedientur Romana, expediantur gratis; & deleatur illa macula, quæ à priſcis uſque temporibus urbi inſedit, omnia Romæ eſſe venalia.

Hæc ſunt ſanctiſſime Pater, quæ, ſi de eccleſiaſtica diſciplina reparanda rogarer, eſſem tibi reſponſurus: quæ cùm tibi abſens expoſuerim, non eſt quòd mea præſentis opera ampliùs tibi uſui eſſe poſſit. Non eſt certè quòd hac in re ullius conſilium deſideres, nemo eſt qui melius tibi conſilium dare poſſit, quàm tu ipſe. Nunquàm fallèris, ſi te-ipſum audies, te-ipſum, inquam, Spiritu ſancto afflatum ad Chriſti univerſam regendam Eccleſiam. Nam qui te univerſæ voluit præeſſe Eccleſiæ, non eſt dubium quin per Spiritum ſanctum eas tibi ſæpiſſimè immittat cogitationes, quæ ſummo Paſtore ſunt digniſſimæ, de reformanda, inquam, eccleſiaſtica diſciplina, tam in capite quàm in membris; quas ſi ſequaris, & non ſinas à tuorum domeſticorum te improbis abripi conſiliis, qui dum ſuæ ambitioni ſerviunt, nè tua minuatur auctoritas ſe ſemper timere præ ſe ferunt, longè erit feliciſſimus tuus Pontificatus, ut cujus tempore acciderit, ut quod tam multis ſeculis fuit jam optatum, divinitùs concederetur; nempè ut tam fœdè lapſa

Digitized by Google

eccleſiaſtica reſtitueretur diſciplina. Tibi certè, quem Chriſtus ſuum conſtituit Vicarium, & cui plenam contulit poteſtatem, cùm cæteri Epiſcopi ſint tantùm vocati in partem ſolicitudinis, eſſe debet perſuaſiſſimum, non aliâ ratione conſervatum, atque adeò auctum & amplificatum iri tuam auctoritatem, quàm ſi ii, quibus ſunt mandata munera eccleſiaſtica, in quibus epiſcopatus præcipuum locum tenet, ea, ut par eſt, ſtrenuè & diligenter obeant. Quod quidem cùm facere non poſſint, ſi ſuas eccleſias, niſi fortè ad breve tempus, & certis ac juſtis de cauſis deſerant, tibi etiam atque etiam providendum eſt, ut perpetuo decreto eſſe neceſſariam ſtatuas reſidentiam.

Quamobrem mihi quæſo ignoſcas, ſi oblatum galerum non acceperim: neque enim mihi vel mille tanti ſunt galeri, ut ad quam me Spiritus ſanctus poſuit regendam Dei Eccleſiam, eam deſeram, & à lupis, qui eam undique circumſiſtunt, à pernicioſiſſimis, inquam, hæreticis per ſummam indignitatem diſcerpi & dilaniari ſinam.

Hæc ſi ille optimus & doctiſſimus Epiſcopus ad Pontificem galerum remittens dixiſſet, detrectarenè Pontificis viſus eſſet imperium: an eas afferre excuſationes, quas non poſſet ſummus Pontifex non accipere? Id autem ſi feciſſet, nonnè meliùs Eccleſiæ conſuluiſſet, quàm ſi accepto galero, cùm ſe duobus in locis videret non poſſe reſidere, juris divini non eſſe diceret reſidentiam, ut qui timeret, nè ſi juris divini eſſe pronuntiaretur, eum à Canone non poſſet ſolvere Pontifex? Hinc certè ſunt illæ lachrymæ, hinc tanta digladiatio, hinc tam vehemens contentio Cardinalium ferè omnium, & eorum Epiſcoporum, qui de Pontificis auctoritate aliquid detrahi ægrè ferre præ ſe ferunt, cùm nihil magis formident, quàm nè Romæ ſuis relictis deliciis Epiſcopi munere præſentes per ſe fungi cogantur: atque quod is quidem Epiſcopus galero accepto *ácrivéſaton Chanôna* minimè ſit ſequutus, nequaquàm eſt vituperandus. Nam cùm longiſſimi temporis præſcriptione munita ſit hæc conſuetudo, ut idem poſſit eſſe & Presbyter Cardinalis, & fiduciarius Epiſcopus, communi errore, qui jus facit, ſi modò error ſit dicendus, ſe poteſt tueri: ac majorem quidem certè ex repudiato quàm ex accepto galero, gloriam fuiſſet conſequutus, & de univerſa Eccleſia longè fortaſſe meliùs meriturus. Quòd autem juris divini neget eſſe reſidentiam, neſcio quemadmodum ſit excuſandus, niſi forte dicatur id habere in mandatis, ut qui ſit Legatus, nè dicam ligatus.

Quod ſi ita ſit, quænam poteſt eſſe ſpes progreſſûs Concilii, cùm reſidentiam eſſe juris divini ſummus Pontifex, qui id ſuâ ſponte debebat decernere, per ſuorum (quod Deus avertat) apertam prohibeat conſpirationem? Videntur etiam Epiſcopi, qui hoc aſſerunt, hoc non temerè tuendum ſuſcepiſſe. Univerſos enim diverſæ ad id poſſunt movere cauſæ. Sunt enim quibus intoleranda, & vel æternâ morte gravior videatur reſidentia, quòd à Romanis, quibus jamdiù aſſueverunt, & quæ Circæorum inſtar poculorum eos dementarunt, deliciis abſtrahi, vel ipsâ morte pejus cenſent. Sunt qui à pinguiorum, quos ſpe devoraverant, epiſcopatuum & monaſteriorum, & cardinalitii etiam galeri diuturnâ expectatione momento temporis acceſſiſſe non ferendum arbitrantur. Non deſunt, quos malè habet, quòd cùm quoſdam magiſtratus, ſeu quædam munera à Pontifice repræſentatâ

emerint pecuniâ, ea, ſi in ſuis reſidendum ſit eccleſiis, obire non poſſe: & quos ex iis percipiunt proventibus ſe eſſe privandos intelligant. Sunt alii minùs mali, qui libenter reſiderent, & ſuo fungerentur officio; ſed cùm hoc in ſe complectatur reſidentia, ut verbum Dei prædicent, inſcitiæ ſuæ conſcii, hoc nomine abhorrent reſidentiam, quòd timeant, nè ſit ſibi concionandum, planè quod ſunt eſſe videantur, nempè *Ojos Lyras* Sunt alii quorum cauſa videtur eſſe paulò æquior, & quorum querelæ in concilio eſt omninò habenda ratio, ii ſunt, qui in ſua reſidere diœceſi ideò ægrè ferunt, quòd à ſua exempti ſint juriſdictione Canonicorum conventus; & omnes beneficiorum collationes, minimis quibuſdam exceptis, ſibi reſervaverit Pontifex.

Atque eæ ſunt, non juſtæ quidem (quæ enim juſta eſſe poteſt cauſa, ut quis recuſet ſuo fungi munere?) Sed quæ ad impellendum vim aliquam habent cauſæ, ut tam acriter defendant Epiſcopi reſidentiam non eſſe juris divini; & quod eorum capitibus video imminere (falſus utinam ſim vates) prudentes & ſcientes in apertum proruant exitium.

Jeſuitæ ſub ipſa ſocietatis initia vitiis Pontificum & Curiæ Romanæ adulabantur. At vos vos appello, Alphonſe Salmeron, & Jacobe Laines, quos ego non ignoro viros eſſe doctiſſimos, quoſque hactenùs judicavi eſſe optimos & verè pios: Vos inquàm, appello & rogo, quidnam vos movit ut & hanc tueremini ſententiam, & miſeris Epiſcopis, qui ad ſuum præcipites currunt exitium, frigidam (ut aiunt) ſuffunderetis? an non meminiſtis quàm pulchrum vobis titulum uſurpatis, ut vos dicatis Sodales Sodalitatis Jeſu? ſi Sodalitatis Jeſu verè eſtis Sodales, quod vobis verbo tribuitis, reipſa oſtendite. Jeſu eſtis Sodales? Jeſu gloriam quærite. Eſt ne aliquid, quod ad Jeſu Chriſti gloriam magis faciat, quàm ſi quos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, ii præſentes, ut par eſt, ritè ſuo fungantur munere? poteſtis-ne eſſe Jeſu Sodales & Jeſu gloriam non quærere? non quæritis autem, ſi impedimento eſtis quominùs ejus miniſtri ei ſerviant. Non ſerviunt autem, ſi ſuis relictis eccleſiis, ſuæ ambitioni ſerviant & libidini. Deſinite in vulgus jactare vos auctoritatem tueri ſummi Pontificis. Quid agant, quid moliantur, quid ſibi proponant, qui reſidentiam juris non eſſe divini aſſerunt, & jam lippis notum & tonſoribus. Pontificis Jeſu Chriſti Vicarii auctoritatem vos dicitis defendere, & interea Jeſum ipſum, cujus eſt Vicarius, ignominiâ, probro, & dedecore quod in vobis eſt, afficitis. An non hoc eſt Jeſum ignominiâ & dedecore afficere, eos qui ejus cultui ſunt dedicati, ab ejus cultu abſtrahere, & ad otium, ambitionem, & libidinem traducere? Vultiſnè Vicarii majorem eſſe auctoritatem, quàm ejus cujus vices gerit? Vult Chriſtus honorem ſibi ab Epiſcopis haberi, ſacrificia offerri, populum & verbo & exemplo paſci: hoc ſi nolit Vicarius, & neglecto Domino cujus vicem gerit, in ſe omnem honorem transferri velit, ſe coli, ſe obſervari, ſe frequenti Epiſcoporum comitatu ornari; iſnè ſe pro Vicario, an potiùs pro Domino gerere cenſendus erit? Deſinite, deſinite, inquam, auctoritatem jactare ſummi Pontificis. Pontificis auctoritatem nihil eſt quod magis conſervet, au-

Digitized by Google

geat, & amplificet, quàm ſi perpetuò caveatur edicto & decreto eſſe juris divini reſidentiam, cùm ita futurum ſit, ut Chriſtus laudetur, honorificetur & glorificetur: nec Pontificis auctoritas à Chriſti, cujus vicem gerit, auctoritate, gloriâ & honore poteſt ſeparari, niſi fortè ſe non pro Vicario, ſed pro Domino velit gerere, & non Principis Paſtorum vicem ſuſtinere, ſed tyrannidem (quod Chriſtus prohibeat) exercere. Quid vos, inquam, movit, ut malè ſibi & Eccleſiæ conſulenti Pontifici (ſi modò verum ſit quòd hoc decretum nolit fieri) hac in re gratificaremini? Nam cùm ita veſtrum inſtitutum ſit cœnobium, ut omnibus quæ ſunt mundi renuntiaveritis, proprietatem & poſſeſſionem omnem à vobis abdicaveritis, rerum divinarum contemplationi, boniſque & piis actionibus vos totos dedicaveritis, non poſſum mihi perſuadere vos aliquid ambire à ſummo Pontifice.

Sed quidquid ſit (neque enim me decet in rebus aliorum nimis eſſe curioſum) videtis quantoperè ab omnibus omnium hominum ordinibus poſtuletur lapſæ eccleſiaſticæ diſciplinæ reſtitutio, quæ eſt adeò neceſſaria, ut fruſtrà ſcripturis & argumentis, quod minimè eſt difficile, convincantur; fruſtrà anathematis fulmine, quod minoris quàm fulgur ex vitro exiſtimant, à Concilio feriantur hæretici. Quamdiu oculis hominum obverſabuntur Miniſtrorum Eccleſiaſticorum corrupti mores, imprimis autem Curiæ Romanæ abuſus, fieri non poterit, ut populus contineatur in officio. Hoc videlicet prudentiſſimus & religioſiſſimus Princeps Imperator Ferdinandus qui de ea re per ſuos Oratores ſæpiùs admonuit Concilium, & ſcriptis ad Pontificem litteris, quænam eſſet ſua ſententia expoſuit. Vident cæteri quoque Principes, qui per ſuos Legatos nihil aliud æquè urgent, imò verò hoc ſolum urgent, ut fiat reformatio. Videt Illuſtriſſimus & inprimis Reverendiſſimus Cardinalis Lotharingus, cujus opera cùm in rebus afflictiſſimis Franciæ regno potuiſſet eſſe utiliſſima, omnibus poſthabitis, venit ad Concilium, ſedulò conaturus ut id perſuaderet, quod eſt maximè neceſſarium. Vident cæteri omnes, ii ſoli non vident, quorum ut ea fiat maximè intereſt: Non vident autem, ut exiſtimo, quoniam Deus excæcavit eos, quia vult eos occidere. Hujus reparandæ Eccleſiaſticæ diſciplinæ & reformationis caput & initium eſt, ut provideatur, ut quilibet qui munus ſuſcepit Eccleſiaſticum in ſua reſideat Eccleſia; provideri autem meliùs non poteſt, quàm ſi ſtatuatur reſidentiam eſſe juris divini.

Hoc cùm intellexiſſet cacodæmon, tam multos excitavit (quid enim aliud dicam) & Epiſcopos & alios, qui hoc jus divinum tam acriter oppugnarent, inter quos, te eſſe mi Alphonſe, cum reverendo Laines, pro vetere noſtra amicitia non poſſum non dolere. Optarem quidem certè, ut ſi & ipſa vobis perſuadeat veritas, & veſtra dictet conſcientia, juris eſſe divini reſidentiam, divum imitati Auguſtinum caneretis palinodiam. Digni certè eſtis qui omnem ingenii & doctrinæ veſtræ vim, quæ eſt longè maxima, in hoc conferatis, ut divini juris ſtatuatur eſſe reſidentia; & (quod jam tot ſæculis fruſtrà deſideratum eſt) reparetur lapſa eccleſiaſtica diſciplina. Quod niſi fiat in hoc Concilio (Deus mala prohibeat, quæ video impendere ordini Eccleſiaſtico, jam enim videre licet egreſſam iram Dei quæ gladium ſuum vibravit, arcum ſuum tetendit, & in eo paravit vaſa mortis) non

Digitized by Google

poſſum certè non timere, ne ſi peccata noſtra non corrigamus, & ut meliùs inpoſterùm vivatur, provideamus, eventurum tandem ſit, quod prædixit Sybilla, nempè *Rhèmou* futuram *Rhoniou*, & fortè ex uno ex ſeptem collibus ingentem ejus ruinam aliquis conſpicatus, magnâ voce exclamabit: Ecc Babylon magna &c. Hoc ne accidat Deus eſt à nobis precibus ac pœnitentiâ placandus, & reſtituendo lapſam eccleſiaſticam diſciplinam, reconciliandus. Ad quod perſuadendum, ut fiat, ſi omnes veſtros ingenii & doctrinæ nervos intenderitis, & ea quæ vos decent feceritis, & a Deo maximam mercedem, nempè immortalem gloriam referetis.

Tridenti in cubili, V. Kal. Aprilis M. D. L X I I I.

EJUSDEM

Digitized by Google

EJUSDEM

GENTIANI HERVETI

ALIA EPISTOLA

Ad Staniſlaum Hoſium, Cardinalem Legatum Pontificium.

Ampliſſimo & imprimis Reverendiſſimo Cardinali HOSIO Warmienſi Epiſcopo Tridenti in Concilio Legato. Gentianus Hervetus S. P. D.

Mihi ſignificatum eſt, Reverendiſſime Pater, te non leviter eſſe offenſum propter quaſdam litteras, quas multis abhinc diebus dedi ad Reverendum Patrem Alphonſum Salmeronem, nec pauca dediſſe ſigna irati in me animi. Quâ quidem re adeò fui commotus, ut ſi licuiſſet heri, priùſquàm ſacris operarer, ad te fuiſſem venturus, & facti mei redditâ ratione, ſi me alicui culpæ affinem inveniſſem, veniam petiturus. Non poſſum enim non dolere, me, qui propter tuam ſummam virtutem & doctrinam quæ in Scriptis tuis omni ex parte ſe oſtendit, te nondum viſum colui, obſervavi, atque adeò ſum admiratus poſtquàm te videre & alloqui divino quodam beneficio mihi licuit, in tuam incurriſſe offenſionem. Cujuſmodi ea tamen ſit offenſio, ſi per tuam licet patientiam, pauliſper conſideremus. Ego eas litteras, quæ te offenderunt, ad Salmeronem, qui mihi veteris amicitiæ jure eſt conjunctus, familiariter ſcripſeram, nec putabam fore, ut eæ in tam multorum hominum manus venirent: audio enim earum exemplum nunc eſſe apud aliquos Epiſcopos & permultos alios. Quod quidem eo minùs ægrè fero, quòd mihi perſuadeam in eis eſſe nonnulla, quæ eos fortè ſui officii admoneant. Sed tamen cum Salmerone mihi videtur eſſe juſta expoſtulandi ratio, quòd cùm poſt miſſas litteras bis vel ter eum ſim alloquutus, de iis litteris ne verbum quidem fecerit, nec mihi ſaltem innuerit, cavendum eſſe, ne eæ in manus hominum venirent; eſſe enim aliqua quæ te poſſint offendere. Nam & ipſe *&* *ego* providiſſemus ne eæ ita ubique volitarent, aut ſaltem, ſi quid fuiſſet quod tibi diſpliceret, id totum reſecaretur. Sed quoniam quod factum eſt infectum eſſe non poteſt; & à te factum meum, ſi non probari, ſaltem excuſari cupio. Age, videamus quidnam ſit in his litteris quod te offendat.

***

Digitized by Google

Ego (inquis) in his litteris perſtringor. Ego verò cur te perſtringi dicas, minimè video. Nam cùm mihi eſſet propoſitum oſtendere, poſſe aliquem Epiſcopum ſe excuſare apud ſummum Pontificem, cùm invitaretur ad Cardinalatum, non te quidem, ſed aliquem tui ſimilem finxi Epiſcopum, qui galerum remittens, ea verba uſurparet, quæ ſunt in epiſtola. Tu quidem eſſe non potes qui galerum remiſiſti; ſed finge cùm ſcriberem, me id de te intellexiſſe, quid illic eſt non adeò honorificum, ut quæ illi tribuuntur, tu ea tibi tribui, quæ tua eſt modeſtia, nec velis nec poſtules? An non ſunt præclara Epiſcopi elogia, ſi vocetur optimus, ſanctiſſimus, & doctiſſimus, ut cætera quæ illic ſunt, omittam his majora vel certè ſimilia. In eo ergo non video cur ullam culpam agnoſcam, etiamſi maximè de te intellexiſſem. Quòd autem dixi, accepto galero Epiſcopum non ampliùs eſſe verum, ſed fiduciarium & commendatorium Epiſcopum, id non magis ad te pertinet, quàm ad omnes Cardinales: Quamobrem non eſt conſentaneum, te id ægriùs ferre, quàm cæteros. Quod verò dico de reſidentia, non video cur te tam malè habeat: nam ſi diligenter perpendas ea quæ à me ſcripta ſunt, ea dicuntur; conditione adjectâ; nempè ſi hoc faciat ille Epiſcopus Cardinalis creatus, quicumque is ſit. Quo fit, ut ſi juris divini neges eſſe reſidentiam, id non tibi magis conveniat quàm cæteris, qui ſunt in eadem ſententia: Sin juris divini eſſe ſentias, id nullo modo poteſt in te cadere: neque verò aut tibi, aut ulli alii poteſt convenire quod dixi, niſi fortè id habeat in mandatis. Quid enim dici poteſt abſurdius, quàm ulli Legato mandare Pontificem, ut aſſerat reſidentiam non eſſe juris divini. Si ergo hoc tibi non mandavit Pontifex, ut certè non mandavit, non eſt quod ſuſpiceris fore, ut de te dictum quiſpiam ſuſpicetur. Quamobrem ſi ut jam oſtendimus, & quæ in hac epiſtola de illo Epiſcopo priore loco dicta ſunt, etiamſi de te intelligantur quod tamen minimè neceſſarium eſt, ſunt ejuſmodi, ut nihil poſſit eſſe honorificentius: quæ autem poſteriori paulò duriùs dicta videri poſſunt, non magis in te quàm in alios cadant, cùm ea dicta ſint omnia per quandam veluti fictionem.

Te ergo rogo & obſecro, Reverendiſſime Pater, ut ſi quam de me malè induiſti opinionem, eam nunc re perſpectâ exuas; nec me exiſtimes quicquam feciſſe tui calumniandi causâ, quo nihil à meis moribus poteſt eſſe alienius. Suſpicatus quidem ſum, ſed non ſolus, verùm alii quoque permulti, non levi, ut putabant, conjecturâ adducti, te in hac ſententia, ut exiſtimares reſidentiam non eſſe juris divini. Sed quoniam rem aliter ſe habere ipſe affirmas; nemini autem meliùs quàm tibi de ea credi debet, non poſſum non & meam nimiam damnare credulitatem, & Deo optimo maximo quàm poſſum maximas agere gratias, quòd in hoc præclaro reformandæ Eccleſiæ negotio te ita ſis geſſurus, ut te non immeritò huc legarit ſummus Pontifex: ut qui nihil ſis dicturus, neque facturus, quod non ſit dignum iſtâ tuâ doctrinâ, iſtâ virtute, iſtâ ætate, iſto pulcherrimè decurſo totius vitæ curriculo, & quæ omnium Eccleſiarum, teſte Cypriano, ſemper fuit magiſtra, Sede Apoſtolicâ, à qua miſſus es ad reformandam Eccleſiam in capite & in membris. Spes eſt itaque fore, ut te duce hoc feliciter cœptum, feliciùs propediem abſolvatur Concilium. Dici certè non poteſt, quantam tui apud Chriſtianos omnes

Digitized by Google

concitâris expectationem, quam ne fallas, cum tua, tum totius Chriſtianæ reipublicæ maximè intereſt. Non fallas autem ſi cum tuis præſtantiſſimis Collegis in hoc unum incumbas, ut eccleſiaſtica diſciplina reſtituatur priſtino ſuo nitori: Facillimè autem reſtituetur, ſi ſummus velit Pontifex. Ut velit autem, nemo ei poterit meliùs perſuadere, quàm vos, vos (inquam) qui ejus vicem geritis, & omnes ejus ſenſus optimè tenetis. Quàm ſit autem neceſſarium & quantoperè id hodie ab omnibus expetatur, vos, qui linceis planè eſtis oculis, non dubito quin ſatis perſpiciatis.

De auctoritate verò ſummi Pontificis, non eſt quod hîc tam acriter à nonnullis diſputetur. Qui, ſi quando de tollendis (qui ſunt plurimi) agatur abuſibus, non verentur hæreſeos inſimulare eos, qui tantis malis conantur afferre remedium. Summum Pontificem nemo eſt orthodoxus qui non cognoſcat Chriſti Vicarium, Petri ſucceſſorem, Eccleſiæ ſub Chriſto caput, & ejus Paſtorem, ſi ſe pro diſpenſatore gerat, non pro Domino aut pro diſſipatore; & quæcumque ab eo fiunt, tendant non ad deſtructionem, ſed ad ædificationem. Plus auctoritatis & dignitatis ad eum, vel recuſantem, deferetur ab omnibus fidelibus, quàm poſtulantii, qui importunè nihil non ad eum deferunt. Hoc autem ita demùm fiet, ſi certa aliqua ineatur ratio, ut dignis munera mandentur eccleſiaſtica, quibus ipſi præſentes fungantur, nec ulli unquam ſolvantur Canone, niſi causâ ab iis cognitâ, quibus, in iis de quibus agitur locis, poſſit eſſe perſpecta. Ea autem nulla ſit alia, quàm vel urgens neceſſitas, vel evidens Eccleſiæ utilitas.

Hæc totius eſt reparandæ eccleſiaſticæ diſciplinæ veluti quædam ſumma, in quam ſi ſedulò & ſeriò incumbatis, futurum eſt ut ceſſent omnes totius Chriſtiani populi expoſtulationes, & verum Chriſti Vicarium, veluti quemdam in terris Deum, omnes laudent, ſuſpiciant, adorent & admirentur. Sed quid ago? ut factum meum tibi vel probarem, vel ſaltem excuſarem; non ut te hîc officii, quod non eſt opus, admonerem, hanc ad te ſcribendam duxi epiſtolam. Factum eſt autem ut ex abundantia cordis os meum loqueretur. Jam nihil æquè cupiam, nihil magis in votis habeam, quàm ut, quod brevi futurum, litteris meis ad regni noſtri everſores Calvinianos miſſis, ſum interminatus, in integrum reſtitutâ diſciplinâ eccleſiaſticâ ex noſtris finibus procul expellantur errores. Sed finem faciam litterarum, quibus ſupplex peto & poſtulo, ut ſi imprudens in mea ad Salmeronem epiſtola paulò inconſideratiùs alicubi ſum loquutus, id mihi ignoſcas, & me reverendiſſimæ tuæ Amplitudinis obſervatorem, & admiratorem maximum eſſe tibi perſuadeas. Vale Reverendiſſime Pater, quem Deus diù nobis ſervet incolumem.

Tridenti VII. Junii M. D. LXIII.

Z 5.5.1.16
FH 44.603

Digitized by Google

Digitized by Google

MC

305652071

Digitized by Google

Digitized by Google